5, 4

SUMMA THEOLOGICA

AD MODUM COMMENTARII

IN AQUINATIS SUMMAM

PRAESENTIS AEVI STUDIIS APTATAM

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

S. T. D.

MONACHO MAREDSOLENSI (CONGR. BEUR.) COLLEGII S. ANSELMI IN URBE RECTORE

SACRAE INDICIS CONGREGATIONIS CONSULTORE

« *Nova et vetera.* »

MATTH. XIII. 52.

TOMUS III.

DE DEO TRINO

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

FRIBURGI BRISGOVIAE

SUMPTIBUS HERDER

TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII

MCM

VINDOLONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

TRACTATUS

DE DEO TRINO

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

S. T. D.

MONACHO MAREDSOLENSI (CONGR. BEUR.) COLLEGII S. ANSELMI IN URBE RECTORE
SACRAE INDICIS CONGREGATIONIS CONSULTORE

« *Nova et vetera.* »
MATTH. XIII. 52.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

(I. - Q. XXVII-XLIII)

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
J267
Alma, California

FRIBURGI BRISGOVIAE
SUMPTIBUS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MCM
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

25752

BX
1749
T5
J2
1900
v.3

†
PAX

APPROBATIO

Opus cui titulus *Tractatus de Deo Trino,* auctore R. D. Laurentio Janssens, S. T. D. monacho Abbatiae nostrae Maredsolensis, necnon Rectore Collegii nostri S. Anselmi de Urbe, et in eodem Sacrae Theologiae Lectore, typis mandari libenti animo permittimus.

Datum Romae, ex Abbatia S. Anselmi de Urbe, die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, 1900.

† HILDEBRANDUS,
Abbas S. Anselmi, Primas O. S. B.

IMPRIMATUR:
Fr. ALBERTUS LEPIDI, O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR:
IOSEPHUS CEPPETELLI, Archiep. Myr. Vicesgerens.

SALVO IURE PROPRIETATIS ET TRANSLATIONIS.

Romae. Typis Vaticanis.

LEONI . XIII

BENEDICTINAE . GENTIS

FAVTORI . AVGVSTO

ANSELMIANI . COLLEGII . PRIMATIALISQVE . SEDIS

CONDITORI . PROVIDO . MVNIFICO

SCHOLASTICAE . DISCIPLINAE

CVLTORI . INCLYTO . VINDICI . INDEFESSO

HOCCE

MONACHALIS . LABORIS . ANGELICO . DVCE

QVALECVMQVE . PIGNVS

HVMILLIME . DEVOTISSIME . GRATISSIME

DICARE . PRAESVMIT

E . NVRSINI . PATRIARCHAE . SOBOLE

INFIMVS

Dilecto Filio Laurentio Janssens O. S. B.
Rectori Collegii Anselmiani in Urbe

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Volumen alterum obtulisti Nobis, in quo disserere de Deo Uno pergis; opus sane, quod, dum ingenium eruditionemque tuam commendat, Collegium etiam honestat, cui tu regundo merito es praefectus. Nosti plane quo Nos studio Anselmianum Coenobium, quibusque curis prosequamur. Videmur igitur in theologico opere cui tu manum admovisti quodque impigre prosequi decretum est, fructum aliquem decerpere, quo industrias Nostras collocasse optime reputemus. Quamobrem, quod sapienter inchoasti, sollicite, pro muneris opportunitate, prosequere. Addatque volenti vires Apostolica benedictio, quam, testem caritatis Nostrae, tibi libentissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VI. novembris MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII.

PROLOGUS.

Gloria Patri, et Filio,
et Spiritui Sancto!

Quemadmodum in pernobili templo Salomonis tres distinguebantur partes, quarum una, utpote atrium, vulgus continebat; alia, Sanctum nomine, reservabatur sacerdotali genti; tertia demum uni, et quidem semel tantum in anno, supremo sacerdoti patebat: ita ratione quadam religio omnis in tres praesertim gradus distribui potest. Primus, maxime imperfectus, imo impietate permixtus, quemcumque Numinis cultum apud ethnicos populos vigentem exprimit; in quo nec spiritualis Summi Entis virtus agnoscitur, nec eius singularitas tenetur. Inde gradus iste extra templum proprie dictum consistit; non enim verum Deum colunt, quotquot tanta pietatem ignorantia permiscent. Secundus gradus, iam intra parietes templi, Deum adorat verum et unum, omni materia liberum, causam universi supremam, ab eoque infinite distinctam, verbo Deum illum, cuius in antiquitate natio electa, gens veluti sacerdotalis, cultum tanquam superne sibi demandatum, per varias infidelitatis atque poenitentiae vices, usque ad Christum natum integre servavit. Superest autem

gradus tertius, in Sanctum Sanctorum inducens, cultus scilicet Dei non solum Unius essentia, sed et Trini personis. Quem in cultum, iam in Sancto sublucentem, verus Summus Sacerdos Christus gentem proprio sanguine redemptam caelesti oraculo induxit.

De Deo Uno in praecedenti tractatione pro viribus actum est. Ecce ad altiora Trinitatis investiganda, ipso iuvante Numine, ex obedientia gressum movemus. Quis enim, nisi ex officio, tam profunda scrutari temere audeat?

Porro antequam, Aquinate fido magistro, – cuius quippe angelica mens, aquileam aciem vincens, summa Dei miro robore intuetur, – sublimiorem hanc doctrinam evolvendam suscipimus, iuvat breviter quaedam praelibare de ipso nexu quo inter se colligantur, quaecumque de Deo Uno et de Deo Trino credit fides ac disputat theologia catholica. Maximi enim interest, ut in hoc nexu definiendo cum a defectu tum ab excessu aequa lance caveatur. Quidquid enim in argumento tanti ponderis ex una alterave parte peccatur, totam tractationem ipso consequentiae vinculo inficiat oportet.

Iam vero cum excessus tum defectus gemino gradu incedit. In medio autem veritas et virtus.

Deficiunt imprimis, qui contemplationem de Deo Uno praehabitam tantopere extollunt, ut credere videantur, hanc quasi adaequate divinitatem perscrutari; reli-

qua vero, quae Deum Trinum respiciunt, eidem tanquam complementum, veluti quasi accidentale superstrui. Magnus atque periculosus error. Si enim Numinis essentiam penetrare liceret, videremus utique, nihil Deo magis essentiale, quam esse Trinum. Ex imperfecta quippe nostra divinitatis notione fit, ut in contemplanda suprema essentia a Trinitate personarum abstrahere possimus, naturae unitatem mere attendentes. A parte autem rei non minus repugnat Deus persona unus, quam natura multiplex; nec magis in Deitatem peccat polytheismi commentum, quam inficiens ipsam Trinitatem blasphemia. Impossibile enim est, Deum non esse personis trinum, sicuti Deos esse natura plures, sonat absurdum. Inter utramque autem repugnantiam id interest, quod haec altera solius rationis virtute dignoscitur; illa autem, et quidem reflexe, non nisi ex lumine fidei apparet.

Simili modo, licet non tam graviter, deficiunt quotquot alte quidem essentialem, necessariam rationem Trinitatis proclamant; at nihilominus credere videntur, ea quae de Deo Uno theodicaea vindicat, in sua plena veritate, abstractione facta a mysterio Trinitatis, constitui posse. Quod rursus erroneum est. Lux quippe Trinitatis ipsam de Deo Uno contemplationem pervadit, ac veluti quodam repercusso radio Dei essentiam et attributa splendore novo collustrat. Inde non desunt optimi nominis theologi, qui, cum Sententiarum Magistro, tironem ab exordio in ipsum abyssum Trinitatis immergant, inde supremi Numinis essentiam atque virtutem iuxta claritatem Trinitatis contemplaturi.

At si nimia utriusque tractationis seiunctio syntheticae dogmatis altitudini nocet, per excessum offendunt, qui compenetrationem utriusque ultra limites urgent.

Maxime in hac parte peccant nonnulli theologi – quorum elucubrationes loco opportuno fusius discutientur – dum acumen rationis humanae nimis extollunt, ac si Dei non solum natura Unius sed et personis Trini notionem claram ipsa viribus propriis acquirere possit. Cui errori, summe vitando, duplex periculum inest, ut scilicet vel vera Trinitatis notio deturpetur, vel rationes vanae, seu ad summum suasivae pro apodicticis argumentis habeantur. Unde fatali nexu totam demonstrationem divinitatis, incauto tumore, in discrimen hi tales adducunt.

Nec ab isto excessu satis cavent alii theologi, qui ipsam Trinitatem ad modum cuiusdam internae evolutionis τοῦ Esse Supremi concipere videntur. De quibus rursus loco suo disserendum erit.

Stet igitur in medio doctrina cui evolvendae in hoc opere, Deo dante, incumbemus: Trinitatis dogma esse divinitatis non complementum modo, sed essentialem perfectionem, quae, ut ita dicam, omne Numen pervadat; mysterium quidem soli revelationis luci pervium: interna vita, non autem evolutio divinitatis.

Quodsi semper urget divi Pauli consilium: « Sapere « ad sobrietatem » [1], heic maxime theologum premit; quin tamen inde a quaerendo detineri debeat, memor

[1] Rom., XII, 3.

sententiae magni Augustini: « Nec periculosius alicubi « erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fruc- « tuosius aliquid invenitur » [1].

Ut autem, in quem agimur, intellectum fidei aliqualiter assequi contingat, suadente Anselmo nostro, a fidei professione exordiri placet. Sit igitur huius tractationis nostrae tessera simul et invocatio pia illa antiphona ex officio liturgico Sanctissimae Trinitatis deprompta: « Te Deum Patrem ingenitum, Te Filium « unigenitum, Te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanc- « tam et individuam Trinitatem, toto corde et ore « confitemur, laudamus, atque benedicimus. Tibi gloria « in saecula! » [2]

Sed antequam ad ipsam tractationem accedamus, liceat plurimas heic rependere gratias SS. Domino Nostro Leoni XIII, qui benignitate nimia, non modo *Summam Theologiam*, Ipso auspice inchoatam, sibi dicari non renuit, sed et augusto Litterarum testimonio humiles nisus nostros publice stimulare dignatus est.

De methodo per hunc tractatum servanda in expo sitione praevia dicemus [3].

Caeterum, si plurium placitis obtemperare, res ardua semper; impossibilis evadit prorsus, ubi, quod non defuit nobis, varia a variis promuntur desideria in invicem directe pugnantia. Quare serio perpendentes

[1] *De Trinit.*, l. I.
[2] Ad Magnif., II. Vesp.
[3] P. 19.

quae ex matura operis perscrutatione prodiere [1], reliqua uti vix dicta seponentes [2], quoad omnia propriam sedulo libertatem servantes, in praestatutum iter, etsi perlongum, Deo fisi, vires animumque extendimus.

Adsit, oro, Deipara Virgo, castae contemplationis Mater, ut quae Patris Verbum Spiritu afflante concepit, fautrix quaerenti robur adiiciat, repertaque si affulgeant, Filio benigne offerre dignetur.

Scribebam Romae, in aedibus Collegii Anselmiani, die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, anno 1900.

[1] Qualis est prae caeteris critica operis descriptio, quam fuso nitidoque calamo exaravit Cl. P. Hartmannus Strohsacker O. S. B. in *Zeitschrift für kath. Theologie*, ephemeridibus omnium sane praecipuis quas de rebus theologicis Societas Iesu moderatur (XXIV, 1900, p. 510-517).

[2] Talia sunt imprimis iudicia quaedam ab uno alterove critico viro lata de doctrina nostra circa cognitionem quam Deus habet futurorum contingentium, vel futuribilium. Legant attentius quae ibidem sat fuse exposuimus, et agnoscent, nos nullo modo huic futurorum cognitioni ita medium commune assignare divinam aeternitatem, ut non etiam pro omnibus futuris quae Deus operatur, - id est pro omnibus prorsus, exceptis liberis actionibus malis, - simul, imo logice primarium medium teneamus divinae scientiae causalitatem; - pariter nullo modo nos certitudinem cognitionis omnium futuribilium limitare ad quamdam moralem; sed unice pro his quae nonnisi moraliter certo futuribilia sunt; quatenus scilicet praescientiae divinae certitudo ipsam futuribilium certitudinem perfectissime adaequat. Haec non tam dicta sint ad querelam instituendam, quam ad alia praecavenda iudicia fundamento destituta. Ab his qui aliter sentiunt, nostram sententiam laudari, stolidum sane votum; aeque autem exhiberi, iusta expectatio.

INDEX RERUM.

PROLOGUS. IX
Index rerum. XV

PRAEVIA

I. De ordine Sancti Thomae. 1
II. De fontibus consulendis. 4
III. De erroribus vitandis 7

I. PARS.

DE PROCESSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

QUAESTIO XXVII.

UNICA HUIUS PARTIS.

Articulus I. — Utrum processio sit in divinis 21
Quaestio connexa 33
Articulus II. — Utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit . . . 37
Corollarium. 47
De doctrina S. Anselmi 49
Articulus III. — Utrum sit in divinis alia processio a generatione Verbi. . . 52
De doctrina Sancti Anselmi 59
Articulus IV. — Utrum processio amoris sit generatio. 61
De doctrina S. Augustini, aliorumque Patrum 67
De doctrina S. Anselmi 70
Articulus V. — Utrum sint plures processiones quam duae 72
De doctrina S. Anselmi 78
De doctrina S. Bonaventurae 79
Brevissima totius Quaestionis synopsis 89

Dissertatio exegetico-historica de revelatione Mysterii SS. Trinitatis.

CAPUT I. — De Doctrina SS. Trinitatis in Veteri Testamento 91
I. Conclusio — Mysterium trium in uno Deo personarum non potuit in Antiquo Testamento non sub aliquo saltem velamine contineri 92
II. Conclusio — Doctrina SS. Trinitatis re vera iam sub Antiquo Testamento plus minusve adumbrata apparet 97
Sententia S. Augustini de theophaniis 119
Conclusio capitis 122
CAPUT II. — De doctrina SS. Trinitatis in Novo Testamento. 125
A) De vi dogmatica formulae Baptismi 131
B) De commate Ioanneo. 136
1) De codicibus 139
2) De uso patristico commatis Ioannei 145
3) De indole ac nexu ipsius contextus 154
4) De argumento theologico 161
5) De argumento traditionali 165
CAPUT III. — De doctrina SS. Trinitatis in ante-nicaena traditione Ecclesiae catholicae 169
Appendix de traditione post-nicaena 201

PARS II.

DE RELATIONIBUS DIVINIS.

QUAESTIO XXVIII.

UNICA HUIUS PARTIS.

De nexu et ordine Quaestionis 205
Considerationes praeviae de ipso relationis conceptu. 207
Articulus I. — Utrum in Deo sint aliquae relationes reales 216
Corollarium. 225
Articulus II. — Utrum relatio in Deo sit idem quod essentia 226
Corollaria 236
Articulus III. — Utrum relationes, quae sunt in Deo, realiter ab invicem distinguantur. 237

Articulus IV. — Utrum in Deo sint quatuor relationes reales, scilicet paternitas, filiatio, spiratio et processio 245
De doctrina S. Anselmi 249
De doctrina S. Bonaventurae. 254
Brevissima totius Quaestionis synopsis 260

PARS III.

DE PERSONIS DIVINIS.

De nexu et ordine Partis 263

SECTIO I.

DE PERSONIS SECUNDUM CONSIDERATIONEM ABSOLUTAM.

MEMBRUM I.

DE PERSONIS IN COMMUNI.

QUAESTIO XXIX.

DE SIGNIFICATIONE NOMINIS PERSONAE

Ordo Quaestionis 264
Articulus I. — De definitione personae 266
Articulus II. — Utrum persona sit idem, quod hypostasis, subsistentia et essentia. 276
Appendix de genesi terminologiae catholicae. 280
Articulus III. — Utrum nomen personae sit ponendum in divinis. 285
Appendix de genesi nominis personae ad divina applicatae 289
Articulus IV. — Utrum hoc nomen persona significet relationem. 291
Appendix de mente S. Augustini, S. Bonaventurae et Petavii 297
Brevissima totius Quaestionis synopsis 303

QUAESTIO XXX.

DE PLURALITATE PERSONARUM IN DIVINIS.

Articulus I. — Utrum sit ponere personas plures in divinis 303
Articulus II. — Utrum in Deo sint plures personae quam tres. 306
Articulus III. — Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis 301

Articulus IV. — Utrum hoc nomen, persona, possit esse commune tribus personis. 314
De doctrina S. Anselmi 318
Brevissima totius Quaestionis synopsis 320

QUAESTIO XXXI.

DE HIS QUAE AD UNITATEM VEL PLURALITATEM PERTINENT IN DIVINIS.

Articulus I. — Utrum sit trinitas in divinis 321
Corollarium 329
Articulus II. — Utrum Filius sit alius a Patre 330
Articulus III. — Utrum dictio, solus, sit addenda termino essentiali in divinis. 335
Articulus IV. — Utrum dictio exclusiva possit adiungi termino personali . . 338
Doctrina S. Bernardi de unitate Trinitatis 341
Brevis totius Quaestionis synopsis 343

QUAESTIO XXXII.

DE DIVINARUM PERSONARUM COGNITIONE.

Dissertatio praevia 343
I. PARS. — Quid humana ratio sibi relicta in cognoscenda SS. Trinitate non possit 344
I. Contra SS. Trinitatis mysterium nihil efficaciter ex ratione adduci potest. 345
II. Humana ratio nequit mysterium SS. Trinitatis propriis viribus detegere, nec superne revelatum apodicticis argumentis demonstrare 354
Corollaria 365
II. PARS. — Quid ratio possit 393
I. Ratio potest dogma credendum proponere. 393
II. Ratio fide illustrata potest dogma credendum exponere 395
III. Ratio revelatione illustrata potest dogma SS. Trinitatis vindicare . 403
Articulus I. — Utrum trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci 405
Appendix I. — De doctrina aliquorum scriptorum, qui nimis in hac re rationi tribuere videntur 412
Appendix II. — De doctrina Cl. Schell 417
Articulus II. — Utrum sint ponendae notiones in divinis. 430
Articulus III. — Utrum sint quinque notiones 435
Articulus IV. — Utrum liceat contrarium opinari de notionibus 441
Brevissima totius Quaestionis synopsis 444

II. MEMBRUM.

DE DIVINIS PERSONIS IN SPECIALI.

I. - DE PERSONA PATRIS.

QUAESTIO XXXIII.

Ordo Quaestionis 446

A. - DE PRINCIPIO.

Articulus I. — Utrum Patri competat esse principium. 446
Corollarium I 450
Corollarium II 451
Appendix de distinctione inter principium quod et principium quo 452

B. - DE PATRE.

Articulus II. — Utrum hoc nomen, Pater, sit nomen proprium divinae personae. 453
Scholion 456
Articulus III. — Utrum Pater dicatur per prius personaliter. 456
Corollarium 461

C. - DE INGENITO.

Articulus IV. — Utrum esse Ingenitum sit Patri proprium 461
Corollaria quinque. 467
Brevissima totius Quaestionis synopsis 472

II. - DE PERSONA FILII.

A. - DE FILIO.

De nomine Filii 473
Corollarium I 475
Corollarium II. 475

B. - DE VERBO.

QUAESTIO XXXIV.

Articulus I. — Utrum Verbum in divinis sit nomen personale. 477
De doctrina S. Anselmi 486
Articulus II. — Utrum Verbum sit nomen proprium Filii 489
Corollarium 492

Articulus III. — Utrum Verbum importet respectum ad creata 493
Dissertatiuncula de cognitione ex qua Verbum procedit in divinis 496
Brevissima totius Quaestionis synopsis 511

C. - DE IMAGINE.

QUAESTIO XXXV.

Articulus I. — Utrum Imago in divinis dicatur personaliter. 511
Articulus II. — Utrum Imaginis nomen sit proprium Filio 514
Corollarium 521
Brevissima totius Quaestionis synopsis 522
Appendix de aliis praecipuis nominibus Filio propriis 522
Epilogus 533

III. — DE PERSONA SPIRITUS SANCTI.

De ordine argumenti 534

A. — DE SPIRITU SANCTO.

QUAESTIO XXXVI.

Articulus I. — Utrum Spiritus Sanctus sit nomen proprium 535

Dissertatio de modo processionis Spiritus Sancti a Patre et a Filio.

I. De Scripturarum testimoniis circa modum processionis Spiritus Sancti. . . 541
II. De doctrina publica ecclesiastica 545
III. De argumentis rationis theologicae 547
IV. De traditione Ecclesiae catholicae tum occidentalis, tum orientalis. . . . 556
A) De traditione Ecclesiae occidentalis 556
B) De traditione Ecclesiae orientalis. 566
1) Docent Patres orientales, Spiritum Sanctum procedere ex Patre et Verbo 573
2) Graeci docent, Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium . . . 579
V. De effatis seu doctrina dissidentium sectarum orientalium 583
VI. De verbo « Filioque » Symbolo nicaeno-constantinopolitano addito. . . . 585
Articulus II. — Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio. 590
Articulus III. — Utrum Spiritu Sanctus procedat a Patre per Filium 595
Articulus IV. — Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti. 601
De doctrina S. Anselmi 607
De doctrina S. Bonaventurae. 612
Brevissima totius Quaestionis synopsis 614

B) - DE AMORE.

QUAESTIO XXXVII.

Articulus I. — Utrum Amor sit proprium nomen Spiritus Sancti. 615
Corollarium I. 623
Corollarium II 624
Corollarium III. 624
Articulus II. — Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto 626

C) - DE DONO.

QUAESTIO XXXVIII.

Articulus I. — Utrum Donum sit nomen personale 633
Articulus II. — Utrum Donum sit proprium nomen Spiritus Sancti. 636
Brevissima totius Quaestionis synopsis 641
Appendix I. — De aliis praecipuis nominibus Spiritui Sancto propriis. . . . 642
Appendix II. — De similitudine inter animam humanam et SS. Trinitatem. . 650
Epilogus 655

SECTIO II.

DE PERSONIS DIVINIS RELATIS

I. AD ESSENTIAM, - II. AD PROPRIETATES,
III. AD ACTUS NOTIONALES, - IV. AD INVICEM.

I. MEMBRUM.

DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS.

QUAESTIO XXXIX.

Articulus I. — Utrum in divinis essentia sit idem quod persona. 657
Appendix — De modo praedicandi in Deo trinam sive unam subsistentiam. . 659
Articulus II. — Utrum sit dicendum, tres personae unius essentiae 662
Appendix historica de dogmatico vocabulo ὁμοούσιος 664
Articulus III. — Utrum nomina essentialia praedicentur singulariter de divinis personis. 667
Articulus IV. — Utrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona. 669

Articulus V. — Utrum nomina essentialia in abstracto possint supponi pro persona 673
Articulus VI. — Utrum personae possint praedicari de nominibus essentialibus 677
Articulus VII. — Utrum nomina personalia sint approprianda personis . . . 679
Articulus VIII. — Utrum convenienter a sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa 682
De doctrina Richardi Victorini 690
Brevissima totius Quaestionis synopsis 692

II. MEMBRUM.

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD RELATIONES.

QUAESTIO XL.

Articulus I. — Utrum relatio sit idem quod persona. 693
Articulus II. — Utrum personae distinguantur per relationes 695
De mente S. Bonaventurae 699
Articulus III. — Utrum abstractis per intellectum relationibus a personis, adhuc remaneant hypostases 701
Articulus IV. — Utrum actus notionales praeintelligantur proprietatibus . . 704
Brevissima totius Quaestionis synopis. 707

III. MEMBRUM.

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD ACTUS NOTIONALES.

QUAESTIO XLI.

Ordo Quaestionis 708
Articulus I. — Utrum actus notionales sint ponendi in divinis 708
Articulus II. — Utrum notionales actus sint voluntarii 711
Doctrina S. Cyrilli Alexandrini. 717
De mente S. Bonaventurae et Richardi Victorini 719
Articulus III. — Utrum actus notionales sint de aliquo. 721
De errore Abaelardi et doctrina S. Bernardi 728
Articulus IV. — Utrum in divinis sit potentia actuum notionalium 731

Articulus V. — Utrum potentia generandi significet relationem et non essentiam. 733
De mente Sancti Bonaventurae 737
Articulus VI. — Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit . 739
Brevissima totius Quaestionis synopsis 742

IV. MEMBRUM.

DE DIVINIS PERSONIS RELATIS AD INVICEM.

DE AEQUALITATE ET SIMILITUDINE DIVINARUM PERSONARUM.

QUAESTIO XLII.

Ordo huius Quaestionis. 743
Articulus I. — Utrum aequalitas locum habeat in divinis. 744
Appendix. — De vi dogmatica ac legitimitate vocabuli ὁμοούσιος. 750
Articulus II. — Utrum persona procedens sit coaeterna suo principio, ut Filius Patri 754
Doctrina SS. Gregorii Nazianz. et Cyrilli Alexandr. de coaeternitate divinarum personarum 760
Corollaria. 763
Articulus III. — Utrum in divinis personis sit ordo naturae. 765
Articulus IV. — Utrum Filius sit aequalis Patri secundum magnitudinem . . 776
Articulus V. — Utrum Filius sit in Patre et e converso 784
Corollaria et Scholia 793
Articulus VI. — Utrum Filius sit aequalis Patri secundum potentiam. . . . 797
Corollaria et Scholia 801
De doctrina Sancti Anselmi 802
Brevissima totius Quaestionis synopsis 807
Appendix. — De Pulchritudine SS. Trinitatis 808

IV. PARS.

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

QUAESTIO XLIII.

Ordo Quaestionis 811
Articulus I. — Utrum alicui personae divinae conveniat mitti 812
Doctrina Sancti Anselmi. 818

Articulus II. — Utrum missio sit aeterna vel temporalis tantum. 820
Articulus III. — Utrum missio invisibilis divinae personae sit solum secundum donum gratiae gratum facientis 822
Articulus IV. — Utrum Patri conveniat mitti 827
Corollarium. 829
Articulus V. — Utrum Filio conveniat invisibiliter mitti. 830
Appendix de missione divina in Verbo Incarnato 832
Articulus VI. — Utrum missio invisibilis fiat ad omnes qui sunt participes gratiae. 834
De mente S. Cyrilli Alexandrini et Ruperti Abbatis 844
Articulus VII. — Utrum Spiritui Sancto conveniat visibiliter mitti 852
Corollaria. 857
Articulus VIII. — Utrum nulla persona divina mittatur, nisi ab ea, a qua procedit aeternaliter 859
Brevissima totius Quaestionis synopsis 862

EPILOGUS 865

Index alphabeticus, analyticus 871

PRAEVIA.

Quo lucidior procedat haec tota tractatio, praemittere iuvat 1) ordinem quem sequitur Angelicus, 2) fontes uberiores catholicae auctoritatis atque theologicae de Trinitate eruditionis, 3) errores praecipuos ab initio prae oculis habendos.

I. De Ordine Sancti Thomae.

Sequenti schemate ordinem S. Thomae expressum tene.

- **I. Pars. De origine seu processione.** (Q. XXVII).
  - 1) *An* sit processio in divinis (a. 1).
  - 2) *Quomodo* sit:
    - *a*) de *prima* processione, seu generatione (a. 2);
    - *b*) de *altera* processione
      - α) utrum dari possit, (a. 3);
      - β) utrum sit generatio (a. 4);
    - *c*) de completo processionum *numero* (a. 5).

- **II. Pars. De relationibus.** (Q. XXVIII).
  - 1) *An* sint in Deo relationes *reales* (a. 1).
  - 2) *Quomodo* sint:
    - *a*) relate ad *essentiam* divinam (a. 2);
    - *b*) relate ad *invicem* (a. 3);
    - *c*) quoad *numerum* (a. 4).

- **III. Pars. De personis divinis.** (Q. XXIX-XLII).
  - A) Secundum considerationem *absolutam.* (I. *Sectio.*)
    - I) In *communi:* (1. *Membrum.*)
      - *a*) de *significatione* personae (Q. XXIX);
      - *b*) de *numero* personarum (Q. XXX);
      - *c*) de *consequentibus* hunc numerum (Q. XXXI);
      - *d*) de notitia personarum (Q. XXXII).
    - II) In *speciali:* (2. *Membrum.*)
      - *a*) de persona *Patris* (Q. XXXIII);
      - *b*) de persona *Filii:* (Cf. q. XXXIII)
        - α) de *Verbo* (Q. XXXIV);
        - β) de *Imagine* (Q. XXXV);
      - *c*) de *Spiritu Sancto:*
        - α) de ipso *Spiritu* (Q. XXXVI);
        - β) de *Amore* Q. XXXVII);
        - γ) de *Dono* (Q. XXXVIII);
  - B) Secundum considerationem *relativam* in comparatione (II. *Sectio.*)
    - 1) ad *essentiam* (Q. XXXIX); (1. *Membrum.*)
    - 2) ad *proprietates* (Q. XL); (2. *Membrum.*)
    - 3) ad actus *notionales* (Q. XLI); (3. *Membrum.*)
    - 4) ad *invicem* (Q. XLII) (4. *Membrum*).

- **IV. Pars. De missione divinarum personarum.** (Q. XLIII).
  - I) *An* sit missio (a. 1).
  - II) *Quomodo* sit:
    - 1) quoad *terminum:*
      - *a*) utrum in *tempore* (a. 2);
      - *b*) utrum ad gratiam *gratum* facientem (a. 3);
    - 2) quoad *mitti:*
      - *a*) utrum *Patri* conveniat (a. 4);
      - *b*) utrum *Filio*
        - α) missio visibilis (a. 5);
        - β) ad quosnam (a. 6);
      - *c*) utrum *Spiritui Sancto* conveniat missio visibilis (a. 7);
    - 3) quoad *mittere* (a. 8).

Excellentia huius distributionis primo intuitu apparet. Partes enim quatuor naturali via se invicem appellant atque complent. Missio quippe divinarum personarum relationibus innititur simul ac personis. Personae divinae in sua distinctione per relationes constituuntur. Relationes autem a processionibus logice fluunt. Incipiendum igitur est ab ipso originis seu processionis conceptu.

Ex quo alterum sequitur bonum. Si enim Horatius suadet ut « in medias res » poëta statim lectorem inducat; non minus magistro discipulum ab ipso exordio in medium dogma ope divinae auctoritatis quasi immergere prodest.

Nec erit abs re discrimen ob oculos ponere, quod inter ordinem *Summae* et aliquorum recentiorum theologorum interiacet. En, exempli gratia, quomodo Cardinalis Franzelin, sane coaevorum unus e praecipuis, totum argumentum quadruplici sectione distribuit. Primo revelatam doctrinam de unitate naturae et reali distinctione personarum divinarum inquirit atque exponit. Dein analogicum nostrum conceptum mysterii SS. Trinitatis penitius investigat. In tertia sectione fuse agit de processione Spiritus Sancti ex Patre et Filio. In ultima demum doctrinam de missione divinarum personarum et singillatim de missione Spiritus Sancti late evolvit.

Ultro fatemur, longiores ultimas geminas sectiones hodierno statui controversiarum optime respondere. Nostrum inde erit, quae loco suo, sed brevius, de utroque argumento Angelicus tradit, iuxta praesentis aetatis indolem ac necessitates augere sive complere. Si tamen alteras priores sectiones consideramus, non possumus quin methodo divi Thomae tribuamus palmam. A fundamentali enim conceptu hic logica et quasi naturali via incedens, omnia quae sunt de relationibus, deque personis agenda, a primaria processionis seu originis notione deducit, ipsamque circuminsessionem processioni superstruit. Laudatus e contra Cardinalis, antequam processionis utriusque, qualis in Scripturis exhibetur et Patribus, analysim instituat, profundiora circuminsessionis disquirit. Ex quo fit, ut in legendo percelebrem huius theologi tractationem mens hinc inde duplici motu sollicitetur et quasi quatiatur [1];

[1] Idem plus minusve dic de ordine quem in suis tractationibus sequuntur Scheeben, Heinrich, aliique.

dum e contra Angelico duce a fundamine ad summa motu continuo sensim evehitur.

Nec opus est ut rursus doctrinae de unitate divinae naturae e professo insistatur, quum in nuper evolutis quaestionibus haec unitas ex Scripturis atque traditione multipliciter sit vindicata. Nihilominus, contra haereticos Trinitatem a personis ad ipsam naturam extendentes, haec naturae unitas instantius pro argumenti opportunitate erit urgenda.

II. De fontibus consulendis.

A) Porro *principaliores fontes* theologicae eruditionis, - praeter Libros sacros, atque Conciliorum, praesertim primi ac secundi acta, necnon ipsa fidei Symbola, publicique cultus formulas, de quibus mox, - in scripta 1) patristicae, 2) scholasticae, atque 3) recentioris aetatis commode distribuuntur.

1) De Trinitate fusius egerunt *a*) e Patribus *graecis*: *S. Athanasius* (contra Arianos orat. 4 [1], ad Serapionem epistolae 4. [2]); *S. Basilius* (contra Eunomium, libri 5 [3]; de Spiritu S. ad Amphilochium [4]); *S. Gregorius Naz.* (orat. 5. theologicae [5]); *Gregorius Nyss.* (contra Eunomium libri 12 [6]); *Didymus* (de Trinitate lib. 3 [7], de Spiritu Sancto); *S. Cyrillus Alex.* (thesaur. de s. et consubst. Trinit.; de Trin. dialog. 7. [8]); *S. Ioannes Damasc.* (de Sancta Trinitate [9]).

b) E Patribus *latinis*: *S. Hilarius Pictav.* (de Trinitate

[1] 1) Filius non temporalis nec mutabilis; 2) Filius non factus nec creatus; 3) Filius non alienus a Patre, sed unum cum Patre; 4) Filius ut Verbum subsistens Patris, simul unum cum ipso et distinctus ab ipso. (Cf. Scheeben. *Handb. der Kath. Dogm.* t. I. p. 743). *P. G.* t. XXVI.

[2] Hic agitur praecipue de divinitate Spir. S. Adde libr. de Trin. et Spir. S. Ibid.

[3] 1) De Ingenito, 2) de Genito, 3) de Spiritu Sancto; 4) et 5) - quorum authenticitas in dubium vocatur - complent argumentum 2) et 3). Basilius solvendis philosophicis, dialecticis obiectionibus specialius incumbit. *P. G.* t. XXIX.

[4] *P. G.* t. XXXII.

[5] Cf. in S. Greg. doctrinam inquisitionem card. Hergenröther: *Die Lehre von der gött. Dreiein.* etc., Ratisb. 1850. Adde poëma dogmat. *P. G.* t. XXXVI.

[6] Adde opera quibus titulus: « Quod non sint tres Dii, adversus Abladium ». « Tractatus adversus Graecos ». *P. G.* t. XLV.

[7] 1) Demonstratio divinitatis Filii, 2) Spiritus Sancti; 3) Recapitulatio atque obiectionum solutio.

[8] Opera eruditione Scripturarum praecipua. — *P. G.* t. LXXV.

[9] *P. G.* t. XCV.

lib. 12 [1]); *S. Ambrosius* (de fide Trinitatis lib. 5, [2] et de Spiritu Sancto lib. 3 [3]); *S. Augustinus* (de Trinitate lib. 15 [4]); *S. Fulgentius* (de Trinitate [5]); *Boëthius* (praesertim de unitate Trinitatis [6]). Plura de Patrum scriptis legesis apud eruditissimum Petavium [7].

2) Inter *scholasticos* prae aliis eminent, incipiendo ab antesignanis: *B. Alcuinus* (de fide sanctae et individuae Trinitatis [8]); *S. Anselmus* (praesertim in Monologio [9]); *Rupertus* (de glorificatione Trinitatis, et processione S. Spiritus [10]); *Petrus Lombardus* (I. dist.); *Gulielmus Paris.* (opusc. de Trinit.); *Hugo Victor.* (Summa Sentent. tract. I.) [11]; *Richardus Victor.* (libr. 6. de Trinitate); *Alexander Halensis* (1. p. q. 42. sqq); *S. Bonaventura* (in I. Sent. [12]); *S. Thomas*, (praecipue 1. p. Q. 27. sqq; ctr. Gent. lib. IV. cap. 1. sqq; in I. Sentent.; Qq. disp. passim); *Dionysius Carthus.* (in I. Sent.). A pluribus aliis nominandis abstinemus.

3) A tempore Concil. Trident. principaliores numerandi sunt: *Bellarminus* (de Verbo Dei I.); *Gregorius de Valentia* (de Trinitate l. 5.); *Petavius* (de dogm. t. II.) [13]; *Thomassinus*

[1] Praesertim de divinitate Filii, dum de Spiritu Sancto nonnisi quasi secundario agitur in libr. 2. et in 12: demonstratio et apologia dogmatis via ac ratione iuxta methodum in primo libro expositam. — *P. L.* t. x.

[2] Specialius de consubstantialitate Filii. — Ibidem.

[3] *P. L.* t. XVII.

[4] A libro 1. ad 4. tractatur argumentum via positiva, adductis externis SS. Trinitatis manifestationibus in theophaniis atque missionibus; in libris 5, 6, 7. conceptus et formulae dogmatis determinantur; a libr. 8. ad 14. mediis analogicis et speculativis dogma ad intellectum fidei illustratur; in libr. 15. recolliguntur solutiones in praecedentibus acquisitae, eaedemque in cap. 3. brevissime comprehenduntur. Pars speculativa huius gigantici operis, quod libros omnes ad id tempus usque superexcedit, mirandis scholasticorum contemplationibus viam aperuit. — *P. L.* t. XLII.

[5] *P. L.* XLV.

[6] *P. L.* t. LXIV.

[7] *Theol. dogm.* l. II, praefat.

[8] Adde *Quaestiones XXVIII de Trinitate*, et lib. *de Processione S. Spiritus.* — *P. L.* t. CI.

[9] Adde *de fide Trinitatis et de Incarnatione Verbi*, et *de Processione Spiritus S. contra Graecos.* — *P. L.* t. CLVIII.

[10] *P. L.* t. CLXIX, col. 13, sqq.

[11] *P. L.* t. CLXXVI, col. 51, sqq.

[12] Cf. de doctrina Seraphici Theodorum Foresti. Ord. Cap. (1633); ac imprimis recentissimam operum eius editionem ad Aquas Claras mira sagacitate ac eruditione confectam.

[13] Minus caute tractat doctrinam Patrum in stadio ante-nicaeno; de quo infra fusius.

(de Trinit. t. III. dogm.); ex scholasticorum commentatoribus Card. *Toletus* (in I. hoc loco); *Suarezius* ac maxime *Ruiz* (de Trinitate) [1].

Nostrae autem aetatis praestant: *Kuhn* (die Lehre von der göttlichen Dreieinigkeit); Card. *Franzelin* (de SS. Trinitate); *Kleutgen* (Theologie der Vorzeit, t. I; Philosophie der Vorzeit, t. I); *Scheeben* (Mysterien des Christenthums; Dogmatik, t. I); *Hettinger* (Apologie, t. 2, p. 1); *Schwane* (Dogmengeschichte, t. 1. et 2); *Bach* (item); *Werner* (Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur); *Jungmann* (de Deo uno et Trino); *Billot*, Card. *Satolli*, *Katschthaler*, *Paquet*, *Schwetz*, *Heinrich*, *Simar*, *Pesch*, *Studium Solesmense* (item); *De Régnon* (Etudes de Théologie positive sur la S^te^. Trinité); etc., etc.

B) *Instrumenta* autem *dogmatica* maxime sunt: 1) *Formula baptismi.* - 2) *Symbola fidei* cum anathematismis, scilicet: *a*) *Apostolicum; b*) Concilii *Nicaeni* I. (325) cum anathematismis contra Arianos, necnon anathematismis Damasi (378, 379) [2]; *c*) Concilii *Constantinopolitani* I. (382); *Athanasianum* (probabiliter ineunte saec. V.); synodi *Toletanae* 11 (675) [3]. - 3) *Decreta* Conciliorum et professiones fidei: *a*) Capita « *Firmiter* » et « *Damnamus* » Conc. *Lateranensis* IV. (1215); *b*) Conc. *Lugdunensis* II. (1274); professio Michaëlis Paleologi et decreta de processione Spiritus Sancti a Patre et a Filio; *c*) Concilii *Florentini* (1439) decretum *Unionis,* et decretum pro *Iacobitis; d*) professio fidei pro *Graecis* a Gregorio XIII, pro *Orientalibus* ab Urbano VIII et Benedicto XIV promulgata; *e*) bulla « *Auctorem fidei* » a Pio VI contra synodum Pistoriensem edita (1794); *f*) litterae Pii IX ad Card. Geissel de erroribus Güntheri directae; *g*) adde schemata Concilii *Vaticani* [4].

[1] Adde S. Thomae commentatores praecipuos, eiusque doctrinae vindices: Caietanum, Ferrariensem, Gonetum, necnon ex nostris Reding et Mezger, etc.

[2] Denzinger. *Enchiridion* p. 12, sqq.

[3] Hoc symbolum Innocentius III. (ep. ad Petrum Compostellae episc.) authenticum vocavit.

[4] Friedrich (*Documenta ad illustrandum Concil. Vatic.* t. 2); Martin (*Omnium documentorum Conc. Vaticani collectio*).

III. De erroribus vitandis.

Errores circa Trinitatem primum brevissimo schemate comprehendemus, dein singulos per partes satis evolvemus, ut status quaestionum iam ab initio lucide percipi possit. Ipsam autem argumentorum disquisitionem ad opportunum tractationis locum servamus.

I) Itaque Trinitatis mysterium impugnarunt vel impugnant:

- **A) ex non Christianis:**
  1) *Pagani*, nec ipsum natura unum Deum agnoscentes;
  2) *Mahumedani*, Deum unum profitentes, qui Filium habere nequeat;
  3) *Iudaei*, non pauci, putantes ipsam Trinitatem multiplicare deos;
  4) Moderni *athei*, pantheistae, rationalistae, imo quidam protestantes, certe vix amplius adnumerandi christianis.
- **B) ex Christianis:**
  - I) *Antitrinitarii* (per defectum peccantes):
    - 1) *Monarchiani:*
      - *a*) Ebionitae (Alogi);
      - *b*) Sabelliani (Modalistae, Theopaschitae, Patripassiani);
      - *c*) Paulus Samosatenus;
      - *d*) Sociniani, Arminiani; Bogomili, Neomanichaei, Orleanenses, Waldenses (plures).
    - 2) *Subordinatiani:*
      - *a*) Ariani (Cathari nonnulli);
      - *b*) Macedoniani.
  - II) *Tritheistae* (per excessum peccantes), quo errore plus minus explicite infecti sunt:
    1) Prisci quidam iam a Dionysio damnati;
    2) Ioannes Philoponus;
    3) Roscellinus;
    4) Gilbertus Porretanus;
    5) Abbas Ioachim;
    6) Güntherus (qui et erravit quoad viam cognoscitivam mysterii SS. Trinitatis).

II) Iam pauca per partes.

A) Quum SSm̃ae Trinitatis mysterium in coniunctione consistat professionis Dei natura unius et personis trini, mirum

non est, omnes errores circa illud ad negationem aut imperfectam notionem huius sublimissimae coniunctionis reduci. Optime S. Augustinus Arianos simul et Sabellianos confutans: « Contraria dicitis, sed non eo modo, sicut est falsum contra- « rium vero, sed sicut sunt inter se duo falsa contraria. Er- « rando in diversis istis, in medio est via quam reliquistis » [1].

1) Ab huius mysterii notione maxime distant, qui nullum clarum unitatis divinae conceptum habent. Tales erant ethnici vulgares. Inde catholicam veritatem blasphemant nonnulli impii moderni, asserentes SSm̃am Trinitatem esse quoddam doctrinae monstrum ex unico Iudaeorum Deo cum multiplici paganorum divinitate conflatum: « durch eine « Verschmelzung des Jüdischen und Heidnischen in der « Kirche » [2]. Quod quam gratuito, imo quam absurdo sit assertum, ex ipsa dogmatis christiani evolutione et analysi ubertim apparebit.

Eloquenter et efficacissime anathematismus Papae Damasi: « Omnes haeretici de Filio Dei et Spiritu S. male « sapientes, in *Iudaeorum* atque *Gentilium* incredulitate con- « sistere convincuntur. Si quis autem diviserit Deitatem, Pa- « trem dicens divisim Deum et Filium Deum, et Spiritum « S. Deum, atque ita temere putet *Deos* dici, et non *Deum* « propter unam deitatem et dominationem, quam credimus « et scimus Patris et Filii et Spiritus S.; - aut si quis rursum « subtrahat Filium et Spiritum S., ita ut solum Patrem « putet Deum dici aut unum Deum credi: anathema sit... « Haec ergo est salus christianorum, ut dum credimus in « *Trinitatem*, id est, in Patrem et Filium et Spiritum S., in « ea *unam eandemque deitatem* et dominationem, maiesta- « tem et substantiam sine dubio credamus » [3].

2) Ex falsa christiani dogmatis intelligentia *Mahumedani* ita conceptum Dei unius urgent, ut geminas in eo personas Patrem et Filium repugnare contendant. « Credite in Deum « et legatos, et ne dicatis tres. Deus est Deus unus. Absit, « ut ei sit Filius ». Ita in *Alcorano* [4].

[1] *In Ioann.* tr. LXXI, n. 28.
[2] STRAUSS, cf. HETTINGER, *op. cit.* p. 108.
[3] Iuxta versionem SCHEEBEN (op. cit. 748).
[4] Sur. IV.

3) De *Iudaeorum* opinione circa SS. Trinitatem dicetur fusius infra, ubi argumenta ex V. Testamento deprompta perpendentur.

4) Quomodo autem moderni athei, pantheistae, rationalistae se habeant ad dogma SS. Trinitatis, per se patet.

a) Primi negant suppositum. - *b*) Alteri quamdam insulsam commixtionem inter divinitatem et omnia existentia fingunt. Nihil autem communis est inter confusam horum philosophiam, in qua uterque conceptus Creatoris et creaturae pessumdatur, et distinctam Dei unius ac trini professionem. - *c*) Rationalistae autem a priori reiiciunt SS. Trinitatis fidem, quum intellectualis naturae vires superexcedat; ideoque vel in cultu Dei natura unius, vel in pantheismo, vel in atheismo consistunt, iuxta placita illius quam unice ducem sequuntur rationem. - *d*) Quantopere autem sat multi protestantes, ii praesertim qui mentium regimen in cathedris agunt, fatali gressu ad impietatem quasi totalem prolapsi sint, ex infra dicendis magis apparebit. Hinc illud monstruosum connubium inter massonicas sectas et protestantismum in regionibus hucusque catholico nomini passim addictis. « Protestantiser l'Europe est le plus sûr moyen de « la déchristianiser », aiebat impius Eugène Sue [1]. Talibus protestantibus SS. Trinitas non amplius nisi vacuam formulam sonat [2].

B) Porro quemadmodum in tractatu de Verbo Incarnato videbimus, alios haereticos in Christo geminas naturas ad exclusionem unitatis personalis urgere, alios unitatem urgere personae ad exclusionem duplicis naturae; ita in praesenti de SS. Trinitate argumento, alii, per defectum peccantes, si tres personas in una natura respicis, veram personarum in una divina natura distinctionem reiiciunt, qui inde *Antitrinitarii* rite vocantur; alii hanc eamdem distinctionem urgent usque ad unitatis divinae naturae detrimentum, et iure *Tritheistae*, saltem in genere, nuncupantur.

I) Ipsi autem *Antitrinitarii* in duplex dispescuntur genus,

[1] Mgr. De Ségur *(Causeries sur le protestantisme d'aujourd'hui*, 33. edit., p. 19 sq.)

[2] Cf. Krog-Tonning *(Der Protestantismus in der Gegenwart)*. — D. Urb. Baltus *(Le protestantisme contemporain)*.

secundum quod veram ac propriam distinctionem trium in divinitate reiiciunt, vel admittunt quidem veram distinctionem, sed in ordine inaequali, seu in subordinatione; priores *Monarchiani,* posteriores *Subordinatiani* audiunt.

1) Tres distinguuntur rami *Monarchianorum,* idest, eorum qui in Deo nonnisi unam personam proprii nominis admittunt: Ebionitae scilicet, Sabelliani, et asseclae Pauli Samosateni. Ratio distributionis a fonte erroris derivatur. Ebionitae enim a Iudaïsmo; Sabelliani a philosophia ethnica, praesertim Heracliti, placita hauserunt; quae ab utrisque desumpta Paulus Samosatenus accepit atque simul conflavit.

a) *Ebionitis,* Iudaeorum monotheismum urgentibus, adnumerantur Theodorus tum Coriarius, tum Argentarius, et Artemon, qui per agnitam divinitatem Christi ipsam unitatem Dei corrumpi contendebant. Item illi quos, a negata doctrina Ioannis de processione Verbi, *Alogos* Epiphanius nuncupavit [1]; necnon Baryllus Bostrensis ab Origene (ann. 244.) ad veritatis agnitionem adductus [2]; qui utique ab aliis, nec immerito, propter doctrinam de divinitate Christi Sabellianis adnumeratur.

b) *Sabellianorum* capita sunt, praeter ipsum Sabellium, a quo nomen, Praxeas, Noëtus, Epigonus. Distinguuntur ab Ebionitis in eo quod divinitatem Christi salvare conantur, etsi ipsam personarum distinctionem in Deo propriam reiiciunt.

α) *Praxeas,* ex Asia Minori oriundus, sub Marco Aurelio fidei confessor, prius errorem Romae (circa ann. 200.) sparsit; dein in Africa, ubi Tertullianum strenuum adversarium nactus est. Docebat enim in Christo divinitatem non personalem, sed monarchicam descendisse. « Ipsum dicit Patrem « descendisse in Virginem, ipsum passum, denique ipsum « esse Iesum-Christum »: ita de eo Tertullianus adversus Praxeam [3]. Cuius erroris asseclae recte *Patripassiani* ac

[1] *Haeres.,* 51, c. 3. *P. G.* t. XLI, col. 891.

[2] Cfr. Irenaeus (*Haeres.,* 29); Tertullianus (*De praescript.,* 48, 5, 3); Hefele (*Concilien-Geschichte,* t. I, p. 109). Hic Baryllus videtur aliquomodo antesignanus Eutychetis fuisse: dicebat enim in Christo, non utique distincta Persona a Patre, ita ipsum Deum, Patrem scilicet inhabitare, ut haec divinitas pro anima humana in eo esset, ac proin Christus non haberet perfectam naturam humanam. Cfr. de illo Eusebius (*H. E.* VI, 33); Socrat. (III, 7).

[3] C. II. *P. L.* t. II, col. 177.

Theopaschitae vocati sunt. Hunc Praxeam immerito Hagemann cum ipso Callixto confundit [1].

Caeterum ipse Praxeas ad primaevam fidei integritatem, depulsa blasphemia, feliciter est regressus.

β) Similem errorem, secundo exeunte saeculo, propugnavit *Noëtus* Smyrnensis, quem S. Hippolytus, vindex Trinitatis usque ad quemdam excessum ditheismi seu subordinationismi [2], docuisse testatur: « Τὸν Χριστὸν αὐτὸν εἶναι τὸν πατέρα, « καὶ αὐτὸν τὸν πατέρα γεγεννῆσθαι καὶ πεπονθέναι καὶ ἀποθνη- « κέναι » [3].

γ) Romam magistri errorem invexit *Epigonus*, tempore Zephyrini papae, ipse caput partium a Cleomene dictarum in Urbe existens [4].

δ) Epigono discipulus successit, celebrior patre ac avo, *Sabellius*. Hic in Lybia natus, quum Romae haeresim vulgaret, a papa Callixto [5], una cum Hippolyto tunc in ditheismum incaute prolapso, excommunicatione plexus, non solum patripassianum errorem tenebat, sed et latius systema excogitarat. Hucusque enim mentes unice tenebantur de divinitate Christi contra blasphemias Ebionitarum salvanda. Iam Sabellius ad totam Trinitatem conceptum extendit. Innixus quippe principio Heracliti de connubio inter divinitatem eiusque ad extra manifestationem, praeter ipsam naturae divinae unam substantiam, quamdam trinitatem, non utique personarum, sed manifestativam induxit. Primitiva monas in tria prosopa se evolvit (πλατύνεται). Deus scilicet, in quantum homines sanctificat, Spiritus Sanctus appellatur. Unde si Praxeas, Noëtus ac Epigonus Patripassiani, Sabellii asseclae *Modalistae* iure audiunt [6].

[1] *Die Röm. Kirche*, p. 234. sq. — Contra hanc arbitrariam assertionem cf. Reiser (*Tüb. Qschr.*, 1866, p. 349. sq.).

[2] Hic tamen excessus, in Philosophumenis patens, non apparet in libro contra Noëtum.

[3] *Ctr. Noët.*, c. I; *P. G.*, t. x, col. 803; Cf. *Philos.*, IX, 7; x, 27; S. Epiphan. (*Haer.*, 57); Theodos. (*Haer. fab.*, III, 3).

[4] *Philos.*, IX, 7.

[5] Fragmenta huius damnationis inveniuntur apud ipsum Hippolytum.

[6] De Sabellio Dionysius ait Rom.: « Ὁ μὲν γὰρ βλασφημεῖ αὐτὸν τὸν υἱὸν « εἶναι λέγων τὸν πατέρα, καὶ ἔμπαλιν ». Constant. *Ep. Rom. Pont.*, col. 273. — Sabellium strenue impugnavit in Pentapoli S. Dionys. Alex., qui, quum a Dionysio Papa, ad quem lis delata fuerat, ob aliquas comparationes minus adaequatas in dithei-

A placito sabelliano non tantopere distabat *Simon Magus,* qui teste Irenaeo docebat, uti Patrem Iudaeis, uti Filium Christianis, uti Spiritum Sanctum Gentilibus unam se eamdemque divinam personam revelasse. - De vera mente Marcelli Ancyrensis a Iulio papa laudati et in sedem suam a Concil. Sardicensi (ann. 344) restituti, lege historicos, praecipue Kuhn [1] et Petavium [2]. Photinus autem Sirmiensis, Marcelli discipulus, quum tanquam tenebrosus (σκοτεινός) ab eodem Concilio fuerit damnatus, vix videtur a Sabellianismo vindicari posse.

ε) Sabellianis - praeter haereticos quosdam saec. IV. in Asia Minori, in Syria et in Armenia exortos, Hypsistarios, Euchitas (qui et Messaliani, Lampetiani), et saec. XII. Bogomilos (sectam ex Bulgaris), Neomanichaeos, Orleanenses, pluresque e Waldensibus - pleno iure adnumerantur *Sociniani, Unitarii* quoque vocati; quibus non pauci subscribunt *Arminiani,* e quibus praecipui nominandi sunt: Blandrata, Hugo Grotius, Clericus, Lardner, famosusque Michaël Servede, medicus hispanus, iubente Calvino (ann. 1553.) igni addictus [3]. Hos omnes non amplius nisi latiori sensu christianis adscribendos esse liquet. Caeterum tot permixtiones errorum cum veritate in his sectis occurrebant, ut ulla vix formula teneri posse videantur.

c) Paulus Samosatenus, ab anno 260. Antiochenus episcopus, medium quodammodo locum tenet inter Ebionitas et Sabellianos. A parte priorum stabat, in quantum - unde parens Nestorianismi - Christum mere hominem profitebatur, divina virtute titulo speciali repletum, ideoque Deum, licet improprie Filium nuncupatum [4]. Ad Sabellium autem appropinquabat, in quantum Verbum et Spiritum Sanctum nonnisi

smum inducentes, fuisset reprehensus, laudabili obsequio mentem suam in fidei catholicae sensum explicavit. — Nec aliter ipsi Ariani doctrinam Sabellii exhibent in epistola sua ad Alexandrum Patriarcham. Cf. S. Athan., (*De Syn.,* c. 16; *P. Gr.,* t. XXVI col. 709).

[1] *Die christliche Lehre von der göttlichen Dreieinigkeit,* p. 340 sqq.

[2] *De Trinitate,* l. I, c. 13.

[3] De hoc Servede lege Menendez Pelayo (*Hist. de los eterod. Españoles,* II, 249).

[4] Pauli Samosateni doctrina in epistola synodali episcoporum ita exhibetur: « Οὐ γὰρ συγγενῆσθαι τῷ ἀνθρωπίνῳ τὴν σοφίαν (ὡ ἡμεῖς πιστεύομεν) οὐσιωδῶς « ἀλλὰ κατὰ ποιότητα ». Cf. Eus. (*H. E.* VII. 27, 30. *P. Gr.* t. X, 759). Epiph. (*Haer.* 65); Hefele (op. cit., I. 109, sq.).

ad modum mentis et voluntatis unius in nobis spiritus, virtutes Numinis personis sicuti naturâ simplicis esse contendebat. In quo tamen Paulus potius quamdam trinitatem, Sabellius potius aliquam quaternitatem statuit, magisque Paulus quam Sabellius ad verum Trinitatis conceptum appropinquat. Tres contra Samosatenum synodi Antiochiae ab anno 265. ad 269. habitae sunt, Dionysio Alexandrino, Firmiliano Caesareae in Cappadocia, et Gregorio Thaumaturgo Caesareae in Ponto episcopis, catholici dogmatis iura tuentibus. Ultimae synodi iudicium Paulum condemnans S. Felix I. confirmavit.

2) Ex opposito Monarchianis *Subordinatiani* audiunt, quotquot in divinitate Trinitatem non solum in personis, sed etiam in ipsa natura, ac proin inter personas subordinationem dignitatis propugnant. Cuius erroris haud minus depellendi iam prima indicia apud Tertullianum, Origenem, Dionysium Alexandrinum, et Hippolytum, obiter quidem, reprehenderis [1]. Quare Dionysius Papa, in celeberrima ad Alexandrinum epistola, Sabellianos hinc, inde Tritheistas et Subordinatianos ancipiti veluti gladio perculit [2]. Pars quidem contra primos ad nos usque non pervenit; alteram geminam S. Athanasius ab excidio servavit [3]. Audiatur fusior Pontificis declaratio: « Iam vero aequum fuerit disputare adversus eos, qui *mo-* « *narchiam*, quae augustissima est Ecclesiae Dei praedicatio, « in tres quasdam virtutes ac separatas hypostases tresque « deitates dividentes ac discindentes destruunt. Audivi enim « quosdam, qui apud vos (intellige Alexandriae) divinum « verbum praedicant et docent, huius opinionis magistros « esse, qui quidem e diametro, ut ita loquar, Sabellii opinioni « adversantur. Hic enim blasphemat, ipsum Filium dicens « esse Patrem, et vicissim; illi vero tres Deos quodam modo « praedicant, dum sanctam unitatem (μονάδα) in tres diversas « (ξένας) hypostases ab invicem omnino separatas dividunt. « *Uniri* enim necesse est divinum Verbum Deo universorum

[1] Cf. Kuhn (op. cit., p. 179 sqq; 239 sqq.); Schwane (*Dogmengeschichte, Vornicaeische Zeit.*, p. 152 sqq.).

[2] Kuhn (op. cit., p. 276 sq.); Scheeben (*Dogm.*, I, 746).

[3] De I. Sententia Dion. Alex. *P. Gr.*, t. XXV, col. 479.

« et Spiritum Sanctum in Deo manere et inhabitare; atque « ita divinam Trinitatem in unum, quasi in quemdam ver- « ticem, Deum universorum omnipotentem dico, reduci « (συνκεφαλαιοῦσθαι) atque colligi omnino necessarium. Insi- « pientis enim Marcionis doctrina, qui in tria principia mo- « narchiam secat et dividit, diabolica sane est, non autem « verorum Christi discipulorum, vel eorum quibus Salvatoris « disciplina placet. Hi enim probe norunt Trinitatem quidem « in divina Scriptura praedicari, tres autem esse Deos neque « in Veteri, neque in Novo Testamento doceri ».

Hucusque contra Tritheistas; iam contra Subordinatianos.

« Sed neque minus culpandi sunt, qui Filium opus esse « existimant, sed Dominum factum esse, sicut unum eorum, « quae vere facta sunt, arbitrantur: cum illum genitum esse, « ut congruit et decet, non conditum aut factum, divina « eloquia testentur. Non levis igitur, sed maxima est impie- « tas, Dominum aliquo modo manufactum dicere. Nam si « factus est Filius, erat tempus, quando non erat: atqui « fuit semper, si utique est, ut ipse declarat, in Patre. Et si « Christus Verbum, Sapientia, et Virtus est - haec enim « Christum esse divinae docent Litterae, ut ipsi nostis - haec « sane virtutes Dei sunt. Quocirca, si factus est Filius, fuit « tempus quando haec non erat: adeoque fuit tempus, quo « sine his erat Deus: quod perabsurdum est.... ».

Concludit Summus Pontifex harmoniam dogmatis componendo: « Neque igitur admirabilis et divina unitas in tres « divinitates est separanda, neque factionis vocabulo (i. e. « voce ποίησις) dignitas ac summa magnitudo Domini est « diminuenda; sed credendum est in Deum Patrem omnipo- « tentem, et in Christum Iesum eius Filium, et in Spiritum « Sanctum: Verbum autem Deo universorum esse unitum « (ἡνῶσθαι). Quippe " Ego, inquit, et Pater unum sumus „; « et " Ego in Patre, et Pater in me est „. Ita scilicet divina « Trinitas et sanctae Monarchiae praedicatio integra serva- « bitur » [1].

Quos autem errores tam caute Dionysius praeoccupabat,

[1] De singulari huius professionis auctoritate ac momento lege Kuhn (*Trinität*, § 16); Hagemann (*Römische Kirche*, § 22).

Ariani et Macedoniani diserte ac palam in Ecclesia Dei disseminarunt. De qua utraque haeresi, haec brevia nunc sufficiant.

a) Arius presbyter Ecclesiae Alexandrinae, e Lybia oriundus atque Luciani Antiocheni discipulus, vir erat acutior quam profundior, vanitate vero praecipuus. Is quum, non obstante procellosa iuventute, venia ab excommunicatione, quam ob schisma incurrerat, benigne donatus, imo in sacros ordines receptus, Alexandriae ipsius Antistitis gratia gauderet, anno 318, in concione praesente pastore habita, primum Verbi divinitatem impugnare coepit. Cuius doctrina ad haec capita reduci potest. Verbum principium habuit, utpote de nihilo (ἐξ οὐκ ὄντων) ante creationem universi per voluntatem Patris (θελήματι καὶ βουλῇ) productum, ut ipsi in opificio rerum tanquam instrumentum (ὡς δι' ὀργάνου) inserviret. Proinde Verbum non est aeternum (οὐκ ἀεὶ ἦν); quin creaturis potius adnumerandum (κτίσμα, ποίημα), Patri dissimile, extraneum, imo natura mutabile, mali sicuti boni capax. Unde neque Patrem neque semetipsum perfecte cognoscens, nonnisi per emphasim (καταχρηστικῶς) Deus, Deique Sapientia vocari potest [1]. Hanc blasphemiam ab Alexandro Alexandrino primo in synodo anni 320. damnatam, Concilium primum generale Nicaeae convocatum solemni sententia anathemate profligavit. En celeberrimam fidei formulam a Nicaenis Patribus haeresiarcho obiectam: « Credimus in unum Deum, Patrem « omnipotentem.... et in unum Dominum Iesum Christum, « Filium Dei, ex Patre natum.... Deum de Deo, lumen de « lumine, Deum verum de Deo vero, *consubstantialem Patri* [2], « per quem omnia facta sunt ».

De lite circa vocem « ὁμοούσιος », deque vicissitudinibus Arianismi, infra fusius sermo recurret; necnon de quaestione Rom. Pontif. Liberii. Quot autem et quanta magnus Athanasius pro Verbi divinitate pericula ac certamina a pravis praesulibus, cupidisque tyrannis habuerit superanda, laudes *Or-*

[1] Cfr. Brück (*Lehrb. der Kirchengeschichte,* I, p. 158), allatosque ibidem fontes; S. Athan. (*Ep. Syn.,* I, 397; — *P. G.* t. XVIII. col. 547 sq., etc.).

[2] Additamento ὁμοούσιος τῷ πατρὶ Patres Nicaeni irrefragabiliter divinitatem Verbi proclamare intenderunt; quod quanta sermonis efficacia obtinuerint, testatur ipsa haereticorum rabies in hanc formulae partem deinceps quasi unice conversa. Textum graecum huius symboli lege apud Denzinger (op. cit. n. 17, 18).

thodoxiae Patris per Ecclesiam quotannis perstrepentes altius quovis sermone proclamant.

b) *Macedonius*, Constantinopolitanus episcopus, semiarianus, haeresim quae explicite solum Verbum offendebat, ad Spiritum Sanctum extendit, blasphemans tertiam SSm̃ae Trinitatis personam non procedere a Patre, sed a Filio, per modum creationis, iuxta effatum S. Ioannis: « Omnia per « ipsum facta sunt » [1]; ac proinde tum Patri, tum Filio, uti inferioris ordinis, ad modum servi subesse, quippe qui mera sit creatura. Huius erroris asseclae ab auctore *Macedoniani*, a Maratonio quoque, episcopo Nicomediae praecipuo fautore, *Maratoniani,* a capite doctrinae *Pneumatomachi* audiunt. Quam haeresim in Synodo Alexandrina primo damnatam (ann. 362.), solemniori oraculo Concilium generale Constantinop. I. (ann. 381.) probante Damaso I. proscripsit. Ad hoc Concilium colligendum multum contulit imperator Theodosius Magnus, qui, utpote zelantissimus catholicae fidei propugnator, leges quoque in haereticos indixit. « Cunctos popu- « los », ita ille,... « in tali volumus religione versari, quam divi- « num Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque « nunc ab ipso insinuata declarat... h. e. ut... Patris et Filii « et Spiritus Sancti unam Deitatem sub parili maiestate et « sub pia Trinitate credamus » [2].

Utrum haec Synodus oecumenica partem Symboli de Spiritu Sancto mutaverit, non convenit inter eruditos [3]. Caeterum formula a Concilio agnita Pneumatomachorum doctrinam validissime reiicit: « Credimus in Spiritum Sanctum, « dominum et vivificantem, qui a Patre procedit (τὸ ἐκ τοῦ « πατρὸς ἐκπορευόμενον) [4], qui cum Patre et Filio simul adora- « tur et glorificatur ». De vi huius professionis, deque verbo *Filioque* a concilio Toletano huic formulae addito, loco suo fusius.

Arianorum impietatem in medio aevo instaurarunt nonnulli ex *Catharis* [5].

[1] I, 3.

[2] *Cod. Theod.* XVI, 1, 2.

[3] Cf. Hefele (*C. G.* II, q.); - Host (*On the Ct. creed and other Eastern creeds of the fourth century*). Cambr. 1876.; - Vincenzi (*De proc. Spir. S. ex Patre, Filioque*); etc.

[4] IOANN. XV, 27.

[5] Cf. Klee (*Lehrbuch der Dogm. Gesch.* t. I, p. 206).

II. Iam ad *Tritheistas*. Differunt ab Antitrinitariis, quatenus, dum Monarchiani unum Deum ad exclusionem verae Trinitatis praedicabant, Subordinatiani vero Trinitatem quidem admittebant, sed non aequalitatis, iam hi Trinitatem aequalitatis, id est tres personas vere distinctas et divinas proclamabant, at de his tribus personis ad unam naturam non sentiebant recte, urgentes distinctionem usque ad aliquam in ipsa divina substantia compositionem sive multiplicationem. Inde Tritheistae vocantur, non quasi aperte tres deos propugnassent, sed quia ex imperfecte intellecta unitate substantiali, ad aliqualem pluralitatem, sive subtilem polytheismum devenerunt.

Prima semina huius erroris iam saeculo III. esse exorta, uti supra animadvertimus, ex concilio Romae a Dionysio Papa anno 262. celebrato apparere videtur [1]. Haec erroris germina, decursu saeculorum in plura systemata excreverunt, quae ad quatuor principia reduci possunt: *a*) ad confusionem inter singularitatem naturae et personae; *b*) ad falsam intellectionem universalium; *c*) ad falsam applicationem distinctionis inter materiam et formam; *d*) ad notionem falsam personalitatis.

a) Primo modo erravit, saeculo V, grammaticus Alexandrinus *Ioannes Philoponus,* vir insuper eutychianus. Is enim principium aristotelicum de personalitate ad divina nude applicans, docuit, sicuti in Christo una est natura, quemadmodum una est hypostasis, ita in SSm̃a Trinitate non solum tres personas, sed et tres naturas dari; unitatem nihilominus divinam servari per perfectam inter has personas harmoniam, qua nec scientia, nec voluntate, nec operatione possint ulla ratione ab invicem dissentire.

Huic proxime accedit *Abbas Ioachim,* vir quidem pius, at minus cautus, qui unitatem quidem in divinitate fatebatur, sed potius collectivam, trium scilicet personarum per consensionem perfectam voluntatis in unum quasi esse conspirantium. « Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt una « essentia, una substantia, unaque natura; verum unitatem « huiusmodi non veram et propriam, sed quasi collectivam

[1] Cf. S. Athanas. (*De Nicaen. decr.* c. 26. *P. G.* t. xxv, col. 462).

« et similitudinariam esse fatetur: quemadmodum dicuntur « multi homines unus populus, et multi fideles una Eccle- « sia. » Ita de illo Concilium Lateranense IV [1].

b) Caeterum radix erroris Ioachim erat principium nominalisticum de realitate, quam cum *Roscelino,* suo parente, universalibus denegabat. Inde cum Roscelino ita arguebat: sicuti tres in Deo sunt personae, ita tres in Deo sunt res, quae tres res nonnisi logicam unitatem constituunt. De controversia inter abbatem Ioachim et Petrum Lombardum infra dicemus, ubi de modo praedicandi in SSm̃a Trinitate sermo fiet. Roscelinum S. Anselmus praecipue confutavit [2], quin et in Synodo Suessionensi (ann. 1092.) ad meliorem sententiam adduxit.

c) Ex opposito erravit *Gilbertus Porretanus*, vir realista, pius ipse et doctus. Urgens quippe principium aristotelicum de forma constitutiva rerum, contendebat, sicuti in divina natura distinguenda est realiter forma qua Deus est, ita in divinis personis a singulis distinguendam esse formam personalem qua haec persona est. Ex quo fit, in Deo non solum dari distinctionem realem inter personas ad invicem, sed et inter personas ac divinam naturam, imo in singulis personis inter formam personalem et personam materialiter, ut ita dicam, consideratam. De hoc errore, qui quaternitatem in divinitate ponit, veramque tollit unitatem, rursus loco opportuno fusior sermo recurret. Gilbertum validissime S. Bernardus impugnavit, damnaruntque synodi Parisiensis (ann. 1147.) et Rhemensis (ann. 1148.) [3].

d) Nostro saeculo in Tritheismum prolapsus est *Günther*us [4] ex falsa notione personalitatis, superadiuncta errori Ioannis Philoponi. Quam enim iste substantiarum trinitatem per harmonicam conspirationem satis in unitatem redigi opi-

[1] Cap. *Damnamus*. Cf. Denzinger (*Enchirid.* n. 358).

[2] *De fide Trinitatis et de Incarnatione Verbi, contra blasphemias Ruzelini sive Roscelini.* — *P. L.* t. CLVIII, col. 259. sqq.

[3] Missi sint alii theologi qui postea in tritheismum prolapsi sunt, quales (saec. XVII.) in Anglia Gul. Scherlock, decan. Londin. ad S. Paul.; in Gallia Petrus Faydit, presb. et Abb.; in Germania (s. XVIII.) inter protestantes Ioach. Daries. — Cf. Wiest (*Demonstr. dogm.* t. v. pp. 268 sqq.); Katschthaler (op. cit. p. 132, sq.); etc.

[4] Antonius Güntherus anno 1785, in vico Lindenau (Bohemiae) natus, obiit anno 1863.

nabatur, philosophus Viennensis, adducta personae definitione « conscientia sui », per organicum et formale legamen sufficienter obtineri putavit. Personae scilicet consideratae inter se conscientiam habent utriusque processus quo geminae a Patre procedunt; inde inter tres subsistentes substantias exsurgit unitas organica. Insuper dum absolutam sui conscientiam habent, eamque aequalem, - sunt enim perfecte aequales, - exsurgit altera unitas formalis. Hanc theoriam multipliciter erroneam ex professo confutabimus, ubi analysis divinae personalitatis erit instituenda. Damnanti se iudicio S. Sedis (8. Ian. 1857.) auctor, vir pius optimaequae fidei, « ingenue, religiose ac laudabiliter se subiecit » [1].

Finem iam huic brevi errantium conspectui imponere liceat ipsissimis Symboli Athanasiani verbis: « Fides autem « catholica haec est: *ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem « in unitate veneremur. Neque confundentes personas, neque « substantiam separantes* ». Quam fidem divinis oraculis inconcusse firmare, subtiliori inquisitione, in quantum praesentis stadii tenebrae sinant, illustrare, vindicare, documentis traditionis confirmare et ab hoste tueri, hocce sit tractationis huius argumentum.

Porro quod methodum attinet in eadem tractatione servandam, vix a via ac ratione deflectemus in prologo nostrarum praelectionum De Deo Uno fuse exposita, quippe quam peritorum iudicium in pluribus ephemeridibus benignissime expressum - grates inde sint ex corde repensae! - unanimi prope suffragio comprobavit [2]. Unum tamen monitum velim. Ne expositionis pars cui titulus *Status Quaestionis* tanquam mere introductoria habeatur, quum in mente nostra sit simul vere doctrinalis, imo non raro ultra ipsam articulorum doctrinam excrescat, titulum hunc parumper immutandum duximus.

[1] Ita de Günthero decretum S. Congreg. Indicis, 17 Febr. 1857.

[2] Doctrinam autem ipsam quatenus geminum excessum depellere conatur, ab utrisque partibus extremis nedum probatum, inter sacrum potius saxumque habitum iri, absque ullo decreto, ullave scientia media certo praevideri potest. Esto! Liberrime protulisse quae libere sentiamus, voluptas nobis quantavis laude potior.

I. PARS.

DE PROCESSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

QUAESTIO XXVII.

UNICA HUIUS PARTIS.

Ordo et ratio Quaestionis ex dictis in praeambulo patent. In exordio S. Thomas totius tractationis fundamentum altissimum sibi sternit: dari scilicet in ipso Deo veras processiones (a. 1). Dein de his processionibus specialius inquirit. Primo quidem utrum detur processio generationis (a. 2); secundo utrum altera processio praeter generationem (a. 3); tertio utrum haec altera possit et ipsa generatio dici (a. 4); quarto utrum praeter hanc geminam processionem alia detur (a. 5). Argumentum, uti patet, arctissimo nexu evolvitur atque exhauritur. En schema huius distributionis:

- **De processione quaeritur**
  - I) *an* sit (a. 1);
  - II) *qualis* et *quotuplex* sit:
    - 1) an detur processio per generationem (a. 2);
    - 2) an detur altera
      - *a*) quoad factum (a. 3);
      - *b*) quoad indolem, an ipsa quoque generatio (a. 4);
    - 3) an alia praeter has duas (a. 5).

ARTICULUS I.

UTRUM PROCESSIO SIT IN DIVINIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Processiones aliqualiter dari in Deo, fateantur oportet quotquot sacrae paginae auctoritatem agnoscunt. Et re quidem vera, a) si ipsam processionis *vocem*

exigis, ecce, saltem iuxta textum vulgatum, α) in Veteri Testamento: « Audite auditionem in terrore vocis eius, et so-« num de ore illius procedentem » [1]. « Reveremini in his « quae procedunt de ore meo » [2].

β) In Novo Testamento. « Non in solo pane vivit homo, « sed in omni verbo quod procedit de ore Dei » [3]. « Ego « enim ex Deo processi (ἐξῆλθον) et veni: neque enim a me « ipso veni, sed ille me misit » [4]. « Cum autem venerit Para-« clitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, « qui a Padre procedit (ἐκπορεύεται), ille testimonium perhi-« bebit de me » [5].

b) Si voces *aequivalentes* assumis, ecce inter locos permultos: α) in Vet. Testam. « Ego ex ore Altissimi prodivi pri-« mogenita ante omnem creaturam » [6]. « Filius meus es tu, « ego hodie genui te » [7]. « Nondum erant abyssi, et ego « iam concepta eram; ante omnes colles ego parturiebar » [8]. « Numquid ego, qui alios parere facio ipse non pariam? dicit « Dominus. Si ego, qui generationem caeteris tribuo, sterilis « ero? ait Dominus Deus tuus » [9].

β) Et in Test. Nov. omnes loci in quibus diserte divina paternitas et filiatio praedicantur. Praecipuos congestos reperies apud Sanctum Thomam in *Summa contra Gentiles* l. IV. c. 2.

2) Dari igitur aliqualiter processionem in divinis, manifestum est. Sed qualis haec intelligenda erit? Ad huius quaesiti solutionem, investigemus de variis processionis acceptionibus, easque tum ad loquendi modum Scripturarum, tum ad cognita vel ibidem expressa de Deo conferamus.

a) Processionis vocabulum [10] desumptum est a motu locali, in quo apparet mobile de uno loco in alterum transire. Haec

[1] Iob. xxxviii, 2.
[2] Eccli. xii, 19.
[3] Matth. iv, 4. Cf. Deut. viii, 3.
[4] Ioann. viii, 42.
[5] Ibid. xv, 26.
[6] Eccli. xxiv, 5.
[7] Ps. ii, 7. De vi huius textus infra dicetur.
[8] Prov. viii, 24, sqq.
[9] Is. lxvi, 9.
[10] Graece προβολή.

prima receptio vocis, maxime materialis et imperfecta [1]. Hoc sensu dicitur de Christo: « Intende, prospere procede et « regna » [2]. Inde incessus cum maiestate vocatur processio [3].

b) Si iam hunc motum considero in sua relatione ad causam motus, ecce altius obtineo significatum: etenim processio involvit et notionem entis a quo aliquid procedit.

c) Hic autem rursus possum potius considerare vel terminum *ad quem* motus, et tunc processionem intueor secundum quod effectus procedit a causa; vel terminum *a quo*, et tunc magis respicio causam uti agentem in effectum.

N. - Hucusque dicta in duplici ordine intelligi valent, reali scilicet et ideali. In ordine reali procedunt machinae, opificia artis, praecipue autem viventia de viventibus; in ideali procedunt logice ab invicem argumenta, maxime vero ipsae cogitationes a principio cogitante.

3) His prae oculis habitis duplex assurgit magni momenti distinctio: *a*) prior inter processionem *per modum operationis* et *per modum operati; b*) altera inter processionem *ad intra* et *ad extra*. Pauca sint de utraque.

a) Quo magis in processione intueor causam, seu terminum *a quo*, eo magis concipio processionem per modum operationis. E contra, quo magis in ea considero effectum, seu terminum *ad quem*, eo magis eam concipio per modum operati.

Aliquid tamen ulterius per hanc distinctionem intenditur. Processio enim operationis formaliter consistit in operatione illius de quo dicitur: ita, v. gr., in nobis processio mentalis est processio per modum operationis. Processio per modum operati consistit magis in ipso termino procedente in se considerato: talis est generatio.

b) Processus vero est *ad extra* vel *ad intra*, secundum quod terminus procedens manet in principio vel ab eo exit. Exempla sint inter humana rursus generatio et cogitatio: illa est processio ad extra, filius enim exit a gignente; haec processio ad intra, utpote in cogitante manens.

4) His de variis processionis acceptionibus praemissis, iam

[1] Cf. S. Th. (*De Pot.* q. x, a. 1); — Card. Satolli, (*De Trinitate*, p. 2, sq.); — Billot. (*De Deo uno et trino*, p. 14, sqq).

[2] Ps. XLIV, 5.

[3] Cf. Rupertum Tuit. (*De Glorif. Trinit.* l. I. c. 15. — *P. L.* t. CLXIX, col. 27).

quaeramus in quonam sensu processio de Deo dici possit. Atqui primo intuitu apparet, ex supra citatis locutionibus nonnullas in sensu minus alto esse intelligendas. Textus enim Iob, Ecclesiastici, etc., loquuntur de processione creaturae a Creatore; quae processio, utpote *ad extra*, nullam difficultatem parit praeter illam quae in tractatu de Deo creante per ipsam analysim actus creantis exhibetur ac solvitur. Est quippe creatio actus aliquomodo medium tenens, quum terminus *a quo* sit immutabilis, aeternus; terminus autem *ad quem* in tota sua mutabilitate ac existentia finita ponatur. Unde terminus *ad quem* est maxime subordinatus, a principio diversus, nec competit ei esse verum absolute principium.

5) Quaestio proin superest, utrum praeter huiusmodi locos adsint qui de processione altioris generis, scilicet de vera processione *ad intra* sint accipiendi? - Utique, si constet, terminos huius altioris processionis describi tales, ut nequeant termino cuivis *ad extra* assimilari. Iam vero tum Filius, tum Spiritus Sanctus exhibentur nobis tanquam *Deus verus* [1], quod nonnisi analogice de creatura affirmari potest. Ergo refellitur error arianus simul ac macedonianus; nec potest processio in his locis intelligi de mera productione qualis de creaturis praedicatur.

6) Instabis. At nondum inde sequitur, eam esse talem quae stricto sensu *ad intra* intelligenda sit. Posset enim intendi ratione figurativa, non quidem productionis rerum, sed applicationis ad eas. Ita Sabellius cum suis. Inspiciamus itaque penitius ipsas Scripturas. Si recta Sabellii interpretatio, nulla erit inter Patrem et Filium et Spiritum distinctio vera. Iam vero diserte Scriptura distinctionem personarum praedicat (vide textus ad *litteram*). Ergo duo certissime ac firmissime stant: *a*) processiones in Deo dari, non quidem mere figurativas, sed reales, *b*) cuius termini, verus Deus, realiter sint distincti ab invicem.

7) Si iam haec ad notiones praemissas applicamus, duo sedulo tenenda apparent: *a*) ut quaecumque in tractatu praecedente de Dei essentia demonstravimus, heic fideliter

[1] Vide textus ad *litteram* adducendos.

serventur; *b*) ut quascumque in variis processionibus imperfectiones deprehendimus, a divina processione prorsus removeantur. - Atqui vidimus Deum esse unum, simplicem, immutabilem, supremum principium; nequit proin in Deo processio concipi talis, quae aut deos plures ponat sive diversos, aut compositam sive mutabilem ipsam faciat divinam essentiam, sive qualemcumque dependentiam in eam inducat. - Reiicienda ergo prorsus in Deo processio ad modum processionis *ad extra,* quae in rebus sine his imperfectionibus esse non potest. At insimul de perfectissima processione *ad extra,* de generatione scilicet, in Deo ponenda est, imo plenius, perfectio illa qua haec non solum in termino motum inducit, nec solum intrinsece modificat terminum quem supponit, sed ipsum terminum subsistentialiter ponit.

8) Est igitur divina processio concipienda uti *ad intra.* - Sed qualis? An per modum *operationis,* an potius per modum *operati?* Primo intuitu respondendum quis putaret, eam esse per modum operationis, non per modum operati, quum generatio in Deo atque spiratio, de quibus mox, operationem dicant, nobiliorque sit modus activus prae modo passivo. Audiat tamen S. Thomam: « Processus operationis ab ope« rante non distinguit rem per se existentem ab alia re per « se existente, sed distinguit perfectionem a perfecto, quia « operatio est perfectio operantis. Sed processus operati di« stinguit unam rem ab alia. In divinis autem non potest « esse secundum rem distinctio perfectionis a perfectibili. « Inveniuntur tamen in Deo res ab invicem distinctae, sci« licet tres personae. Et ideo processus qui significatur in « divinis ut operationis ab operante, non est nisi rationis « tantum; sed processus qui significatur ut rei a principio, « potest in Deo realiter inveniri » [1].

9) Quum autem apud nos processus operationis ab operante sit magis ad intra, et processus operati magis ad extra, sequitur, processum de quo sermo in divinis, habere de utroque: de priori quidem esse ad intra, de altero ponere unam rem realiter ab alia distinctam: verbo est processio *ad intra substantialis.*

[1] *De Verit.*, q. IV, a. 2. ad 7.

Et re quidem vera sicuti processio perfectior ad extra ea est quae ponit totum effectum; ita ad intra plenissima est ea cuius terminus est substantialis. Quum igitur in creatis processiones substantiales sint ad extra, processiones vero ad intra sint mere modales vel accidentales; oportet, ad rectum efformandum divinae processionis conceptum, in unam processionem unire substantialitatem processionum creatarum ad extra, et intimitatem processionum intellectualium ad intra.

10) Si iam quis insistat, contendens in hac ipsa unione repugnantiam dari, respondemus: *a*) Probatur ita rem esse debere propter unitatem essentiae et divinitatem personarum distinctarum; *b*) repugnantia ostendi non potest; *c*) imo non repugnantia haud infirme suadetur. Nam quum ex una parte terminus debeat esse *substantialis* propter simplicitatem Dei [1], ex alia parte *ad intra* propter divinitatem ipsius termini; aliunde simillimus infinite, propter infinite perfectam processionem: quid aliud restat, nisi ut haec duo coniungantur?

Insuper si intimius ipsum mysterium penetrare volumus ex analogia cum intellectuali processione, quaero: cur in nobis nosmetipsos intelligentibus datur processio quaedam mentalis ad intra, at solum accidentalis? nisi quia *a*) intellectus noster facultas est distincta a substantia animae nostrae; et *b*) ipsa in potentia ad actum. Ratione prioris, repugnat facultatem distinctam producere conceptum substantialem [2]; ratione alterius, repugnat accidentalem motum transire in substantiam. Iam vero in Deo neutrum datur. Deus enim est simul essentia et intellectus et actus.

Rursus, quare in omnibus processionibus naturalibus ad extra datur numerica distinctio naturarum et diversitas? Quia diversa individua optime convenire possunt in plena similitudine naturae contingentis, utpote in qua distinguuntur natura et haec natura. In Deo vero nihil huiusmodi. Natura quippe Dei est praecise ut sit *haec natura;* unde convenire

[1] De hoc fusius agetur in quaestione sequente.

[2] Ex hac ipsa ratione S. Thomas alibi demonstrat distinctionem inter essentiam et potentias animae humanae, nec humanae tantum, sed et angelici spiritus, imo cuiusvis creaturae possibilis. Tanta quippe simplicitas privilegium incommunicabile est illius cuius operari est sua ipsa essentia: Dei, actus substantialis. I. Q. LXXVII, a. 1.

cum Deo in natura, est convenire cum eo *in hac natura*. Quare debet esse omnino unica et eadem.

11) Difficultatem componendi *a*) realem terminorum distinctionem, *b*) divinitatem procedentium, *c*) unitatem Dei, optime intelligentes, at fidei regulae rationis propriae dictamen praeferentes, in diversa abierunt Ariani [1], Sabelliani et Tritheistae. Sabelliani quippe primum punctum, Ariani secundum, Tritheistae tertium negaverunt. De Tritheistis infra sermo erit, licet eodem vitio laborent in concipienda processione tanquam *ad extra*, saltem indirecte. De aliis duobus verbulum.

12) Non unicum discrimen quoad conceptum processionis inter Sabellii et Arii errorem reperitur. Conveniunt quidem in hoc, ut ait Angelicus, quod *ad extra* illam concipiunt. Sed, quum processio ad extra supponat vel ponat plures, Arius talem concepit quae *ponit* effectum, veluti causa (quod aeque valet de Verbo ac de Spiritu Sancto); Sabellius autem talem fingit quae *supponit* plures iam existentes, ponit tamen relationes sive *motus*, sive modales mutationes.

Quoad Verbum nempe motum concipit, quatenus caro ex Virgine sumpta (sive supponatur prius non unita, sive caro ipsa Virginis consideretur tanquam terminus *a quo*) per motum unitur Deo. - Quoad Spiritum Sanctum ipsi iustificandi sunt terminus *a quo*; iustificatio est modalis operatio assimilationis; motus tandem est ipsa actio Spiritus conducens ad finem. Unde apparet, hanc processionem Spiritus dupliciter intelligi posse. Etenim vel sumitur ipse terminus ad extra distinctus tanquam spiritus per participationem; vel Deus ipse ratione huius, ut ita dicam, emanationis Spiritus nuncupatur. Hic alter sensus videtur magis ad mentem Sabellii; magis ergo in hac sententia terminus processionis est coniunctus pro Verbo quam pro Spiritu.

II. **Ad Textum.** - Obiectiones petuntur a perfectionibus divinis in sua oppositione ad varios processionis respectus. Incedunt per gradationem. Prima a motu locali, qui in magis obvia notione processionis involvitur; altera a diversitate

[1] Quod de Arianis hic dicitur, aeque valet de Macedonianis, nec opus est, ut quoad fundamentalem conceptum inter eos discernatur.

quae sequitur omnem processionem ad extra, sive ponat, sive supponat terminum; tertia a dependentia quae videtur in quovis procedente incompossibilis [1] esse cum ratione principii summi.

Duae primae solvuntur per recursum ad processionem internam, non utique qualemcumque, sed perfectissimam. Ultima eadem via non depellitur modo, sed et retorquetur.

Animadverte hanc triplicem obiectionem, licet magis moveatur de processione ad extra, valere tamen et de quavis processione ad intra, quae non sit substantialis; nam et in ista habetur aliquis motus de potentia in actum, cum diversitate atque dependentia [2].

Sed contra est. Utrumque hoc versiculo Ioannis tenemus [3]: et processionem, et missionem processioni innitentem: ait quippe Dominus de se: « Ego enim ex Deo processi, et veni: « neque enim a meipso veni, sed ille me misit »; a quo nempe processi, imo quia ab eo processi. Et de Spiritu Sancto idem Evangelista praedicat: « Quum autem venerit Para- « cletus, quem ego mittam nobis a Patre, Spiritum veri- « tatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de « me » [4]. Ubi rursus habemus missionem Spiritus Sancti a Filio vel per Filium a Patre, quia per Filium a Patre procedit.

Disertissima ergo testimonia proclamant duas processiones in Deo dari, alteram Filii a Patre, alteram Spiritus expresse a Patre, cum Filio, vel per Filium. Quum igitur in utroque casu Scripturae eodem vocabulo utantur, oportet ut idem conceptus utrique respondeat. Quod in sequentibus manifestius apparebit.

Auctoritates autem sive Conciliorum, sive Patrum heic congerere perlongum negotium foret, nec utile, quum pro opportunitate ubertim allatae inferius reperiantur.

In corpore. En argumentum huius *corporis* schematice expressum:

[1] Hac voce parum utique tulliana, at apud scholasticos passim recepta, ad libitum uti non pudeat.

[2] Ordinem quo hae obiectiones se tenent, egregie illustratum reperis apud Card. Satolli op. cit. p. 19, sqq.

[3] C. VIII, 42.

[4] C. XV, 26.

Processionem in Deo dari Scripturae testantur:

- I) *non* quidem *ad extra* seu per actionem transeuntem:
  - *a)* nec quatenus effectus procedit a causa; (Arius) — (Filius enim verus est Deus)
  - *b)* nec quatenus causa procedit in effectum; (Sabellius) — (Filius non ipse Pater)
- II) sed *ad intra* per actionem immanentem:
  - *a)* si iam haec processio in natura intellectuali datur,
  - *b)* a fortiori, perfectissimo modo aderit in natura divina.

Uti ex hoc schemate apparet, argumentatio S. Thomae duplici parte constat, negativa et positiva.

Quoad partis negativae evolutionem adverte, quam recte S. Thomas contra Arium provocet ad princeps testimonium divinitatis Christi; contra Sabellium autem ad praecipuum locum in quo distinctio personarum exhibetur. Prior textus valet etiam contra Photinum, quatenus hic in Christo propriam divinitatem infitiabatur. De quo errore ex professo agemus ubi de Verbo incarnato.

Rursus adverte, quae hic contra Arium de Spiritu Sancto probantur, re vera et istum haereticum damnare, licet Macedonius tanquam proprius adversarius divinitatis Spiritus Sancti habeatur. Arius quippe per prius divinitatem Christi negare intendebat, quod unice obtineri posse intellexit per negatam proprie divinitatem Verbi. Quum autem hoc tempore processio Spiritus S. per Filium in confesso esset; negata divinitate Filii, implicite negabatur et divinitas Spiritus Sancti. Quam implicitam blasphemiam aperta voce Macedonius suam fecit explicitam atque proclamavit.

Iam vero textus uterque contra Arium allatus peremptorius est habendus. « Et scimus quoniam Filius Dei venit, et « dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum (τὸν « ἀληθινὸν θεὸν) et simus in vero Filio eius (καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ « ἀληθινῷ ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ). Hic est verus Deus « et vita aeterna: (οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος) » [1].

[1] I. Ioann. V. 20.

Moveri potest quaestio utrum verba « οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς « θεὸς » referantur ad « τὸν ἀληθινὸν θεὸν, verum Deum », an ad « ἐν τῷ ἀληθινῷ ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ ».

Certum est, in hoc versu S. Ioannem opponere « sensum » verum de divinitate, quem Christiani ab ipso Filio Dei acceperunt, sensui falso cui adhaerent ethnici. Concludit enim epistolam immediate: « Τεκνία, φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων ». Rursus parum probabile videtur, verba simillima « τὸν ἀληθινὸν θεὸν, ὁ ἀληθινὸς θεὸς, » tam proxime iterata, non ad invicem habere respectum, eo vel magis quod deest particula καὶ, qua ὁ ἀληθινὸς θεὸς certo referretur ad Filium.

Aliunde nihilominus, si mere referantur ad Patrem, vix salvatur sermo ab aliqua mera tautologia; et verba « καὶ ζωὴ αἰώνιος » alludunt, maxime in sermone Ioannis, ad verba quae Christus de seipso protulit, et ipse Ioannes de eo [1].

Quibus simul perpensis, probabile nobis videtur, verba ultima: « Hic est verus Deus et vita aeterna » referri simul ad Patrem et ad verum Filium eius, unum Deum verum, qui per Filium dedit vitam aeternam. Igitur non excludimus Patrem, sed includimus Filium. Manet proin argumento tota vis; imo locus hoc modo explicatus eloquentius demonstrat unitatem Patris et Filii in eadem divina natura.

Textus autem de Spiritu Sancto allatus ab omnibus scriptoribus tanquam validissimus adduci solet. Dupliciter tamen potest argumentum ex hoc loco erui: scilicet vel ex ipso vocabulo *templi*, vel ex *inhabitatione*. Ad rem maxime S. Thomas: [2] « Inhabitare mentes sanctorum proprium Dei est; « unde Apostolus dicit: « Vos estis templum Dei vivi, sicut « dicit Dominus: quoniam inhabitabo in illis » [3]. Hoc autem « idem Apostolus Spiritui Sancto attribuit; dicit enim [4]: Ne- « scitis quia templum Dei estis, et Spiritus Sanctus habitat « in vobis? » Est ergo Spiritus Sanctus Deus.

Eloquentissime iam S. Cyrillus Alexandrinus idem evicerat: « Templa autem Dei, adeoque dii quamobrem voca-

[1] Cf, in eodem capite v. 11, 13: « Καὶ αὕτη ἡ ζωὴ ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐστίν... Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, εἰ πιστεύοντες εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ ». Cf. Ioann. xiv, 6: « Ἐγώ εἰμι... ἡ ζωή ».

[2] *Sma. ctr. Gent.* lib. IV, c. 17.

[3] II. Cor. VI, 17.

[4] I. Cor. III, 16.

« mur, et sumus? Interroga adversarios, utrum simus reipsa « nudae ac subsistentia carentis gratiae participes. At ita res « non est: nullo modo. Templa enim sumus existentis et « subsistentis Spiritus: vocati autem sumus propter ipsum « etiam dii, praesertim cum divinae eius et ineffabilis naturae « coniunctione cum ipso simus participes. Quod si revera « alienus, et a natura divina substantialiter dissitus est Spi- « ritus, qni nos per seipsum deificat, spe excidimus, inani « gloria nescio quomodo praefulgentes. Quo pacto enim dii « demum et templa Dei sumus, ut Scripturae loquuntur, « propter Spiritum qui in nobis est? Quod enim Deus non « est, quomodo deitatem aliis indat? Atqui templa sumus, « et dii; neque vero acquiescendum est in errore versantibus. « Non ergo diversae a Deo substantiae Spiritus eius » [1].

Remittimus ad finem huius quaestionis argumentorum congeriem quibus divinitas Filii et Spiritus Sancti demonstratur. Interim observa simile argumentum ad ostendendam divinitatem Christi adduci posse ex verbis: « Solvite « templum hoc » [2]; quae S. Paulus videtur prae oculis habuisse, quando de Christo ait: « Quia in ipso inhabitat omnis « plenitudo divinitatis corporaliter » [3]. Sicuti enim per unionem maxime intimam corpus est domus animae, ita in Christi corpore simul et anima divinitas ipsa per unionem hypostaticam tanquam in templo praesentia subsistantiali, tangibili inhabitat.

Resp. ad 1m. Habes hinc tres gradus processionis ad extra: *a*) infimus est *motus localis*; *b*) tunc venit *actio* in exteriorem effectum, quae *supponit* subiectum effectus; *c*) demum actio in exteriorem materiam, quae *ponit* ipsum effectum.

Et haec pro instanti satis sint de parte negativa argumenti. Quoad partem positivam remittimus plura ad *Quaeres* huic articulo adnexum, et praesertim ad Quaest. XXXIV, in qua ex professo de nomine Verbi agetur, necnon ad art. I. Quaest. XXXII, in quo demonstrabilitas mysterii SS. Trini-

[1] *De SS. Trinit.* Dial. VII. *P. Cr.* t. LXXV. col. 1090.
[2] IOANN. II, 19.
[3] COLOSS. II, 9.

tatis penitius investigabitur. Interim legesis Card. Toletum et Gonetum de hoc argumento fuse ac pulchre tractantes [1].

Hic autem sedulo notandum, nullam processionem ad extra perfecte ponere effectum totum. Hoc enim proprium est virtutis creatricis. Porro actio creatrix, quum sit solius Dei, et in Deo actio formaliter transiens repugnet, habet aliquid de actione immanente et aliquid de transeunte; de immanente, si respicis perfectionem principii operantis; de transeunte, si attendis exterioritatem operis. Potest proinde actio creatrix vocari subiective immanens, virtualiter transiens.

Observa rursus, nullam haberi posse processionem transeuntem seu ad extra, quae non sit cum processione operati; at e converso non ideo de necessitate est processionis immanentis, ut sit solum cum processione operantis. Apud nos utique ita obtinet [2]; et inde, uti recte observat Cl. Billot: « dum « apud nos operatio transiens ponitur in praedicamento *actio-* « *nis,* cui necessario operatum correspondet, operatio imma- « nens ponitur in praedicamento *qualitatis*, quia ratio eius « per se absolvitur in hoc quod sit perfectio operantis... » [3].

Resp. ad 2m. Responsio haec continet argumentum maxime suasivum; imo, dummodo ex Scripturis factum processionis accipiatur, demonstrativum modi eiusdem. Quod argumentum qui repudiare vellet, limitem deberet ostendere in quo perfectio similitudinis tendens in unum sistere debeat; qui nunquam poterit assignari, nisi probatum supponatur idipsum quod assumitur probandum.

Resp. ad 3m. Tantum abest quominus processio ad intra excludat rationem principii, ut conceptus vel idea exemplaris rei faciendae sit principium effectionis. Nec aliter in divinis. Non solum Verbum cum Patre est primum principium; sed « sine ipso », ut ait Ioannes, « factum est nihil » [4].

[1] In *Summ. Theol. enarr.* hoc loco; *Clyp. Theol. thomist.*, Tract. 6, disp. II, art. 1

[2] Neque ex toto. Cf. *Quaeres* in fine huius art.

[3] Loc. cit., p. 17. Minus forte placet modus quo haec discussionis pars, caeterum egregia, inducitur: « non esse de intellectu operationis immanentis in quantum huius- « modi, ut sit productio alicuius operati ». Nonne potius quis expectaret: « ut sit « mera processio operationis », aut aliquid simile? Quare propositionem in supra dictis invertere maluimus.

[4] 1, 3.

Adverte nihilominus, hanc retortam obiectionem non esse undequaque stringentem. Valet utique de respectu procedentis immanenter ad opificium externe productum; non autem de respectu procedentis immanenter ad illum a quo procedit. Valet de Verbo relate ad creata quaecumque; non valet de Verbo relate ad Patrem. Nec valere debet. Pater quippe est primum principium Trinitatis. Unde non immerito exegetae in primis verbis evangelii Ioannis « In principio « erat Verbum », per « principium » non solum intelligunt initium temporis vel rerum, sed et ipsum Patrem, principium Verbi [1]. Haec autem ratio principiati ad intra, non impedit Verbum, Deum verum, esse principium opificii rerum ad extra; quod unice in tractatu de Deo uno erat affirmatum.

Quaeres. - Quomodo intelligenda est comparatio a Sancto Thoma adducta de processione quae in homine ad intra per modum intellectionis habetur? Estne eo usque urgenda ut verbum in mente conceptum a mente ipsa vere distinguatur; an solum ita ut cum mente intelligente idem sit re, distinguatur autem ratione? Momentum huius dubii a primo intuitu patet. Si prius tenetur, exemplum a nobismetipsis inductum ad explicandam aliqualiter processionem divinam, longe efficacius est. In altera sententia, non quidem ex toto perit, sed debilitatur valde. Quaestio ad hoc reduci potest. Estne processio nostra intellectualis mere processio per modum operationis, an etiam per modum operati? Si Verbum mentis ab intellectione nihil differt, processio nostra mentalis est mere secundum operationem; si autem differt, habet insuper eadem processio elementum operati.

Iam vero quatuor heic praesertim opiniones occurrunt. Prima, communis omnibus illis qui in processu intellectuali uti inutilem reiiciunt *speciem expressam,* identificat re ver-

[1] Non desunt autem qui in capite I. Geneseos per principium intelligunt Christum, primogenitum omnis creaturae. Audiatur B. Alcuinus: « In principio fecit Deus « coelum et terram »; id est, in Christo fecit Deus, qui est » Filius Dei, qui est « Verbum Dei, qui est virtus, et sapientia Dei, sicut dicitur in Psalmo: « Omnia « in sapientia fecisti » (Ps CIII, 24). Scopus autem auctoris erat demonstrare, omnia quidem per Christum esse facta, ipsum autem esse genitum, non factum. *De fide Trinit.* lib. III, l. II, c. 14. *P. L.* t. CI, col. 32.

bum mentis cum ipso actu intelligendi [1]. - Secunda distinguit prolationem verbi mentalis ab ipsa actione intelligendi, tanquam terminum quo completur et in quo sistit [2]. - Tertia duplicem distinguit actum secundum intellectus, nempe ipsum intelligere, et ipsum producere verbum. - Quarta, quae Durandi est, non exigit prolationem verbi ad intellectionem proprie dictam; sed solum ad perfectiorem notitiam, atque ad rei intellectae manifestationem.

Reiecta quarta sententia, quae confundit verbum externum cum verbo interno, et antiphilosophica nimis apparet; reiecta insuper sententia prima, quae non videtur satis in operatione mentis distinguere quae revera distinguenda sunt, vel procedere a notione excessiva distinctionis a plerisque admissae, ac si exigeret aliquam separationem tanquam rei a re; putamus - cum scholasticis passim - secundae sententiae esse subscribendum, quae certe ipsius Angelici est. Iuvat ex integro longiorem textum e libr. *de Pot.,* Q. VIII, a. 1. depromere: « Intelligens in intelligendo ad quatuor se « potest habere: scilicet ad rem quae intelligitur, ad spe- « ciem intelligibilem qua fit intellectus in actu, ad suum in- « telligere, et ad conceptionem intellectus. Quae quidem « conceptio a tribus praedictis differt. A re quidem intellecta, « quia res intellecta est interdum extra intellectum, concep- « tio autem intellectus non est nisi in intellectu, et iterum « conceptio intellectus ordinatur ad rem intellectam sicut ad « finem; propter hoc enim intellectus conceptionem rei in « se format ut rem intellectam cognoscat. - Differt autem a « specie intelligibili, nam species intelligibilis qua fit intel- « lectus in actu, consideratur ut principium actionis intel- « lectus. - Differt autem ab actione intellectus, quia prae- « dicta conceptio consideratur ut terminus actionis, et quasi « quoddam per ipsam constitutum... Haec autem conceptio « intellectus in nobis proprie verbum dicitur: hoc enim est « quod verbo exteriori significatur; vox enim exterior neque « significat ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, « neque actum intellectus, sed intellectus conceptionem, qua « mediante, refertur ad rem. Huiusmodi ergo conceptio, sive

[1] Ita cum Henrico Gandavensi non pauci e modernioribus.

[2] In hanc sententiam inclinant nonnulli Scotistae.

« verbum, qua intellectus noster intelligit rem aliam a se, « ab alio exoritur et aliud repraesentat. Oritur quidem ab « intellectu per suum actum; est vero similitudo rei intel- « lectae. Cum vero intellectus seipsum intelligit, verbum prae- « dictum sive conceptio eiusdem est propago et similitudo, « scilicet intellectus seipsum intelligentis ».

Diserta quae ex hoc loco oritur doctrina iam, tertiam supra expositam sententiam, utpote excessivam atque inutilem reiicit. Verbum quippe mentis non differt ab actione intelligendi, sicut actus secundus posterior ab actu secundo priore, sed sicut terminus actionis ab ipso actu. « Est de « ratione verbi, ait rursus S. Doctor [1], quod procedat ab « intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi ter- « minus intellectualis operationis: intellectus enim intelli- « gendo concipit et format intentionem, sive rationem intel- « lectam, quae est interius verbum ». Et ne putes hic mere rationis discrimen adstrui, audi Angelicum alibi affirmantem: « Cum dicitur quod verbum est notitia, non accipitur notitia « pro actu intellectus cognoscentis, sed pro eo quod intel- « lectus concipit cognoscendo » [2].

Hanc ipsam doctrinam ex textu praesentis *corporis* elucere manifestum est, si singula verba sedulo perpendantur. « Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit « (en actionem intellectualem), procedit aliquid intra ipsum « (en terminum huius actionis), quod est conceptio (species « quippe expressa) rei intellectae (per speciem impressam « intellectui praesentis) ex vi intellectiva procedens (scilicet « ex ipsa facultate per speciem impressam in actum se exten- « dente), et ex eius notitia (per ipsum intelligendi actum) « procedens (utpote terminus eiusdem) ». Unde et in hoc loco, quemadmodum in textu superius citato, S. Thomas praeter nudam facultatem intellectualem quatuor distinguit, scilicet: rem intelligendam, speciem intelligibilem qua fit intellectus in actu, ipsum intelligere et conceptionem intellectus. Stat igitur sententia nostra, et comparatio quae ab interna nostra processione intellectuali deducitur, maximam habet in proposito vim, non solum ad ostendendam indolem processio-

[1] *Ctr. Gent.*, IV, 11.
[2] I, Q. XXXIV, a. 1, a. 2.

nis ad intra in oppositione ad propositionem ad extra, sed et ad talem processionem insinuandam cuius terminus a principio distinguatur. Quae utique distinctio concepti verbi a mente concipiente non est in nobis nisi accidentalis; in Deo autem, in quo totum quod non est relativum in substantiam ipsam perfecte redundat, est substantialis, eadem scilicet concipientis substantia unica atque aeterna [1].

De hoc verbo mentis, tanquam fundamentali conceptu quo ad cognitionem Verbi Dei assurgimus, praeclare S. Augustinus in libr. XV. *de Trinitate* disputat. Ex quo sequentia saltem heic depromere iuvat. « Quisquis igitur potest intel-« ligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam « antequam sonorum eius imagines cogitatione volvantur: - « hoc enim est quod ad nullam pertinet linguam, earum « scilicet quae linguae appellantur gentium, quarum nostra « latina est: - quisquis, inquam, hoc intelligere potest, iam « potest videre per hoc speculum atque in hoc aenigmate « aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est: " In « principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et « Deus erat Verbum ". Necesse est enim cum verum loqui-« mur, idest, quod scimus loquimur, ex ipsa scientia quam « memoria tenemus, nascatur verbum quod eiusmodi sit « omnino, cuiusmodi est illa scientia de qua nascitur. For-« mata quippe cogitatio ab ea re quam scimus, verbum est « quod in corde dicimus: quod nec graecum est, nec latinum, « nec linguae alicuius alterius; sed cum id opus est in eorum « quibus loquimur perferre notitiam, aliquod signum quod « significetur, assumitur... Proinde verbum quod foris sonat, « signum est verbi quod intus lucet, cui magis verbi com-« petit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox « verbi est: verbumque re ipsa dicimus, propter illud a quo, « ut foris appareret, assumptum est » [2]. Facta dein pulcherrima comparatione inter Verbum Patris carne indutum et verbum mentis nostrae ore manifestatum, pergit instantius inculcans transeundum esse verbum quod ore sonat, imo verbum quod in silentio cogitatur, ad perveniendum usque ad illud primarium maximeque intimum cogitationis verbum,

[1] Cf. plura de hac ultima ratione dicenda in quaestione sequenti.

[2] C. 10. et 11. — *P. L.*, t. XLII, col. 1071. sq.

in quo cum Patris Verbo similitudo elucet. De cuius similitudinis vi expressius erit in Q. XXXIV. disserendum.

ARTICULUS II.

UTRUM ALIQUA PROCESSIO IN DIVINIS GENERATIO DICI POSSIT.

Status Quaestionis. - 1) Fundamentum iactum est. Datur in Deo ad intra talis processionis modus, cuius terminus sit quidem unus idem Deus, distinctus tamen ab eo a quo procedit.

Iam quaeritur: *quales* et *quot* sint istae processiones. Ad quam profundiorem inquisitionem prius quam fiat accessus, placet rursus Hipponensem in initio libri mox citati audire. Altissima huius effusionis pietas simul ac doctrina longiorem citationem sane excusabunt, quin et iucundissimam utilissimamque reddent: « Deus ipse quem quaerimus, « adiuvabit, ut spero, ne sit infructuosus labor noster, et « intelligamus, quemadmodum dictum sit in Psalmo sacro: « " Laetetur cor quaerentium Dominum: quaerite Dominum « et confirmamini; quaerite faciem eius semper " [1]. Videtur « enim, quod semper quaeritur, nunquam inveniri; et quo- « modo iam laetabitur, et non potius contristabitur cor quae- « rentium, si non potuerint invenire quod quaerunt? Non « enim ait: Laetetur cor invenientium, sed quaerentium Do- « minum. Et tamen Dominum Deum inveniri posse dum « quaeritur, testatur Isaïas Propheta, dum dicit: " Quaerite « Dominum et mox ut inveneritis, invocate eum; et cum « appropinquaverit vobis, derelinquat impius vias suas, et vir « iniquus cogitationes suas " [2]. Si ergo quaesitus inveniri po- « test, cur dictum est: " Quaerite faciem eius semper? " An « et inventus forte quaerendus est? Sic enim sunt incom- « prehensibilia quaerenda, ne se existimet nihil invenisse, qui « quam sit incomprehensibile quod quaerebat, potuerit inve- « nire ». - Digna sane Augustino sententia! - « Cur ergo sic « quaerit, si incomprehensibile comprehendit esse quod quae-

[1] Ps. CIV, 3, 4.
[2] Is., LV, 6, 7.

« rit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipso incom-
« prehensibilium rerum inquisitione proficitur, et melior
« meliorque fit quaerens tam magnum bonum, quod et inve-
« niendum quaeritur, et quaerendum invenitur? Nam et quae-
« ritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quaeratur avi-
« dius. Secundum hoc accipi potest, quod dictum est in libro
« Ecclesiastico dicere sapientiam: " Qui me manducant, adhuc
« esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient " [1]. Manducant
« enim et bibunt, quia inveniunt; et quia esuriunt ac sitiunt,
« adhuc quaerunt. Fides quaerit, intellectus invenit: propter
« quod ait propheta: " Nisi credideritis, non intelligetis " [2].
« Et rursus intellectus eum quem invenit adhuc quaerit:
« " Deus enim respexit super filios hominum ", sicut in
« Psalmo sacro canitur, " ut videret si est intelligens, aut
« requirens Deum " [3]. Ad hoc ergo debet homo esse intelli-
« gens, ut requirat Deum » [4].

Nostraque facimus ultro quae idem Augustinus in principio libri I. eiusdem operis scribit [5]: « Proinde quisquis
« haec legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi erro-
« rem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet
« me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad
« eum de quo dictum est: " Quaerite faciem eius semper " » [6].

2) Ingredientes igitur inquisitionem de formali ratione primae processionis in divinis, duplicem scopum prae oculis habere debemus: *a*) ut semoveamus a generatione divina omnia quae ipsi repugnant, et quae in *litterae* obiectionibus pulcherrime congeruntur; *b*) ut simul omnia elementa generationis conceptui essentialia retineamus. Nam sicuti de processione, ita de generatione: significatio essentialiter utrique conveniens, conservanda est; secus loco verae ac strictae discussionis scientificae, non nisi inanem verborum ludum haberemus.

3) Iam vero quemadmodum superius de processione agentes, aliter vidimus de Deo loquendum esse ac de creaturis,

[1] Eccli., xxiv, 29.
[2] Is., vii, 9.
[3] Ps. xiii, 2.
[4] C. 2. Ibid., col. 1057, sq.
[5] L. i, c. 3. — Ibid. col. 822.
[6] Ps. civ, 4.

ita tamen ut in creatis aliqua participatio teneatur illius quod plene in Deo est; ita et hic de generatione agendum. Quare cum Aquinate a magis generica vel imperfecta notione ad sublimiorem conceptum assurgendum est, usquedum ad talem perveniatur, in quo simul totum conveniat Deo et totum sit generatio perfectissima.

4) Porro si usum vocis « generationis » consideramus, apparet dari significationem maxime *impropriam*. Impropria nihil aliud dicit quam consequens cuiusvis mutationis entiam, maxime de non esse ad esse, iuxta axioma: « corruptio « unius, generatio alterius ». In qua acceptione mutatio est fundamentum generationis ita necessarium, ut sine mutatione talis generatio haberi nequeat, est enim de eius essentia. Quare generatio maxime improprie dicta in Deo repugnat [1].

5) *Magis proprie* intellecta, generatio gradus accipit, qui, si ad divinam usque generationem pertingere volumus, nostro utique modo ascensivo, possunt distribui in genus remotum, genus proximum, speciem [2], et differentiam ultimam.

a) *Genus remotum* est processio unius ab altero, tamquam viventis a vivente; quin tamen includatur similitudo, nec generica, inter procedentem ac terminum a quo procedit [3]. Ita capilli in capite vulgo generari dicuntur.

b) *Genus proximum* iam involvit similitudinem genericam inter genitum et gignentem, magisque involvit coniunctionem principii gignentis viventis cum genito, potestque definiri: « origo sive processio viventis a principio vivente coniuncto ». Ita generari putabantur vermes in corpore animalium, iuxta theoriam, hodie repudiatam, generationis spontaneae; a qua haec phaenomena in viventibus observata nonnisi materialiter discrepant, licet tanquam formaliter distincta

[1] Non inutiliter hanc primam significationem conferes cum prima acceptione processionis.

[2] Haec species melius vocatur quam genus proximum, tum quia ibi sistit generatio in creaturis, tum quia nihil quod de Deo praedicatur ac de creatura potest in eodem genere poni, quum ipse Deus non sit in ullo genere, neque entis.

[3] In hoc sensu remoto potest dici creatura a Conditore genita, sicuti in Scriptura ab eo procedere dicitur (Cf. locos allatos superius). Habet tamen et de sequenti sensu virtutem coniunctam, sed aliter. Caeterum creationis notio singularissima est, quae nullam habeat nec in Deo nec extra Deum veram similitudinem.

considerabantur, secundum quod terminus a quo erat vivens vel inanimatum.

c) *Specifica* acceptio generationis acquiritur, si similitudo inter gignentem et genitum urgetur « in eadem natura », et non solum in eodem genere: ita in creaturis equus generat equum in eadem natura, cuius simillima transfusio sicuti est scopus, ita est de ratione specificae generationis, quae est vera, proprie dicta generatio, atque complet in creatis generationis conceptum. Haec autem natura per generationem transfusa nequit in creatis esse eadem numero, sed solum specie, seu sub ratione universali, non individua. Quare necessario multiplicat non solum subsistentes sed et naturas, imo per naturas subsistentes in eis.

d) Iam vero hoc in Deo repugnat propter summam divinae naturae simplicitatem. Oportet ergo, si vere Deo conveniat generationis conceptus, ad superiorem *differentiam ultimam* pervenire, quae separet generationem divinam a quavis generatione creata. Quae differentia ultima obtinetur per additum: « in similitudine *unius* eiusdemque *numero* « naturae ». Haec generatio non solum perfectior est *in se,* quum unice Deo vere conveniat, sed et est perfectior *uti est generatio.*

6) Redeunti ergo ad ea quae in articulo praecedenti de processione dicta sunt, apparet generationem in significationibus *a*), *b*), *c*) dici de processionibus ad *extra,* dum generatio in sensu *d*), per hoc ipsum quod ponit unam eamdemque naturam generantis ac geniti, dicitur de processione *ad intra;* de tali utique cuius terminus non sit merum accidens, subiectum per mutationem perficiens, sed substantia immutabiliter communicata termino in eadem substantia aequaliter subsistenti.

7) Vides proin, aliter et aliter de Verbo Dei et de nostro verbo conceptionem praedicari. De mente nostra accidentaliter et figurative, ad modum generationis corporalis; de Verbo Patris, substantialiter et eminenter prae generatione in creatis. Potest utique conceptio mentis nostrae ad ipsam generationem Verbi divini referri; sed non inde hic modus loquendi in usuali sermone derivatur. Generatio humana utrique uti terminus comparationis inservit; a qua gene-

ratione conceptus noster mentalis partim deficit, dum generatio divina illam undequaque exsuperat.

8) Conclude, generationem in creatis et in Deo non praedicari univoce sed analogice, maxime autem proprie de Deo; omne enim quod in definitione generationis proprie intellectae necessario continetur, non solum in generatione divina reperitur, sed et tanta plenitudine ei inest, ut summus eiusdem gradus « unius scilicet eiusdemque numero naturae « communicatio », nonnisi in ea habeatur, imo undequaque haberi possit. Quam generationem cum Paulo lubet κατ' ἐξοχὴν praedicare dicente: « Flecto genua mea ad Patrem « Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in « caelis et in terra nominatur » [1].

II. **Ad Textum.** *Obiectiones* se tenent ad modum instantiarum. - Ad primam enim respondetur, processionem esse secundum modum intelligibilem. Et subsumitur per secundam: atqui, talis modus non est generatio. Cui respondetur rursus, deesse apud nos rationem substantialem termini. Et subsumitur: atqui si substantia genita est recepta, in alio subsistens est. Cf. inferius dicenda ubi de solutionibus.

Sed contra est. Doctrina praesentis articuli absolute demonstratur per auctoritatem Scripturae atque catholicae traditionis.

1) **Ex Scriptura** *a*) *V. T.* habentur praecipue textus sequentes: « Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non « pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem caeteris « tribuo sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? » [2]. Quo in loco Isaiae per argumentum a fortiori supereminentia divinae generationis efficaciter demonstratur. - « Dominus dixit ad « me: filius meus es tu, ego hodie genui te » [3]. - « Dixit Dñus « Dño meo... ex utero ante luciferum genui te » [4]. - « Do- « minus *possedit* me (sapientiam increatam) in initio viarum « suarum, antequam quidquam faceret a principio... Non- « dum erant abyssi, et ego iam *concepta* eram, ante colles

[1] Ephes. III, 15, sq.
[2] LXVI, 9.
[3] Ps. II, 7.
[4] Ps. CIX, I, 3.

« ego *parturiebar* » [1]. De quibus locis sermo recurret fusior infra.

b) In *N. T.* habemus praecipue: « Verbum caro factum « est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, glo- « riam quasi *Unigeniti a Patre,* plenum gratiae et veri- « tatis » [2], ubi vox *quasi* idem sonat ac *utpote, quippe.* - « Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in « sinu Patris, ipse enarravit » [3]. - « Nemo scit quis sit *Filius,* « nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit « Filius Dei revelare » [4]. - « Pater venit hora, clarifica *Filium* « *tuum*... claritate quam habui prius quam mundus esset « apud te » [5]. - « Cui enim dixit aliquando Angelorum: *Filius* « *meus es tu,* ego hodie genui te? Et rursus: Ego ero illi « in patrem et ipse erit mihi *in filium?* » [6]. Haec autem de divina filiatione in sensu strictissimo esse intelligenda, proclamat Ioannes loco iam citato: « ut cognoscamus verum Deum et simus in *vero* Filio eius » [7]. Ratio ab ipso Verbo affertur: « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic « *dedit et Filio habere vitam in semetipso* » [8], quibus verbis communicatio eiusdem summae naturae profunde proclamatur.

2) **Ex traditione** heic sufficiat adducere *a*) *formulas* fidei. In Symbolo *Nicaeno* habetur: « Credimus in Deum de Deo, « lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, *genitum* non « factum, *consubstantialem* Patri » [9]; qua in sententia habes cum ipsa generationis appellatione rationem formalem eiusdem. Rursus in *Symb. Athanas.*: « Qualis Pater, talis *Filius;*... « Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed *ge-* « *nitus* ».

b) Accedunt *definitiones* contra Gnosticos, contra Marcionitas, contra Arianos et Sabellianos, ex quibus eruitur,

[1] Prov. viii, 22, 24, 25.
[2] Ioann. i. 14.
[3] Ioann. i, 14, 18.
[4] Luc. x, 22.
[5] Ioann. xvii, 1, 7.
[6] Hebr. i, 5. — Cf ii. Reg. vii, 14.
[7] I. ep. v, 20.
[8] Ioann. v, 26.
[9] Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί.

talem in Deo dari generationem, quae non sit emanatio, nec primorum principiorum multiplicatio, sed veri Dei de vero Deo processio in unitate eiusdem simplicissimae perfectissimae ab aeterno naturae.

Exempli gratia inter anathematismos papae Damasi in synodo Romana quarta anno 380. habita, legitur: « Si quis « non dixerit Filium natum de Patre, id est, de divina sub- « stantia ipsius: A. S. » [1].

Et Concilium Lateranense IV. egregie hanc communicationem divinae naturae per generationem illustrat: « Pater « enim ab aeterno Filium generando suam substantiam ei « dedit, iuxta quod ipse testatur: " Pater quod dedit mihi, « maius omnibus est ". Ac dici non potest, quod partem sub- « stantiae suae illi dederit, et partem ipse sibi retinuerit: cum « substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. « Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam « substantiam generando, quasi dederit eam Filio, quod non « retinuerit ipsam sibi: alioquin desiisset esse substantia. « Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo « substantiam Patris accepit: ita Pater et Filius habent eam- « dem substantiam; et sic eadem res est Pater et Filius, nec « non et Spiritus Sanctus ab utroque procedens » [2].

Huc spectant quoque documenta omnia in confutandas haereses Nestorii et Eutychetis a Conciliis et Romanis Pontificibus emissa. Ita in can. 2. synodi Ephesinae habetur: « Si quis non confitetur, carni secundum substantiam (κατ' « ὑπόστασιν) unitum Dei Patri Verbum, unumque esse Chri- « stum cum propria carne, eumdem scilicet Deum simul et « hominem: A. S. » [3]. Ergo Verbum est Filius Deus. Et in epistola dogmatica ad Flavianum S. Leo Magnus proclamat: « unum eumdemque Filium et Dominum nostrum Iesum « Christum... ante saecula quidem de Patre genitum secun- « dum deitatem, in novissimis diebus eumdem propter nos « et propter salutem nostram ex Maria Virgine Dei gene- « trice secundum humanitatem » [4].

[1] Cf. Denzinger. Op. cit. 33.
[2] Ibid. 358.
[3] Ibid. 74.
[4] Ibid. 134.

c) Ex Patribus paucas sententias geminas quippe ex Graecis et Latinis attulisse sufficiat.

S. Athanasius ita concordem facit generationem cum unitate summi principii (orat. 5. ctr. Arianos). « Poterit « autem et ad istum modum dici unum esse principium « deitatis, non duo: unde proprie monarchia unius pro- « piae dominationis haberi debet. Ex ipso deinde principio, « per naturam existit Filius, qui est Verbum; non quasi « alterum principium seorsum subsistens, neque aliunde ge- « nitus, ne ratione secundi duo principia pluriumque prin- « cipatus oriantur; sed unius principii suus propriusque Fi- « lius, propria sapientia, proprium Verbum, ex ipso prin- « cipio ortum habens » [1]. - Et *S. Basilius* unitatem naturae cum pluritate terminorum his verbis componit: « Licet enim « numero duo sint Pater et Filius, natura tamen divisi non « sunt; neque qui duas personas dicit, statim alienationem « inducit. Unus Deus est et Pater, unus Deus et Filius, non « Dii duo. Quoniam identitatem habet ad Patrem. Non enim « aliam in Patre divinitatem intueor et aliam in Filio; neque « aliam illius et aliam huius naturam pono. Ut igitur per- « spicua tibi sit personarum proprietas ac differentia, nu- « mera seorsum Patrem, seorsum quoque Filium. Ne vero « in errorem plurium Deorum deficias, unam in utroque « essentiam confitere. Hoc pacto et Sabellius cadet, et Ano- « maeus conteretur » [2]. - *S. Hilarius* missionem Verbi cum eius divinitate componens scribit: « Cum ait: " Sicut misit « me vivens Pater et ego vivo propter Patrem ", docuit vitam « in se per viventem Patrem inesse. « En elementum primum definitionis: processum viventis a vivente coniuncto. « Deinde « cum dicit: " Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, « sic Filio dedit vitam habere in semetipso ", omnia viva sua « ex vivente testatus est ». En alterum elementum: similitudi- « nis naturae. « Quod autem ex vivo vivum natum est; habet « nativitatis profectum sine nativitate naturae. Non enim « novum est quod ex vivo generatur in vivum » [3]. - *S. Augustinus* utramque notionem Filii et Verbi ad invicem com-

[1] *Orat. 5. ctr. Arian.*

[2] Or. 27. ctr. Sabell. — Cf. et S. Greg. Nazianz. (or. 13).

De Trin. l. VII, Haec ultima verba intellige iuxta philosophiam tunc temporis

ponit: « Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum « dicitur; ita et verbum ad eum cuius verbum est refertur, « cum dicitur Verbum. Eo quippe Filius quo Verbum, et eo « Verbum quo Filius » [1]. De Patribus in fine huius quaestionis; doctrinam Sancti Anselmi in fine articuli ex professo exponemus.

In corpore.

Totum argumentum hoc modo contrahi potest:

Generationis conceptus	I) *improprius:* mutationis de esse ad non esse		in Deo, ente necessario, immutabili, repugnat.
	II) *proprius:*	1) *latior*, seu primi gradus: origo viventis a principio vivente coniuncto,	non sufficit: omne enim natum non est genitum: ex. capilli.
		2) *minus latus*, seu secundi gradus: origo etc. in similitudinem naturae, sed tantum *generice*.	neque sufficit ad veram rationem filiationis: ex. vermes (utique ex philosophia huius temporis).
		3) *strictus*, seu tertii gradus: origo etc.. in similitudinem eiusdem *specificae* naturae.	Sufficit in creatis, etiam cum multiplicatione naturarum singularium; in Deo non sufficit, nisi addatur communicatio eiusdem *numero* singularis naturae.

De ipso textu 1) Adverte sedulo discrimen sub II, 1) expressum inter « nasci » et « generari ». Nasci ponit terminum ad quem cum materiali origine a termino a quo. « Generari » ponit formalem actionem termini a quo educentis terminum ad quem ex se secundum rationem similitudinis.

Nihilominus, quum « nasci » dicat aliquomodo inchoatam

vigentem de conditione animantis geniti, in ipso scilicet instanti conceptionis nondum animali, minus adhuc humana vita praediti.

[1] *De Trin.* VII. 2. — *P. L.* t. XLII, col. 936. Eodem modo argumentatur S. Athanasius, Arianos redarguens: « Dei quidem omnino esse verbum inficiari nolunt, hoc « vero esse Dei Filium nolunt confiteri. Sed istud est ignoratio veritatis, et S. Scrip« turarum inscitia. Nam si omnino Deus est Verbi Pater, cur non et hoc quod gi« gnitur Filius est? Rursus vero Dei Filius quis esse potest, nisi eius Verbum? » (*De decr. Syn. Nic.*).

simul et perfectam operationem in ordine generationis, - inchoatam, quia non sat expresse ponit similitudinem, perfectam, quia ponit terminum in statu pleno, - de Filio quasi eodem modo dicitur Filius et Natus. De Spiritu Sancto autem, etsi maxime negetur esse Filius, quia non procedit per similitudinem, tamen et ipsa nativitas negatur, quia non procedit secundum modum imperfectum cuius absoluta plenitudo esset generatio.

Internum autem verbum nostrum, quatenus deficit a similitudine, poterit dicit nasci ex nobis, non generari; quatenus deficit a subsistentia substantiali, conceptum dicetur, non genitum. Quousque enim ad partum perducatur, filius unum quid cum se gestante censetur.

2) Per parenthesim « *si qua in tali vivente invenitur* » S. Thomas subindicare voluit « solam rationem imparem esse » ad necessitatem processionum divinarum probandam.

3) Verbum « *potest* », quod sequitur, duplicem interpretationem patitur. Priori sensu magis simplici: in tali definitione generationis viventium nihil est contra naturam entis illius. - Alio sensu: dato quod sciamus in tali ente processiones dari, nondum possumus probare aliquam ex eis esse generationem. Prior sensus videtur praeferendus. Nam - uti in articulo tertio liquebit - probato ex Scripturis veras esse processiones divinas ad intra; quum hae necessario secundum actiones concipi debeant, actiones vero necessario sint vel intellectus vel voluntatis, actio intellectualis demum essentialiter sit secundum similitudinem: sequitur necessario primam processionem in divinis esse per modum, generationis, sive generationem.

4) « *Sic igitur* » etc. Hic S. Th. applicat processioni Verbi definitionem generationis supra traditam. Est origo, nam procedit; viventis alicuius a principio vivente, nam procedit per modum intelligibilem, quae est operatio vitae; tandem secundum similitudinem, nam quod intelligitur, simile est intelligenti; et quidem in eadem natura, quod in nobis deficit; nam in Deo τὸ esse et τὸ intelligere sunt unum. Unde si intellectus Dei similis est intellecto, quum intellectus et esse unum sint, intellectum et esse rursus unum erunt. Principium autem esse coniunctum, constat ex eo quod pro-

cessio est ad intra. Quod additur, non quasi omnia quae ad extra procedunt ab illa unione deficiant: actum enim esset de generatione viventium, sed quia ubicumque terminus est ad intra, unio perfectior adest.

Corollarium. Triplici ex ratione perfectior est generatio Verbi quam quaevis generatio in creatis. *a*) Excluditur transitus in esse a non esse: unde Filius dicitur in aeterno hodie, ab aeterno genitus et iugiter genitus. In quo magna habetur perfectio. Nam praecipue filius generatur in ipso actu generationis. Iam vero iste actus in Deo aeternus est, sine initio et sine fine. *b*) Principium quam maxime est coniunctum: quia α) actus generationis est aeternus et permanens; β) terminus manet in agente. *c*) Demum similitudo est perfectissima. Etenim non solum est in specifica natura, licet numero distincta; sed in eadem numero natura, quum species, ut ita dicam, divinae naturae sit, esse *hanc unicam naturam*. Quare Filius naturam Patris participans, eamdem cum eo unicam divinam naturam participet oportet.

Quaeres de rigore definitionis generationis in hoc corpore vindicatae.

Resp. Optima est, quatenus omnes notas generationis proprie dictae continet. Nihilominus videtur vix salvari a quavis redundantia. Procedit enim ab imperfecta intelligentia phaenomenon quae in natura occurrunt, ac si de generatione vere participarent. Tolle praeiudicium generationis spontaneae: iam plenior fit generationis analysis, et brevior de eiusdem formali ratione discursus.

Resp. ad 2m. Sufficeret iam certe ad praesentis argumenti veritatem quod in Scripturis Verbum dicitur generari et Filius; sed si insuper de eo seu de Sapientia praedicantur alia sine quibus plena generatio non datur, crescit adhuc vis argumenti. Atqui ita est. Etenim, si generatio supponit conceptionem, nativitas supponit partum. Iam vero concepta et parturita dicitur Sapientia. - De nostro autem verbo mentali propter initialem quandam mentalem generationem, licet absque substantiali termino, primum ex his quatuor, nempe conceptio, quasi unice praedicatur.

Potest tamen verbum mentis aliquo etiam sensu vocari proles; imo inter ipsam mentalem conceptionem et genera-

tionem corporalem similitudo sat pressa reperitur. Ad rem S. Thomas: « Id quod intellectu continetur ut interius ver-« bum, ex communi usu loquendi conceptio intellectus di-« citur. Nam corporaliter aliquid concipi dicitur, quod in « utero animalis viventis vivifica virtute formatur, mare « agente, et femina patiente, in qua fit conceptio, ita quod « ipsum conceptum pertinet ad naturam utriusque, quasi « secundum speciem conforme. Quod autem intellectus com-« prehendit, in intellectu formatur, intelligibili quasi agente, « et intellectu quasi patiente. Et ipsum quod intellectu com-« prehenditur intra, intellectum existens, conforme est et « intelligibili moventi, cuius quaedam similitudo est, et intel-« lectui quasi patienti, secundum quod esse intelligibile habet. « Unde id quod intellectu comprehenditur, non immerito « conceptio vocatur... Cum id quod in intellectu concipitur, « sit similitudo rei intellectae, eius speciem repraesentans, « quaedam proles ipsius esse videtur. Quando igitur intel-« lectus intelligit seipsum, verbum conceptum comparatur « ad intelligentem, sicut proles ad Patrem » [1].

Quid autem inter hanc prolem mentis nostrae et Verbum Patris intersit, alibi [2] egregie illustrat: « Cum intellectus « noster seipsum intelligit, aliud est esse intellectus, et aliud « ipsum eius intelligere: substantia enim intellectus erat in « potentia intelligens antequam intelligeret actu. Sequitur « ergo quod aliud sit esse intentionis intellectae, et aliud « intellectus ipsius, cum intentionis intellectae esse sit ipsum « intelligi. Unde oportet quod in homine intelligente seipsum, « verbum interius conceptum non sit homo verus, naturale « hominis habens; sed sit homo intellectus tantum, quasi « quaedam similitudo hominis veri ab intellectu apprehensa ».

Resp. ad 3m. Maximi momenti est distinctio inter *acceptum* et *receptum*. - Quod S. Th. primo probat ex his quae de rebus creatis dicuntur. - In quo nulla difficultas. Unde dicitur a S. Paulo: « Quid habes quod non accepisti? » Et in tractatu *De Gratia* Theologi distinguunt accipere gratiam et recipere. Accipimus aliquomodo passive, recipimus active aperiendo receptaculum bonae voluntatis.

[1] *Comp. theol.* c. XXXVIII et XXXIX.
[2] *Ctr. Gent.* l. IV. c. 11.

Quomodo autem talis receptio in Verbo repugnet, et sit contra subsistentiam divini esse, sequenti argumento potest urgeri. Si Verbum habet esse divinum receptum, est in illo subiectum receptionis. Iam vero illud subiectum unde est? A Patre? Sed rursus, quomodo? acceptum vel receptum? Si receptum in alio subiecto, in infinitum progredimur. - Si acceptum, ergo inaniter ponitur, nam ipsum esse poterat accipi et non recipi. - Si vero illud subiectum non est a Patre, erit vel aliunde, et tunc in Deo est aliquid quod non est a Deo, et tollitur subsistentia et simplicitas Dei; vel ab essentia divina, et tunc: α) essentia recipit seipsam; β) imo Verbum secundum essentiam prius est Patre et non est a Patre; γ) demum ipse Pater est ab essentia.

Idem autem est in Deo esse Patris et esse acceptum Filii. Quod est fundamentum communitatis omnium perfectionum, quae vocatur circuminsessio, de qua infra sermo erit.

Corollarium. Sicuti, vi primae processionis, Verbum est verus Dei Filius, ita proferens Verbum verus Pater est. (Cf. dicenda de Patre in Q. XXXIII). Insuper Pater nequit esse ipse Filius, nec Filius ipse Pater, sed ad invicem relati distinguantur oportet (Cf. Quaest. seq.).

De Doctrina S. Anselmi.

Quam S. Thomas in hoc articulo doctrinam tam lucide exponit, iam Anselmus noster profundo ac subtili discursu de more illustrarat. Quare sit huius celeberrimae expositionis brevis saltem pertractatio.

Demonstrata prolatione Verbi interni per quod alia facta sunt, ostensaque distinctione inter proferentem et Verbum, in unitate eiusdem naturae (*Monol.* a. c. XXIX. - ad c. XXXIX); iam S. Doctor penitius de ipsa ratione filiationis inquirit; quam in perfecta similitudine consistere, hoc modo demonstrat. « Proprium unius est esse ex altero, et proprium al-« terius est esse ex illo (hucusque c. 39). Quod ipsum nullo « utique verbo videtur familiarius posse proferri, quam si « dicatur proprium esse unius nasci ex altero, et proprium « alterius nasci alterum ex ipso. Certo namque iam constat

« quia Verbum summi spiritus non sic est ex eo, quemad-
« modum ea quae ab illo facta sunt; sed quemadmodum
« Creator de Creatore, summum de summo. Et ut plena
« brevitate omnimodo absolvatur similitudo, penitus idem
« ipsum est de eodem ipso, et ita ut nullatenus sit nisi ex eo ».

En affirmationem processionis; iam ratio generationis depromitur sedulius. « Cum igitur pateat Verbum summi
« spiritus sic esse ex ipso solo, ut perfectam eius quasi proles
« parentis teneat similitudinem; nec sic esse ex ipso ut fiat
« ab eo: profecto nullo modo convenientius cogitari potest ex
« illo esse quam nascendo ». Iam hanc propositionem S. Anselmus sicuti S. Thomam agere vidimus, per ascendentem scalam, at liberiori calamo, demonstrat. « Nempe si innu-
« merabiles res indubitanter dicuntur nasci ex his, ex quibus
« habent ut sint; cum nullam eorum, de quibus nasci di-
« cuntur, teneant similitudinem sicut proles parentis, - di-
« cimus enim capillos nasci de capite et poma ex arbore,
« licet nec illi capitis, nec ista arboris similia sint [1], - si,
« inquam, multa huiusmodi non absurde dicuntur nasci, tanto
« congruentius dici potest Verbum summi spiritus ex illo
« existere nascendo, quanto perfectius, quasi proles parentis,
« trahit eius similitudinem ex illo existendo ».

Posita similitudine uti formali ratione generationis, Anselmus ostendit quantopere Verbum non modo sit Filius, sed et Filius perfectissimus; ac vicissim Pater non solum sit Pater, sed et plenitudo paternitatis. « Quod si convenien-
« tissime dicitur nasci, et tam simile est illi de quo nascitur,
« cur existimetur simile, quasi proles parenti; non potius
« asseratur quia tanto verior est ille parens, et istud proles,
« quanto magis et ille ad huius nativitatis perfectionem
« solus sufficit, et quod nascitur eius similitudinem exprimit?
« Namque in rebus aliis, quas parentis prolisque certum est
« habitudinem habere, nulla sic gignit, ut omnino nullius

[1] Ne urgeatur, quaeso, haec Anselmi pomorum et capillorum iuxtapositio; non enim ad eumdem gradum pertinent. Capilli nonnisi improprie nasci, poma autem proprie dicuntur; imo in granulis iam germinis similitudinem cum arbore continent; licet aspectus seminis sub involucro nullam cum arbore similitudinem prae se ferat. At quae similitudo inter gallinam et ovum? Scilicet similitudo in potentia formalis facit ad rem, non in actu mere figuralis.

« indigens sola per se ad gignendum prolem sufficiat [1]; « nulla sic gignitur, ut nulla admista dissimilitudine omni- « modam similitudinem parentis exhibeat. Si ergo Verbum « summi spiritus sic est omnino ex ipsius sola essentia et « sic singulariter est illi simile, ut nulla proles sic sit omnino « ex sola parentis essentia, aut sic similis parenti, profecto « nullis rebus tam convenienter videtur aptari habitudo pa- « rentis et prolis, quam summo spiritui et Verbo eius. « Quapropter illius est proprium verissimum esse parentem, « istius vero verissimam esse prolem. At hoc constare non « poterit, nisi pariter ille verissime gignat, et istud veris- « sime gignatur. Sicut ergo illud est perspicuum, ita hoc « esse certissimum necesse est. Quare summi Spiritus est « verissime gignere, et Verbi eius verissime gigni » [2].

Superest quaestio subtilis. Quum haec sibi respondeant: gignere et gigni, cur gignens potius vocatur pater quam mater, et genitus filius quam filia? « Vellem iam quidem, « pergit [3], et forte possem illum esse verissime patrem, hoc « verissime esse filium concludere. Sed nec hoc negligendum « existimo, an patris et filii, et an matris et filiae magis « illis apta sit appellatio, cum in eis nulla sit sexus di- « scretio? ». Et primo urget quaesitum, ostendendo rationem quae in favorem alterius appellationis militare videretur. « Nam si ideireo convenienter est ille pater, et proles eius « filius, quia uterque est spiritus; cur non pari rationi al- « teri convenit esse matrem, alteri filiam, quia uterque est « veritas et sapientia? ».

Primam rationem suggerit ex nobilitate sexus masculini, licet eam non undequaque validam reperiat. « An quia in « his naturis, quae sexus habent differentiam, melioris sexus « patrem esse vel filium, minoris vero matrem vel filiam? « Et hoc quidem naturaliter in pluribus; in quibusdam vero « e contrario, ut in quibusdam avium generibus, in quibus « femineus sexus semper maior et validior est, masculinus

[1] Quod si intelligis de duplici principio, saltem in eodem subiecto distincto semper, recte quidem; si de subiecto necessario gemino, minus. Dantur enim entia hermaphrodita in quibus utrumque principium reperitur adunatum.

[2] C. 50, 51.

[3] C. 52.

« vero minor et infirmior ». - Alteram inde rationem inducit a prioritate principii activi. Unde demonstrato gignentem aptius vocari patrem, iam ipsa ratio perfectioris similitudinis genitum exposcit dici filium « Aut certe idcirco magis « convenit summo spiritui dici patrem quam matrem, quia « prima et principalis causa prolis semper est in patre. Nam « si maternam causam quolibet modo semper paterna prae- « cedit, nimis est incongruum ut illi parenti adaptetur nomen « matris, cui ad gignendam prolem nulla alia causa aut « sociatur aut praecedit. Verissimum est igitur summum spi- « ritum patrem esse prolis suae. Quod si filius semper simi- « lior est patri quam filia; nihil autem similius est alteri « quam summo patri proles sua; verissimum est hanc prolem « non esse filiam, sed filium ».

Et concludit totam tractationem his verbis. « Sicut igitur « proprium est illius verissime gignere, istius verissime gigni; « sic proprium est illius esse verissimum genitorem, istius « vero verissimum esse genitum. Et sicut alter est veris- « simus parens, alter verissima proles; sic alter est veris- « simus Pater, alter verissimus Filius ».

Rectissime quidem ac subtilissime. Non inutiliter tamen animadverteris ex ipso modo loquendi Scripturam testari, talem esse divinam paternitatem, quae simul excellentiam patris atque matris contineat. « Ex utero ante luciferum « genui te » [1]. « Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit » [2].

ARTICULUS III.

UTRUM SIT IN DIVINIS ALIA PROCESSIO A GENERATIONE VERBI.

I) **De ipsa Quaestione.** 1) Probata existentia processionis, et quidem talis processionis quae sit generatio, iam ad alteram processionem investigandam acceditur, de qua duo nobis quaerenda occurrunt: *a*) utrum detur; *b*) utrum haec altera quoque generationis appellationem mereatur. Prius quaesitum in praesenti articulo, alterum in sequenti solvitur.

[1] Ps. CIX, 3.
[2] I. IOANN. 12.

2) Iam vero factum existentiae alterius processionis in Deo erui potest sive ex Scriptura, sive ex ratione theologica.

A) *Argumenta ex Scriptura* in triplicem classem distribuuntur: etenim *a*) alia directe affirmant processionem distinctam a processione Filii; *b*) alia alteram processionem verbis describunt, quae non conveniant processioni Filii; *c*) alia demum ex ipso numero personarum demonstrant praeter primam processionem dari et alteram.

a) Ad primam classem quatuor textus praecipui pertinent: « Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, « ut maneat vobiscum in aeternum » [1]. Ex quo argumentum: Paraclitus alius a Filio affirmatur; affirmatur uti mittendus a Patre; ergo praeter Filium est a Patre alius, scilicet Paraclitus; Filius autem est a Patre per processionem; ergo et Paraclitus est a Patre per aliquam distinctam processionem. - « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet « Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia » [2]. Ex quo argumentum simile eruitur. - « Cum autem venerit Paraclitus, « quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a « Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me » [3]. Ubi processio Paracliti a Patre, ut distincta a processione Filii, expresse proclamatur. - Demum: « Ille me clarificabit: quia de « meo accipiet, et annuntiabit vobis. Quaecumque habet Pater « mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, et annun- « tiabit vobis » [4]. Ubi haec processio Spiritus a Patre talis exhibetur, quae sit simul processio a Filio. Ergo duplex datur processio: Filii a Patre, Spiritus Sancti a Patre et Filio.

b) Eminent in altera classe loci Pauli: « Charitas Dei « diffusa est in cordibus nostris, per Spìritum Sanctum qui « datus est nobis » [5]. - « Non enim accepistis spiritum servi- « tutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis « filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ipse enim Spi-

[1] I. Ioann. xiv, 16.
[2] Ibid. 26.
[3] Ibid. xv, 26.
[4] Ibid. xvi, 14. 15.
[5] Rom. v, 5.

« ritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii « Dei » [1]. Praeclare Augustinus: « Spiritus S., proprie nun- « cupatur vocabulo charitatis... Ipse significatur ubi legitur: « "Deus charitas est". Deus igitur Spiritus S., qui procedit « ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum in dilec- « tionem Dei et proximi, et ipse dilectio est. Non enim habet « homo unde Deum diligat, nisi ex Deo... Apostolus quoque « Paulus: "Dilectio, inquit, Dei diffusa est, etc." » [2]. Ex similibus locis duplici modo arguere licet: positive et negative. *a*) Positive: Spiritus S. talibus verbis describitur quae procedenti per amorem, non autem per intellectum conveniant; ergo procedit per amorem; ergo datur altera processio in divinis. *b*) Negative: In locis in quibus Spiritus S. affirmatur et describitur non occurrunt ea verba quae occurrunt in modo describendi primam processionem; ergo alterius processionis terminus sit oportet.

c) Ad tertiam classem, praeter comma Ioanneum, de quo inferius disseremus, duo praesertim testimonia pertinent: « Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos « in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti » [3]. Et minus explicite: « Gratia D. N. I. C. et charitas Dei, et communi- « catio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis » [4]. Quibus ex locis, ita arguitur: Filius a Patre distinguitur per processionem a qua est; atqui praeter Filium et Patrem nominatur tertius, Spiritus S.; ergo et ipse et quidem distincta processione procedit.

B) *Argumentum rationis theologicae* hoc modo instituitur. Demonstratum est in articulo praecedenti, dari in Deo processionem per viam intellectualem, cuius terminus sit Verbum, dicenti simillimum, atque proin Patris generantis Filium, a Patre distinctum; atqui in Deo non minoris virtutis est actus voluntatis quam actus intellectus; ergo dari debet in Deo processio per viam amoris, cuius terminus sit a principio eiusdem processionis distinctus.

Si quid posset huic argumentationi obiici, esset vel ex

[1] Ibid. VII, 15. 16.
[2] *De Trin.* l. XV, n. 31.
[3] MATH. XXVIII, 19.
[4] II. COR. XIII, 13.

parte principii, vel ex parte termini, vel ex parte actionis quae procedere facit. Singula perpendamus.

a) *A parte principii* obiicies, quod, si bis in natura divina principium ponatur, nulla datur ratio sistendi, ita ut procedendum sit in infinitum. - Respondeo: valeret quidem obiectio, si bis principium poneretur relate ad eumdem actum: imo inde praecise excluditur duplex in Deo Verbum, quia nisi esset simplex, in infinitum foret multiplicandum. At nullam habet obiectio vim, si duplex ratio principii a duplici actu intelligendi et amandi petitur. Nam, expleto hoc duplici actu, iam fundamentum ulteriori processui deest. Neque haec geminatio principiationis summi principii monarchiam infirmat. Pater quippe manet principium totius Trinitatis, nec ordo, quo duae processiones se tenent ad invicem, potest inverti.

b) *A parte termini* forte obiicies, naturam integram nonnisi una vice perfecte communicari posse; repugnare proin ut et Spiritus Sanctus eam accipiat. - Imbelle rursus telum, facile retorquendum. Haberet utique vim, si Filius a Patre perfectam atque distinctam naturam teneret. Sed si ita foret divina foecunditas concipienda, nec Pater Filium generare posset cum repugnet in Deo naturam ipsam generantem et genitam distingui. Communicatur igitur a Patre Filio eadem numero natura, et distinctio realis existit in sola relatione utriusque ad invicem. Iam vero, si ita est, nulla ratio datur cur haec eadem unica natura non possit et alteri communicari, modo altera communicationis via sit praesto. Atqui haec superest, scilicet amoris; ergo.

c) Maioris virtutis sunt difficultates quae ex hac *ipsa via* obiiciuntur. α) Prima hoc modo: ratio distinctionis inter primam et secundam processionem petitur ex distinctione inter actum intellectus et voluntatis. Atqui in Deo intellectus et voluntas non distinguuntur nisi ratione, non autem re. Ergo in divina processione duae rationes distinguantur, si placet; non autem tales quae realiter differant, et Trinitatem personarum realiter ad invicem distinctarum constituant.

Haec obiectio innititur principio proportionis servandae inter principia et principiata. Recte quidem, - licet non semper: ab uno enim ad plura vere distincta perveniri potest, - modo

tamen unus sit utrobique respectus. Iam vero ita non est. Duplex processio non dicitur ponere terminos distinctos realiter, quia actiones intellectus et voluntatis in Deo realiter distinguuntur; sed quia prima processio ponit duos realiter distinctos ab invicem, et secunda processio, utpote ordine primam sequens, habet eosdem duos distinctos tanquam unum principium, cuius terminus est tertius, a principio et termino primae processionis distinctus. - Imo ex ipsa intima coniunctione quae inest inter processionem et eius principium ac finem, utraque processio participat de reali distinctione quae principio et fini utriusque competit. Datur proin in Deo intellectus dicens Verbum, et amor spirans Spiritum, quae, - licet in Deo non re distinguantur intellectus et amor, uti sunt quasi geminae facultatis naturae divinae actus, - nihilominus ob realem relationem oppositionis inter principium et terminum utriusque processionis, ponunt realiter inter se distinctos. Qui profundior Trinitatis respectus infra fusius explicabitur, ubi de personarum circuminsessione erit agendum.

Conclude: ut valeret obiectio, duo dari deberent: 1) processionem per actum intellectus non esse talem, quae ponat distinctos relate ad invicem, Dicentem et Verbum, Patrem et Filium; 2) processionem per actum amoris posse etiam logice uti simultaneam cum processione per actum intellectus concipi. Atqui neutrum obtinet; ergo.

β) Alia difficultas contra processionem per actum amoris procedit ex discrimine quod interiacet inter processionem per intellectum et per voluntatem. De ratione intellectualis operationis est, ut terminus intellectionis ponatur; quare sat bene concipitur in Deo dictio, cuius Verbum sit a Dicente distinctum. Non autem pariter videtur esse de ratione actus voluntatis ponere terminum, sed in ipsum terminum intellectionis praeexistentem se extendere; cuius proin extensionis fructus non est novi termini positio, sed utrimque praeexistentis termini per amorem coniunctio. Nedum igitur per amoris actum tertius ponatur, potius videretur dicendum, duos praeexistentes terminos per eumdem in unum redire, ac ita dualitatem potius regredi in unitatem. Praedicetur ergo, si placet, duplex actus intellectus et amoris; imo

prior affirmetur processio; at certe alter processio esse nequit.

Fatemur, ad hunc modum concipiendi divinam foecunditatem ad intra aliquatenus accedere debere, velint nolint, quotquot Verbo principium spirationis cum Patre commune denegant. Etenim hi tales distinctionem inter Patrem et Filium ultra relativum in absolutum extendentes, iam duos ponunt ita distinctos, ut Pater spirando sine Filio in ipsum Filium sibi per amorem coniungendum quasi se extendat.

At valde minuitur obiectionis species, si Filius cum Patre unicum spirationis principium tenetur. Differt utique processus amoris ab intellectus processu; at maxime quatenus amor supponit intellectionem, et non e converso. Posito autem cognitionis obiecto, non minor realitas inest tendentiae in illud, quam ipsi obiecti conceptui. Unde si in Deo seipsum intelligente tanta est perfectio foecunditatis, non est cur eadem Deo se per amorem in seipsum utique intellectum, veluti extendenti denegetur.

γ) At forte obiectionem hoc pacto urgebis. Saltem negari nequit, hoc interesse inter processum voluntatis et intellectus, quod in intellectu habetur processus operati: ponitur quippe intellectionis terminus; dum in voluntate non habetur nisi processus operationis: supponitur quippe terminus in quem tenditur. Iam vero supra probatum est, in Deo processionem esse debere per modum operati et non solum per modum operantis. - Concedimus in processu intellectuali magis obviam esse rationem operati, in processu autem voluntatis magis esse obviam rationem operationis. Non ideo tamen in hoc altero operatum negandum est. Ipsa quippe in obiectum tendentia habet suam entitatem, accidentalem utique in anima de potentia in actum exeunte; sed hoc sufficit, ut de hac tendentia in Deo substantialitas termini praedicetur, quemadmodum verbum accidentaliter a mente nostra distinctum, in Deo fit substantiale Verbum, Filius Dei.

Et haec pro instanti ad praesentis articuli argumentum illustrandum satis sint.

II. **Ad Textum.** *Prima obiectio* procedit a parte principii. Dupliciter autem potest concipi: *a*) quatenus, si detur alia

processio, erit Filii communicantis se alteri tertio, et hic tertius quarto, et ita in infinitum; vel *b*) quatenus Pater generabit secundum, tertium, ac ita in infinitum filios. - Ratio utriusque modi considerandi diversa est. In priori modo consideratur aequalitas perfecta Filii cum Patre, ac proin capacitas generandi quam a Patre deberet habere. In altera consideratur ratio communicationis naturae a parte Patris; unde si post integram communicatam naturam adhuc locus alii communicationi supersit, non erit sistendi ratio. Prior sensus magis in littera attenditur.

Vitium obiectionis est in hoc, quod abstrahit a fundamentali distinctione rationis inter processionem per intellectum et processionem per voluntatem, quae distinctio ponit aliquid prae essentia, quatenus est fundamentum realis distinctionis inter processionis terminos. Quare sicuti Pater, per hoc quod est Pater, nequit esse Filius; ita Filius nequit esse Pater. Rursus, sicut Deus Pater per intellectualem actionem generat Filium, communicans ei totam integram singularem naturam; ita Pater et Filius, unicum principium Spiritum Sanctum in eadem singulari natura per amoris actionem spirant.

2. Obi. procedit a parte termini. Cf. modo dicta in analysi quaestionis 3) *b*).

3. Obi. procedit a parte ipsius actionis. Cf. dicta 3) *c*).

Sed contra est. Corroboratur praesens doctrina per doxologiam, et per symbola fidei. Confer auctoritatis argumenta ex Scriptura, Patribus, Ecclesiae documentis mox colligenda in dissertatione huic quaestioni adiecta.

In corpore. Quemadmodum S. Thomas in *Sed contra est* arguit ex auctoritate; ita in *Corpore* ex ratione theologica. Argumentum autem lucidissime procedit. Iterato principio de processione ad intra, affirmat S. Doctor duplicem esse in nobis, atque pariter in Deo huius processionis viam: actum intellectus et actum amoris. Demum quoad immanentiam simul et foecunditatem confert utrumque inter se, atque paritatem praedicat. Conclusio patet: ergo vel non datur in Deo processio per intellectum; vel datur et altera per amorem.

Si quis obiiciat duplicem processionem consideratam ratione, posse unam esse re; in resp. ad 3m. depellitur.

Resp. ad 1m. Si sermo esset de processionibus ad extra, possent certe multiplicari in indefinitum, nec limitarentur nisi sola voluntate; processiones vero ad intra, si dari possunt, necessario sunt [1], quatenus in Deo nihil est in potentia, et quatenus processiones ad intra neque determinantur, neque limitantur per voluntatem. Oportet ergo quaerere aliud principium limitationis; quod nullum aliud est, quam ipsum distinctionis principium, et est duplex actio intellectus et voluntatis.

Resp. ad 2m « *Non aliae naturae* »; scilicet: eadem unica natura communicatur, licet per diversum formale principium. Etenim in Verbo principium communicationis est similitudo; in Spiritu, impulsio.

Resp. ad 3m. Aliquid hoc responsum superaddit his quae in praecedenti dicta sunt. Nempe formalis ratio distinctionis processionum ponenda est in ipso ordine processionum earumdem. Quousque autem ex logico ordine processionum ordo praedicandus sit inter personas collatas ad invicem, fusius investigabimus, praesertim in Q. XLII, a. 3.

De Doctrina Sancti Anselmi.

Ex capitibus quae S. Anselmus - in praecitato opere - processioni Spiritus Sancti devovet, tria doctrinae puncta heic afferre iuvat, in quibus praesentis argumenti momentum consistit: 1) Summum spiritum [2] amare; ita ut, 2) vi ordinis processionum, Filius sit coprincipium spirationis; 3) ipseque spiratus sit aequalis utrique spiranti. De singulis ipse S. Doctor audiatur.

1) « Sed ecce, dum huius Patris Filiique proprietates com-
« munionemque delectabiliter intueor, nihil delectabilius in
« illis contemplandum invenio, quam mutui amoris affectum.
« Quam enim absurde negetur summus spiritus se amare,
« sicut sui memor est et se intelligit! cum et mens ratio-

[1] Quo sensu intelligenda sit haec beata, perfectissima, adoranda necessitas, infra investigabitur. Cf. Q. XLI, a. 2.

[2] Summum spiritum in sermone anselmiano intelligi Deum, imo Patrem, notum supponimus.

« nalis et se et illum posse amare convincatur ex eo, quia « sui et illius memor esse, et se et illum intelligere potest: « otiose namque et penitus inutilis est memoria et intelli- « gentia cuiuslibet rei, nisi, prout ratio exigit, res ipsa ame- « tur aut reprobetur. Amat ergo seipsum summus spiritus, « sicut sui meminit et se intelligit » [1]. Optimum sane argumentum ad alteram processionem vindicandam, quae terminum distinctum subsistentialiter ponit, dummodo probatum sit, huiusmodi terminum per priorem processionem poni. Cf. dicenda inferius, ubi de SS. Trinitatis demonstrabilitate.

2) Iam nexum inter utrumque actum intelligendi et amandi penitius scrutanti, ordo quo se tenent, et consequens huius ordinis apparet. « Palam certe est », pergit immediate S. Anselmus, « rationem habenti, eum non idcirco sui memorem « esse aut se intelligere, quia se amat; sed ideo se amare, « quia sui meminit et se intelligit; nec eum se posse amare, « si sui non sit memor, aut se non intelligat. Nulla enim « res amatur sine eius memoria aut intelligentia; et multa « tenentur memoria et intelligentia quae non amantur. Patet « igitur amorem summi spiritus ex eo procedere, quia sui « memor est, et se intelligit » [2].

Hucusque inculcatur ordo processionum: iam consequens pro modo processionis inde derivatur: « Quod si in memoria « summi spiritus intelligitur Pater, et in intelligentia Filius, « manifestum est quia a Patre pariter et a Filio summi spi- « ritus amor procedit » [3].

Nec satis; sed oportet ut procedat ab utriusque amore in se et in alterum: « Sed si se amat summus spiritus, procul « dubio se amat Pater, amat se Filius, et alter alterum; quia « singulus Pater est summus spiritus, et singulus Filius sum- « mus spiritus, et ambo simul unus spiritus. Et quia uterque « pariter sui et alterius meminit et se et alterum intelligit; « et quoniam omnino idipsum est quod amat, vel amatur « in Patre et quod in Filio; necesse est ut pari amore diligat « se et alterum » [4].

[1] *Monol.* c. 49; *P. L.* col. 209 XLVIII. c. 49.
[2] C. 50. Ibid.
[3] Ibid. col. 201.
[4] Ibid. c. 51.

3) Paritas demum inter spirantes et spirantem ita ab Anselmo illustratur: « Quantus ergo est amor iste summi spiritus, sic communis Patris et Filio! Sed si se tantum diligit, « quantum sui meminit et se intelligit: tantum autem sui « memor est et intelligit se, quanta est eius essentia, quod « aliter esse non potest: profecto tantus est eius amor, « quantus ipse est » [1].

Quam late spectet haec S. Anselmi doctrina tam paucis verbis comprehensa, melius infra patebit ubi de nomine personali Amoris necnon de processione Spiritus S. ex Patre et Filio, ac de divinarum personarum inter se aequalitate fuse erit agendum.

De vi autem huius comparationis trium personarum cum memoria, intellectione et amore infra sermo recurret; quemadmodum et de modo quo ex utriusque amore Spiritus Sanctus procedit.

ARTICULUS IV.

UTRUM PROCESSIO AMORIS SIT GENERATIO.

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Tenemus hucusque, dari in Deo veram processionem per actum amoris. Superest quaerendum, utrum huic processioni conveniat ut generatio dicatur. Si affirmative, processio et generatio synonyma erunt; si negative, processio erit genus, sub quo hinc species sit generatio, illinc alia, cuius ratio investiganda superest.

2) Quaestio praesens non moveretur, si Scripturae nobis nomen tradidissent specificum, ad significandam processionem Spiritus Sancti. Nomen vero istud deest. Rationem huius facti S. Th. reddit in resp. ad 1^{m}, ex eo quod habemus quidem ex creaturis verbum ad significandam communicationem naturae secundum similitudinem generationis, non autem secundum emissionem amoris.

Nihilominus si nomina consideremus quibus terminus ipse appellatur', habemus ipsam vocem Spiritus, quae passive intellecta, supponit ex correlatione dari spirationem activam,

[1] Ibid. c. 52.

sicuti genitus involvit generationem. Actio proin qua Spiritus Sanctus procedit est *spiratio.*

3) Sed, quaeres, nonne huic spirationi convenit formale generationis, scilicet communicatio eiusdem naturae in ratione similitudinis? - Resp. Dupliciter intelligi potest similitudo procedentis cum termino a quo procedit. Una est formalis, quae consequitur *modum* ipsum processionis, et vocatur processio *secundum* similitudinem. Altera materialis, quae invenitur quidem in procedente, at propter aliam rationem quam ipsum modum procedendi: v. gr., propter communicationem naturae; unde rectius dicitur processio *cum* similitudine. In divinis ergo dicendum est, Verbum procedere a Patre *secundum* similitudinem formalem et cum similitudine, ut ita dicam, materiali; Spiritum vero Sanctum solum *cum* similitudine materiali. Et re vera, nisi in agente per spirationis processionem principium actionis idem esset cum natura, terminus ipse per se communicationem naturae non exigeret. Quare Verbum esset utique simile Patri, quia per similitudinem procederet, sed non quia naturam eamdem formaliter reciperet; Spiritus autem non deberet similis esse Patri et Filio.

4) Haec autem similitudo quae datur in Spiritu S. cum Patre et Filio, aliter adhuc potest considerari quam secundum communicationem unius eiusdem naturae: scilicet inquantum similitudo est fundamentum amoris. Haec autem, quum amor tendat in unionem, - est enim impulsio amantis in amatum, - amanti vel amori in actu communicatur in termino quietis vel possessionis. Nihilominus discrepat ab illa similitudine de qua in n. 3: illa enim est consequens actionem, eidemque intrinseca; haec autem antecedens, et veluti extrinseca.

5) Differunt ergo generatio a spiratione, quatenus generatio formaliter simile ponit, spiratio in amatum tamquam simile tendit. Unde rursus, saltem nostro modo concipiendi, magis dicit generatio operatum, et spiratio magis operationem. Quare, praeter rationem sub. n. 2. allatam, praesto est ratio cur Spiritus S. simpliciter *procedere* dicatur. Etenim vox *procedere*, etsi generice de utroque processu per intellectum et per amorem dicitur, habet tamen unde specifice

melius spirationi conveniat, veluti tendentia qua amans ipso amoris impulsu in amatum procedit. Formalem igitur rationem spirationis melius quam generationis exprimit; unde in sensu specifico passim in Symbolis usurpatur.

II. **Ad Textum.** *Obi. 1. et 2.* se tenent ad modum instantiae. Etenim si respondetur ad primam distinguendo in utraque processione materiale et formale, obiiciens insistit dicendo, in ipso amore formale similitudinis inveniri. Tunc respondetur distinguendo inter similitudinem quae est fundamentum amoris, et quae esset formale elementum eiusdem. Cf. dicta 3. et 4.

Obi. 3. rationem reddit cur S. Thomas in *Sed contra est* nullum ex Scripturis attulerit argumentum. Cf. dicta n. 2.

Sed contra est. Indirecte doctrina huius articuli demonstratur per appellationem Filii *Unigeniti* [1]. Nam si et Spiritus S. procedit per generationem, quomodo non ipse et Filius erit? - Insuper confirmatur per absentiam cuiusvis appellationis Spiritui S. tribuentis quae Filii sunt.

Quare semper et ubique tam apud Graecos quam apud Latinos in confesso fuit, Spiritum S. procedere modo mirabiliter distincto a via generationis. « Spiritus S. non factus, nec « creatus, *nec genitus,* sed procedens ». Ita cum Symbolo Athanasiano tota traditio catholica. « Filius autem ex Patre « est generationis modo; Spiritus vero Sanctus, et ipse quoque « ex Patre est, non gignendi tamen modo, sed procedendi » [2]. Quae confessio eo maioris est eloquentiae, quo minor Patribus facultas erat discrimen inter utramque processionem ostendendi. Ipse enim Augustinus, uti Damascenus [3], suam hac in re ignorantiam candide fatebatur: « Quid autem inter « nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura « loquens explicare quis potest? Non omne quod procedit « nascitur, quamvis omne procedat quod nascitur; sicut non « omne quod bipes est, homo est, quamvis bipes sit omnis « qui homo est. Haec scio. Distinguere autem inter illam « generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non

[1] Cf. Ioann. 1.
[2] Damascenus *(De fide orthod.* l. 1. c. 8.).
[3] Loc. cit.

« sufficio ». Unde mutato verbo pulchre applicat Spiritui S. illud Isaiae LIII, 8: Processionem eius quis enarrabit? [1].

Scilicet Ariani catholicam doctrinam argumento sequenti oppugnabant: Si Verbum et Spiritus S. de Patris substantia procederent, Spiritus haud secus ac Verbum Filius Patris vocaretur; atqui nullibi Spiritus S. Patris Filius dicitur; ergo non procedunt de substantia. - Et Macedoniani forma parum differente arguebant: Unicus modus accipiendi ab alio naturam est ut nascatur ab eo; atqui nullibi Spiritus dicitur Filius; ergo non accipit ipsam Patris substantiam.

Contra utrosque duo constanter tenent Patres: Spiritum S., utpote verum Deum, accipere ipsam substantiam Patris a quo procedit; nihilominus eum non esse Filium, neque processionem eius esse generationem [2].

Dum autem in rationem huius discriminis penitius inquirunt, haesitant, ignorantiam confitentes, antequam varias solutiones suggerant [3]. Praeter Damascenum et Augustinum modo allatos, accipe declarationem Nazianzeni: « Quae est « igitur haec processio, inquies. Dic tu quae Patris inge- « nitura est, et ego Filii generationem et Spiritus proces- « sionem explicare aggrediar, quo fiet ut insaniamus ambo « in Dei mysteria oculos iniicientes: idque qui tandem? « Nempe ii qui nec ea, quae ante pedes sunt, scire... pos- « sumus » [4].

Doctrinam distinctionis inter generationem et processionem usus theologicus proclamavit inducendo terminum specificum *spirationis* ad ineffabilem modum, quo Spiritus S. a Patre et Filio procedit, apertius significandum; quam appellationem Ecclesia consecravit in decreto Conc. Florentini de unione Graecorum, necnon eisdem prorsus verbis in professione fidei a Gregorio XIII. Orientalibus imposita [5]. « Defi- « nimus », ita in priori documento, « ...quod Spiritus Sanctus « ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suum- « que esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex

[1] *Ctr. Maximin.* l. II, c. 14. n. 1. — *P. L.* t. XLII, col. 770, sq.

[2] Cf. S. Cyrill. *(In Pasch.* 12), S. Basilium *(Or. ctr. Sabell.)*, S. Gregorium Nazianzenum (Or. 23.).

[3] Cf. has solutiones in fine expositionis corporis.

[4] Or. 31. *De Spiritu Sancto,* n. 8. — *P. G.* t. XXXVI, col. 141.

[5] Cf. Denzinger. Op. cit. n. 586, et n. 868.

« utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et *unica* « *spiratione procedit* ».

In corpore. Affirmatâ doctrinâ catholicâ, S. Doctor eiusdem rationem theologicam quaerit distinguendo in utraque processione proprium elementum formale constitutivum. Processio ad modum generis convenit aeque intellectus et voluntatis actui terminum ad intra producenti: uterque enim est « origo viventis a principio vivente coniuncto ». Sed in processione intellectuali ratio specifica est ut origo sit *secundum similitudinem;* in processione affectiva, ut sit *secundum impulsionem.* Inde alter procedens est Filius, alter Spiritus.

Perpendamus iam magis vim comparationis quam Angelicus in *Corpore* cum nostro modo intelligendi inducit. Solvenda quippe remanet difficultas, quam ex ea aliquis forte obiiciet. Etenim in quovis exemplo allato procedimus a duobus distinctis: nempe a facultate in potentia et ab obiecto intelligendo; e quibus oritur tertium, nempe intellectio, quae intellectum rei intellectae similem facit.

Si autem agitur de cognitione quam habemus de nobis, res intelligenda erit nostra natura vel essentia cum facultatibus. Iam vero, in Deo non habere videmur nisi unum terminum a quo, Patrem, et absoluta actione processiva, nostro utique loquendi modo, nonnisi duos: Patrem et Filium. Quid igitur?

Responsio residet in distinctione inter essentiam vel naturam divinam et Patrem generantem. Secundum nostrum concipiendi modum natura divina est obiectum cognoscendum, Pater intellectus cognoscens, Filius cognitio Patris; unde procedit praecise Filius secundum similitudinem cum termino cognoscendo sive cum natura divina. Quare materialis, ut ita dicam, similitudo est consequens necessarium ad ipsam formalem similitudinem per modum processionis intellectualis.

Quum autem in divinis natura et intellectus non realiter distinguantur, neque proin natura et verbum intellectionis: sequitur, non haberi nisi unicum terminum a quo et unicum ad quem, qui uterque terminus est unum.

Eodem modo loquendum de processione per amorem. Natura cognita est obiectum divini amoris; et Spiritus S. ter-

minus actionis amoris in naturam cognitam et simillimam sibi tendentis. Principium proin spirationis non est duplex, quasi ex una parte Pater amaret Filium, et Filius ex altera Patrem; sed est Deus amans seipsum. At quum iste Deus amans sit Deus se cognoscens, Deus autem se cognoscens sit Pater et Filius: Deus amans se, est Pater et Filius amantes se. Rursus quum cognitio sit principium amoris, et infinita cognitio infiniti amoris; cognitio autem sit per Filium et infinita per perfectionem infinitam Verbi: sequitur, quod Deus per Filium suum amat; et proin quod Pater per Filium spirat. Unde pulcherrima oritur Orientalium formula: Spiritus a Patre procedit per Filium. Sed de his inferius sermo recurret.

Ex *resp. ad 1m.* pulcherrime habes, quomodo propter identitatem cum natura omnium quae in Deo sunt, distinctionis inter processiones non esset ratio sufficiens ipsa distinctio inter intellectum et voluntatem, nisi ordo daretur inter actiones utriusque necessarius. Concludit inde subtiliter S. Doctor: si ita est, non ipsa veluti nuda communicatio naturae, sed actio qua communicatur, debet nomen suum processionibus dare. Quare generatio Filii et processio Spiritus optime convenire possunt in communicatione naturae, quin tamen spiratio generatio sit.

Corollarium. Ex dictis patet, nullo modo ex deficientia aliqua Spiritum Sanctum non vocari Filium, sed ex indole ipsa processionis in se perfectissimae. Unde sicuti perfectio personalis est Filii esse Filium, ita personalis perfectio Spiritus Sancti est esse Spiritum, ac proin non esse Filium. Optime S. Gregorius Nazianzenus: « Quid ergo est inquiunt, « quod Spiritui deest, ad hoc ut sit Filius? Nisi enim aliquid « deesset, Filius esset. — Deesse nihil dicimus. Nihil enim « Deo quidquam deest. Verum manifestationis (ἐκφάνσεως), « ut ita dicam, multaque eorum relationis differentia, diversa « quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid « deest, ad hoc ut sit Pater, - nec enim defectus est filiatio, « nec propterea tamen Pater est. Alioquin eadem ratione « Patri aliquid deerit, ad hoc ut sit Filius. Nec enim Pater « Filius est » [1].

[1] Or. XXXI, n. 9. — *P. G.* t. XXXVI, col. 141.

De Doctrina S. Augustini, aliorumque Patrum.

1) Doctrinam Aquinatis tritam apud theologos, iam tradiderat Augustinus. Magnus quippe Hipponensis, licet imbecillitatem ingenii humiliter confessus, profunde mysterium perscrutatus est. En quomodo praesens argumentum inducat. « Quid ergo amor? non erit imago? non verbum? non « genitus? Cur enim mens notitiam suam gignit, cum se « novit, et amorem suum non gignit, cum se amat? Nam si « propterea est notionis suae causa, quia noscibilis est; amo- « ris etiam sui causa est, quia est amabilis. Cur utrumque « itaque non genuerit, difficile est dicere... » [1].

Solutionem aggressurus, recurrit ad processum mentis ac voluntatis nostrae, ut ita a magis cognitis ad sublimiora ascendat.

De mentis operatione primo subtilissime disserens, concludit urgendo, de more, potius difficultatem quam festinanter solvendo. « Primo itaque manifestum sit, posse fieri, ut sit « aliquid scibile, id est, quod sciri possit, et tamen nesciatur; « illud autem fieri non posse, ut sciatur quod scibile non « fuerit. Unde liquido tenendum est, quod omnis res quam- « cumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. « Ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente et cognito. « Itaque mens, cum se ipsam cognoscit, sola parens est no- « titiae suae: et cognitum enim et cognitor ipsa est. Erat « autem sibi ipsa noscibilis, et antequam se nosset: sed no- « titia sui non erat in ea, cum se ipsa non noverat. Quod « autem cognoscit se, parem sibi notitiam sui gignit: quia « non minus se novit quam est, nec alterius essentiae est « notitia eius, non solum quia ipsa novit, sed etiam quia se « ipsam, sicut supra diximus. - Quid ergo de amore dicendum « est, cur non etiam cum se amat, ipsum quoque amorem « sui genuisse videatur? Erat enim amabilis sibi, et ante- « quam se amaret, quia poterat se nosse. Nam si non sibi « esset noscibilis, nunquam se nosse potuisset: ita si non « sibi esset amabilis, nunquam se amare potuisset. Cur itaque

[1] *De Trin.* l. IX, c. 12. — *P. L.* t. XLII, col. 970.

« amando se non genuisse dicatur amorem suum; sicut co-
« gnoscendo se genuit notitiam suam? ».

Subtiliter iam inducit solutionem distinguendo inter processum mentis notitiam parturientis, et processum appetitus seu voluntatis. In hoc autem appetitu duplex quasi stadium discernit: alterum inquisitionis, dum impellit mentem ut ad notitiam perveniat; alterum complacentiae, quando partam mentis prolem amore amplectitur. Prius tendit in prolem gignendam, non ipsum proles; alterum, prolis amor, non gignit prolem, sed partam supponit. « .... Appetitus ille qui est in
« quaerendo, procedit a quaerente, et pendet quodammodo,
« neque requiescit fine quo intenditur, nisi id quod quaeritur
« inventum quaerenti copuletur. Qui appetitus, id est, inqui-
« sitio, quamvis amor esse non videatur, quo id quod notum
« est, amatur; - hoc enim adhuc ut cognoscatur agitur; - tamen
« ex eodem genere quiddam est. Nam voluntas iam dici
« potest, quia omnis qui quaerit, invenire vult. Quod si ar-
« denter atque instanter vult, studere dicitur: quod maxime
« in assequendis atque adipiscendis quibusque doctrinis dici
« solet. Partum ergo mentis antecedit appetitus quidam, quo
id quod nosse volumus quaerendo et inveniendo nascitur
« proles ipsa notitia: ac per hoc appetitus ille quo conci-
« pitur pariturque notitia, partus et proles recte dici non
« potest; idemque appetitus quo inhiatur rei cognoscendae,
« fit amor cognitae, dum tenet et amplectitur placitam pro-
« lem, id est, notitiam, gignentique coniungit. Et est quae-
« dam imago Trinitatis ipsa mens et notitia eius, quod est
« proles eius, ac de se ipsa verbum eius, et amor tertius; et
« haec tria unum atque una substantia. Nec minor proles,
« dum tantam se novit mens quanta est; nec minor amor,
« dum tantam se diligit quantam novit et quanta est ».

2) Alibi idem Augustinus discrimen formale inter utramque processionem parum aliter paucis describit: Verbum est Filius, quia procedit ut *natus;* Spiritus non est Filius, quia procedit ut *datus*. « Ad se autem invicem in Trinitate, si
« gignens ad id quod gignit principium est, Pater ad Filium
« principium est, quia gignit eum. Utrum autem et ad Spi-
« ritum Sanctum principium sit Pater, quoniam dictum est:
« *De Patre procedit*, non parva quaestio est. Quia si ita est,

« non iam principium ei tantum rei erit quam gignit aut « facit, sed etiam ei quam dat. Ubi et illud illucescit, ut « potest, quod solet multos movere, cur non Filius sit etiam « Spiritus Sanctus cum et ipse a Patre exeat, sicut in Evan- « gelio legitur [1]. Exiit enim non quomodo *natus,* sed quo- « modo *datus,* et ideo non dicitur filius, quia neque natus « est sicut Unigenitus (filiatione proprie dicta), neque factus « est ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicut nos « (filiatione figurativa), etc. » [2]. Inde, teste S. Basilio, proprium est Filii ex utero genitum esse; proprium Spiritus ex ore tanquam spiritum procedere [3].

3) Minoris virtutis est ratio quam Augustinus alibi affert: Spiritum quippe Sanctum non dici Filium quia non procedit a solo Patre, sed *a Patre et Filio:* « Quoniam si et ipse « Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod « absurdissimum est » [4]. Non spernenda tamen ratio, praesertim ad falsos conceptus praecavendos, indeque et ab aliis quoque Patribus allata [5].

4) Huic rationi valde appropinquat consideratio, quod Filius proxime est a Patre, et Spiritus *mediate* et per Filium procedit. « Et eius quod est a principio aliud discrimen intel- « ligimus. Nam aliud proxime est, aliud per id quod pro- « xime est a primo; adeo ut et Unigeniti proprietas sine ulla « controversia maneat in Fílio, neque dubium sit, quin ex « Patre Spiritus existat, cum ipsa Filii interpositio et Uni- « geniti conditionem ei conservet, et Spiritum ab naturali, « quam ad Patrem habet, habitudine non excludat » [6].

5) Adhuc remotiores sunt solutiones quas afferunt Patres, dum utramque processionem *nomine* quoque distingui dicunt, ne aut processus quidem aequalis in Deo multiplicaretur, aut personae ab invicem minus clare distinguerentur. « Non « quia non est ex Deo per Filium (Spiritus S. non vocatur

[1] Ioann. xv, 25.

[2] Ibid. l. v. c. 14. Ibid. col. 920, sq. - Cf. c. 15.

[3] *Ctr. Eun.* 5.

[4] *De Trin.* l. xv.

[5] Cf. Epiph. in *Ancorato;* Paschasium Diac. l. *de Spir. S.;* Isidor. Hisp. in 7. orig.

[6] Nyssenus *ad Abladium. P. G.* t. xlv, col. 133. Hanc utramque rationem validissimum argumentum praebere ad vindicandam processionem Spiritus S. a Patre simul et Filio, iam heic neminem fugiat.

« Filius), sed ut ne Trinitas infinita multitudo putetur, ac « filios ex filiis, uti in hominibus usuvenit, eam habere sus- « picetur aliquis » [1]. « Ex his verbis quod genitus non sit, « et quod genitus, et quod procedat, hoc effectum est, ut « alius Filius, alius Spiritus S. appelletur » [2].

6) Infirma demum valde videtur ratio potius mystica quam theologica, quam Richardus affert distinguens inter Filium *dilectum* a Patre, summa per essentiam bonitate genitum, et Spiritum quem uterque Pater et Filius eius conformis ac aequalis, habere voluere *condilectum* [3]. Esto, sed cur iste condilectus nequit appellari Filius?

Altera enim quaestio cum altera non est confundenda. Hinc quando S. Basilius ait: « Neque ad cognoscendum ex « Deo esse Spiritum, minus quid habituri eramus, cum *oris* « *spiritum* audiremus. Sufficit enim nomen ipsius ad signi- « ficandam essentiam eius ex Deo » [4]; talibus verbis optime quidem nomen Spiritus legitimat; non autem explicat cur iste Spiritus non vocetur et Filius.

7) Respuenda demum, utpote absurda et haeretica, ideoque a S. Bernardo rite explosa, ratio quam Abaelardus attulit, asserens Filium esse ex Patris substantia, Spiritum S. vero nonnisi ex benignitate affectionem [5]: quod aperte Macedonianum sonat [6].

De Doctrina S. Anselmi.

Audiatur et in fine huius articuli doctrina auctoris *Monologii*. Probata processione Amoris a Patre et Filio, ita ut idem summus Spiritus sit Pater, Filius et Amor, quaerit S. Anselmus cur Amor non dicatur genitus eodem titulo quo

[1] S. Basil. 5. *ctr.* Eun.

[2] S. Greg. Nazianz. Ibid. n. 9. col. 141.

[3] *De Trinit.* l. vi, c. 17. *P. L.* t. cxcvi, col. 961. De hoc opere fusius infra.

[4] *Contra Eunom.* 5.

[5] *De erroribus Abaelard.* c. i. Ed. Lugdun. ann, 1662. t. iv, p. 112. Ratio autem cur Abaelardus Spiritum S. de substantia Patris procedere negabat, erat, ne Filius Patris dicendus videretur.

[6] Cf. de his Patrum explicationibus Petavium fusius disserentem (op. cit. l. vii, c. 13).

Verbum. « Quid ergo? cum hic Amor pariter habeat esse a « Patre et a Filio, et sic similis sit ambobus ut nullatenus « dissimilis sit illis, sed omnino idem sit quod illi; numquid « filius eorum, aut proles aestimandus est? ».

Duplex responsum suggerit, quorum prius ad solutionem S. Thomae appropinquat; alterum magis cum tertia explicatione S. Augustini convenit.

« Sed sicut Verbum, mox ut consideratur, se prolem esse « eius, a quo est, evidentissime probat, *promptam praefe-* « *rendo patris imaginem;* sic Amor aperte se prolem negat; « quia dum a Patre et Filio procedere intelligitur, *non statim* « tam *perspicuam exhibet se contemplanti eius, a quo est,* « *similitudinem*, quamvis ipsum considerata ratio doceat « omnino idipsum esse, quod est Pater et Filius ». Optime quidem in se; nihilominus haec responsio aptior videtur ad demonstrandum, amorem non prolem videri, licet de facto sit, quam prolem non esse. Unde palmam certe modus loquendi S. Thomae meretur.

« Denique si proles eorum est, aut alter eorum erit pater « eius, alter mater; aut uterque pater, sive mater est: quae « omnia veritati repugnare videntur. Quoniam namque nul- « latenus aliter a Patre procedit, quam a Filio; nulla veritas « patitur ut dissimili vocabulo ad illum Pater et Filius refe- « rantur: non est igitur alter pater eius, alter mater. Ut « autem duo aliqua sint quae singula perfectam, et nulla « consideratione differentem habeant pariter ad aliquid unum, « patris aut matris habitudinem, nulla natura aliquo mon- « strari concedit exemplo. Ergo non est uterque, scilicet Pater « et Filius, pater aut mater amoris a se manantis ».

Concedimus hanc argumentationem esse solidam quoad priorem partem, ubi excluditur in alterutro amoris principio ratio distincta patris et matris. At alteram discussionis partem non eiusdem ponderis esse putamus. Si enim Pater et Filius spirant amorem ad modum unius principii, non sufficit defectus similis processionis in creatis, ut eidem generationis ratio denegetur. Ab intrinseca enim processionis via solutio repetenda est. Pace tanti Doctoris dictum sit: utrumque Anselmi argumentum videtur in spiratione distinctionem inter utrumque spirantem nimis urgere. Concludit

autem rectissime: « Nequaquam itaque videtur veritati con-« venire, ut idem amor eorum filius sit aut proles » [1].

Nec heic sistit. Igiturne, quia Spiritus Sanctus non est genitus, recte vocabitur cum Patre ingenitus? Iure negat. Est enim geniti notio generica procedentis, et specifica procedentis ad modum prolis. Unde ingenitus stricte vocatur ille, qui non solum non est proles, sed neque ab alio. Est ergo Pater solus ingenitus, solus Filius genitus, solus Amor nec ingenitus, nec genitus [2]. De quo fusius Q. XXXIII. a. 4.

Nota. Ex dictis in hoc articulo vides, quomodo intelligendi sint Patres graeci (v. g. S. Athanasius, S. Basilius, S. Cyrillus Alex., etc.) quando Spiritum S. appellant imaginem seu Verbum Verbi; scilicet ad exprimendam eiusdem cum Verbo consubstantialitatem, sive signaculum per quod in imaginem Filii signamur; nunquam autem Filium Spiritus Sancti patrem appellant. De quo diserte dicetur Q. XXXV, a. 2. [3].

ARTICULUS V.

UTRUM SINT PLURES PROCESSIONES QUAM DUAE.

I. **De ipsa Quaestione.** Quaestio praesens solvi potest per argumenta deprompta sive ex Scriptura, sive ex traditione, sive ex ratione theologica.

1) Primo intuitu argumentum unicum quod habemus ex *Scripturis* videtur esse solum negativum, quatenus nullibi sermo est de alia processione; et sane hoc sufficeret. Sed si penitius sacras Litteras inspicias, apparet argumentum quasi positivum ex ipso modo quo enumerantur procedentes. Etenim formula solemnis in qua Christus divinitatis nomine iubet in se credentes baptizari, nonnisi tres personas distinctas enumerant. Ergo non dantur plures. Atqui si non sunt nisi tres, non habetur nisi processio duplex [4].

[1] *Monolog.* c. 55. — *P. L.* t. CLVIII, col. 202.

[2] Ibid. 56.

[3] Cf. textus ibidem afferendos. — Cf. S. Th. *Opusc. ctr. error. Graecor.*

[4] Eadem via arguere licet ex famoso commate Ioanneo (I. ep. I, 7), de cuius authenticitate infra disseremus.

Propter idem in Christi baptismate ac transfiguratione nonnisi tres convenerunt ad ostendendam SS. Trinitatem. Neque superest locus alii personae in futuro quodam revelationis stadio manifestandae; nam perfectam esse revelationem, nos ipse Christus docuit [1], monueruntque Apostoli [2].

2) *Traditio* pariter *catholica* apertissima apparet ex Symbolis, ex formula baptismi, ex ipso nomine SS. Trinitatis, ex doctrina constanti Patrum contra Gnosticos simul ac Arianos aut Sabellianos. Huc tendunt tot praeclarae confessiones trium personarum in unitate divinae naturae. E graecis Patribus audiatur S. Gregorius Nazianzenus: « Lumen porro hoc dico, quod in Patre et Filio et Spiritu « Sancto consideratur: quorum opulentia naturae identitas « est, atque in eademque splendoris prosultatio.... trium infi« nitorum infinitam coniunctionem: Deum unumquemque si « separatim consideretur: ut Patrem, sic Filium; ut Filium, « sic Spiritum S., servata sua cuique proprietate; Deum « rursus tria haec, si simul cogitentur; illud propter eamdem « essentiam, hoc propter unum principatum. Vix unum animo « concepi, cum statim tribus circumfulgeo. Vix tria distin« guere incipio, cum ad unum statim sublimis feror. Si unum « quidpiam trium menti meae se obiiciat, id totum mihi esse « videtur, atque implentur oculi, maiorque etiam pars ocu« lorum aciem fugit. Huius magnitudinem comprehendere « nequeo, ut si quod reliquum est, plus tribuam. Quod si « rursus tria haec consideratione contraxero, unum splen« dorem cerno, utpote qui lumen mutuum distinguere aut « dimetiri nequeam » [3].

Ex Latinis omnium testis sit S. Ambrosius [4]: « In hunc « ergo unum Deum Patrem omnipotentem credimus, visi« bilium et invisibilium conditorem, cuius iudicia atque con« silia occulta sunt, iniqua autem nunquam. Qui tamen Pater « sine ullo sibi patre Pater est. Et idcirco Filius de hoc ge« nitus, cuius generationem humanus sermo edicere non

[1] « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν). Ioann. xvi, 13.

[2] I. Tim. vi, 20; Apoc. xxii, 18, 19. Cf. de hoc argumento apud theologos passim tractatum de catholica traditione.

[3] Or. 40. n. 5, et 41. *P. G.* t. xxxvi. col. 364 et 417.

[4] *De Trinit.* c. 11. et 18. — *P. L.* t. xvii, col. 550. sqq.

« valet, inferior ab eo esse non potest; quia, ut dictum est, « Verbum, Virtus et Sapientia eius est. Deum ergo Domi- « num fatemur, Deum Filium Dei Patris altissimi, unici « unicum, et cum Patre ac Spiritu Sancto unum Deum esse « confitemur... Credimus et in Spiritum S., cuius maiesta- « tem, potentiam et aequalitatem, quam cum Patre et Filio « possidet, ipso donante, iam superius ostendimus, proce- « dentem ex Patre [1], et communem cum Patre et Filio dei- « tatem, operationem ac substantiam possidentem. Et distin- « guentes personas in proprietatibus suis, deitatem tamen « Sanctae Trinitatis inseparabilem confitemur; quia quod « nominibus et personis dirimimus, hoc potestate et deitate « et unitate iungimus. Ergo vocabulum sanctae Trinitatis « grande mysterium et arcanum est.... Credere ergo nobis « haec, non discutere licet; humiliter quaerere, non superbe « inquirere ».

Quantopere autem in haec verba conspiret universa traditio christiana, sequenti dissertatione disertius ostendemus. Haec fides a Patrum tempore ad aetatem Caroli Magni; et a conditore novi imperii christiani [2] ad nostros usque dies tanquam tessera christianae religionis agnita est [3].

3) *Ratio autem theologica* identidem obtinet. Etenim si plures darentur in Deo processiones, esset vel quia duplex actus intellectus et amoris non unica processione hauritur; vel quia praeter hos actus dantur aliae procedendi viae. Hae autem viae, si quae darentur, essent vel ipsa divina natura, vel praeter intellectum et voluntatem, potentia vel bonitas.

[1] Paulo inferius S. Ambrosius vocat Spiritum S. « qui et Patris et Filii est ». Ibid. c. 12.

[2] Placet heic afferre carmen quo B. Alcuinus noster epistolam nuncupatoriam ad tractatum suum *de fide Trinitatis* claudit:

O Rex augusto clarissime dignus honore,
Et dux et doctor, et decus imperii:
Te Pater atque Patris Proles, te Spiritus almus
Protegat, exaltet, salvet, honoret, amet;
Quem tua per populos, terras, per regna, per urbes
Mens pia permandet semper amare Deum!

[3] Quis in Deum pie sentiens paucis abhinc annis non gavisus est, quando Germanorum Caesar fossam Kielensem in nomine SSm̃ae Trinitatis, navibus aperuit? Utinam et catholici civitatum rectores tam christiane loquerentur!

Iam vero haec omnia excludi debent. Ergo non datur nisi processio duplex. Procedamus per partes ordine inverso.

a) *Potentia* nequit esse principium processionis ad intra distinctum a processione per intellectum et voluntatem. Ad extra utique Deus per potentiam creando operatur. Sed heic agitur de processionibus ad intra. Iam vero ad intra potentia refertur simul ad intellectum possibilia intuentem, et ad voluntatem bonitatem eorumdem diligentem; in quo utroque datur principium operationis ad extra.

b) *Bonitas* pariter habet respectum ad extra, quatenus movet ipsam potentiam movendo divinam operandi voluntatem. Ad intra autem non minus quam ipsa potentia habet, quod ad intellectum et ad operationem referatur. Ad intellectum, quia ipsa essentia divina est bonitas summa; ad voluntatem, quia bonitatis argumentum praebet summae bonitatis amor.

c) Nec dicas, praeter processionem per intellectum et voluntatem dari in Deo, quemadmodum in naturis animalibus, processionem per *naturam* formaliter se communicantem. Rursus - misso quod revera talis in animantibus fiat naturae transmissio, et non potius formaliter per actionem ordinis sensibilis stimulante voluntate vel instinctu - haec sunt processionum ad extra. Ad intra utraque processio Filii et Spiritus est processio ipsius naturae divinae a natura divina; sed, eo modo quo summam naturam spiritualem decet, per vitam scilicet spiritualem, id est intelligendo et amando.

Magis tamen Filius dicitur procedere per modum naturae quam Spiritus Sanctus, propter tres rationes ab Angelico alibi [1] allatas. α) Processio intellectus, quemadmodum processio naturae apud nos nullam aliam praeexigit; processio vero per voluntatem praeexigit processionem per intellectum. - β) Processio intellectus producit simile sibi formaliter, quemadmodum processio per modum naturae; non autem processio per modum voluntatis, nisi ad intra per modum tendentiae in unionem, aut ad extra per modum tendentiae in imitationem formae praeconceptae. - γ) Processio intel-

[1] *De Pot.* Q. x, a. 2. ad 11.

lectus, uti processio naturae, si est ex agente perfecto, est ab uno sicut ab agente; non autem ita processio per amorem.

d) Superest igitur ut plures dicantur processiones per geminam viam intellectus et voluntatis. Hoc autem dupliciter potest intelligi: vel ita ut Pater generet plures filios, proferendo plura verba, et Pater simul cum Filio, sive cum filiis (ex hypothesi), plures spiritus per amorem spiret; vel ita ut Pater generet Filium alterius filii parentem, et ita porro; Pater et Filius Spiritum spirent foecundum alterius sive Filii, sive Spiritus, sive utriusque.

Iam vero α) haec omnia prorsus reiicienda sunt. Et patet a priori ratio. Si per geminam intellectus et voluntatis viam in Deo oriuntur plus quam duo, oportet ut sint infiniti, et quidem actu, imo secundum utramque processionis viam; quod est absurdum.

β) Sed et directius haec hypothesis reiici potest. Et primo quidem α′) repugnat explicatio prior. Verbum quippe Patris est Verbum perfectum, similitudinis infinitae, a prolatione adaequata, comprehensiva procedens. Repugnat ergo alterum verbum Patris dari. Pariter amor Patris et Filii est amor infinitus, perfecte amabilitatem obiecti complectens. Nequit proin alius amor procedens fingi. Nam aut intellectus et amor Dei non sunt vere foecundi, et nulla datur Trinitas proprie dicta; aut foecunditas haec debet esse infinita, totum unico veluti haustu obiectum exhauriens.

Nec β′) minus repugnat explicatio altera. Etenim si daretur in Deo Verbum ex Verbo, aut Spiritus ex Amore, esset ex eo quod propter communicatam eamdem naturam, sicut natura Patris est cum potentia generandi Verbum, ita natura eadem Filii esset cum potentia generandi novum Verbum, uti apud homines datur. Haec autem ratio procedit ab imperfecta intellectione unitatis naturae in personis divinis. Unica est non solum ratione perfectae similitudinis, sed ratione simplicitatis. Natura Patris et natura Filii sunt una natura divina. Atqui in una natura non datur nisi unica actio comprehensiva intellectionis cuius terminus possit esse Verbum. Quare sicuti fingere plura verba a Patre, est ponere verba imperfecta; ita quoque fingere Verbum a Verbo, est ponere plures naturas.

Neque natura divina est res, vel fundus unde Pater educit Filium. Sed ipse Deus vivens per intellectum est Pater et Filius; non quasi Pater esset a natura; sed quia logice Pater prius est natura quam Pater. Consequens est quod natura Patris est natura generantis per intellectum, natura Filii est geniti per intellectum. Et cum perfecta generatio sit quia Filius perfectus, exhausta, ut ita dicam, est foecunditas divini intellectus ad internam generationem. Eodem prorsus modo arguendum de Spiritu Sancto.

II. **Ad Textum.** *1. Obi.* Cf. dicta n. 3) *a*).

2. Obi. Cf. dicta n. 3) *b*).

3. Obi. Cf. dicta n. 3) *c*).

Sed contra est. Cf. auctoritatis argumenta n. 1. 2. 3. allata: Satis sit hic afferre Symb. a S. Athanasio dictum: « Fides « autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, « et Trinitatem in unitate veneremur ».

In Corpore. Syllogismus est simplicissimus. Non dantur processiones nisi secundum actiones ad intra; atqui hae non sunt nisi duae: intelligere scilicet et velle; ergo. Movet autem Angelicus obiectionem. Quid de sentire? - Resp. Recusatur, tum quia est formaliter extra naturam intelligentem; tum quia participat de actionibus ad extra. Recusatur proin quoad subiectum simul et obiectum.

In resp. ad 1m. Sicuti Pater et Filius unicum sunt principium ad spirandum Spiritum S., ita Pater, Filius et Spiritus S. ad producendum ad extra per potentiam. Rursus sicut Spiritus procedit a Patre per Filium, Deus Pater omnia creat per Verbum in Spiritu. - Quare creatio principaliter Patri tribuitur, quemadmodum in Scripturis Spiritus S. a Patre procedere directius dicitur.

Resp. ad 3m. Adverte: quando verbum in nobis novum verbum concipit, id non est ita intelligendum, ac si illud verbum per se esset subiectum novae intellectionis; sed intellectus per verbum ditatus, capacior fit nova verba exprimendi. Unde apparet, hoc ex ipsa imperfectione primi verbi provenire. Quum autem Dei aeternum Verbum omnem essentiam comprehensive exprimat, nullus prorsus novae expressioni locus superesse potest.

De Doctrina S. Anselmi.

Summi est momenti S. Anselmi in praesentis articuli argumentum inquisitio. Utrumque enim modum, de quo in fine I. partis egimus, praeclare excludit.

1) Et primo quidem plura Patrem dicere Verba, ita reiicit: « Cur igitur dubitem, quod supra dimiseram, scilicet, utrum « haec locutio in pluribus verbis an in uno verbo consistat? « Nam si sic est summae naturae consubstantialis, ut non « sint duo, sed unus spiritus; utique, sicut illa summe sim- « plex est, ita et ista. Non igitur constat pluribus verbis, sed « est unum Verbum, per quod facta sunt omnia » [1].

2) Filium vero aut Spiritum S. non uti Patrem dicere, licet eiusdem participes naturae, ac proin intelligentiae sint, subtilius et fusius pertractat, a c. 59. ad c. 65, ubi totam de circumincessione personarum doctrinam exponit; quare ad Q. XLII. disertam huius argumenti tractationem remittimus. Interim quaedam Anselmi principia attulisse sufficiat.

Recurrit S. Doctor ad unitatem eiusdem divinae naturae, quam Filius a Patre, et Spiritus a Patre et Filio participant. « Certissimum autem iam consideratae rationes reddiderunt, « quidquid summae naturae inest essentialiter, id perfecte « convenire Patri et Filio, et eorum Spiritui singulatim; et « tamen idipsum, si simul dicatur de tribus, non admittere « pluralitatem.... Licet igitur unusquisque seipsum, et omnes « invicem dicant, impossibile tamen est in summa essentia « esse verbum aliud praeter illud, de quo iam constat quod « sic nascitur ex eo cuius est Verbum, ut et vera eius dici « possit imago, et vere Filius eius sit.... Restat igitur hoc « solum verbum illius solius esse, de quo nascendo habet « esse, et ad cuius omnimodam similitudinem existit. Unus « ergo Pater, non plures patres; unus Filius, non plures filii, « unus procedens Spiritus, non plures procedentes spiritus « sunt in summa essentia. Qui cum ita tres sint, ut num- « quam Pater sit Filius, aut procedens Spiritus; nec Filius « aliquando sit Pater, aut Spiritus procedens; nec unquam

[1] *Monol.* c. 30, — *P. L.* t. CLVIII, col. 183.

« Spiritus Patris et Filii sit Pater, aut Filius; et singulus « quisque sic sit perfectus ut nullo indigeat; id tamen quod « sunt, sic est unum, ut sicut de singulis pluraliter dici non « potest, ita nec de tribus simul. Et cum pariter unusquisque « seipsum, et omnes invicem se dicant, non tamen sunt ibi « plura verba, sed unum; et ipsum non singulorum, aut « omnium simul, sed unius tantum » [1].

De Doctrina S. Bonaventurae.

Propter eximiam auctoritatem Seraphici Doctoris iuvat ex scriptis eius nonnulla depromere, quae argumentum horum quinque articulorum illustrant. S. Thomam enim et S. Bonaventuram ad invicem conferre, perutile sane studium atque pergratum.

En quomodo, in cap. 2. *Breviloquii,* dogma SS. Trinitatis inducit. « Primo igitur de Trinitate Dei tria sunt con« sideranda, scilicet qualiter unitas substantiae et naturae « simul stet cum pluralitate personarum; secundo, qualiter « cum pluralitate apparitionum; tertio, qualiter cum plura « litate appropriationum ». Praemisso hoc tractationis ordine, cuius apparet gradatio decrescens, iam princeps argumentum summatim comprehendit: « De pluralitate ergo perso« narum in unitate naturae hoc dictat recta fides esse te« nendum, quod in unitate naturae sunt tres personae, sci« licet Pater et Filius et Spiritus S. Quarum prima a nulla « est, secunda est a sola prima per generationem, tertia « vero est a prima et a secunda per spirationem sive pro« cessionem; ita quod Trinitas personarum non excludit ab « essentia divina summam unitatem, simplicitatem, immen« sitatem, aeternitatem, incommutabilitatem, necessitatem et « etiam primitatem; quin potius includit summam foecundi« tatem, caritatem, liberalitatem, aequalitatem, germanita« tem, conformitatem et inseparabilitatem, quae omnia sana « fides intelligit esse in beata Trinitate ».

Posito dogmate, iam ad eiusdem rationem fundamentalem

[1] C. 63, Ibid. col. 288, sqq.

accedit: « Ratio autem huius veritatis haec est, quia fides « cum sit principium cultus Dei, et fundamentum eius quae « secundum pietatem est, doctrinae, dictat de Deo esse sen- « tiendum altissime et piissime. Non autem sentiret altis- « sime, si non crederet, quod Deus posset se summe com- « municare; non sentiret piissime, si crederet, quod posset, « et nollet; et ideo, ut altissime et piissime sentiat, dicit, Deum « se summe communicare, aeternaliter habendo dilectum et « condilectum, ac per hoc Deum unum et trinum ». Cave, ne haec dicta ita urgeas, ac si argumentum instituant cuius ope necessitas SS. Trinitatis a priori per rationis viam demonstrari possit.

Hanc iam altissimam simul ac piissimam doctrinam ex Scripturis, praesertim per mysterium Incarnationis, Seraphicus illustrat, et ex rerum natura, allato testimonio Augustini, corroborat.

In capite autem sequenti penitius in dogma Dei unius ac trini penetrans, mirabile mysterii compendium tradit. Quod caput veluti tessera totius sequentis argumenti, heic non pigeat ex integro praemittere: quippe ad quod deinceps benevolum lectorem non semel referemus. Sinat proin, nonnulla in hac fusiori citatione anticipari, de quibus infra ex professo sermo recurret. Est quippe locus undequaque syntheticus atque fontanus [1].

« Ad istius autem fidei intelligentiam sanam docet doc- « trina sacra, quod in divinis sunt: *a)* duae emanationes, « *b)* tres hypostases, *c)* quatuor relationes, *d)* quinque notiones « et *e)* ex his tantum tres proprietates personales ». Quod per partes, veluti thesim, S. Doctor evolvit.

a) « Ratio autem ad praedictorum intelligentiam haec « est: quia cum primum et summum principium, hoc ipso, « quod primum, sit simplicissimum; hoc ipso, quod sum- « mum, sit perfectissimum; ideo perfectissime se commu- « nicat, quia perfectissimum, et indivisionem omnimodam « servat, hoc ipso quod simplicissimum. Et ideo, salva unitate « naturae, sunt ibi modi emanandi perfecte. *Modi* autem « *emanandi* perfecte sunt *duo* tantum, scilicet per modum

[1] Litterae membris praemissae necnon dictinctio textus a nobis claritatis causa inductae sunt.

« *naturae* et per modum *voluntatis:* primus est generatio, « secundus spiratio sive processio; et ideo hi sunt ibi ». Hucusque de prima affirmatione, *duas* dari *emanationes.*

b) « Et quia duabus emanationibus substantificis necesse « est emanare duas hypostases, necesse est ponere hypostasim primo producentem ab alio non emanare, ne sit in « infinitum abire; et ideo sunt ibi *tres hypostases* ».

c) « Et quia cuilibet emanationi respondet duplex habitudo relativa: ideo sunt ibi *quatuor relationes*, scilicet paternitas, filiatio, spiratio et processio ».

d) « Et quia per has habitudines innotescunt nobis divinae « hypostases, et praeter hoc etiam hypostasis illa, in qua est « prima ratio principiandi, innotescit nobis, quia non producitur, nam hoc est notabilitatis in ipsa: ideo sunt *quinque* « *notiones*, scilicet quatuor notiones praedictae, cum innascibilitate. »

e) « Et quia quaelibet personarum unam habet proprietatem, per quam principaliter innotescit; ideo tantum *tres* « sunt *proprietates personales*, quae his nominibus exprimuntur proprie et principaliter, scilicet Pater et Filius et « Spiritus S. ». Quod iam Seraphicus de singulis personis demonstrat: α) « Cum enim proprium sit Patris esse innascibilem sive ingenitum, esse principium non de principio, et « esse Patrem: innascibilitas notificat ipsum, per modum « negationis, licet ex consequenti per modum positionis, « quia innascibilitas in Patre ponit fontalem plenitudinem; « principium non de principio, per modum positionis cum « negatione; esse Patrem, per modum positionis et habitudinis, proprie, complete et determinate. - β) Similiter cum « Filius sit imago, Verbum et Filius: imago nominat illam « personam, ut similitudinem expressam; Verbum, ut similitudinem expressivam; Filius, ut similitudinem hypostaticam. Rursus imago, ut similitudinem conformem; Verbum, « ut similitudinem intellectualem; Filius, ut similitudinem « connaturalem. - γ) Per hunc modum, cum proprium sit « Spiritus Sancti esse donum, esse nexum seu caritatem « amborum, esse etiam Spiritum Sanctum; donum nominat « ipsum ut datum voluntarium; caritas, sive nexus, ut datum « voluntarium et praecipuum; Spiritus Sanctus, ut datum

« voluntarium, praecipuum et hypostaticum. - Hinc est quod « per haec tria nomina, quae sunt Pater et Filius et Spiritus « Sanctus, trium personarum proprietates personales insi- « nuantur. Haec ergo tenenda sunt ad fidei Trinitatis intel- « ligentiam sanam ». Quanta paucis in his verbis ubertas doctrinae contineatur, ipse tractationis decursus abunde reddet manifestum.

Summam dogmatis a S. Bonaventura accepimus; iam audiamus, quid magis specifice de unoquoque praesentis quaestionis articulo ipse sentiat. Selecti quidam textus argumento breviter faciant satis.

Ad art. Iᵐ. Emanationem dari in divinis, S. Seraphicus suadet ac veluti a priori demonstrat ex bonitate, quae in communicatione sui continetur « Vide igitur et attende, ait [1], « quoniam optimum, quod simpliciter est quo nihil melius « cogitari potest, et hoc tale sic est, quod non potest cogitari « non esse [2], quia omnino melius est esse quam non esse; sic « quod non potest recte cogitari, quin cogitetur unum et tri- « num. Nam bonum dicitur diffusivum sui. Summum igitur « bonum summe diffusivum est sui. Summa autem diffusio non « potest esse, nisi sit actualis et intrinseca, substantialis et « hypostatica, naturalis et voluntaria, liberalis et necessaria, « indeficiens et perfecta. Nisi igitur in summo bono aeter- « naliter esset productio actualis et consubstantialis et hy- « postaticalis aeque nobis, sicut est producens per modum « generationis et spirationis, ita quod sit aeternalis principii « aeternaliter comprincipiantis, ita quod esset dilectus et « condilectus, genitus scilicet et spiratus, hoc est Pater et « Filius et Spiritus Sanctus: nequaquam esset summum bo- « num, quia non summe se diffunderet ». Et pergit ostendendo, quomodo diffusio ex tempore in creatura deficiat ab illa diffusione perfecta quae involvit aeternam communicationem per naturam et voluntatem, ad modum verbi et doni, unius eiusdemque naturae divinae singulos pervadentis.

Et alibi S. Doctor ad idem principium recurrit: « Gene- « ratio ponenda est in divinis. Huius ratio potissima est, ut

[1] *Itiner. ment.* c. VI n. 1.

[2] Observa applicationem argumenti anselmiani.

« credo, quia omnis natura, est communicabilis; et quia in « Deo propter sui nobilitatem est aptitudo actui coniuncta, « imo ipse actus: oportet quod natura sit pluribus commu- « nicata; sed non possunt esse plures ab una natura, quin « unus sit ab alio, vel ambo a tertio; ergo cum ante divinas « personas nihil sit, oportet quod una sit ab alia; et quoniam « sunt conformes in natura, et generatio est emanatio secun- « dum conformitatem naturae, ideo, credo, quod necesse est « in divinis ponere generationem ». [1]

Discrimen inter emanationes creaturarum et processionum divinarum brevi sententia comprehendit: « Differt ema- « natio in his inferioribus et in Deo, quia in his inferioribus « terminatur ad essentiam, vel substantiam, quae multipli- « catur; in divinis terminatur ad hypostases » [2].

Ad art. 2m. His penultimis verbis iam expressa continetur formalis ratio generationis; quam rationem ibidem S. Bonaventura egregie illustrat. En summam huius longioris argumenti. Praemissa definitione lata generationis: « similem sibi « in substantia et natura producere », tres in generatione gradus distinguit: 1) « aut per impressionem suae similitu- « dinis in alio, et sic generatur character a sigillo, lumen a « luminoso, species ab obiecto; 2) alio modo per eductionem « speciei consimilis ab alio, et sic generatur elementum ab « elemento; 3) tertio modo per productionem similis de simili, « sive de seipso, et sic generatur animatum ab animato; et « iste tertius modus est perfectior. Unde non reperitur nisi « in substantiis habentibus formam nobilem, quae est vita. « Et iste modus generationis est secundum nascentiam, et « est in Deo et creaturis, sed differenter ».

Quod discrimen sequenti modo evolvit. « Producere ali- « quem ex seipso, potest esse dupliciter: vel ex se toto, vel « ex parte sui ». Ex se toto requirit, in pluribus esse substantiam unam eamdem totam; quod nequit convenire nisi illi, cuius substantia est undequaque simplex: Deo. Ex parte sui, - qui modus in generatione humana habetur, - non potest

[1] I. Dist. IX. a. 1, q. 1. Has rationes cum moderamine, posita revelatione, valere ex sequentibus magis apparebit. Cf. Q. XXXII.

[2] Ibid. q. 2. ad 3.

esse sine mutatione, sine corruptione, cum conversione seu reparatione adiuncta; quare talis generatio, utpote perfectio imperfectione admixta, Deo convenire nequit. Est proin generatio divina *ex se toto* [1].

Haec generatio est aeterna. Quod sic illustrat: « Generatio Filii est aeterna tum ratione generantis, tum ratione geniti. Ratione generantis, propter summam et perfectam foecunditatem; ratione generantis propter summam et perfectam aequalitatem; quorum utraque conditio tollit, ne Filius sit posterius Patri.... Alia ratio est propter summam in utroque actualitatem, in qua non distat actus a potentia, nec posse antecedit esse » [2].

Haec rursus generatio facit realiter distinctos, quantum ad personas, non autem quoad naturam, ita ut simul repellantur Sabellius et Arius: « Generatio in divinis facit realem distinctionem inter generantem et generatum, non rationalem vel intellectualem solum, sicut dixit Sabellius, sed realem, quantum ad personas, non quantum ad essentiam, sicut dicit Arius ». Sed hoc melius quaestioni sequenti evolvendum reservatur [3].

Ad art. 3m. Processionem per amorem, quae sit quasi principium cuiusvis divinae liberalitatis, S. Bonaventura hoc modo necessariam demonstrat: « Necesse est aliquam personam in divinis procedere per modum liberalitatis, et illam dicimus Spiritum Sanctum. Hanc autem necesse est procedere per modum amoris, quia si ponatur in divinis emanatio per modum voluntatis, necesse est, quod inter omnes sit prima et nobilissima; emanatio autem per modum amoris est huiusmodi, quod patet, si respiciamus in anima. Affectio enim amoris est prima inter omnes affectiones, et radix omnium aliarum, sicut dicit Augustinus in pluribus locis » [4].

Quomodo autem per modum voluntatis Spiritus Sanctus

[1] Ibid. a. 1, q. 1.
[2] Ibid. q. 3.
[3] Ibid. q. 2.
[4] I. Dist. x, a. 1, q. 2.

procedat, subtiliter inquirit. Quam inquisitionem longiorem accipe graphice contractam [1].

- **Voluntas potest considerari**
  - I) *respectu voliti in ratione approbantis et diligentis:* sive sit necessarium, contingens; creatum vel increatum; ab alio vel non ab alio. — Hac voluntate Deus vult esse Deus.
  - II) *in ratione producentis:*
    - 1) prout est *principium distinctum* contra naturam:
      - *a) accedens*, de nolente volens: — repugnat in Deo respectu tum sui, tum alterius;
      - *b) antecedens:* — datur in Deo, non respectu sui, sed respectu creaturarum;
    - 2) prout est principium *coniunctum* naturae:
      - *a)* natura principaliter producens, voluntate concomitante: — ita Filius a Patre per modum naturae ut dilectus;
      - *b) voluntas principaliter*, communicante natura: — ita Spiritus a Patre et Filio, condilectus in similitudine eiusdem naturae.

Ad art. 4m. De ratione discriminis inter primam alteramve processionem non uno loco discurrit Seraphicus.

In I. Dist. XIII, a. 1, q. III. primo negat rationem huius distinctionis sine circulatione ostendi posse, sive a parte terminorum, sive a parte principiorum. Quo excluso eam reperit considerando utramque emanationem quantum ad esse et quantum ad distingui: « Si quantum *ad esse*, sic habent « rationem essendi a suis perfectis principiis et foecundis. « Quia enim in Deo est perfectissima natura, et natura vera, « ideo perfecta et vera foecunditas in hypostasi, quae habet « rationem principii. Et quia vera et perfecta et propria est « foecunditas naturae; ideo veram et propriam habet ema-

[1] I. Dist. VI, a. 1, q. 2.

« nationem; et haec est generatio. Similiter intelligendum « est de spiratione quantum ad voluntatem. Unde ratio, quare « huiusmodi vere sint in Deo, est vera foecunditas naturae « et voluntatis ».

« Si autem loquamur quantum *ad differre*, dicendum quod « seipsis differunt, sicut ostensum est, quia omnis distinctio « in divinis venit a modis originis et relationis. Unde sicut « duae differentiae seipsis differunt, ut rationale et irratio- « nale; similiter in divinis hae duae emanationes. Et sicut « differentiae differentiarum innotescunt nobis per alias dif- « ferentias quae ab illis oriuntur; sic et in divinis: quia enim « seipsis distinguuntur generatio et spiratio, ad eos conse- « quitur secundum rationem intelligendi differentia duplex. « Una, quia generatio est ab uno, sed spiratio a duobus. Quia « enim generatio est emanatio per modum perfectae assimila- « tionis, ideo ad unum principium respicit. Quia vero spiratio « est emanatio per modum connexionis, ideo est a duobus. - « Alia differentia est in comparatione ad nos. Quia enim Spi- « ritus Sanctus spiratur ut nectens, et ita in alterum tendens; « ideo Spiritus Sanctus procedit ut donabilis. Filius vero ge- « neratur, et generatio non respicit tertium ». Quomodo haec duplex ratio se habeat ad rationes superius vindicatas ac ponderatas, nemo non videt.

Commendanda valde consideratio immediate sequens de concomitantia utriusque emanationis. « Per has differen- « tias necessario elicitur harum emanationum concomitan- « tia, quia spiratio dat praeintelligere generationem; non « enim nectuntur nisi distincti et similes, et ita illi, quorum « unus est ab alio per generationem. Similiter generatio « dat consequenter intelligere spirationem; necesse est enim « distinctos et omnino similes per deliciosum amorem con- « iungi ».

In fine duas explicationes, alteram inanem, imprudentem alteram reiicit: « Aliqui tamen voluerunt assignare alias dif- « ferentias, et quidem per vim spirativam et generativam « differre; sed haec differentia declarat ignotum per ignotius. « Alii etiam dixerunt quod Filius procedit per modum esse, « Spiritus Sanctus per modum bene esse; sed haec verba « non sunt sana, nec tali materiae convenientia ».

Alibi [1] modo aliquantulum diverso ostendit, cur Spiritus Sanctus Filius dici nequeat. Convenit quidem processio seu spiratio cum generatione in generico conceptu « productionis « substantiae ». Sed aliud est producere substantiam secundum voluntatem: v. gr., creatio Adami; aliud producere substantiam similem praeter naturam: v. gr., effectio Evae de Adamo; aliud producere substantiam similem per modum naturae, uti generatio Abel. In natura creata non est potentia nisi ad hunc tertium modum; in Deo autem potentia ad singulos. Quare licet Spiritus Sanctus per emanationem habeat similem eamdem Filii et Patris naturam, emanatio eius non est generatio, quia ad veram generationis notionem requiritur ut sit « per modum foecunditatis naturae ».

Observa quomodo S. Bonaventura processionem per modum *naturae* passim denominet processionem, quam S. Thomas appellat per modum *intellectus*. Angelici locutio magis placet.

Ad art. 5m. Nullam dari in Deo aliam processionem praeter generationem et spirationem, nec proin plus quam tres dici posse personas, ingeniose per rationes necessitatis et congruentiae Seraphicus manifestat.

« Sicut fides catholica dicit, ponere est tantum tres per« sonas, non plures, non pauciores; et ad hoc sumitur ratio « necessitatis et congruitatis ». Primam triplici via, gemina alteram illustrat.

1) « *Ratio necessitatis*, quare non possunt esse pauciores « quam tres [2], *a*) est summa beatitudo, et summa perfectio: « α) Nam summa *beatitudo* exigit dilectionem et condilectio« nem; β) summa *perfectio* duplicem emanationem, scilicet « naturae et liberalitatis: et ad hoc, ad minus exiguntur tres « personae. *b*) Item ratio necessitatis, quare non possunt esse « plures, est summa *simplicitas*, quae non patitur personas « distingui, nisi secundum modos emanandi. *c*) Et iterum « principalis *foecunditas*, quae non permittit personam pro« ducere aliquo genere emanationis, nisi secundum rationem « intelligendi sit prior illo. Unde prima persona, quae est

[1] I. Dist. XIII, art. 1, q. 2.

[2] Litteras distinctivas claritatis causa textui huic etiam inserere liceat.

« innascibilis et inspirabilis, generat et spirat. Secunda vero « persona, quia inspirabilis, sed genita, non generat, sed spi- « rat. Tertia persona, quia spiratur, et procedit a generante, « nec generat, nec spirat. Et ideo impossibile est, esse plures « personas quam tres ».

2) « *Ratio congruitatis* sumitur ex sufficientia combina- « tionum... et ex perfectione numeri ternarii ». Prius per duas, alterum per tres considerationes evolvit. « *a*) *Ex sufficientia* « *combinationum.* α) quia cum *amor* sit in omnibus personis..., « et non sit nisi triplex amor, videlicet gratuitus, et debitus, « et ex utroque permixtus, tantum erunt tres personae; una, « quae tantum dat, in qua est amor gratuitus; alia, quae « tantum accipit, in qua est amor debitus; et media, quae « dat et accipit, in qua est amor permixtus ex utroque [1]. - « β) Item alio modo possunt combinari *secundum rationem* « *originis;* et huiusmodi combinationis sufficientia in tribus « consistit. Nam contingit intelligere personam, quae est prin- « cipium personae, et non est principiatum; et rursus per- « sonam, quae est principiatum et non principium perso- « nae; et tertio modo personam, quae est principiatum et « principium. Quartus autem modus, quod nec sit principium, « nec principiatum, est omnino impossibilis, nec intelligi- « bilis » [2]. Haec ingeniosa certo; utrum autem aeque solida, non sine iure dubitaveris.

b) Rationem congruitatis *a parte numeri* S. Bonaventura sub triplici aspectu considerat, ostendendo scilicet perfectionem numeri ternarii: α) in se, β) in quantitate continua, γ) in natura. Lege subtilissima quae ibidem S. Doctor habet, et a quibus ex integro afferendis nonnisi ob amorem brevitatis abstinemus.

Alibi S. Bonaventura eamdem sufficientiam per infinitum utriusque processionis actum corroborat: « Ad illud quod « obiicitur, si est ponere tertiam personam ob communica- « tionem, pari ratione et quartam, dicendum quod omnis « ratio et natura concordat, quod non fiat per plures quod « potest sufficientissime fieri per unum, alioquin esset ibi

[1] Haec est ipsissima doctrina Richardi Victorini, ad quem Seraphicus remittit. *De Trin.* l. III, c. 19 et 20.

[2] I, Dist. II, a. 1, q. 4.

« superfluum. Si ergo mutua dilectio non potest esse minus « quam ad unum, et communicatio illius mutuae non minus « quam ad unum, et in uno est mutua dilectio, et in altero « mutuae dilectionis communicatio perfectissime, *cum utrum-* « *que accipiat totum infinite;* patet quod non est ultra pro- « cedere, sed ibi est stare. Unde ipsa eadem ratio, quae ponit « personarum pluralitatem, aufert infinitatem, et ponit Tri- « nitatem » [1].

Superest solvenda ratio subtilior inde petita, quod Pater una cum perfecta natura Filio videtur communicare ipsam foecunditatem, ut et ipse generare possit, haud secus ac Pater.

Reponit S. Bonaventura, Patrem talem foecunditatem nec posse dare Filio, nec debere. 1) *Non potest* quidem, quia praecise per hanc foecunditatem ipse est principium, et non potest hoc ipsum dare Filio, quo constituitur ipse in sua notionali proprietate. - 2) *Non debet*, tum propter originalem distinctionem, tum propter plenissimam communicationem. *a*) Non propter prius, quia personae divinae non distinguuntur per materiam, sed per originem; unde si Filius esset et ipse generans, non amplius distingueretur a Patre, saltem non distingueretur Filius generans, a secundo Filio pariter foecundo. - *b*) Non propter alterum, nam communicatio per emanationem in divinis non est, sicuti in creatis, imperfecta et proin multiplicanda, sed perfectissima ac ideo singularis in propria ratione [2].

Ex locis citatis apparere putamus, quod, si mira ingenii subtilitas ac mystica unctio Seraphicum condecorant, discreta sobrietate, lucidaque soliditate eminet Angelicus.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Processionem dari in divinis veram, non ad extra sed ad intra, constat ex diserto modo loquendi Scripturae, et potest ex ipsa processione interna mentis nostrae efficaciter illustrari. Quemadmodum enim mens nostra non intelligit sine conceptione verbi, ita, sed eminentiori modo, Deus seipsum intelligens, concipit Verbum.

2) Quae Verbi conceptio generatio est propriissime dicta,

[1] I, Dist. x, a. 1, q. I, art. 4.

[2] Vide ipsum textum I. Dist. VII. a. 1. q. 2.

imo sola ex omnibus generationibus perfectissima. Dicit enim originem viventis a principio vivente coniuncto non solum in similitudinem eiusdem specie, sed eiusdem numero naturae. Unde Verbum est vere Filius.

3) Porro, si datur in Deo processio vera per intellectum, oportet ut altera detur - de qua et Scripturae aperte testantur - scilicet per voluntatem seu amorem. Utrimque enim eaedem rationes militant, quum perfecta adsit inter utramque facultatem, sive naturae activitatem, harmonia.

4) Haec autem altera processio non est proprie generatio nuncupanda, unde numquam tali nomine in Scripturis decoratur. Licet enim procedens per amorem sit undequaque similis principio, nihilominus non procedit formaliter secundum rationem similitudinis, sed secundum rationem impellentis. Unde terminus huius processionis non vocatur Filius, sed Spiritus; ipsaque processio spiratio.

5) Praeter hanc geminam processionis viam nulla altera datur, quum ex una parte intellectus et voluntas totam activitatem internam complectantur, et ex alterâ processio utraque sit perfectissima. Secus, nisi sufficerent hae duae, procedendum esset in infinitum. Id aperte significat Scriptura, ubi nonnisi tres in Deo personas nominat; aperteque exprimit ipsum vocabulum Trinitatis.

Mysterium unius in Trinitate deitatis, qualiter in sua fundamentali notione ex hac absoluta quaestione apparet, egregie declarat Cl. Auctor *Studii Solesmensis:* « Mysterium « necessarium et aeternum et universale, quod nec unquam « incepit, tanquam initium quoddam sui temporale habens, « nec unquam cessabit, tanquam terminum et complemen- « tum sui obtinens; ex quo viventi et realissimo fonte est « omnis creatura; in quo vivit, et movetur, et est; in quem « redit et tendit; sacrarium increatum in quo sumus et nos « ipsi, dum vivimus, dum loquimur;... augustissimum et pro- « fundissimum.... inter omnia mysteria, cardo totius religio- « nis, fundamentum ipsius mysterii Incarnationis, quod non « potest intelligi, nisi praesupposita et praeintellecta Trini- « tatis ipsius ratione » [1].

[1] *De Deo Trino secundum personas.* — Theol. dogm. I. II p. 9.

Porro antequam penitiorem huius mysterii investigationem aggrediamur, iuvat *factum* revelationis eiusdem dogmatis firmius stabilire. Quod dissertatione sequenti praestabimus, in qua inquiremus: 1) doctrinam de SS. Trinitate in Veteri Testamento; 2) docrinam SS. Trinitatis in Novo Testamento; 3) primaevam Ecclesiae de eadem doctrina traditionem.

DISSERTATIO EXEGETICO-HISTORICA

DE

REVELATIONE MYSTERII SS. TRINITATIS

CAPUT I.

DE DOCTRINA SS. TRINITATIS IN VETERI TESTAMENTO.

Quum mysterium SS. Trinitatis in praedicatione Dei Unius simul ac Trini consistat, antequam in Veteri Lege personarum divinarum vestigia perscrutemur, juvat, praeter iam in praecedenti tractatu exposita, in eadem Lege naturae divinae unitatem diserte praedicatam inquirere. Imo quo magis Trinitas sub littera Legis quasi translucescit, eo firmius unus Deus affirmetur oportet. Trinitas enim, nedum unitatem infirmet, eamdem potius, utpote melius cognitam, illustrat atque corroborat. « Temperatio enim omnimodae unitatis et singu-« laritatis naturae divinae » - ait egregie Card. Franzelin [1] - « non profectus esset, sed revelatae veritatis negatio. Neque « enim affirmando tantummodo unus Deus dicitur, quod « quidem et ipsum abunde satis esset; sed etiam negatione « et exclusione repetitur, praeter unum Deum patriarchis, « Moysi, prophetis, populo Israël revelatum non esse alium « Deum, ipsum solum esse Deum ».

Et re quidem vera in hac solemni unius, solius Dei praedicatione lex fundamentalis Iudaïci populi consistit. « Audi « Israël, Dominus Deus noster Dominus (יהוה) unus est....

[1] Op. cit. th. 1, p. 5.

« Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies, ac per « nomen illius iurabis » [1]. Hic cultus verus falso multiplici gentium cultui opponitur: « Videte, ait Deus, imo iure iu- « rando testatur, videte quod ego sim solus, et non sit alius « Deus (אֱלֹהִים) [2] praeter me ».

Quemadmodum in Nova Lege Christus portenta a se patrata in fidem suae divinitatis dirigit, ita in Lege Veteri Iehovah mirabilia operatur, populoque sub theophaniarum velamine manifestat ut sciret « quod Dominus ipse sit Deus (יְהוָה הוּא הָאֱלֹהִים) [3], et non sit alius ».

Formula inde: « non alius Deus praeter Dominum, non « est alius praeter me, » aut « quis est alius,... etc.... » tam frequenter in Scripturis occurrit, ut quasi tessera iudaici cultus exstitisse videatur [4].

Inquiramus igitur, utrum in Veteri Testamento simul cum tam arcta ac solemni monotheismi contra polytheismum praedicatione, distinctionis personarum in hac una divinitate mentio occurrat. Circa quod contendimus duo: 1) rem ita se habere debuisse; 2) de facto se ita habuisse. Sit igitur duplex probanda conclusio.

I. CONCLUSIO.

Mysterium trium in uno Deo personarum non potuit in Antiquo Testamento non sub aliquo saltem velamine contineri.

1) Ratio sequenti argumento *a priori* apparet. Tam intimo gemina testamenta inter se nexu colligantur, ut prius ordinetur ad alterum, et ambo non nisi unam religionem efforment, quae in Testamento Novo suam simul perfectionem

[1] Deut. iv, 4 sqq. Hanc legem Christus vocat atque sacrat « primum mandatum », rationem eius reddens: « quia unus est Deus et non est alius praeter eum » (Mc. xii, 29, 34).

Deut. xxxii, 39, sqq. — Cf. Jo. xvii, 3; — Eph. iv, 3, 6.

Deut. iv, 39; cf. 35. — Cf. I. Cor. viii, 4, 5; ita frequenter in prophetis et in psalmis, v. gr. Is. xlv, 5, 6 sq., etc.

[4] Cf. II Reg. xxii, 32; — Tob. xiii, 4; — Iudith ix, 19; — Ps. xvii, 32; — Eccli., xxxiv, 5; — Is. xlvii, 8, 10.

ac plenitudinem obtinuit. Iam vero ex una parte Mysterium SS. Trinitatis est cardo religionis revelatae, ipsiusque Incarnationis quasi fundamentum; ex altera parte sapientis est, quae ad invicem ordinantur, sine saltu gradatim et harmonice disponere. Ergo iam in Veteri Lege doctrina Trinitatis, licet minus aperte ac veluti sub velamine, a Deo revelata contineri debuit.

Breviter ac per partes hoc argumentum evolvere iuvat.

Non defuerunt quidem, uti Gnostici ac Marcionitae, qui nexum inter utramque Legem negarent; ast illi contra se habent Legem ipsam, diserta scilicet Legislatoris utriusque testimonia. Moyses enim morti proximus, venturum alterum Prophetam sui similem, a populo audiendum, praedixit. Christus pariter ad testimonium Moysis de se prophetantis appellavit [1].

Quem gradationis nexum S. Ioannes diserte proclamat his verbis: « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per « Iesum Christum facta est » [2]. Et Paulus testatur: « Lex pae- « dagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur » [3]; et in exordio epistolae ad Hebraeos: « Multifariam multisque « modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime, « diebus istis locutus est nobis in Filio » [4].

Nec satis. Hic nexus intimus probatur per ipsam rationem figurativam et propheticam quae erat veluti anima antiquae Legis iuxta tritum effatum S. Pauli: « Omnia in figuris contingebant illis » [5]. Inde ab ipso paradiso tot futuri regni messianici signa: Adam forma futuri; Eva mater viventium, figura Ecclesiae; quin et ante lapsum, modus quo mulier de viro formatur, mystice Ecclesiam e latere Christi orituram designat. Inde per saeculorum decursum gentis humanae historia typicum induit quasi vestimentum, uti diluvium, liberatio populi iudaïci, eiusque per desertum diuturna peregrinatio. David, Salomon, Iudith; quotquot prae aliis eminent, quasi plenitudinem temporum de longe conspexisse

[1] Deut. xviii, 18, 59. — Joann. v, 46.
[2] I, 17.
[3] Gal. iii, 24.
[4] I. 1, 2.
[5] I. Cor. x, 11.

sparsosque futurae lucis radios praesagio hausisse videntur. Quid iam de Messiae expectatione manifesta? quid de prophetis Christum quasi coram contuentibus? Nexum hunc arctissimum inter utrumque Testamentum ac simul excellentiam Legis Novae eloquenter affirmat S. Ignatius Antiochenus in epistola sua ad Romanos [1].

Inde nihil catholicae liturgiae antiquius est, quam eumdem nexum publicis ritibus et orandi formulis praedicare atque illustrare. Etenim non solum Ecclesia utitur psalmis sub Veteri Lege confectis, integramque Scripturam Antiqui Testamenti ad aedificationem adhibet, sed et expresse per figuras veteres nova christianae revelationis facta oraculave illustrat. Ut exemplum recentissimum afferam, in iubilari pompa aperitionis Portae Sanctae, Pontifex dum malleo auferendam ianuam triplici ictu percutit, davidicos versiculos profert, dumque ablatis caementis oratione solemni symbolum huius ritus manifestat, mosaici iubilaei institutum recordatur. Nec Legis modo sed et primaevae religionis facta usque ad originem mundi cum Ecclesia Christi colligari, liturgia saepius proclamat. Exemplo sit illa oratio Missae, in qua sacrificia Abel, Abrahae et Melchisedech tanquam praeludia immolationis Christi enumerantur.

Atqui pariter constat dogma SS. Trinitatis cardinem esse Novi Testamenti. « Haec est vita aeterna », ait Christus sub vespere passionis, « ut cognoscant te solum Deum verum, et « quem misisti Iesum Christum » [2]. Et a morte redivivus: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum « Sanctum » [3]. « Euntes ergo docete omnes gentes; baptizan- « tes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » [4]. Porro, si tam principalem locum SS. Trinitas in Novae Legis revelatione obtinet, nihil huius fundamentalis dogmatis in Veteri Lege participatum fuisse, a priori repugnat. Quomodo enim Vetus Testamentum ad Novum mentes rite ordinare potuisset, rupta hac fundamentali inter utrumque harmonia? Sapientia quippe illa quae « attingit a fine usque ad finem

[1] C. 9. *P. L.* t. v. col. 704, seq.
[2] Ioann. xvii, 3.
[3] Ib. xx, 21 sq.
[4] Matth. xxviii, 19.

fortiter, et disponit omnia suaviter » [1], non hoc dogma summum gradatim per saecula pro temporum opportunitate sub velamine manifestare curasset? Absit.

Etenim quam Apostoli gradationis legem in doctrina servandam affirmant [2], quamque Christus se erga eosdem tenuisse testatur [3], ipse sane Spiritus Sanctus, saeculorum gyrum aeterna acie contuens in praeordinatione consummandae revelationis apprime servaverit. Ad rem Petavius: « Uti « sol exortu suo lucem terris afferens, non eo ipso quo oritur « puncto, plenum ac perfectum efficit diem, sed quibusdam « illuminandi gradibus et incrementis attollitur: sic Dei divi- « narumque rerum cognitio non se tota repente humanis « permisit ingeniis, sed paulatim pro captu temporum expli- « cata, novis accessionibus pervenit ad summum [4] ». Fuit igitur aliqua in V. Testamento praelucens Trinitatis adumbratio; temperata tamen ne fulgore nimio obesset magis quam prodesset. Cuius oeconomiae rationem duplici adducta comparatione ex oculi stomachive debilitate, eleganter subministrat S. Gregorius Nazianzenus: « Non erat tutum Patris « divinitate nondum confessa, Filium aperte praedicari, nec « Filii divinitate nondum admissa Spiritum Sanctum, velut « graviorem quamdam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis « ingeri, ne alioqui, velut cibis ultra gravati, ac solis radiis « hebetes oculos adiicientes, iis quoque, quibus praediti era- « mus, virtutibus periclitaremur » [5]. Eleganter sane; sed si quae de Spiritu S. habet, absolute dicta sumantur, ultra scopum et rigorem veritatis.

Crescit huius argumenti vis, si prae mente habeatur eximia sanctitas qua sub antiqua etiam Lege maioris quidam excellentiae viri sive mulieres praediti fuisse cernuntur. Imo

[1] Sap. c. viii, 1.

[2] « Et ego fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. « Tanquam parvulis in Christo, (in graeco textu haec verba coniunguntur sententiae « praecedenti, quod et insinuat latina versuum distributio) lac vobis potum dedi non « escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales « estis ». I. Cor. II, 1, 2; cf. xv, 46. — « Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine « dolo lac concupiscite: ut in eo crescatis in salutem » I. Petr. ii, 2.

[3] « Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem « venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem ». Ioann. xvi, 12, sq.

[4] *De Trinitate*, l. ii, cap 7.

[5] Or. 37.

inde novum quasi argumentum, priori proximum exsurgit, hoc modo. Sicuti sub Lege veteri beatitudinis finis non erat diversus a beatitudine sub Lege Nova, supernaturalis scilicet ipsa Dei beatifica visio; ita quoque sanctitas praesentis stadii ad eum finem conducens non eiusdem generis esse non potest. Iam vero, uti egregie animadvertit laudatus Auctor *Studii Solesmensis*, apud omnes rei asceticae peritos constat, ad sanctitatem cum Deo unitivam maxime conferre non solum notionem sed et cultum intimum SS. Trinitatis, cuius in se imaginem virtute excolendam anima gerit. Ergo vix admittendum videtur, summos illius antiquae Legis sanctos, Abraham, dico, Melchisedech, Moysen, David, Eliam, Isaiam, Danielem, Simeonem, aliosque, sine cognitione saltem aliquali Dei unius ac trini ad apicem perfectionis pervenire potuisse [1].

2) Hucusque necessariam sub antiquo Testamento aliqualem Trinitatis cognitionem *a priori* demonstravimus. Iam *a posteriori* nostra thesis validissime corroboratur per modum ipsum, quo Iudaei revelationem magis apertam huius dogmatis exceperunt. Pone illos de divina filiatione nihil prorsus suspicatos: nonne audito Christo semetipsum verum Patris Filium proclamante protestati fuissent, non solum quoad factum Incarnationis, sed quoad ipsam distinctionem hypostaticam in Deo per illud inductam? Nonne B. Virgo Maria, S. Ioannes Baptista, Apostoli, turbae, primum de filio Dei audientes reponere debuissent: Deum colimus unum, praeter quem alius est nullus; quomodo igitur Deus ille unus Filium habere potest? Iam vero nihil huiusmodi obiectum est unquam. Maria quidem siscitatur, at de servanda virginitate [2]; - Ioannes, Spiritu Sancto edoctus, ostendit Filium Dei [3]; - Natanaël eumdem profitetur [4]; - Petrus solemni oraculo, Patre revelante, divinam Christi originem proclamat [5]; - turbae originem humanam, utpote filiationi divinae oppositam, Christo

[1] Op. cit. p. 15.
[2] « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » Luc. I, 34.
[3] « Et ego vidi : et testimonium perhibeo, quia hic est Filius Dei ». Ioann. I, 34.
[4] « Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël ». Ibid. 49.
[5] « Tu es Christus, Filius Dei vivi ». Matt. XVI, 16.

exprobant [1]: quippe ab omnibus Messias expectabatur, Dei Filius, vatum oraculis, davidicisque psalmis manifeste promissus.

Cave tamen, ne ultra limites vim huius conclusionis urgeas: fides haec in Messiae futuri divinitatem non erat omni velamine expedita. Imo quum nube quadam obtegeretur, citius, iam scilicet in ipsa aetate apostolica Cerinthus ac Gnostici propriam Christi divinitatem impugnare potuerunt [2].

II CONCLUSIO.

Doctrina SS. Trinitatis re vera iam sub Antiquo Testamento plus minusve adumbrata apparet.

Ordo in evolvenda hac altera conclusione erit sequens 1) afferemus auctoritates in quibus solum *aliqualis pluralitas* in divina natura insinuatur; 2) locos in quibus *trilogia* personarum velato saltem sermone subindicatur; 3) textus qui disertius *de Filio Dei* agunt; 4) illos qui specialius *de Spiritu Sancto;* 5) demum theophanias sive testimonia realia adducemus.

1) E locis primae speciei notissimus est textus Geneseos: « Ait Deus (אֱלֹהִים): *faciamus* hominem ad imaginem « et similitudinem *nostram* בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ. » Et sequitur: « Et creavit Deus hominem ad imaginem *suam* בְּצַלְמוֹ » [3]. Ex quo loco, si verba uti iacent sine ullo praeiudicio considerantur, saltem insinuatur, in Deo uno, creatore, dari plures personas, ita ut in Deo colloquium internum unius cum al-

[1] « Quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum » Et pergit Christus affirmans solemnius divinam suam filiationem, atque de Patre suo loquens, quin Iudaei contra hanc Patris appellationem ex ipsa Dei sui singularitate protestentur. Ioann. x, 33, sqq.

[2] Hoc tamen interest quod Cerinthus ex Christianis iudaizantibus discipulos habuerit, — negabat autem divinitatem Iesu, cui in baptismate Christus se univit, eum in morte rursus derelicturus. — Gnostici vero iuxta probabiliorem sententiam (Cf. Irenaeum, Philosophumena, Tertullianum) ab hellenistica, maxime platonica schola principia derivarunt. De Gnosticis in tertio capite huius dissertationis ex professo sermo recurret.

[3] I, 26, 27.

tero habeatur. Imo insinuatur, ex his personis unam dari, quae rationem specialem imaginis prae se ferat, unde sit archetypus creaturae, maxime intelligentis.

Haec interpretatio non nostra modo, sed et Patrum est, imo teste Epiphanio « communis fidelium omnium sensus a « veritate profectus » [1]. Et sane: « Neque frustra non est dic- « tum », ait Augustinus, « faciamus hominem ad imaginem « tuam, tanquam Pater Filio loqueretur; aut ad imaginem « meam, sed dictum est: ad imaginem *nostram*. Quod ex « persona ipsius Trinitatis rectissime accipitur » [2]. Eodem modo ex hoc loco contra Arianos arguit Faustinus, presbyter romanus, ostendens Christum esse verum Deum utpote creatoris Dei consortem, eiusque propriam ac singularem imaginem [3].

Pulcherrime B. Alcuinus noster: « Una est Patris, et Filii « et Spiritus Sancti essentia. In qua non est aliud Pater, « aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus; quamvis personaliter « sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Quod « nobis maxime in ipso sanctarum Scripturarum demonstra- « tur initio: " Faciamus hominem ad imaginem et similitu- « dinem nostram ". Cum enim singulari numero dixit *ima- « ginem*, ostendit, unam naturam esse, ad cuius imaginem « homo fieret; cum dicit pluraliter *nostram*, ostendit, Deum, « ad cuius imaginem homo fiebat, non unam esse personam. « Si enim illa una essentia Patris et Filii et Spiritus Sancti « una esset persona, non diceretur ad imaginem *nostram*, « sed ad imaginem meam; nec dixisset: *faciamus*, sed *faciam*. « Si vero in illis tribus personis tres essent intelligendae,

[1] *Haeres.* XXIII, n. 5. Placet hunc locum adducere integrum: « Etenim Deus « Pater hominem, cum caeteris omnibus, suopte nutu ac voluntate procreavit, non « angeli, neque ex angelorum consilio (agit nempe contra Saturnilianos). Nam cum « Deus ita locutus est: " Faciamus hominem ", ad imaginem nostram dixit, non ad « imaginem duntaxat. Quippe ad huius opificii communionem Verbum suum, eumque « Filium unicum adhibebat, estque communis iste fidelium omnium sensus a veri- « tate profectus, qua cum accuratissime convenit; id quod aliis compluribus locis « manifeste et prolixe sumus professi, nimirum Filium a patre communiter ad pro- « creandum hominem vocari, per quem Filium reliqua omnia produxerit. Sed neque « Filium dumtaxat vocari dixerim, imo vero sanctum etiam Spiritum ». Verbo enim Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum ». *P. G.* t. XLI, col. 304.

[2] *Ctr. Serm. Arian.*, c. 16.

[3] *De Trinit.*, n. 5-7.

« vel credendae substantiae, non diceretur: ad *imaginem* « *nostram*, sed *ad imagines nostras*. Sed ad *imaginem* unius « Dei homo factus dicitur, ut una sanctae Trinitatis essen- « tialiter divinitas intimetur » [1]. Plura de hoc argumento legesis apud Petavium [2].

Duplex huic interpretationi ab adversariis responsum opponitur. *a*) Illud *faciamus* nihil aliud est quam plurale vulgo dictum maiestatis. Sed exempla a rationalista Gesenio [3], aut a Rabbinis apud Buxtorfeum congesta [4], intentum nullatenus obtinent; sunt enim valde dissimilia. Ita Laban non loquitur proprio tantum nomine, sed gentis suae atque domus, quando dixit ad Iacob: « Non est in loco *nostro* « consuetudinis, ut minores ante *tradamus* ad nuptias » [5]. - Absalom per verba « Inite consilium, quid agere *debeamus* » [6] alloquitur Achitophel simul ac socios eius, ostenditque sibi causam cum ipsis esse communem. - Pariter Cantici canticorum Sponsa nomine adolescentularum [7] sodalium exclamat: « Post te *curremus* in odorem unguentorum tuorum » [8]. - Nec aliter intelligenda sunt verba Danielis: « Hoc est somnium: « interpretationem quoque eius *dicemus* coram te, rex » [9]. Vates quippe sentit se quasi vicem agere gentis suae. Ecquid tyrannum in forma pluralis maiestatici allocutus fuerit? - Maior primo intuitu vis inesse videtur verbis Baldad ad Iob: « Usque ad quem finem verba iactabitis? intelligite prius, et « sic *loquamur* » [10]. Sed nec ista valent. Repugnat enim hominem qui fortiter in alium invehit, plurali maiestatico eumdem alloqui. Etenim si *loquamur* in hoc sensu dicitur, cur non et *intelligite?* Ergo Baldad veluti thesim conficiens simul cum Iob confutat quotquot ita sentiunt; ipseque loquitur nomine eorum, qui in suam sententiam con-

[1] *De fide S. Trinitatis*, l. I, c. 2. — *P. L.*, t. CI, col. 15.
[2] Op. cit., l. II, c. 7, n. 5, sqq.
[3] *Gram. mai.*, § 216, n. 5.
[4] *Thesaur.*, l. II, c. 10, p. 107.
[5] GEN., XXIX, 26.
[6] II. REG., XVI, 20.
[7] I, 2.
[8] I, 3.
[9] DAN., II, 36.
[10] IOB., XVIII, 2.

veniunt. Ipsum autem Iob singulari forma mox affatur: « Qui « *perdis* animam tuam, etc. » [1].

b) Sed, aiunt, Deus non semetipsum ad intra, sed ad extra angelos alloquitur. Ergone Iehovah ad opificium humani generis, ministerio angelico usus est, et quidem in eadem linea potentiae? ergone ad imaginem simul Dei et angelorum homo est plasmatus? Insuper quomodo talis modus loquendi potuisset a populo hebraico intelligi, quum in superioribus nullus de angelis sermo fuerit?

Imo optimo iure Epiphanius in modo allato textu per hunc Scripturae locum confutat Saturnilianos, qui mundum ab angelis septem conditum somniabant [2].

Restat igitur ut haec solemnis formula mysterium Sanctissimae Trinitatis adumbret. Quae interpretatio apud catholicos communissima, valide corroboratur per consimiles locos: « Ecce Adam quasi *unus ex nobis* factus est » [3]; « *Ve-* « *nite, descendamus, et confundamus* ibi linguam eorum » [4].

Imo haec prior locutio quasi maiorem vim habere videtur. Pluralitas enim magis exprimitur per verba *unus ex nobis*, quam per meram formam pluralem: *faciamus*. Missa enim formula maiestatica, posset superesse quaedam forma reflexiva vel intensiva. At verba *unus ex nobis* non possunt neque per hoc medium a vera pluralitate salvari. — Altera sententia minus efficax est. Etenim praeter plurale maiestaticum, seu intensivum seu reflexivum, posset intelligi de sermone habito ad angelos; quatenus, si repugnat quidem hosce spiritus tanquam coopifices creationis appellari, eosdem uti vindictae ministros adhiberi non modo non repugnat, sed et facto constat. Gratuita nihilominus in hoc loco esset huiusmodi interpretatio, quum in toto contextu nulla de angelis mentio occurrat.

2) Iam audiamus *quot* sint illi, qui ita plurali numero loquantur. *a*) Ab ipso Geneseos exordio *trium* mysterium sublucere videtur. « In *principio Deus* creavit caelum et « terram... et *Spiritus* Dei ferebatur super aquas ». En Deum

[1] Iob., 4.
[2] Ibid. n. 1. col. 297.
[3] Gen., III, 22.
[4] Ibid., XI, 7.

Patrem, Principium sive Verbum, et Spiritum Sanctum. Ad quae verba Rupertus noster exclamat: « Ecce qualis absconsio thesauri... Cum sanctae Scripturae spiritus in isto capite « sanctam Trinitatem velit intelligi, unam tantummodo personam parvo subtegens velamine, faciem eiusdem Trinitatis sapientibus et prudentibus abscondit, revelaturus eam « parvulis. Quo sub velamine, quam personam abscondit? « Nimirum personam Filii sub velamine nominis principii ». Et hanc interpretationem solidam esse demonstrat per responsum ipsius Christi rogantibus se: « Tu quis es? »: « Principium, qui et loquor vobis » [1]; necnon per verba psalmistae nomine Christi dicentis: « In capite libri scriptum est « de me » [2]. Unde concludit: « Igitur splendidum caput libri « gloriam praedicat sanctae Trinitatis » [3].

Nec obiicias principium non posse intelligi Verbum, quum Ioannes dicat: « In principio erat Verbum » [4]. Principium enim sumi potest tum ad intra, tum ad extra. Ad intra Pater est fons Trinitatis; ad extra, Filius est archetypus, per quem Pater omnia operatur. - Spiritum autem hoc loco ipsum Spiritum Sanctum intelligi Liturgia expresse testatur: « Deus, « cuius Spiritus super aquas, inter ipsa mundi primordia « ferebatur, ut iam tum virtutem sanctificationis aquarum « natura conciperet » [5].

b) Eadem trilogia manifestior continetur in Ps. XXXII: « *Verbo Domini* caeli firmati sunt, et *Spiritu* oris eius omnis « virtus eorum » [6]; habes enim ibi Dominum, principium summum; habes Verbum eius, per quod firmantur caeli; habes Spiritum eius, qui, veluti complementum operi adiungens, virtutes caeli corroborat ac regit. Praeclare S. Cyrillus Alex.: « Canentem audio, et spiritualem veluti lyram pulsantem « beatum Davidem, clareque dicentem: "Verbo Domini, etc.". « Cedo itaque; id quod firmat caelos, et creaturarum tota « virtus est, Deusne erit an creatura?.... Quod autem per

[1] IOANN., VIII, 25.
[2] Ps. XXXIX, 8, 9.
[3] *De Glorif. Trinit. et process. S. Spir.*, l. I, c. 5. *P. L.*, t. CLXIX, col. 17, sq.
[4] I, 1.
[5] Sabb. Sancto, in bened. font. — Cf. DRACH, *(De l'harmonie entre l'Eglise et la Synagogue*, Sect. 1, de la T. S. Trinité, chap. 1).
[6] Vers. 6.

« Filium in Spiritu omnia per omnia, et in omnibus vis et « efficacia Patris esse videatur, nonne vel hinc facili negotio « videre licet? Sufficit enim ad id demonstrandum quod fir- « mentur caeli in Verbo Domini, et omnis virtus eorum sit « in Spiritu, ut vetus Psaltes recte cecinit » [1].

c) Manifestius adhuc sonat mirabilis Sapientis oratio: « Deus patrum meorum et Domine misericordiae, qui fecisti « omnia Verbo tuo (ἐν λόγῳ σοῦ), et Sapientia tua constituisti « hominem.... da mihi sedium tuarum assistricem Sapien- « tiam... Mitte illam de caelis sanctis tuis, et a sede magni- « tudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam « quid acceptum sit apud te... Quis enim hominum poterit « scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit « Deus?... Sensum enim tuum quis sciet, nisi tu dederis Sa- « pientiam et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis » [2]. Heic aperte habes Deum, eius Sapientiam, et eius Spiritum [3].

d) Trilogia rursus apparet in ultimo versu Ps. LXVI: « Benedicat nos *Deus, Deus* noster, benedicat nos *Deus* », ubi appellatio media Deus *noster,* alludere videtur ad Emmanuel, Deum nobiscum, Verbum incarnatum [4].

e) Sed et illustrior occurrit nobis trilogia divina in VI. capite Isaiae. Ungitur Filius Amos initiatione superna in prophetam, quod et de Ieremia et de Ezechiele legitur. Videt « Dominum (Adonai) sedentem super solium excelsum et « elevatum » [5]; et audit laudes eius ex ore Seraphim: « San- « ctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth (Adonai) » [6]. Iam vero per hoc τρισάγιον quid aliud significatur, nisi glorificatio trium divinarum personarum, quasi nostrae doxologiae sub velamine praesagium? Haec iam satis obvia interpretatio confirmatur per v. 8, ubi vox Domini dicit: « Quem *mittam?* » - ecce Deum unum - « et quis ibit *nobis?* » - ecce Deum trinum. Porro idem monet modus quo S. Ioannes

[1] *De SS. Trinit.*, Dial. VII, *P. G.*, t. LXXV, col. 1112, sq. — Cf. locum S. Epiphanii modo allatum.

[2] SAP., IX, 1, 17.

[3] Cf. cum hoc loco I. Cor. II, 10, 11 et 16, in quo pariter habemus Deum, Christum et Spiritum Dei.

[4] Cf. et NUM. VI, 22-26; DEUT. VI, 4.

[5] Vers. 1.

[6] Vers. 3.

et S. Paulus de eodem loco loquuntur. Ioannes enim affirmat, Isaiam in hac visione vidisse gloriam Filii Dei [1]: et Paulus *Spiritui Sancto* tribuit verba Dei prophetam deputantis [2]. Et uterque citant v. 9. immediate sequentem.

Mirum inde non est, Patres scriptoresque sacros passim eodem modo hunc locum intellexisse. Praeclare ex Graecis S. *Athanasius* dicta simul congerens ait: « Cum Seraphim « Deum glorificant, ter dicentes: " Sanctus, Sanctus, Sanctus « Dominus Deus Sabaoth ", Patrem et Filium et Spiritum « Sanctum glorificant. Quapropter, sicut in nomine Patris et « Filii baptizamur, ita et in nomine Spiritus S., et efficimur « filii Dei non deorum. Pater enim et Filius et Spiritus S. « Dominus Sabaoth est. Una enim est divinitas et unus Deus « in tribus hypostasibus. Ideoque quae Pater dicit in Isaïa, « ea Ioannes ait dixisse Filium; in Actibus autem Apostolo- « rum Paulus ait eadem Spiritum S. locutum fuisse » [3].

Eloquenter etiam S. Ioannes Damascenus doctissima in epistola de hoc ipso hymno trisagio conscripta: « Cur non « bis, aut quater, aut sexcenties vocem hanc *Sanctus* ceci- « nerunt? quid item est, cur nec bis, aut quater, aut sex- « centies haec verba: *Dominus Sabaoth pleni sunt caeli et* « *terra gloria eius*, pronuntiarunt; verum vocem *Sanctus* « ter, vocabulum autem *Dominus* semel duntaxat Seraphim « exclamarunt? Annon ut ostenderent tres quidem esse sanc- « tas hypostases, unam vero trium dominationem, unum « imperium, gloriam unam, essentiamque et deitatem, ac « unum tres illos esse sanctum Deum; sanctum nimirum « Patrem, sanctum Filium, sanctum Spiritum Sanctum; unum « nihilominus sanctum, non tres; unum Dominum, non tres « dominos. Nam tres hypostates, Deus et Deus et Deus « sunt; caeterum unus Deus et non tres dii » [4].

Ex Latinis idem B. Alcuinus noster vindicat: « Hanc

[1] « Haec dixit Isaïas, quando vidit gloriam eius (scilicet Filii Dei), et locutus est de eo ». XII, 41.

[2] « Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros ». ACT. XXVIII, 25.

[3] *De Incarn. ctr. Arian.* n. 10. — *P. G.* t. XXVI. col. 1000. Simile quid omnino habet Gregorius Nyssenus. *(Ctr. Eunom.* l. I. — *P. G.* t. XLV, col. 348).

[4] *De hymn. trisag. epist.* n. 2. — *P. G.* t. XCV, col. 25. — Cf. ibidem auctoritates Patrum ex eodem trisagio arguentium eruditissime congestas.

« quoque Trinitatem personarum atque unitatem naturae « propheta Isaias revelatam sibi non tacuit, cum se dicit « Seraphim vidisse clamantia: "Sanctus, Sanctus, Sanctus « Dominus Deus Sabaoth". Ubi prorsus in eo quod dicitur « tertio *Sanctus*, personarum Trinitatem; in eo vero, quod « semel dicitur *Dominus Deus Sabaoth* divinae naturae co- « gnoscimus unitatem » [1]. Et Rupertus noster, ulterius progrediens, ex aequalitate huius angelici concentus, aequalitatem divinarum personarum vindicat. « Quam pulcher, « quam aequalis tenor in verbis, quam certus, quam sta- « bilis! Nulli gradus sunt hic, nullum momentum incrementi « sive decrementi in vocibus istis. Unde ergo gradus accepit « inimica haeresis? Nam ac si concentus ille sic cecinisset: « "Sanctus, sanctior, sanctissimus", et pluritater addidisset: « "Domini et Dei", non: "Dominus Deus"; ita sibi gradus « fecit, maxime per os Arii, ut diceret, Spiritum Sanctum « magnum quidem, sed Filium Spiritu S. maiorem, et Deo « Patre minorem » [2].

Ad vim huius trisagii infirmandam Gesenius locos ex Scripturis colligit, in quibus triplex eiusdem vocis repetitio occurrit: « Nolite confidere in verbis mendacii, dicen- « tes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini « est » [3]; « Terra, terra, terra, audi sermonem Domini! » [4]; « Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam » [5]. Sed discrimen nimis apparet inter has iactantiae, emphaseos, et comminationis redundantias, ac laudem placidam, omninoque obiectivam.

Alii adducunt locum e Virgilio:

> *O terque quaterque beati,*
> *Queis ante ora patrum, Troiae sub moenibus altis*
> *Contigit oppetere!* [6].

Sed quam dispar sit huiusmodi locutio illi cantico Cherubim, ipsa collatio abunde demonstrat.

[1] *De fide S. Trinitatis*, l. I, c. 2. — *P. L.* t. CI, col. 15.
[2] *De glorif. Trin.*, l. III, c. 15. — *P. L.* t. CLXIX, col. 66, sqq.
[3] IEREM., XXII, 29.
[4] Ibid., XXII, 29.
[5] EZECH., XXI, 27.
[6] *Aeneid.*, l. I, v. 94-95.

Caeterum ne urgeatur, quaeso, praesentis argumenti vis. Nisi doctrina SS. Trinitatis in Novo Testamento manifestissima foret, trisagion Isaiae prophetae non esset ad eam manifestandam per se sufficiens. Posita autem hac apertissima doctrina, inspectoque nexu quo ambo Testamenta inter se colligantur, iam altior huius trisagii sensus in promptu est; imo recusari nequit, quin implicite Ioannis ac Pauli testimoniis contradicatur.

III) Si iam ad locos accedimus in quibus sermo est de secunda persona *SS. Trinitatis*, magis explicita testimonia occurrunt. Ratio apparet manifesta. Quemadmodum enim S. Ioannes in exordio Evangelii testatur, Verbum caro factum cum hominibus corporaliter habitans, en totius antiqui Testamenti finis. Iam vero Redemptor Deus-Homo est ab initio temporum promissus, et quidem ita, ut simul Filius hominis ac Dei, saltem ab expolitiori parte populi, crederetur atque expectaretur.

Inter haec prophetica testimonia eminent vaticinia Isaiae et psalmorum, necnon descriptiones Sapientiae ingenitae. De singulis breviter [1].

a) Vocatur Messias venturus « Emmanuel », Deus nobiscum [2], « Deus ipse » [3], « Deus noster » [4], « Dominus Deus » [5], « Deus salvator meus » [6], « Deus Israël Salvator » [7], « Deus,... « Pater futuri saeculi (scil. aeternitatis), princeps pacis » [8]. Est igitur verus Deus. - Sed idem promittitur ut mittendus: « Emitte Agnum, Domine, dominatorem terrae » [9]; deseri-

[1] A pluribus locis afferendis e consulto abstinemus. In decursu tractationis sermo de eisdem non semel recurret. Quae autem maxime valent ad divinitatem Christi Verbi Dei illustrandam, ex professo in tractatu de Verbo Incarnato perpendentur. Consule fusam ac optimam huius argumenti expositionem apud Heinrich (op. cit. §. 216 et § 217).

[2] VII, 14; VIII, 8. — Cf. MATTH., I, 13. Patres constanter in Emmanuel Messiam intellexisse, ostendit erudite Reinke (*Mess. Weiss.* p. 232-360).

[3] XXXV, 4. Cf. MATTH., XI, 5.

[4] XL, 3; Baruch, III, 38.

[5] Ibid. 10.

[6] XII, 2.

[7] XXXLV, 15. Cf. MARC., I, 3.

[8] IX, 6. Cf. MATTH., II, 6.

[9] XVI, 1. Ita saltem iuxta versionem vulgatam; caeterum de vero sensu originali consule inter alios Cl. Cornely.

bitur ut Altissimi « consilarius ». Est ergo Deus de Deo, Patris Filius, in cuius praedicta morte « plangent eum quasi « super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet « in morte primogeniti » [1].

b) Quem ita Isaias, aliique Prophetae [2] vaticinati sunt, David in psalmis alloquitur et quasi intuetur. « Speciosus forma « prae filiis hominum... Sedes tua, Deus, in saeculum sae- « culi...; propterea unxit te (מְשָׁחֲךָ) Deus, Deus tuus, oleo « laetitiae prae consortibus tuis » [3]. Est igitur Deus a Deo suo inunctus; est ergo persona divina ab alia distincta: Christus, Deus de Deo. - Iam vero ita est Deus de Deo, ut sit generatione procedens. « Dixit Dominus Domino meo: « sede a dextris meis;.. ex utero ante luciferum genui te » [4]. Cuius testimonii virtutem ipse Christus divino oraculo proclamavit, seipsum asserens esse Davidis Dominum, quem Dominus Pater, uti Filium a se ante luciferum genitum [5] ita est allocutus. « Ego constitutus sum rex ab eo super Sion mon- « tem sanctum eius, praedicans praeceptum eius. Dominus « dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te » [6]. Cuius rursus testimonii efficaciam Paulus infallibili oraculo comprobavit, argumentum ex eodem depromens in epistola ad Hebraeos [7]. Ergo duo sunt: constituens et constitutus, Pater

[1] Zach., xii, 10. — Cf. Ioann. xix, 37.

[2] Cf. Heinrich. (op. cit., loc. cit.).

[3] Ps. xliv, 7, 8. In hoc uncto Dei Messiam intelligi omnes Patres testantur, uti Iustinus, Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus, Athanasius, Gregorius Nyss., Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus; imo ipsa iudaica traditio. Caeterum ipsa Scriptura N. T. id infallibiliter evincit. Cf. Act., iv, 25, 26; xiii, 33, 34; Hebr. i, 9; Ap. xix, 15.

[4] Ps. cix, 1, sqq. Praeclare S. Cyrillus Alex.: « Audire licet clare Deum ac Pa- « trem ad Verbum, quod ex ipso secundum naturam prodiit, clamantem: " Ex utero « ante luciferum, genui te ". Partum enim genuinum ac verum esse, recte utique de- « monstraverit illud " ex utero ", utilissime desumpta velut a nobis similitudine. « Quod autem " ante luciferum " genitum dicit, forsan ostendit, illum generationis « modum in obscuritate et incomprehensibilitate, ac velut in profundis tenebris « clausum fuisse » *(De SS. Trinit. Dial.* ii. — *P. Gr.* t. lxxv, col. 757).

[5] « Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? - Dicunt ei: David. - Ait « illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus « Domino meo, etc.? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? ». Matth. xxii, 42-45.

[6] Ps. ii, 6, 7,

[7] « Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui « te? » Hebr. i, 5.

et Filius [1]. Hunc Deum Patrem intelligit Ecclesiasticus, ubi ait: « Invocavi Dominum Patrem Domini mei (ἐπεκαλεσάμην « Κύριον πατέρα Κυρίου μου) » [2]. Eadem continetur doctrina in psalmis LXXI. et LXXXVIII. - Nec obiiciatur discrepantia quae occurrit inter lectionem vulgatam et textum hebraicum [3]. Haec non tanta est, quae vim praesenti argumento tollat. Caeterum versiones LXX. quoad Pentateuchum, vel Hellenistarum Alexandrinorum quoad caeteros V. T. libros magnae auctoritatis sunt, non quidem ex mythico Aristaei commento, sed ex ipsa Synagogae traditione occultiori, cui absque dubio fuerunt conformes, ideoque ab ipsis Apostolis et ab Ecclesia summo passim honore tractatae sunt. Porro versio vulgata consonat non tantum cum versione LXX, sed et cum syriaca, aliisque veteribus versionibus; summaque concordia Patres, tum latini, tum graeci haec psalmistae verba de generatione Verbi dicta interpretantur. Psalmus ceteroquin ab omnibus christianis auctoribus uti directe messianicus agnoscitur [4].

Prae mente habitis locis magis explicitis, non desunt alii psalmi in quibus eadem doctrina continetur. Ita in exordio ps. LXXXIX. canitur: « Domine, refugium factus es nobis: « a generatione in generationem. Prius quam montes fierent, « aut formaretur terra et orbis: a saeculo et usque in sae- « culum tu es Deus ». « Vide », ait de hoc loco S. Cyrillus Alex. « quo pacto Filio tribuat esse ante omnem creaturam; « appellatione vero creaturae, saecula etiam comprehendun- « tur. Quomodo igitur non sit aeternus Filius, quo aut omnia « est? » [5]. Imo S. Paulus non veretur directe de Christo Deo interpretari verba: « Initio tu, Domine, terram fundasti: « et opera manuum tuarum sunt caeli » [6].

c) Agnita ac rursus prae oculis habita revelatione magis

[1] Adverte pluralitatem personarum etiam insinuari in hoc psalmo per formam pluralem: « Dirumpamus vincula *eorum*, et proiiciamus a nobis iugum *ipsorum* ».

[2] LI, 14.

[3] Ad verbum textus hebraicus sonat: « populus tuus spontanea oblatio in die « virtutis tuae; in splendoribus sanctis ex utero matutino tibi ros nativitatis tuae ». De genuina huius incisi interpretatione consule probatiores exegetas.

[4] Cf. Card. Franzelin op. cit. thes. XXX, p. 397, sqq.; Heinrich (op. cit. § 216); etc., etc.

[5] *Thesaur.* Assert. 35. *P. Gr.* t. LXXV, col. 620.

[6] Ps. CI, 26. — HEBR. I, 10.

expressa N. T., doctrina processionis Verbi, utpote Sapientiae ad intra a Patre genitae, sat clare continetur in V. T. libris Prov. VIII; Sap. VII., sqq; Eccl. XXIV [1]. Praemittendi autem sunt varii sensus in quibus sapientia usurpari potest.

Sapientia scilicet intelligitur vel creata vel increata. 1) *Creata* sapientia vocatur tum *a*) manifestatio sapientiae increatae, prouti in opificio universi elucet: ita de sapientia legum naturalium loqui solemus; - tum *b*) ipsa lex divina, prouti est dictamen sapientissimae divinae sanctitatis aut voluntatis; tum *c*) ipsa praerogativa creaturae intelligentis sive α) lumine naturali, sive β) maxime supernaturali praeditae. - 2) *Increata* Sapientia intelligitur vel *a*) perfectio essentialis summi Entis; vel *b*) hypostatica, scilicet terminus processionis divinae, et hoc rursus dupliciter, vel proprie vel improprie: α) proprie erit illa divina hypostasis, quae per actum intelligendi procedit, Verbum Patris; β) improprie erit hypostasis divina, cui maxime tribuitur communicatio supernaturalis sapientiae ad extra.

Quae hoc schemate facillime tenentur:

- **Sapientia est**
  - 1) *creata:*
    - a) ordo naturae,
    - b) lex divina,
    - c) lumen rationis instructae
      - α) viribus naturalibus,
      - β) supernaturalibus;
  - 2) *increata:*
    - a) ipsa divina perfectio essentialis,
    - b) terminus personalis:
      - α) proprie, Filius,
      - β) improprie, Spiritus Sanctus.

His positis, contendimus, in praedictis V. T. locis agi de Sapientia non solum creata, sed increata; et quidem de Sapientia hypostatica proprie dicta, seu de Verbo Patris: scilicet de sensu 2) *b*) α). Id sane assequemur demonstrando, in his locis ita Sapientiam describi, ut quae de creata sapientia praedicari possunt superexcedat, ac simul hypostaticam dis-

[1] Cf. Card. Franzelin, op. cit. th. VII; et adhuc fusiùs Heinrich (op. cit. § 21

tinctionem in ipsa natura divina supponat ac exigat; et quidem eam, quae per primam processionem obtinetur. Quod iam ope analysis ipsius inspirati textus, collatis locis parallelis N. T., adductaque auctoritate Patrum, ostendere conabimur.

En textum c. VIII. *Prov.* v. 22, sqq: « Dominus possedit « me [1] in initio viarum suarum, antequam quidquam face- « ret a principio. Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis « antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego iam « concepta eram. [2] Necdum fontes aquarum eruperant; ante « colles ego parturiebar; adhuc terram non fecerat, et flu- « mina et cardines orbis terrae. Quando praeparabat caelos, « aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos; quan- « do aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum; « quando circumdabat mari terminum suum, et legem po- « nebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat « fundamenta terrae. Cum eo [3] eram cuncta componens [4]; et « delectabar [5] per singulos dies, ludens coram eo omni tem- « pore, ludens in orbe terrarum; et deliciae meae esse cum « filiis hominum ».

Iam vero haec altissima verba penitius perserutanti sine labore apparet, eadem de sapientia creata in nullo ex tribus sensibus supra indicatis intelligi posse. Praedicatur enim omnia praecessisse, uti norma primordialis universi. Est igitur heic sermo de Sapientia increata. - Nec rursus sufficit eam intelligere sapientiam essentialem, scientiam illam tum

[1] יְהוָה קָנָנִי Istud verbum *possedit* significat acquirere uti suum per processionem partus. Ita Heva quando peperit Caïn primogenitum dixit: « Possedi « hominem per Deum ».

[2] Pro « concepta eram » et « parturiebar » habetur in hebraico eadem vox חוֹלַלְתִּי, quae propriam exprimit generationem.

[3] Loco « cum eo » habetur in hebraico « אֶצְלוֹ apud eum», et in LXX: « ἤμην παρ' αὐτῷ »; et Patres latini vetusti habent « apud vel penes eum ».

[4] אָמוֹן τιθηνουμένα, lactata, nutrita, formata.

[5] « Delectabar » debet sumi probabilius in sensu activo, qui et classicus est; in hebraico habetur: « et eram deliciae », scilicet eius. Graeci vertunt: « ἐγὼ ἤμην, ᾗ προσέχαιρεν latini veteres: « eram, cui congaudebat » (Cf. Italam Sabatier). Sensus igitur huius totius incisi esse videtur: Apud eum eram, ab ipso veluti artifex educta, *in quo complacebat* semper. — Inde allusio ad hunc locum MATTH. III, 17.

speculativam tum practicam rerum omnium. Etenim quamvis practicam scientiam antecedit; imo est distincta a Deo, utpote apud eum in intimitate aeterni colloquii commorans. - Est ergo Sapientia increata hypostatica, et quidem proprie, quum per generationem procedat. Datur ergo in natura divina Deus de Deo, Filius de Patre.

Corroboratur quam maxime haec interpretatio per locutiones simillimas apud Ioannem et Matthaeum: « In principio « erat Verbum, et Verbum erat apud Deum;.... omnia per « ipsum facta sunt »; « Unigenitus Filius, qui est in sinu « Patris »; « hic est Filius meus dilectus, in quo mihi com« placui »; « et Verbum caro factum est et habitavit in « nobis [1] ». Ratio enim propter quam Sapientia in deliciis habuit esse cum filiis hominum, a futura eiusdem incarnatione, atque cohabitatione nobiscum derivatur.

Nec aliter Patres, tum ante tum post exortam arianam blasphemiam, hoc caput VIII. interpretati sunt [2]. Verum quidem est, e vetustioribus Patribus aliquos, uti Irenaeum [3] et forte Tertullianum [4], increatam Sapientiam intellexisse Spiritum Sanctum; sed et haec opinio corroborat sententiam nostram de increata Sapientia heic descripta, ac proin redundat in doctrinam SS. Trinitatis in Veteri Testamento adumbratam.

Porro haec Patrum interpretatio ab ipsa controversia ariana novum valorem acquirebat et robur. Etenim hi haeretici ex lectione « Dominus creavit me, Κύριος ἔκτισε με », quae adhuc apud Graecos servatur et in latina veteri habebatur, uti constat ex Patribus, hoc pacto arguebant. In cap. *Prov.* VIII. sermo est de Verbo Patris; atqui hoc Verbum dicitur creatum; ergo non est Deus, sed creatura. — Quomodo Patres? Recusantne maiorem huius argumenti, ita difficultatem a fundamento truncantes? Minime. Proclamant imo, re vera heic de Verbo Patris agi. At distinguunt in minori. Et quidem aliter et aliter. Alii enim repudiant lec-

[1] Ioann., i; Matth., iii, 17.

[2] Prae omnibus legendus est S. Augustinus, (*De Trinit.*, l. viii, c. 3. *P. L.* t. xlii, col. 936, sqq.).

[3] Op. cit., l. iv, c. 20, n. 3. — *P. Gr.*, t. vii, col. 1033, sq.

[4] Ctr. *Hermogen.*, c. 18. — Cf. dicenda mox, ubi de Spiritu Sancto.

tionem « ἔκτισε », asserendo legendum esse « ἐκτήσατο posse-« dit me » [1]. Alii acceptant quidem lectionem « ἔκτισε », sed negant consequens ab Arianis inde obiectum; sive referendo illud ad humanam naturam a Verbo assumendam, ita ut vox « creavit me » dicta mere sit intuitu incarnationis futurae; sive distinguendo inter significationem impropriam, quam de Filio Deo admittunt ut synonymam processionis [2], et significationem propriam, quam prorsus reiiciunt. Caeterum constat, in latino sermone « creare » usurpari tum a classicis, tum a sacris scriptoribus in sensu « generare ». Quem sensum Itali et Hispani in voce *creatura*, *criar* servarunt [3].

Eruditissimus Petavius, qui alia via, scilicet in sensu sapientiae creatae, hunc locum *Prov.* interpretatur, negat sententiam heic vindicatam tam communem apud Patres fuisse [4]. Sed non videtur hic consensus infirmari per textus quos in hunc finem allegat. Gregorius Naz. [5] concedit quidem ante suam aetatem verba « Dominus creavit me » fuisse de sapientia creata in prima acceptione a nonnullis intellecta. At cum Card. Franzelin iure repones: *a*) ipse Gregorius nostram sententiam strenue tenet; *b*) forte illi recusabant hunc versum in sensu nostro intelligendam esse, propter verbum « creavit », quin ideo integrum locum de sapientia creata interpretarentur; *c*) nec apparet quinam illi fuerint, nec cuius auctoritatis; potuerunt enim esse illis adnumerandi, qui verbis Salomonis divinam auctoritatem detrahebant, quam et ipse Gregorius sententiam refert et Concilium V. exprobravit coaevo Nazianzeni Theodoro Mopsuesteno. — *b*) Locus autem S. Augustini, ubi dicitur: « multos doctissimos viros » cap. VIII. *Prov.* intellexisse de creata sapientia, « quam « scilicet Salomon ad iudicandum regendumque populum « acceperat », non est Augustini sed auctoris ignoti [6]. Neque

[1] Cf. S. Basilium (*Ctr. Eunom.*, l. II, n. 20). — Ita habebant versiones Aquilae, Symmachi, Theodotionis (Cf. *Hexapla* Origenis).

[2] Imo S. Hilarius rationem adducit electionis huius vocis « creavit », ad excludendam scilicet quamvis suspicionem passionis in generatione divina Verbi (*De Sym. Athan.*, 5). Hanc rationem S. Th. probat in *Sma ctr. Gentes*, IV, 8.

[3] Vide exempla a Petavio allata (op. cit., l. II, c. 1, n. 5).

[4] Op. cit., l. II, c. 1. n. 9, 10.

[5] *Or.* 30, al. 36. — *P. Cr.* t. XXXVI, col. 105.

[6] Edit. Maurin. in Append., 246.

contra nos faciunt Patres, qui, uti Athanasius, Epiphanius, Basilius, aliique [1], rectissime monent in libro *Prov.* multa accipienda esse in sensu minus obvio, figurato. Nam α) haec animadversio non impedit eosdem, quominus nostram explicationem et ipsi sequantur; β) explicatio nostra nequit vocari obvia, sed altissima, quum agatur de loco, qui, ob suam sublimitatem, nullam obviam interpretationem patiatur.

Tam certa Ruperto visa est quam heic vindicamus sententiam, ut sequentia scribere non dubitaverit: « Claro nomine « Sapientiae dicentis: " Ab aeterno et ex antiquis ordinata « sum, et antequam quidquam fieret, ego iam concepta « eram, et ante omnia ego parturiebar "; Filium Dei aeter- « num Deo Patri astruit, et istud credere exigit ipsa sa- « pientia ab omnibus filiis quos recipit, dicens post haec: « " Nunc ergo, filii, audite me ", et caetera usque: " Qui « autem in me peccaverit, laedet animam suam; omnes qui « me oderunt, diligunt mortem " ». Et pergit ostendendo, in his utramque Verbi nativitatem exprimi [2].

Collata cum cap. VIII. *Prov.* descriptio Sapientiae quae habetur a cap. VII. ad X. *Sap.* multa continet quae ad hypostaticam Sapientiam referri videntur. Ultro quidem fatemur, quasi omnia quae hic de sapientia divina per gratiam participata habentur, intelligi posse sive de dono Spiritus Sancti, quae sapientia dicitur, sive de eo quem vocant Patres λόγον σπερματικόν verbum seminale, participatum quidem praesertim per gratiam. At sunt quidam versus in quibus indicantur manifestius *a*) tum eius in Deo immanentia, *b*) tum personalis distinctio inter Sapientiam et eum a quo est, *c*) tum ipse modus quo a Deo procedit. *a*) Immanentia in Deo praedicatur quando dicitur « omnium artifex » [3], quae « in se « permanens, omnia innovat » [4]. *b*) Distinctio personalis affirmatur in oratione Deum rogantis: « Da mihi sedium tuarum « astitricem Sapientiam;.... tecum Sapientia tua, quae novit « opera tua, quae et affuit tum, tecum orbem terrarum

[1] Cf. Petav., l. c., n. 14.
[2] Op. cit., l. VIII, c. 2, — *P. L.*, t. CXIX, col. 141.
[3] VII, 21.
[4] V. 27.

« faceres » [1]. *c*) Modus autem procedendi a Deo insinuatur, ubi describitur: « Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quae-« dam est claritatis omnipotentis Dei sincera;... candor est « enim lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis « et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest, et « in se permanens omnia innovat » [2]. Quae comparationes eloquentiores apparent, si conferuntur cum loco parallelo S. Pauli, ubi Filius Dei describitur: « Splendor gloriae et « figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis « suae » [3].

Locus demum *Eccli.* XXIV. v. 5, sqq. tantam prae se fert similitudinem cum cap. VIII. *Prov.*, ut admissa interpretatione ibidem demonstrata, iam et heic Sapientia intelligenda sit increata, hypostatica ac genita. « Ego ex ore Altissimi prodivi « primogenita ante omnem creaturam » [4]. Cui interpretationi sane accedit usus liturgicus. Inter magnas enim antiphonas, quibus Ecclesia mox nasciturum Redemptorem appellat, prima exorditur: « O Sapientia, quae ex ore Altissimi pro-« diisti », quae idem sonant ac: « O Verbum Patris ». Possunt quidem eadem verba figurative ac mystice intelligi de B. V. M., in cuius festis a Liturgia usurpantur; at proprie indicant Patris Verbum, quod erat in principio apud Deum et per quod omnia facta sunt. Locutio autem « ab initio et ante saecula « creata sum » [5] potest intelligi de creatione proprie dicta praedestinata, si ad Domini Matrem referatur; si ad Christum, de humana natura divinitati unienda; si ad Verbum Patris, in sensu lato, improprio nativitatis, de processione per generationem.

IV. Iam **ad Spiritum Sanctum.** Equidem, ut fert mysterii ratio, minus aperte Vetus Testamentum loquitur de tertia quam de secunda Sacrosanctae Trinitatis persona. Verbum

[1] IX, 4, 8, 9.
[2] VII, 25-27.
[3] HEBR. II, 2. Cf. Verba Theognosti ab Athanasio citati (*De decret. Nic.*, n. 25), aliosque Patres eisdem formulis utentes apud Petav. l. V, c. 8, n. 11 sq.
[4] V. 14.
[5] V. 14.

enim incarnatum finis erat Antiquae Legis manifestus; occultior vero Paracliti missio. Quare mirum non est, olim Ephesi discipulos illos Paulo sciscitanti: « Si Spiritum sanc- « tum accepistis credentes? », respondisse simpliciter: « Sed « neque si Spiritus sanctus est, audivimus » [1]; quod de Filio Dei unquam esse responsum, nullibi legitur.

At prae oculis habita Paracleti missione perenni, necnon manifestatione adumbrata Verbi, suadetur quam maxime, non posse in Scriptura V. T. omnino deesse locos, in quibus tertia SS. Trinitatis persona significatur. Et re quidem vera iam tales nonnullos attulimus agentes de locis qui tres in Deo distinguunt. Addantur et sequentes.

1) Spiritus Sanctus praenuntiatur Christum hominem sanctificaturus et uncturus: « Requiescet super eum Spiritus Do- « mini, Spiritus sapientiae et intellectus » [2]; « Spiritus Domini « super me, eo quod unxerit Dominus me » [3]. – 2) Promittitur Ecclesiam divinis charismatibus foecundaturus: « Et erit post haec, effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt » [4]. – 3) Describitur animam sua praesentia vivificans atque sanctificans: « Spiritum sanctum tuum ne auferas « a me. – Spiritu principali confirma me » [5]. – 4) Est Spiritus prophetis illabens: « Quis det, ut omnis populus prophetet, « et det eis Dominus Spiritum suum? » [6]. « Verba quae misit Dominus exercituum in Spiritu suo per manum prophetarum » [7]. – 5) Demum Spiritui tribuitur perfectio et instauratio opificii universi. « Spiritus eius ornavit caelos » [8]: « Emittes « Spiritum tuum et creabuntur » [9]. Rectissime ergo Ecclesia solemnitatem Pentecostes, in qua promissus Paracletus superne descendit, iis testimoniis illustrat quibus iam in Veteri Testamento mittendum Spiritum Deus praenuntiarat; nec Ecclesia modo, sed ipse Apostolorum princeps in concione

[1] Act. xix, 2. 3.
[2] Is. xi, 2, 3.
[3] Ibid. lxi, 1,
[4] Ioël. ii, 28, 28.
[5] Ps. l, 13, 19.
[6] Num. xi, 29.
[7] Zach., vii, 42.
[8] Iob. xxvi, 13.
[9] Ps. ciii, 30.

quam in coenaculo habuit, ad Isaiae et Ioëlis oracula provocavit [1].

His prae oculis habitis, iure optimo dici potest in cap. VII. *Sap.* Spiritum Sapientiae non intelligendum esse modo de dono sapientiae per gratiam communicatae sed de ipsa persona Spiritus Sancti, imo quatenus est Spiritus Filii. « Optavi et datus est mihi sensus: et invocavi et venit in « me Spiritus Sapientiae » [2]. Unde et descriptio huius spiritus quae inferius habetur, pulcherrime celsitudinem ac dotes illius divinae personae exhibet. Concordat cum his praecitata oratio sapientis [3]: « Sensum autem tuum quis sciet, nisi « tu dederis Sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de « altissimis » [4]. « Bei genauerer Betrachtung dieser Stellen « kann man wohl sagen, dass in ihnen eine fast ebenso « reiche Charakteristik des hl. Geistes enthalten ist, wie « im Neuen Testament ». Ita Scheeben [5]; nec dissentiunt Heinrich [6] et Gutberlet, aliiqui, quorum et ipsi Patres [7] antesignani monstrantur.

V. Superest ut de **theophaniis** disseramus, sed breviter; argumentum enim valde connexum est argumento de missione divina in Q. XLIII. pertractando. Ex Scripturis constat, Deum non semel apparuisse, ita ut idem apparens diceretur Deus et Angelus Dei, id est missus a Deo (מַלְאַךְ יְהוָה) [8]. Iam vero

[1] Act. II, 17, sqq.

[2] V. 7.

[3] « Est quidem ille spiritus intelligentiae sanctus, unicus » etc. v. 22, 23. Observa numerum epithetum non esse eumdem in variis lectionibus: graecus textus habet 21 (3×7), Syriaca versio 27, arabica 23, vulgata latina 25. Nec mirum unum interdum per duplex vertitur, uti φιλάνθρωπον per *humanus et benignus*. Cf. Gutberlet *(Das Buch der Weisheit)*.

[4] C. IX, v. 17.

[5] Op. cit. § 110, n. 818.

[6] Op. cit. § 219, p. 124.

[7] S. August. (ep. 169. al. 102. ad Evod. c. 2. n. 7 etc.). Cf. S. Ambr. *(De Spir. S.* l. I, c. 23 (et 18); S. Greg. Naz. (or. 5. theol.).

[8] Alibi vocatur מ פְּנֵי יְהוָה, מ חַאֱלֹהִים, מ אֱלֹהִים (faciei Domini). Quum prima forma מ. יְהוָה sit usitatior, apud theologos praesertim germanos invaluit appellatio *Angelus-Jehovah, der Jehova-Engel.* — Cf. Heinrich (op. cit § 215); Reinke *Ueber den Engel Jehova's im Pentateuch*, Rohling *(Ueber den Jehovaengel)*; etc., etc.

hoc idem est ac dicere in Deo esse plures personas, quarum una, saltem propter processionem ab altera, ab ea a qua ortum habet, deputatur in ministerium.

Exempla sint sequentia a theologis passim afferri solita. 1) *In historia Agar* legitur: « Cum invenisset eam Angelus « Domini..... dixitque ei Angelus Domini: revertere ad do- « minam tuam;.... et rursum: multiplicans, multiplicabo se- « men tuum » (en divinum quid se praestiturum pollicetur). « Vocavit autem (Agar) nomen Domini יהוה » (en simul est Angelus Domini et Dominus) [1] « qui loquebatur ad eam: « tu es Deus qui vidisti me. Exaudivit autem Deus vocem « pueri, vocavitque Angelus Dei Agar de caelo, dicens: Quid « agis, Agar? noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri « de loco in quo est;...aperuitque oculos eius Deus » [2]. - 2) *In somno Iacob* Angelus Dei seipsum manifestat: « Ego sum « Deus Bethel » [3], id est, uti paulo superius: « Ego sum Do- « minus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac, etc. » [4]. - 3) *In rubo ardenti* idem qui prius dicitur Angelus Dei, dicit de seipso: « Ego sum qui sum.... Deus Abraham, Deus Isaac « et Deus Iacob » [5].

Iam vero, quum aliunde constet, Verbum in carne venturum vocari Angelum Testamenti, dicente Domino: « Ecce « ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem « meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem « vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis » [6]; Patres passim in his locis per Angelum Domini intellexerunt ipsum Dei Filium a Patre in plenitudine temporum superne mittendum. Inde theoriam de theophaniis Veteris Testamenti confecerunt, aestimantes scilicet Verbum, cuius, iuxta locutionem *Prov.* VIII, deliciae sunt esse cum filiis hominum, iam sub Lege Antiqua per has multiplices apparitiones sese ma-

[1] Gen. xvi, 7, 13.

[2] Ibid. xxi, 17, 19.

[3] Ibid. xxxi, 11; 13.

[4] Ibid. xviii, 13.

[5] Exod. iii, 2, sqq. — Cf. et verba Angeli Domini in sacrificio Isaac (Gen. xx.); in apparitione Iacob: « Ego sum Deus Bethel » (Gen. xxxi, 18); ita et Angelus quocum colluctavit Iacob ab Osee ut Deus describitur (Gen. xxxii; Os. xii, 4, 5).

[6] Mal. iii, 1.

nifestasse, quasi ex amore et veluti impatienti studio magnae illi theophaniae incarnationis praeluderet.

Ita ex graecis S. Basilius ait: « Ubicumque et Angelus « et Deus idem appellatus est, Unigenitum significari; qui « se ipsum per generationes hominibus manifestum facit, et « voluntatem Patris sanctis suis denuntiat. Quamobrem et « qui cum Moyse colloquens Eum se nominavit, Qui est, non « alius quispiam intelligendus est, quam Deus Verbum, qui « in principio erat apud Deum » [1]. Et ex Latinis S. Leo Magnus: « Potuerat omnipotentia Filii Dei, sic ad docendos « iustificandosque homines apparere, quomodo et Patriarchis « et Prophetis in specie carnis apparuit, cum aut luctamen « iniit, aut sermonem conseruit, cumve officia hospitalitatis « non abnuit, vel etiam appositum cibum sumpsit. Sed illae « imagines huius hominis erant indicia, cuius veritatem ex « praecedentium Patrum stirpe sumendam, significationes « mysticae nuntiabant » [2]. Hanc theophaniarum legem pro modo suo aliquantulum durius, at eloquenter Tertullianus evolvit. [3] « Constat enim semper visum ab initio qui visus « fuerit in fine, et eum nec in fine visum, qui nec ab initio « fuit visus: et ita duos esse, visum et invisum. Filius ergo « visus est semper, et Filius conservatus est semper, et Fi- « lius operatus est semper.... Ipse enim et ad humana semper « colloquia descendit, ab Adam usque ad Patriarchas et Pro- « phetas, in visione, in somnio, in speculo, in aenigmate; ordi- « nem suum praestruens ab initio semper, quem erat perse- « cuturus in finem. Ita semper ediscebat; et Deus in terris « cum hominibus conversari [4] non alius potuit quam Sermo « qui caro erat futurus. Ediscebat autem, ut nobis fidem ster- « neret, ut facilius crederemus, Filium Dei descendisse in sae- « culum, si et retro tale quid gestum cognosceremus » [5]. Brevius Novatianus: « Personae autem Christi convenit ut « et Deus sit, quia Dei Filius est, et Angelus sit, quoniam

[1] *Adv. Eunom.* II.

[2] Epist. XIII. — Cf. plures huiusmodi auctoritates congestas atque discussas apud Petavium (op. cit. l. VIII, c. 2); cf. et Patrizi, *De interpr. oracul. ad Christum pertinentium*, p. 70, sqq.

[3] Cf. dicenda mox iuxta prudentiorem doctrinam S. Augustini.

[4] Cf. BARUCH, III, 38.

[5] *Adv. Praxeam*, c. 15, sq.

« paternae dispositionis annuntiator est » [1]. - Corroboratur haec doctrina per I. *Cor.* X. 4; *Hebr.* XII. 26; necnon per Conc. Antioch. I. contra Paulum Samosatenum, et Conc. Sirmiense II. (357), Anath. XVI.

4) Non autem ad Filium has manifestationes esse limitandas, evincitur manifesto ex apparitione *Abrahamo* factam *in valle Mambre,* necnon e Sodomorum excidio. Paucis argumentum evolvamus iuxta sententiam Augustini, qui ex tota hac narratione concludit, primo SS. Trinitatem Abrahamo apparuisse, dein cum Abrahamo remansisse angelum qui figurabat personam Dei Patris; duos autem qui ad Loth perrexerunt eumque stragi eripuerunt, Filium et Spiritum Sanctum figurasse. « Cum vero tres viri visi sunt, ait, nec « quisquam in eis vel forma vel aetate vel potestate ma- « ior caeteris dictus est, cur non hic accipiamus visibiliter « insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis aequalita- « tem, atque in tribus personis unam eamdemque substan- « tiam?..... Sed quas duas personas hic intelligimus? an « Filii an Spiritus Sancti? Hoc forte congruentius; missos « enim se dixerunt, quod de Filio, et Spiritu Sancto dici- « mus; nam Patrem missum, nusquam Scripturarum nobis « occurrit » [2].

Et re quidem vera *a*) apparens dicitur in initio Dominus: « apparuit autem ei (Abrahamo) Dominus » [3]. - *b*) Iste Dominus apparet in figura trium virorum: « apparuerunt ei « tres viri stantes prope eum » (v. 2). - *c*) Abraham, mysterii quasi conscius, in tribus unum agnoscit et adorat, et tamen tres alloquitur: « Quos cum vidisset,... adoravit in terram et « dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas « servum tuum: sed afferam pauxillum aquae et lavate pedes « vestros... etc. » (v. 2-4). - *d*) Tres modo loquuntur simul, tanquam unus: « Qui dixerunt... cumque comedissent, dixerunt « ad eum » (v. 5, 9); modo unus loqui narratur: « Cui dixit.... « dixit autem Dominus ad Abraham.... Dominus autem » (v. 10, 13, 15, 17, 20). - *e*) Surgunt simul et pergunt, Abrahamo eos comitante; et mox dicuntur abire Sodomam numero plurali,

[1] *De Trinit.*, c. 22.
[2] *De Trint.*, l. II, n. 20, 22. — *P. L.* t. XLII. col. 858, 859.
[3] GEN. XVIII, 1, sqq.

ita tamen ut Dominus cum Abraham remaneat, et deinceps semper numero singulari cum eo colloquatur, et ab eo discedat solus. « Converterunt se inde et abierunt Sodomam: Abraham « vero adhuc stabat coram Domino..... Numquid perdes?.... « dixitque Dominus.... abiitque Dominus » (v. 22, 23, 33). - *f*) Hi duo viri qui abierant, uno remanente, ecce sub vespere Sodomam venerunt, et quippe missi a primo, tanquam supremae vindictae ministri: « Veneruntque duo Angeli Sodo- « mam vespere » (XIX. v. 1). - *g*) Loth duos salutat et alloquitur, ita tamen ut in fine in duobus unum agnoscat; a quo loco narratio in singulari prosequitur: « Quaeso, Domine mi » (v. 2, 18). - *h*) Iam Dominus ad modum unius sed iussu Domini, sine quo se nihil posse fatetur, in civitatem immittit ignem: « Non potero facere quidquam, donec ingrediaris « illuc... Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham « sulphur et ignem a Domino de caelo » (v. 22, 24) [1].

Ex hac in Mambre et in Sodomis theophania apparet, quid intersit inter theophaniam et missionem: largior quippe est prioris quam alterius conceptus. Nulla missio sine aliquali saltem theophania; at dari potest theophania sine missione; scilicet tum trium personarum simul, tum personae Patris. Sed haec consideratio nos sollicitat, ut sententiam S. Augustini de theophania penitius investigemus.

Sententia S. Augustini de Theophaniis.

In libris II. III. et IV. operis *de Trinitate* S. Augustinus subtiliter ac fuse de theophaniis disserit. Doctrina autem eius ad capita sequentia referri potest.

1) Solus Filius in natura humana assumpta proprie substantialiter visibilis factus est, et personaliter apparuit. - 2) Tota Trinitas invisibilis est, non autem solus Deus Pater.

[1] Cf. de hac visione S. Aug. (*De Trinit.*, lib. II, n. 19-23). — *P. L.* t. XLII, col. 857, sqq. Ne putes hoc argumentum esse longius petitum, quum e contra coram iaceat et iam a Iustino, Irenaeo, Hilario aliisque adductum sit, accipe verba concilii Sirmiensis (351) contra Photinum statuentis: « Si quis *pluit dominus a domino* « non de Filio a Patre intelligat, sed ipsum a se pluisse dicat; anathema sit: pluit « enim Dominus Filius a Domino Patre ».

- 3) Si omnes tres personae per se invisibiles sunt, non est ratio cur absolute a theophaniis excludatur Pater, et ad solos Filium et Spiritum Sanctum istae manifestationes visibiles limitentur. - 4) Per consequens ex signis et adiunctis determinandum erit, utrum Deus ut unus, an personae tres, aut una prae alia persona appareat. - 5) Inter haec signa duo eminent: missio et character personali notioni respondens. Missio enim Patrem excludit; character personam determinat. - 6) Ita *a*) Pater apparuit in voce, quae de Filio in Iordane et in monte testificata est; *b*) Filius in rubo, in visione Moysis, etc.; *c*) Spiritus Sanctus in columba Iordanis, in igne coenaculi, probabiliter in Sina; *d*) Pater et Filius simul in visione Danielis; *e*) Pater, Filius et Spiritus Sanctus simul in visione Mambre; *f*) Filius et Spiritus simul in Sodomis; *g*) utrum tota Trinitas, an una ex personis, et qualis, in paradiso, aut in columna nubis, incertum. - 7) Porro sensibilia per quae apparet Deus, sunt opus totius Trinitatis ad extra. - 8) Possunt tamen esse opus angelorum, uti apparitionis ministrorum. - 9) Iam vero si angelus Dei intelligitur de vero angelo, apparitionis ministro, « angelus Dei » refertur ad ministrum visibiliter Numen repraesentantem; « Dominus » vero, aut alia appellatio huiusmodi, refertur ad illum quem repraesentat. Unde in hac interpretatione de tota Trinitate intelligi possunt, quae secus nonnisi personae missibili convenire possunt [1].

Quae tota doctrina his aureis verbis, uti in germine continetur: « Sacrarum Scripturarum locis nihil aliud, quantum « existimo, divinorum sacramentorum modesta et cauta con- « sideratio persuadet, nisi ut temere non dicamus, quaenam « ex Trinitate persona cuilibet patrum aut prophetarum in « aliquo corpore vel similitudine corporis apparuerit, nisi « cum continentia lectionis aliqua probabilia circumponit « iudicia. Ipsa enim natura vel substantia vel essentia, vel « quolibet nomine appellandum est id ipsum, quod Deus est, « quidquid illud est, videri non potest; per subiectam vero « creaturam non solum Filium vel Spiritum Sanctum sed « etiam Patrem corporali specie sive similitudine mortali-

[1] Hanc doctrinam de ministerio angelico alii Patres docuerunt. Cf. dicenda in tract. de angelis.

« bus sensibus significationem sibi dare potuisse, credendum « est » [1].

Quantopere haec doctrina sit consona veritati, rectamque exhibeat intelligentiam relationum quas singulae personae ad signa se manifestantia habere possunt, demonstratur ex doctrina de possibilitate Incarnationis. Si theophania non posset manifestare personam Patris, neque Pater naturam humanam assumere potuisset; idem dic de Spiritu Sancto. Si tres personae nequeunt in theophania apparere, neque potuissent singulam sibi quisque naturam assumere. Demum si tota Trinitas non potuit sub una theophania apparere, neque a fortiori potuissent tres personae unam assumere naturam. Iam vero in tractatu de Verbo Incarnato haec omnia possibilia fuisse, probatur aut saltem validissime suadetur.

Quare cum Card. Franzelin [2] reiicimus, tanquam confusa et inchoaerentia, quae Kuhn [3] doctrinae S. Augustini opponit, ac si Deus absolute spectatus non posset apparere totus in manifestatione singulari, nec tres personae simul in manifestatione triplici, nec etiam prima persona Patris sola, si velit, et de ea constet. Fatendum est utique, passim apparuisse personas procedentes, et maxime Verbum; sed a facto ad exclusionem possibilitatis alterius facti non valet illatio, nisi principia firma eidem possibilitati obsint. Iam vero Augustinus subtiliter ac solide ostendit, nullum huiusmodi principium in casu adesse.

Quae doctrina non solum est in se firmissimo innixa fundamento, sed et maxime, praesertim S. Augustini tempore, erat solvendis controversiis opportuna.

Quum enim apud omnes esset in confesso, Patrem esse Deum; si constet et ipsum Patrem visibiliter se manifestasse, aut saltem se manifestare potuisse, iam nullum ex huiusmodi theophaniis argumentum inferioris dignitatis ab Arianis contra Filium deduci poterat. Insuper magis cavebatur a Gnosticis. Nam urgendo invisibilitatem Patris, ansa praebebatur imaginationi illorum, qui Patrem hunc referebant ad Βυθὸν

[1] Op. cit. l. II. in fine. Col. 868.
[2] Op. cit., th. VI, n. 2, p. 94 sq.
[3] *De Trin.*, sect. I, § 2.

illum, a quo, iuxta Gnosticorum somnia, simul et a Σιγῇ in Πληρώματι procedebant συζυγίαι.

Quaeres, quid inter doctrinam Augustini et Patrum praecedentium quoad theophanias intersit. - Respondetur, non dari veram unius ad alios oppositionem, quoad summam rei; Augustinum autem pleniori ac profundiori modo argumentum pertractasse, distinguendo ubi alii nimis absolute vel affirmabant vel negabant.

Praesertim accuratius determinavit quousque Pater prae aliis personis SS. Trinitatis invisibilis dici possit. Et re quidem vera apud nonnullos veteres scriptores tales de hac re inveniuntur loquendi modi, qui non solum veritatem excedant, sed et erroribus gravibus ansam praebere [1] possint. Imprimis apud Origenem, Tertullianum et Novatianum haec immoderata doctrina reperitur, uti erudite Petavius ostendit [2].

Ex dictis conclude, Hipponensem in hac quaestione, uti in tot aliis, de re theologica optime meruisse.

Conclusio.

Ex praecitatis locis Veteris Testamenti apparet, genuinam Iudaeorum traditionem cum fide catholica SS. Trinitatis harmonice conspirare debere.

Theologi quidem Antiquae Legis fideles in tres classes distribuere solent [3]. 1) *Patriarchas*, *Prophetas*, hominesque *peculiari pietate* distinctos, sat claram SS. Trinitatis mysterii notionem habuisse, praesertim Filii, et rei indoles suadet, et auctoritas confirmat. « Multi prophetae et iusti cupierunt « videre quae vidistis » [4], ait ipse Christus; et: « Abraham « pater vester exsultavit, ut videret diem meum. Vidit, et « gavisus est » [5]. Unde Epiphanius declarat: « Una Trinitas

[1] Aliunde tamen putabant ex huiusmodi doctrina valide divinitatem Filii demonstrari posse, hoc argumento: In V. T. visibiliter Deus apparuit. Atqui Deus visibiliter apparens nequit esse Pater. Ergo Filius, et per consequens Christus est Deus. Hoc syllogismo ipse Hilarius usus esse perhibetur (*De Trinit.*, l. v).

[2] Op. cit., l. viii, c. 2, n. 4.

[3] Cf. *Theol. Wirceb.*, tom. ii, disp. 5, cap. 1, a. 1.

[4] Matth., xiii, 17.

[5] Ioann., viii, 56.

« semper in illa singulari divinitate annuntiata, creditaque « ab illis est, qui caeteris antecellerent, cuiusmodi prophetae, « atque eximia sanctitate praediti homines fuere » [1]. Idque suadetur quam maxime ex modo quo Scripturae narrant Beatissimam Virginem, Zachariam, Elisabeth, Ioannem Baptistam, eiusque praecipuos discipulos nuntium Filii Dei accepisse.

2) *Doctores* porro *Legis,* hominesque in Scripturarum cognitione magis versatos, Trinitatis mysterium aliqualiter agnovisse, pariter suadetur ex indole rei et ex facto. Praedicanti enim divinitatem suam Christo non ideo fidem denegabant Pharisaei, Legisque periti, quia Filium Dei proclamabat, sed quia Dei Filium asserebat semetipsum. Inde Nicodemus et Gamaliel tam prompta voluntate Messiae adhaeserunt, ipseque Paulus, gratiae fulmine victus, eruditissime divinitatem Christi vindicavit. Mirum inde non est, imo rerum naturae apprime consonum, Iudaeorum traditionem in Kabbala, maxime in libro Zohar consignatam, catholicum SS. Trinitatis dogma aperte corroborare [2].

Non immodeste Liebermann, ipse rei peritus; « Praeter « Scripturae veteris testimonia multa alia sunt, quae persua- « dent, Trinitatem personarum temporibus Christi et ante « Christum non fuisse prorsus incognitam. Christus et Apo- « stoli de divinis personis ita locuti sunt, ut manifestum « sit, eos nihil protulisse, quod omnino novum et inauditum « fuisset. Iam si ea adduntur, quae ex scriptis Philonis, ex « Paraphraste Chaldaeo, ex Kabbalistarum sententiis et vete- « rum Rabbinorum libris citantur a viris non magnae tantum, « sed accuratae et castigatae eruditionis, non videtur dubio « locum manere. Unde temeritatis accusantur aut ignoran- « tiae, quamvis se doctores forsan et accuratiores existimant, « qui volunt nihil de Trinitate fuisse ante Christum pro- « ditum » [3].

3) Si iam ipsum *populum* consideremus, multos in eo nihil

[1] *Adv. haeres.*, II, haer. 5.

[2] Cf. RAYMUNDUS MARTINI (*Pugio fidei adv. Mauros et Iudaeos,* praesertim ed. 2, cura Iosephi de Voisin anno 1651); GALATINUS (*Secreta veritatis catholicae*); Rabbi DRACH (*De l'harmonie entre l'Eglise et la Synagogue.* Paris, 1844); ROHLING (*Salomon. Spruchbuch.* Mainz, 1879).

[3] *Instit. theol.*, l. II, *de Trin.*, p. 1, c. 1, prop. 2, § 2.

huiusmodi fuisse suspicatos, facile concedet, cuicumque abyssum ignorantiae vulgi, etiam apud catholicos demetiri contigit. Ast non ideo putamus, hanc ignorantiam fuisse prorsus generalem: idque verba ultima modo citata evincunt.

Concordia autem inter Kabbalam et doctrinam catholicam de qua agimus tam manifesta quibusdam est visa, ut Picus a Mirandola thesim conscripserit quintam, cui titulus: « Quilibet hebraeus Kabbalista secundum principia et dicta scientiae Kabbalae cogitur inevitabiliter concedere de Trinitate et qualibet persona divina illud praecise, sine diminutione, additione aut variatione, quod ponit fides catholica christianorum » [1].

Caeterum decursu temporis Iudaeos partim, Platonismo alexandrino imbutos, Philone duce, in gnosticismum declinasse; partim, ex odio in Christianos, ad sabellianum Unitarismum sese recepisse, compertum est [2].

De quo systemate Philonis infra sermo recurret, ubi et ipsa Platonis trilogia ponderanda erit, et cum SS. Trinitatis dogmate conferenda.

Collige ex dictis hucusque, non sine quodam moderamine accipienda esse quae habet S. Gregorius Nazianzenus: « Sic se res habet: Vetus Testamentum Patrem aperte praedicabat; Filium obscurius. Novum autem nobis Filium perspicue ostendit: et Spiritus divinitatem subobscure quodammodo indicavit. Nunc vero Spiritus nobiscum versatur; seseque nobis apertius declarat » [3]. Cautius sane loquitur Rupertus, ubi SS. Trinitatem Abrahamo apparuisse fatetur [4].

[1] Kabbalam esse mixturam inaequalem, in qua gemmae luto multo circumdantur, ostendit Knorr von Rosenroth. *(Kabbala denudata.* Sulzbah, 1677).

[2] Plura lege de hoc argumento apud Heinrich (*Dogmat. Theol.*, II, B. p. 14, sqq.).

[3] Orat. XXXVII.

[4] *De glorif. Trinit.*, l. IV, c. 22. — *P. L.* t. CLXIX, col. 95, sq. — Cf. de hoc argumento Petavium (op. cit. l. II, c. 7, n. 1, sqq.).

CAPUT II.

DE DOCTRINA SS. TRINITATIS IN NOVO TESTAMENTO.

Antequam SS. Trinitatis doctrinam in N. T. apertius praedicatam perpendamus, oportet breviter colligere quid de Dei unitate proclamet.

A) Et sane explicitior Trinitatis affirmatio quae in Nova Lege invenitur, ita ut ipse Christus recte vocari possit magnus praeco Trinitatis, non impedit quominus in eadem Nova Lege unitas Dei solemniter commendetur: « Dominum Deum « tuum adorabis et illi soli servies » [1]. « Unus est bonus, « Deus » [2]. « Unus est Pater vester, qui est in caelis » [3]. « Audi, Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est » [4]. Ita Christus.

Sed et hanc unius Dei fidem non minori insistentia proclamant Apostoli: « Unus est Deus, qui iustificat circumci- « sionem ex fide, et praeputium per fidem » [5]. « Scimus quia « nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi « unus » [6]. « Mediator.... unius non est: Deus autem unus est » [7]. « Unus Deus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium » [8]. « Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum » [9]. « Tu credis quoniam unus est Deus; bene facis.... Unus est legislator et iudex » [10].

Firmissimum igitur manet monotheismi in Nova Lege fundamentum. De hac unitatis divinae primordiali fide prae aliis Patribus egregie scripsit S. Gregorius Nyssenus in opere: *Quod non sint tres dii* [11].

[1] Matth. iv, 10,
[2] Ib. xix, 17.
[3] Ib. xxiii, 9.
[4] Marc. xii, 29. Cf. 32.
[5] Rom. iii, 30.
[6] i. Cor. viii, 4.
[7] Gal. iii, 20.
[8] Ephes. iv, 5, 6.
[9] i. Tim. ii, 5.
[10] Iac. ii, 19; iv, 12.
[11] *Ad Abladium.* — *P. G.* t. xlv, col. 116, sqq.

B) At in hoc Deo unico distinctae personae aperte describuntur, et quidem ita ut eadem videatur Scripturae [1] esse sollicitudo distinctionem in eis personarum, et singularitatem naturae vindicare. Videamus primum locos in quibus diserte Filius et Pater discernuntur; dein eos in quibus Spiritus Sanctus discrete nominatur; demum eos in quibus tres personae enumerantur simul [2].

I) Et primo quidem **Filius** exhibetur tum alius a Patre, tum unus cum Patre Deus [3]. 1) *Distinctum a Patre* demonstrat *a*) ipsa appellatio Filii: « Hic est Filius meus dilectus, in « quo mihi complacui » [4]. « Vidimus gloriam eius, gloriam « quasi Unigeniti a Patre; etc. » [5]. « Unigenitus, qui est in « sinu Patris, ipse enarravit » [6]. « Sic Deus dilexit mundum, ut « Filium suum unigenitum daret » [7]. « Clarifica me, tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, prius quam mundus esset apud te » [8]. Cf. locutiones: « proprius Filius » [9], « verus Filius, etc. » [10]. - *b*) Distinctionem pariter demonstrant locutiones in quibus Filius « mitti », « dari » a Patre praedicatur. « Ut credat mundus quia tu me misisti » [11]. « Non enim misit « Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut « salvetur mundus per ipsum » [12]. « Qui misit me Pater, ipse « testimonium perhibuit de me: neque vocem eius unquam

[1] Scripturam dicimus in genere; nam eadem invenitur doctrina in toto N. T. unde falsa prorsus et absona distinctio illa a modernioribus quibusdam rationalismo faventibus inducta, ac si alia esset doctrina Synopticorum, uti aiunt, alia S. Ioannis; alia S. Pauli, alia caeterarum epistolarum. Abundantius quidem apud S. Ioannem et S. Paulum divinitas Christi demonstrata invenitur; sed pro opportunitate reperitur apud omnes, aut certe tanquam fundamentum ab omnibus supponitur. Caeterum, quid mirum si homines quibus nexus dogmaticus inter utrumque Testamentum non patet, N. T. doctrinam percipere non valent? *O stulti et tardi corde!*

[2] Cf. de hoc toto argumento Heinrich (op. cit. § 220, sqq); Schwetz (*Theol. dogm. cath.* t. I, sect. III, tit. 1); etc., etc.

[3] Confer inter alios Patres de hoc argumento S. Cyrillum Alexandrinum (*De SS. Trinit. dial.* III. — *P. G.*, t. LXXV, col. 788 sqq).

[4] MATTH. III, 17.

[5] IOANN. I, 14.

[6] Ibid.

[7] Ibid. III, 16.

[8] Ib. XVII, 5.

[9] ROM. VIII, 32.

[10] I, IOANN. V, 20. — Cf. et confessionem Petri. MATTH. XVI, 16.

[11] IOANN. XVII, 21.

[12] IOANN. III, 17.

« audistis, neque speciem eius vidistis; et verbum eius non « habetis in vobis manens; quia quem misit ille, huic vos non « creditis » [1]. - *c*) Idem dic de formulis pluralibus v. gr.: « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.... « et ad eum veniemus et apud eum mansionem faciemus » [2]. « Solus non sum, sed ego, et qui misit me Pater » [3].

2) At hic distinctus a Patre multis in locis *unum cum Patre* exhibetur, et quidem directe et indirecte. *a*) *Indirecte* quidem α) ubicumque Deus proclamatur; quum enim Deus sit unus, necessario Filius Deus unum est cum Patre: [4] « Unus « Dominus, Iesus Christus, per quem omnia et nos per ip- « sum » [5]. « Deus erat Verbum » [6]. « Apparuit benignitas et « humanitas Salvatoris nostri Dei » [7]. « Ad Filium autem « (dicit Scriptura): thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi. « Et tu in principio, Domine, terram fundasti » [8]. « Dominus « meus, et Deus meus » [9]. - β) Pariter ubicumque ei tribuuntur « opera divina: « Pater meus usque modo operatur, et ego « operor.... Quaecumque ille fecerit, haec et Filius similiter « facit » [10]; « portans omnia verbo virtutis suae » [11]. « Dedit eis « potestatem filios Dei fieri » [12]. - Vel γ) par cum Patre cultus et gloria: « Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant « Patrem » [13]. « Accipite Spiritum Sanctum » [14]. - Vel δ) par cum Deo aeternitas: « Iesus Christus heri, et hodie; ipse et

[1] Ioann. iii, 37, sq. — Cf. ibid. iii, 16.

[2] Ibid. xv, 21, 23.

[3] Ibid. viii, 16.

[4] Supponimus hic Patrem apertissime in Scripturis esse Deum; est enim passim ipse Conditor universi, unde et Pater hominum: *Pater noster;* est auctor Legis, et princeps Iudaici populi; disertissime Deus, ab ipso Christo eius vero filio proclamatur. Cf. Schwetz (op. cit. art. 1). Unde nulla haeresis Patrem Deum esse negavit.

[5] I. Cor. viii, 6.

[6] Ioann. i.

[7] Tit. iii, 11.

[8] Hebr. i, 8 sq.

[9] Ioann. xx, 29. Eleganter S. Cyrillus Alex.: « Tractabilis factus est, qui trac- « tari nequit; unde Thomas, manu et digitis vestigia clavorum contrectans, dixit: « " Dominus meus, et Deus meus " ». (Op. cit. *Dial.* v. Ibid. col. 937).

[10] Ioann. v. 17, 21.

[11] Hebr. v, 3.

[12] Ioann. i, 12.

[13] Ioann. v, 23.

[14] Ioann. xx, 22. Optime rursus idem S. Cyrillus: « At numquid absurdissimum fuerit vitae largitorem eum esse, qui non sit vita? » (op. cit., col. 964).

« in saecula » [1]. - *b*) *Directe* autem haec aequalitas in eodem praedicatur, quotiescumque eiusdem naturae communitas per processionem, vel circuminsessio personarum, vel simpliciter ambo unum proclamantur: α) « Qui cum in forma Dei esset, « non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo » [2]. - β) Est quippe « splendor gloriae Patris, et figura substantiae eius » [3]. « Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio « habere vitam in semetipso » [4]. « Pater quod dedit mihi, « maius omnibus est » [5]. « Ego in Patre et pater in me » [6]. - γ) « Ego et Pater unum sumus » [7].

II) Simillima est doctrina **de Spiritu Sancto** [8]. Et 1) *distincta* describitur persona a Patre et a Filio. Nam *a*) in Iordane apparet sub forma distincta a Filio baptizato et a Patre loquente [9]. - *b*) Vocatur ab ipso Filio alius a se: « Ego « rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat « vobiscum in aeternum » [10]. - *c*) Adnumeratur Patri et Filio (Cf. argumenta n. III). - *d*) Exhibetur uti mittendus a Filio: « Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre » [11]. - *e*) Describitur, uti procedens a Patre et Filio α) in communi, quia « ex Deo est » [12]; - β) in singulari, nam « a Patre procedit », et est « Spiritus Patris » [13]; pariter accipit « de Filio » [14] « unde est » « Spiritus Iesu » [15].

2) *Unum* autem cum Patre et Filio exhibetur *a*) *indirecte* ubicumque divina de eo praedicantur. Et re quidem

[1] Hebr. xiii, 8. — Cf. S. Cyrill. Alex. (op. cit., col. 997).
[2] Philipp. ii, 6.
[3] Hebr. i, 3.
[4] Ioann. v, 25.
[5] Ibid. x, 29.
[6] Ibid. xiv, 10.
[7] Ibid. x. 30.
[8] Lege de Spiritus Sancti divinitate S. Gregorii Nazianzeni orationem dogmaticam 31 (*P. G.* t. xxxvi, col. 153), et S. Cyrillum Alex. ex Scripturis erudite disserentem (op. cit. *Dial.* vii, col. 1076 sqq.).
[9] Matth. iii, 16.
[10] Ioann. xiv. 16.
[11] Ioann. xv, 26. — Cf. ibid. xiv, 26.
[12] i. Cor. ii, 12.
[13] Matth. x, 20.
[14] Ioann. xvi, 14, 15.
[15] Act. xvi, 7; i. Petr. i. 11; cf. Gal. iv, 6.

vera α) dicitur charitas Dei per Spiritum S. in corda diffundi [1]; ergo hic Spiritus Deus est; - β) facit ex Deo renasci, et testimonium dat filiationis divinae adoptivae [2]; - γ) ventura scrutatur, et per ipsum loquuntur prophetae [3]; - δ) corda inhabitans reddit templum Dei [4]; - ε) est omnipotens gratiarum distributor [5]. - *b*) *Directe* omnino ubi appellatur Deus. Ananias enim, pretii agri sui fraudator, dicitur a S. Petro mentitus « Spiritui Sancto », id est « Deo » [6].

Caeterum ipsa haeresum historia utrumque tum de Filio, tum de Spiritu Sancto evidenter comprobat. Unde enim tam acriter ex una parte Sabelliani realem inter personas distinctionem oppugnassent, ex altera vero Ariani et Macedoniani tam impie divinitatem procedentium negassent, nisi Scripturae manifeste utrumque proclamassent: Filium scilicet et Spiritum Sanctum cum Patre esse natura unum solum Deum, et nihilominus realiter a Patre et ab invicem personali ratione distingui.

III) Nec satis. Adsunt loci in quibus *simul* enumerantur *Pater, Filius et Spiritus Sanctus*, sive formulis velatis, sive formulis apertis, idque vel cum subordinatione processionis, vel in linea aequali, servato solo ordine originis.

1) Duplex praesertim occurrit formula velata: « Unus « Deus et Pater [7] omnium, qui est super omnia (Pater), « et per omnia (Filius), et in omnibus nobis (Spiritus Sanc- « tus) » [8]. « Ex ipso (Patre) et per ipsum (Filium) et in ipso « (Spiritu Sancto) sunt omnia: ipsi gloria in saecula » [9].

2) Inter has formulas velatas et plane manifestas occurrit deprecatio Pauli: « Gratia D. N. I. C. et caritas Dei, et commu-

[1] Rom. v, 5: viii, 15 sq.
[2] Ibid. viii, 15, sq.; Gal. iv, 6.
[3] Act. xx, 22, xxviii, 25 sq.; i. Petr. i, 10.
[4] i. Cor. iii. 16, vi sq.
[5] i. Cor. xii, 3 sqq.
[6] Act. v, 3, 4,
[7] Deus Pater vocatur tum ad intra, tum ad extra. Ad extra est universi conditor; hoc altero sensu Pater totam SS. Trinitatem designat. Ita in hoc loco, et in oratione dominica.
[8] Eph. iv, 6.
[9] Rom. xi, 36.

« nicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis » [1]. Habet de aperta formula nomina Ies. Chr. et Spir. S., de velata autem nomen genericum Patris, necnon ipsum ordinem quo adnumerantur. « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra « clamantem [2] Abba, Pater». In quo loco ultima verba diserte manifestant "Deum" in initio sumi in sensu Patris. Pariter: « Sed abluti estis, sed iustificati estis in nomine « D. N. I. C. et in Spiritu Dei nostri » [3]. Item: « Qui autem « confirmat nos vobiscum in Christo (εἰς Χριστόν), et qui « unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiri- « tus in cordibus nostris » [4]. Necnon: « Nemo potest dicere « Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto. Divisiones vero gra- « tiarum sunt, idem autem *Spiritus;* et divisiones ministra- « tionum sunt, idem autem *Dominus;* et divisiones ope- « rationum sunt, idem vero *Deus,* qui operatur omnia in « omnibus » [5]. Ad hanc classem pertinent verba Angeli ad Mariam: « *Spiritus Sanctus* superveniet in te, et virtus *Al-* « *tissimi* obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te « Sanctum, vocabitur *Filius* Dei » [6].

3) Apertae formulae cum subordinatione originis ac missionis sunt sequentes: « Ego rogabo Patrem, et alium Pa- « raclitum dabit vobis;... » « Paraclitus autem Spiritus S. « quem mittet Pater in nomine meo » [7]. « Cum autem ve- « nerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum « veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit « de me » [8]. « Ille Spiritus me clarificabit: quia de meo ac- « cipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater « mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, et annun- « tiabit vobis » [9]. Huc pertinet quoque theophania in Iordane: « Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, et « ecce aperti sunt ei caeli; et vidit *Spiritum Sanctum* de-

[1] II. Cor. ultimo versu.
[2] Gal. iv. 6.
[3] I. Cor. vi. 21.
[4] II. Cor. i. 21. sq.
[5] I. Cor. xii. 3-6.
[6] Luc. i, 35.
[7] Ioann. xiv. 16, 26.
[8] Ibid. xv. 26.
[9] Ibid. xvi. 14, sq.

« scendentem sicut columbam, et venientem super se. Et « ecce vox de caelis dicens: Hic est *Filius* meus dilectus, « in quo *mihi (Patri)* complacui » [1].

4) Formulae demum apertissimae enumerant tres personas in eadem linea, servato unice ordine originis. Praecipua est, utpote extra omnem authenticitatis controversiam, formula baptismi: « Data est mihi omnis potestas in caelo « et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes « eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (εἰς τὸ « ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος) » [2]. - Altera, quae magis adhuc in se est explicita, minorem autem habet in vindicando dogmate polemicam vim, quia de eius athenticitate acerrime controvertitur: « Tres sunt « qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus: « et hi tres unum sunt » [3].

De quo utroque textu, propter principatum quem quoad explicitam formulam inter Scripturae locos tenent, ex professo pauca dicenda videntur.

A) De Vi dogmatica Formulae Baptismi.

Intentum obtinuerimus, si in hac solemni formula probaverimus 1) tres enumerari distinctas hypostases, 2) in unitate eiusdem naturae divinae. In his duobus enim - uti iam saepe monitum est - residet SS. Trinitatis mysterium. Complebitur demonstratio, si processionis ordo ac modus ex eadem formula, aliqualiter saltem, erui poterit. - Ad singula membra huius demonstrationis accedamus.

1) Tres in hac formula enumerari hypostases distinctas, probatur *a) ex indole vocabulorum.* Etenim Pater et Filius sunt talia nomina hypostatica quae, propter oppositionis relationem quam habent ad invicem [4], non possunt quoad idem de eadem persona praedicari. Sunt ergo duae hypostases distinctae: Pater et Filius. Quod si hae duae ita distinguuntur, iam

[1] Matth. III, 16, 17.
[2] Matth. XXVIII. 19.
[3] I. Ioann. v. 7.
[4] De hac relationis oppositione in sequenti quaestione fuse tractabitur.

lex sermonis exigit, ut, in eadem prorsus enumeratione, tertius terminus eodem modo se habeat ad duos priores, quo isti se habent ad invicem. Sunt ergo tres hypostases distinctae: Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

b) Idem probatur et urgetur *ex modo* quo haec tria verba iunguntur ad invicem. Copula enim *et* proprium habet ut quos discernit appareant distincti, et non solum quaedam qualitatum accumulatio eidem subiecto tribuatur.

Hoc tam verum est, ut Priscillianus ille fraudulentus Sabellianismi fautor Scripturarumque corruptor [1], in hac ipsa formula copulam « et » abstulerit. « Trinitatem autem, ait « Orosius in *Commonit. ad S. August.*, solo verbo loqueba- « tur; nam unionem absque ulla existentia aut proprietate « adserens, ablato « et », Patrem, Filium, Spiritum S. hunc « esse unum Christum docebat » [2].

Vis huius considerationis adhuc augetur inspecto textu graeco. Iteratio enim articuli τοῦ demonstrat, non acervari heic appellationem triplicem de eodem subiecto, sed enumerari subiectum triplex. Quae consideratio per oppositos textus illustratur. Visne e Scripturis habere exempla in quibus praedicata, eidem subiecto plura tribuuntur? En locutio Pauli: « Expectantes beatam spem et adventum gloriae « magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi » [3]. Suntne duo subiecta « magnus Deus et Salvator », an unum solum, duplici praedicato descriptum? Articulus litem solvit: « ἐπιφά- « νειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ « Χριστοῦ ». Unus est articulus, unum ergo subiectum. Unde hic textus iure inter praecipuos enumeratur ad divinitatem Christi demonstrandam. — « Benedictus Deus et Pater D. N. I. C., Pater misericordiarum et Deus totius consolationis » [4]. In hac geminata sententia bis occurrunt appellationes Deus et Pater, per chiasma disposita: subiectum est utrimque idem; vide in utroque membro articulum semel positum: « Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ τοῦ Κ.Η. Ι. Χ., ὁ Πατὴρ

[1] De Priscilliano Scripturarum corruptore vide mox dicenda ubi de Commate Ioannis.

[2] *Corp. Script. latin. Priscill. quae supersunt.* Nov. ser. vol. III, p. 154. — Hoepl. Mediolan. 1889. — Cf. Epist. Papae Virgilii ad Profuturum hispan. episc.

[3] Tit. II, 13.

[4] II. Cor. I, 3.

« τῶν οἰκτιρμῶν καὶ παντὸς πάσης παρακλήσεως » [1]. Pari lege Deus et Pater sine iterato articulo nominantur: « Τῷ δὲ « Θεῷ καὶ Πατρὶ ἡμῶν ἡ δόξα » [2]. - « Εὐχαριστοῦντες τῷ Θεῷ « καὶ Πατρὶ δι' αὐτοῦ » [3]. - « Ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς « ἡμῶν » [4]. Item Deus, sub nomine Regis universi, ac Pater: « Τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων, ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ Θεῷ, τιμὴ « καὶ δόξα; etc. » [5]. E contra Deus Pater et Christus Iesus articulo duplicato tanquam duo subiecta discernuntur: « Εἰς « ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Χριστοῦ » [6]; quod adhuc apertius est in locutionibus in quibus Deus et Pater per copulam separantur: « Αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ « ἡμῶν καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς » [7]; ac ordine inverso: « Αὐτὸς δὲ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ ὁ Θεὸς « καὶ Πατὴρ ἡμῶν » [8]. - *c*) Demum distincta esse subiecta, ostenditur per collatos innumeros locos ex quibus tum Filius distinctus a Patre, tum Spiritus a Patre et Filio manifesto apparent. Habemus igitur in formula baptismi tres hypostases enumeratas uti distinctas.

2) Iam vero hae tres personae distinctae ex eadem formula probantur *in unica divina natura* communicare.

a) Et primo quidem *unum nomen* hi tres distincti habere ostenduntur. Nomen autem, utpote naturam rei indicans, dicit essentiam. Ergo hae tres hypostases distinctae unum sunt essentia; unum habent nomen, scilicet unus sunt Deus. Est ipsum argumentum quo Patres uti solent. S. Ambrosius ait: « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Tres per« sonas quidem significavit, sed unum Trinitatis nomen as« seruit. Unus itaque Deus, unum nomen, una maiestas » [9]. Et explicitius S. Augustinus: « In nomine Patris et Filii et « Spiritus Sancti. Iste unus Deus est, quia non in nominibus « Patris et Filii et Spiritus Sancti, sed in nomine Patris et « Filii et Spiritus Sancti. Ubi unum nomen audis, unus est

[1] Cf. Ephes., iii. 3.
[2] Philipp., iv. 20.
[3] Col., iii. 17.
[4] I. Thess., iii. 13.
[5] I. Tim., i. 17.
[6] Col., ii. 2.
[7] I Thess., iii. 11.
[8] II. Thess., ii. 16.
[9] *De inst. Virg.*, c. 10, n. 67, 68. — *P. L.* t. xvi. col. 322.

« Deus » [1]. Tanta est huius locutionis vis, ut Sabelliani ea abutentes, ex unitate nominis ad unitatem personae singularis concluserint. Quos valide confutat S. Basilius: « Patris « et Filii et Spiritus Sancti natura quidem eadem et divinitas « una; nomina vero (haec scil. relativa) diversa circumscriptas « et distinctas notiones nobis exhibent.... Probe enim scien- « dum est, quemadmodum qui essentiae communionem non « confitetur, in polytheismum incidit; ita in Iudaismum deferri, « qui proprietatem hypostaseon non admittit » [2]. Veritas igitur catholica in medio stat ex una parte inter Arium ac Macedonium, quos convellit locutio *in nomine*, et Sabellium ex altera, contra quem faciunt relativa nomina Patris et Filii et Spiritus Sancti.

b) Iam crescit huius argumenti virtus, si locutio *in Nomine* penitius inspiciatur. *In Nomine* idem sonat, ubi de Deo agitur, ac *in Numine:* est quippe invocatio (vox: nomen) totius divinae maiestatis. Inde in Antiqua Lege tanta reverentia Nomini Domini exhibita, ut vocabulum proprie Numen exprimens ne labiis quidem mortalibus fas fuerit proferre. Quare iuxta Hipponensem nomini divino « debemus « eam servitutem, qua non nisi Deo serviendum est, quae « graece appellatur λατρεία » [3]. Accipe ex innumeris huius nominis in Vet. Test. invocationibus quaedam saltem exempla: « Protegat te nomen Dei Iacob;... in nomine Dei nostri « magnificabimus;... hi in curribus et hi in equis, nos autem in « nomine Domini Dei nostri invocabimus » [4]. « In nomine « sancto eius speravimus, nomen Domini spes eius » [5]. Identificatur quippe in sermone sacro nomen Dei cum ipsa divina maiestate. Ubi Deus eligit cum hominibus habitare, dicitur in Angelo Domini a se misso ponere nomen suum [6]. Nomini Dei Salomon templum extruit, in quo nomen suum futurum

[1] *In Ioannem*, tract. VI, n. 9. — *P. L.* t. XXXV, col 1429.

[2] *Ep.* 210, n. 4. 5. — *P. G.* t. XXXII, col. 773. 775. — Intellige in Iudaismum perperam intellectum.

[3] *De Trinit.*, l. I, c. 6, n. 13. — *P. L.* t. XLII, col. 828.

[4] Ps. XIX, 2, 6, 8.

[5] Ps. XXXII, 91.

[6] Exod., XXIII. 20, 21: « Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, « et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum, et audi « vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, et *est* « *nomen meum in illo* ».

ipse Deus dixerat [1]. Porro ex hac communione inter Nomen et Numen, boni a malis discernuntur, secundum quod Dei Nomen agnoscunt aut ignorant sive obliviscuntur, amant aut oderunt, timent aut despiciunt [2]. In Domini nomine prophetae futura annuntiant [3]. Blasphemia in nomen Domini summum flagitium: « Et qui blasphemaverit nomen meum morte moriatur » [4]. Hanc nominis Dei reverentiam Novum Testamentum sacravit, quum Christus orare nos docuit: « Sanctificetur nomen tuum » [5]; quum Petrus in nomine Iesu miracula patravit [6], nullum proclamans aliud dari nomen in quo sit salus [7]; quum Paulus nomen Iesu celebravit, cui omne genu flecti debeat in caelis, in terris ac inferis [8]; quumque nos opera omnia in nomine Domini Iesu Christi facere docuit [9]. Formula igitur « in nomine » aequivalet « in Numine, in « virtute divina Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Ergo Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt quidem tres personae, sed unus Deus.

c) Nec satis. Validissime hoc duplex argumentum corroboratur per addita verba: « *baptizantes eos* ». Etenim haec verba ostendunt, agi hic de operatione, quae non possit nisi a Deo compleri, quippe quae virtutem divinam exigens, divinum sacramentum continens, omnem facultatem, omne ministerium humanum imo angelicum exsuperet. Quod ex Scripturis positive et negative ostendi potest. α) *Positive* quidem, per ipsam operationis baptismalis analysim. Duplicem scilicet baptisma habet respectum, deletivum alterum, alterum consecrativum. Est enim actio qua destruitur vetus homo, et homo novus induitur ac quasi creatur. Utrumque elementum, in ipsa morte ac resurrectione Domini figuratum, exhibet S. Paulus, quando ait: « Consepulti enim sumus cum illo

[1] III. Reg., VIII, 20, 99: « Aedificavi domum nomini Domini Israël:.. de qua dixisti: « " Erit nomen meum ibi ", ut exaudias orationem quam orat in loco isto ad te « servus tuus ».

[2] Ita in Psalmis passim.

[3] Ierem., XXV, XXVI, XXIX. passim.

[4] Lev., XXIV, 16.

[5] Matth., VI, 9.

[6] Act., III, 6, 16.

[7] Ibid. IV, 12.

[8] Philipp., II, 9. 10.

[9] Coloss., III, 17.

« (Christo Iesu) per baptismum in mortem » (en prius elementum), « ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam « Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus » (en elementum alterum) [1]. Iam vero quis infitietur, tum ad delenda peccata, tum ad devovendum Deo per regenerationem spiritualem, requiri virtutem divinam? - β) *Negative* ipsa Scriptura hoc argumentum confirmat. Sanctus enim Paulus a causalitate baptismatis indignabundus reiicit quamvis efficaciam virtutis humanae, uniceque divinam virtutem Conditoris eiusdem sacramenti agnoscit. « Unusquisque vestrum dicit: ego « quidem sum Pauli; ego autem Apollo; ego vero Cephae; « ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus « crucifixus est pro vobis, aut in nomine (εἰς τὸ ὄνομα) Pauli « baptizati estis... Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? « ministri eius, cui credidistis... Nemo itaque glorietur in « hominibus » [2]. Ergo operatio de qua agitur in formula « baptizantes eos in nomine.... » est operatio quae omnem virtutem creatam superexcedit, soliusque Dei est. Atqui Deus est unus. Ergo in hoc uno Deo distinguuntur tres personae, quarum aequalis est potestas, quia unum eorum nomen; est ergo Deus simul unus natura et trinus personis.

B) De Commate Ioanneo.

Quod investitio muneris baptizandi forma concreta exprimit, iam abstracte et apertius affirmat sententia Ioannis: « Tres sunt qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum « et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt » [3].

De qua sententia, utrum necne authentica sit habenda, acerrime disputatur. Parum quidem esset, si mere ab his theologis impugnaretur, qui, utpote rationalismo addicti, ipsumque Trinitatis dogma recusantes, manifestissimam eiusdem

[1] Rom., vi, 4.

[2] I. Cor., i, 12 sq.; iii, 21. Apparet ex hac oppositione inter virtutem humanam quantamcumque et virtutem divinam, validissimum argumentum divinitatis Christi contineri in modo quo baptismum in nomine Christi conferri praedicatur: « Qui- « cumque enim in Christo (εἰς Χριστὸν) baptizati estis, Christum induistis » (Gal., iii, 27), « Baptizati sunt in nomine (εἰς τὸ ὄνομα) Domini Iesu » (Act., xix, 5). « Bap- « tizetur unusquisque vestrum in nomine (ἐπὶ τῷ ὀνόματι) Iesu Christi » (Ibid. ii, 38). « Iussit eos baptizare in nomine (ἐν τῷ ὀνόματι) Domini Iesu Christi (Ibid. x, 43).

[3] Ioann., v, 7.

mysterii affirmationem auferre conantur: scopus inquisitionis iam viam ac rationem iure redderet suspectam. Sed inter ipsos catholicos, non desunt qui opinentur, hunc Scripturae locum historicis documentis inspectis ab interpolatione vindicari non posse. In qua controversia, sive authentiae sive interpolationi quis faveat, momentum argumenti aequa lance perpendatur oportet.

Iam vero sunt, qui rem putent vix operae pretium esse, et sine valido detrimento armamentarium theologiae catholicae ab hoc textu uti dubio sapienter abstinere, quum tot aliis tamque luculentis Scripturae locis SS. Trinitas solide demonstretur. Alii e contra tanta insistentia huic commati adhaerent, ac si timore angantur, ne amisso hoc testimonio, iam fundamentalis dogmatis defensio in ancipiti versetur. Veritas in medio. Ultro fatemur, hunc textum, si possit demonstrari authenticus, quovis alio praegnantius [1] dogma SS. Trinitatis proclamare, et quidem tanta vi, ut mens non praeoccupata illam vix effugere valeat; unde sanctum negotium aestimamus, authentiam eiusdem omni rationali via, quousque res sinat, ita tueri, ut nonnisi necessitate morali coactus, quis oppositae conclusioni cedat. In qua tenacitate, si rationalista processum parum scientificum improperet, sciat ipse, theaurum summi pretii non abdicare nisi coacte, optimae esse methodi. At non tanti pretii est haec Ioannis sententia, ut contra fas et nefas, praeclari dogmatis amore, aliquis, ne idem infirmetur, leges alioquin in re critica praevalentes spernat. Haec enim agendi ratio in duplex induceret periculum aeque vitandum: in suspicionem, inquam, tum dubiae fidei, tum dogmaticae penuriae. Conemur proin Ioanneum comma tueri; si autem solidissimae rationes prudens de eius authentia dubium inducant, ne assentiamur rationalistis [2], ac si iam dogma SS. Trinitatis firmis

[1] Non sine aliquo iure Chenevière minister Genevensis, qui librum Michaëlis *(Introd. ad libr. N. T.)* gallico sermone anno 1822 interpretatus est, ad locum in quo auctor contendit sine hoc commate aliis efficacioribus locis dogma SS. Trinitatis defendi posse, subiungit: « Est-il bien vrai, qu'il y ait dans le N. T. des passages « aussi formels en faveur de la Trinité que I. Ioann. v, 7? ».

[2] Talis certo Neander e castris Pietistarum, Professor Berolinensis, qui haec scribere non veretur: « Doctrina de Deo uno et trino non pertinet ad articulos fun- « damentales fidei christianae, ut iam ex eo patet, quod in nullo loco Novi Testa- « menti expresse proposita reperitur: nam locus unus, in quo expresse continetur, « de tribus testibus I. Ioann. v, sine dubitatione spurius est, et ipsa spuria origine

argumentis ex Scriptura desumptis destitueretur. Monemus tamen, nos heic de **demonstrabilitate** tantum authentiae huius commatis directe esse sollicitos, quin - ob rationes cuivis prudenti obvias - de ipsa authentia directe iudicare velimus.

Dubium autem de genuinitate huius commatis iam a saeculo XVI. extat. Lutherus, anno 1522, eam impugnavit, cooperante de more Bugenhagen, versumque in sua germanica Bibliorum versione omisit. Erasmus, qui eumdem in duabus primis editionibus N. T. non admiserat, invento codice Britannico, in tertiam editionem anni 1522 recepit [1], ac ita indignationem catholicorum sedavit. Caeterum iam Caietanus de authentia Ioannei commatis dubitaverat. Ipsi Lutherani, anno 1574, rursus idem admiserunt; ita ut usque ad labens saeculum XVII. soli Sociniani id recusarint. Quo magis autem apud Protestantes fides in SS. Trinitatem vacillare coepit, eo maior pruritus increvit apertissimum huius dogmatis testimonium de medio tollendi. Inter catholicos, in finem vergente saeculo XVII, Richardus Simon [2] apertis argumentis genuinitatem huius versus impugnavit, quin tamen eum reiicere ausus sit: « Il n'y a que l'autorité de l'Eglise qui nous fasse « aujourd'hui recevoir ce passage comme authentique. Les « Grecs mêmes, qui sont ennemis des Latins, s'accordent « là-dessus avec nous » [3]. Simonis censor surrexit acerrimus inter alios Bossuetius [4].

Quae autem thesis tempore Simonis nullum alium catholicum propugnatorem inveniebat, iam nostra aetate iudicatur benignius; imo a sat multis aperte ut vera proclamatur [5].

« demonstrat, quam sit talis connumeratio (hi tres unum) aliena e Scripturis Novi « Testamenti » (*Hist. Eccl.* l. II. p. 305).

[1] Graeci enim et Russi, in lectione ecclesiastica et in versione neograeca comma nostrum adhibent: « Toute l'Eglise orthodoxe a reconnu et reconnaît comme authen- « tique le texte de l'épitre de S. Jean que nous venons d'examiner, et le propose à « tous les enfants pour leur commune instruction. C'est précisément sur ce texte « qu'elle fonde aussi sa doctrine de la consubstantialité des personnes divines, dans « sa *confession de foi orthodoxe* ». Ita schismaticus Macharius Bulgakow (*Théol. dogm. orthod.*, t. I, p. I, c. 2, §. 27).

[2] *Critique du N. T.*, t. II, c. 18.

[3] Ibid. p. 217.

[4] *Seconde instr. sur le N. T. de Trevoux*, t. V, p. 609.

[5] Genuitatem versus 7, I, Ioann., V, tuentur praecipue apud catholicos: Card. Wiseman, Card. Franzelin, Lehir, Valroger, Danko, Kleutgen (qui primus putat, versum salva fide in dubium vocari non posse); — apud protestantes: Bengel, Sander, Besser.

Nos, - prae oculis habita declaratione recenti S. Officii [1], eaque reverenter accepta, - in medium proferre intendimus argumenta tum quae authentiam propugnant, tum quae eam oppugnant; nam qui controversiam omnibus numeris absolvere cupit, argumenta utriusque partis adversae prae oculis habeat est necesse [3]. Unde obiective facta et argumenta uti iacent afferemus, magisque ex hoc commate ope traditionis catholicae, cuius testis est inconcussus, quam ope ipsius inspirationis litterae, dogma SS. Trinitatis vindicabimus. Scilicet agemus 1) de codicibus, 2) de usu patristico, 3) de intrinseca vi contextus, 4) de argumento theologico, 5) de argumento traditionali.

1) De codicibus.

Codices in huiusmodi quaestione multum valere, per se patet. Sunt quippe fontes unde hauritur quaevis litterarum scientia. Ne autem auctoritas argumenti ex codicibus de-

Forster, Armfield; — apud orthodoxos, praeter iam citatum auctorem: Theophan, Prokopwoicz, archim. Macarius, Hyacinthus Karpinski, Irenaeus Fallowski, Sylvester Lebedinski. — Authentiam hoc tempore inter catholicos negarunt: Scholz, Kaulen, Bisping, Schanz, Cornély, Paulus Martin; inter protestantes, dubio haerente Aberle, negans sententia est longe praedominans; versum omiserunt editiones Griesbach, Lachmann, Tischendorf, Tregelles, Westcott-Hort., nova Anglica. Cf. Cornely (*Curs. S. Script.*, Introd. spec. III, p. 669). — Nuperrime, occasione editionis N. T. a P. Hetzenauer, O. C. evulgatae, controversia de eodem argumento orta est in ephemeride Salisburgensi « *Katholische Kirchenzeitung* » (n. 35, 47, 48, 83, 84, 88, 90, 91, 92).

[1] Quaesito: « Utrum tuto negari, aut saltem in dubium vocari possit esse « authenticum textum S. Ioannis, in epistola prima, c. v, v. 7, qui sic se habet: « Quoniam tres sunt, etc. » responsum est, feria IV, die 13. Ian. 1897: « Negative ». — Exortis controversiis de vero tenore tum quaesiti, tum responsi, alii alia suasere. Nos ab huiusmodi investigatione reverentiae causa abstinemus. Putamus nihilominus, in rigoris excessum abiisse P. Michaëlem Hetzenauer, O. C. in notula editioni caeteroquin optimae N. T. adiecta.

[2] De hac decisione eruditi anglicani ac protestantes certatim quasi triumphant, catholicisque doctis in faciem obiiciunt, novum exhinc prostare argumentum quo pateat, romanam fidem et scientiae cultum concordi gressu coire non posse. Contra huiusmodi calumnias Cl. Lamy professor Lovaniensis eruditum opusculum conscripsit, cui titulus: *La décision du S. Office sur le I. Ioan. V, 7.* In quo opusculo multa quidem optima, alia autem nobis parum firma videntur.

[3] Aliud est, continere iudicium; aliud, controversiam celeberrimam silentio praeterire. Prius libentissime ob reverentiam praestamus; alterum iudicamus nocivum, quum huiusmodi disciplinaria decreta quaestionem scientificam nullatenus dirimant, nec impediant quominus rationes authentiae contrariae validius proferantur. Unde catholico theologo maximi momenti est, scire quid scientifica methodo in praesenti quaestione possit, quid non possit.

sumpti, praesertim in doctrina catholica vindicanda, ultra limites urgeatur, sint animadversiones sequentes.

a) Non solo *numero* codicum solvitur lis: plus enim valet quantitate *qualitas*. Insuper inquirendum est sedulo, utrum plures codices a pluribus fontibus, an ab uno solo deriventur. Inde iam sequitur, si habeas, v. gr., ex una parte centum codices ab uno, et quidem dubiae auctoritatis derivatos; ex altera autem parte decem, vel quinque, vel etiam duos, sed totidem fontes genuinos: plus valere istos duos centum illis.

b) Neque litem solvit sola codicum *vetustas*. Utique, caeteris paribus, palmam iure tenet codex vetustior; sed fida transcriptio antiquissimi codicis, licet ipsa longe recentior, maiorem sibi gratiam meretur transcriptione, longe remotiore, at a codice minus antiquo.

c) Pariter, caeteris paribus, facilius admittitur, genuinum locum e littera per scribae incuriam excidisse, quam locum spurium in litteram esse inductum. Ad prius enim unum sufficit, imperitia nempe transcribentis; ad alterum requiruntur saltem duo: spurii textus confectio, eiusque in litteram inductio.

d) Prae aliis textibus facilius excidunt illi, qui idem habent cum vicina sententia initium, ὁμοιόαρχα; facillime, qui simul eumdem habent finem, ὁμοιοτέλευτα [1], quale comma Ioanneum apparet [2].

e) Nisi factum fraudis in seipso cognoscatur, aut manifesto per coaevas querelas appareat, certitudo quae ex inspectis codicibus potest acquiri, non excedit gradum certitudinis moralis; unde non repugnat absolute, aliquem textum, quem sine dubio ex codicibus spurium iudicares, esse tamen genuinum.

f) Ut autem aliquid huiusmodi admitti valeat, requiritur ratio urgentissima, qualis una quasi esse potest supremum providentiae charisma, iudicium supremae infallibilis auctoritatis. Equidem, quum Christus se cum Ecclesia sua iugiter permansurum esse spoponderit, gaudet Ecclesia chari-

[1] Exemplum sit in c. XXVII. MATTH., omissio partis versus 35, ab uno κλῆρον ad alterum, quae pars in centum fere codicibus desideratur (Cf. MICHAELIS, *Introd. in N. T.*, p. 1, c. 6, sect. 8).

[2] Fatendum tamen est, hoc potius valere de textu remotiori, non de priori. Unde, quum non adsint codices in quibus reperiatur versus 7 noster, absit autem 8; haec ratio in casu praesenti speciosior apparet quam solidior.

smate quodam specialis providentiae, circa ea quae sui iuris sunt; inter quae apprime numeranda est Scripturarum integritas. Unde caeteris paribus, maior est probabilitas, in latina N. T. versione, quam in ipsis graecis aut aliarum linguarum codicibus genuinam lectionem asservari. Roma enim est Ecclesiae sedes principalis; Roma a fide nunquam deficiet, quod nulli alii Ecclesiae est divinitus promissum.

g) Insuper Romana Ecclesia gaudet infallibili magisterio; unde si constet, eam comma de quo agimus, supremo oraculo uti certo genuinum declarasse, pro viro catholico maxima probabilitas quae ex inspectis codicibus contra genuinitatem eiusdem textus concluderet, iam huic infallibili oraculo cedere deberet.

h) Proinde non idem omnino est criterium theologi catholici ac protestantis in praesenti problemate solvendo. Rationalista enim inspectis codicibus iam concludit, quin ad aliud respicere debeat; catholicus autem vir tunc solum absolute concludere potest, postquam ad mentem Ecclesiae Matris respexerit. Nec ideo vir catholicus minus scientifice procedit quam adversarius; imo scientifice magis; nam α) certitudinem quam parit codicum inspectio non tenet absolutam, quum solum moralis sit, vel potius summa probabilitas; β) Ecclesiae suae auctoritatem cui se subdat scientifice probavit, quam e contra adversarius contra scientiam sanam reluctans reiicit.

i) Attamen quo fortius conclusio inquisitionis scientificae suis viribus relictae genuinitatem alicuius litterae impugnat, eo certius de opposita doctrina Ecclesiae constare debet, ut criticus processus propter supernaturalem auctoritatem in dubium vocetur, imo uti erroneus habeatur. Ecclesia enim, nedum scientiae adminicula spernat, eisdem utitur sapientissime, quotiescumque de solvendo dubio, urgente controversia, sollicita redditur.

j) Ita ergo se habent Ecclesia et sani nominis scientia in inquisitione qualem heic aggredimur, ut quam maxime harmonice conspirent, nedum oppositas utraque teneat vias [1].

[1] Hoc monendum duxi, quia interdum incauta apud catholicos, aut inepta apud incredulos leguntur, ac si inter veram scientiam ac credendam doctrinam possit unquam haberi dissidium. Minus inde placent quae eloquenter utique, sed minus

His praelibatis, accipe statum codicum.

α) E *codicibus graecis* centum nonaginta tres, iique fere omnes antiquiores (B, ℵ, A, ad saec. IV. et V. id est ad aetatem Patrum ascendunt), insuper sexaginta circiter lectionaria versu nostro carent; e contra versum habent tantum quatuor; imo ex his quatuor duo sunt recusandi, nam alter (Rovianus Evang. 110.) saec. XVI, ex editione typis excussa transcriptus est; alter, saeculi forte XI, habet quidem comma, sed in margine, manu recenti (saec. XVI. vel XVII.) adiunctum. Qui autem duo supersunt, saec. XVI. (Montfort, vel Dublin., act. 34.) et XV. (Vatic. Ottob. act. 162.) adscribuntur [1].

β) Versionis *Syriacae* Peschito nullus codex versum continet; in editione apostatae Tremellii (1569.) invenitur in margine adiunctus; editores protestantes Gutbierius (1664.) et Schaafius (1709.) eum in textum receperunt; omisit autem editio in usum Maronitarum a S. Congr. de Propaganda Fide (Romae 1703.) confecta. - Pariter in versione Philoxeniana desideratur.

γ) Versiones *Copticae,* nec Memphitica, nec Thebanica versum exhibent. Neque versio *Æthiopica.* Nec *Armeniaca,* nisi quod inter viginti codices quibus Zohrab ad suam editionem praeparandam (Venetiis 1805.) usus est, modo unus, at saec. XII. iunior, versum continebat. Idem dic de *Slavonica,* in quam nonnisi anno 1663. versus est inductus; hoc ipso anno in editionem Moscoviensem in marginem acceptus, unde in plures alias editiones transiit [2].

δ) At si in textu graeco, et in versionibus orientalibus vix codex magnae fidei comma nostrum exhibet, iam in *versione Latina* plures codices, missis editionibus in quibus passim legitur, illud continent. Multum tamen abest, quominus tanta inveniatur in eis unanimitas, vel quasi unanimitas, quantam

forte mensurate scribit, de nostra controversia agens, auctor *Studii Solesmensis* (op. cit., p. 44 sqq.). Calumniosa autem prorsus querela recens infelicis Mivart: viro scientiis addicto nullum in Ecclesia catholica dari locum.

[1] « Antiquissimi et emendatissimi » codices a Leone X. ad Cardinalem Ximenes transmissi, quibus Complutenses usi sunt ad conficiendam editionem, in qua comma nostrum prima vice typis redditum est, non sunt de N. Test. intelligendi. Imo Stunica, Complutensium editorum praecipuus, ex editione latina probatur hoc comma in graecum induxisse: etenim in sua controversia cum Erasmo de hac ipsa insertione, ad nullum codicem graecum provocat.

[2] Cf. Cornely (loc. cit., p. 670 sq.).

in contrarium aliae versiones ac lectio graeca ostendunt. Nam: 1) plus centum [1] cognoscuntur, in quibus praeter omissa verba « in terra », versus noster desideratur; inter quos duo utique antiquissimi et accuratissimi [2], aliique proximae aetatis [3]. - Insuper 2) qui versum continent, non consentiunt in modo illum exhibendi. Missis enim minoris momenti discrepantiis, *a*) alii pauciores ac recentiores lectionem habent Vulgatae nostrae Clementinae; *b*) alii, plures et antiquiores, versus 7. et 8. invertunt ita ut triplex testimonium in caelo ponatur post triplex testimonium in terra, servatis de caetero verbis uti in Vulgata prostant [4]; *c*) alii praeter inversionem verba aliter praebent, sublato in v. 7. « in terra », unde v. 8. magis tanquam superaddita in margine glossa apparet, hoc pacto: « Quia tres sunt, qui testimonium dant, « spiritus et aqua et sanguis, et tres unum sunt. Sicut et in « caelo tres sunt, Pater, Verbum et Spiritus, et tres unum « sunt » [5]. Quae lectio, usque ad verba « sicut etc. » maxime concordat cum lectione antiquiorum codicum, in quibus versus deest. « Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Chri- « stus est veritas. Quia tres sunt, qui testimonium dant: spi- « ritus, aqua et sanguis, et tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, etc. » [6].

Quum tanta sit inter codices graecos et latinos discrepantia, quaeramus quaenam ratio afferri possit, propter quam vel e prioribus comma, si sit genuinum, fuerit deletum; vel si spurium, in alteros inductum, et quidem ita ut in vetustioribus nondum appareat.

Qui genuinitatem commatis vindicant, omissionem in co-

[1] Tischendorf solus quinquaginta adducit.

[2] *Fuldensis,* Capuae confectus atque Romae a S. Victore Capuano (anno 546.) emendatus; quo utebatur S. Bonifacius: — et *Amiatinus,* a Gregorio II, Geolfrido abbati Longobardo oblatus.

[3] Ita, v. gr., saec. VIII. codex Herleianus; saec. IX. duo codices Alcuino adscripti, Vallicellanus, et Biblia Caroli M. in Britannico Museo asservati; saec. VIII. vel IX. Armaghensis.

[4] Ita *Cavensis* (saec. VIII. vel IX.), *Toletanus* (saec. X.), *Demidorianus* (saec. XII.).

[5] Ita *Weissenburg,* duo *Ulmenses,* aliique.

[6] In codice Ostiensi regnante Carolo Calvo confecto legitur: « Quoniam tres sunt « qui testimonium dant, spiritus, aqua et sanguis. Et tres unum sunt. Si testimo- « nium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, quia testificatus est de « Filio suo ».

dicibus graecis explicant alii per similitudinem verborum initialium et finalium inter v. 7. et 8. Sed haec ratio, uti monuimus, magis valeret pro omittendo v. 8 qui nullibi deest, neque ad talem quasi unanimitatem explicandam par esse videtur. Alii eam tribuunt fraudi Eusebii, arianizantis, qui e quinquaginta codicibus, quos iubente Constantino confici curavit, versum sustulerit. Sed dato quod Eusebius hanc fraudem perpetrare voluisset, quomodo quaeso potuisset eam exsequi nullo catholico scriptore reclamante?

Qui autem authentiam commatis haud posse salvari existimant, insistunt in concordiam quae inter codices graecos et antiquiores codices latinos habetur. Quod autem in recentiores codices receptum sit, tribuunt praefationi cuidam spuriae sub nomine S. Hieronymi evulgatae, in qua sequentia leguntur. « Quae epistolae (catholicae scilicet) si, ut ab eis « digestae sunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in latinum « verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus face- « rent, nec sermonum sese varietas impugnaret: illo prae- « cipue loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Ioannis epi- « stola positum legimus. In qua etiam ab infidelibus transla- « toribus multum erratum esse a fidei veritate comperimus, « trium tantum vocabula, hoc est aquae, sanguinis et spiritus, « in sua editione ponentes, et Patris, Verbique et Spiritus « testimonium omittentes, in quo maxime fides catholica ro- « boratur, et Patris et Filii ac Spiritus Sancti una divinitatis « substantia comprobatur ». Fictionem esse hanc praefationem ab omnibus hodie admittitur; at fictio antiqua, licet tardius detecta. Unde nil mirum, auctoritatem pseudo-Hieronymi a saeculo VI. multos ad hoc comma in litteram recipiendum permovisse. Constat autem ex hoc spurio textu, iam saeculo VI. de authentia huius versus esse litigatum. Arianos vero vehementissime eundem reiecisse tum ex rei natura suadetur, tum apparet ex codice antiquissimo in coenobio Cavensi asservato, in quo ad haec commatis verba legitur in margine: « Audiat haec Arianus! ».

Fictitiae huius praefationis fraus rationem dederit et modi quo e margine in textum comma nostrum irrepserit. At undenam derivabatur? Non rara esse harum glossarum exempla, quae in litteram sese insinuarint, apud exegetas in con-

fesso habetur. Quare ex hac parte nihil in casu praesenti tam insoliti occurrit quod tantam mirationem moveat [1]. Sed de ipsa marginalis notulae origine quaerendum superest. Solutio in promptu iacet. Constat - de quo mox - S. Augustinum, nec eum solum, comma nostrum in sensu allegorico intellexisse, tres testes in v. 8. enumeratos ad SS. Trinitatem referendo. Qua data interpretatione, pronum erat scriptori cuidam, dogma ipsum sub formula explicita consimili versui 8. eidem in margine adiicere; unde postea, urgente praesertim pseudo-Hieronymo, in litteram transiit. Quidquid sit de valore absoluto huiusmodi solutionis, fatendum est, per eam tum statum codicum graecorum atque orientalium, tum duplex stadium codicum latinorum modo valde plausibili explicari.

Ex dictis iudicet ipse lector, utrum inspectis codicibus genuinitas nostri commatis demonstrari possit.

2) De Usu patristico Commatis Ioannei.

Quod in praesenti codicum minus antiquorum littera desideratur, potest sane per vetustioris aetatis testimonia suppleri, modo haec adsint numero ac pondere gravissima. Ubi autem silentium praecedentis aevi codicum litteram confirmat, argumentum ex ipsis codicibus desumptum duplicari, nemo non videt. Inquiramus igitur de modo quo Patres v. 7.° usi sint.

Praemittimus, agi heic de sententia summi ponderis dogmatici, utpote quae formula lucidissima, apertissima Trinitatem divinarum personarum in unitate naturae proclamat, ita ut in Scripturis vix alia occurrat ad confutandos Arianos ac Macedonianos aptior; nulla efficacior ad Dei unius ac trini mysterium brevissime exprimendum.

1) Iam vero si *Patres orientales*, Graecos, Syros, Armenos consulis, nullum reperis qui certo testimonio commate nostro utatur. Et tamen illi sunt ipsi, qui contra adversarios tum divinitatis Verbi ac Spiritus Sancti, tum realis in Deo distinctionis personarum acerrime dimicantes, nullum telum in Scripturarum armamentario reliquerunt imbelle.

Reponunt ab hoc argumento se excipere cupientes, Patres

[1] Hanc sane difficultatem nimis urget Cl. Lamy (op. cit. III).

orientales ab hoc textu afferendo temperasse, quia dubiae erat auctoritatis. Sed quo modo haec ratio tanta fuerit, ut ne quidem sub dubio illum allegarint, praesertim si dubium de eius auctoritate adversariorum fraudi fuerit tribuendum? Non tam blande agere solebant orthodoxae fidei vindices, quos tot in locis contra Marcionem, Gnosticos, aliosque, authenticam codicum lectionem strenue vindicasse legimus.

Qui sentiunt hanc exceptionem nimis esse debilem, conantur e Patrum orientalium scriptis quasdam saltem sententias colligere veluti spicas, in quibus, si minus comma nostrum citatur, saltem ad illud probabilius alluditur. Sed vix locum unum alterumve adducunt ex S. Chrysostomo [1] et ex Claudio Apollinari [2]. Ast in primo simpliciter praedicatur unitas trium personarum divinarum: « Εἷς κέκληται ὁ « Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον »; in altero, aqua et sanguis, quae de latere Christi morientis effluxerunt, explicantur mystice de Verbo ac Spiritu: « ὕδωρ καὶ αἷμα, λόγος « καὶ πνεῦμα ». Scilicet huiusmodi loci insinuant utique relationem ad comma nostrum, si constet quod hi Patres illud habuerint; nihil autem valent ad demonstrandum, eos revera illud agnovisse.

Ex Sancto Damasceno iuvat heic afferre locum, ex quo saltem valde suadetur, hunc Patrem, etsi iam aetatis provectioris, comma nostrum non legisse. In epistola de trisagio hymno, discrimen ostendens inter τρεῖς et τρίς, de usu prioris vocis ait: « Sic dicimus tres (τρεῖς) homines, et tres « (τρεῖς) sunt qui testimonium dant, aqua, et sanguis, et spi- « ritus » [3]. Cur non potius citavit comma nostrum, nisi quia id non legit?

Cavendum nihilominus, - et in hoc recte disputat Cardinalis Franzelin, - cavendum, ne ultra limites urgeantur argumenta ex silentio Patrum deducta. Tunc solum silentium aliquid concludit, quando ille qui tacet, non potuisset morali certitudine tacere, si locum de quo quaeritur, prae oculis habuisset. In re praesenti, si eruditus in Scripturis Pater,

[1] Hom. in verba « In principio erat Verbum » contra Anomaeos habita. — *P. G.* t. LXIII, col. 545.

[2] Si tamen eius sit *Chron. Pasch.* — *P. G.* t. V, col. 1297.

[3] *De trisagio hymno*, n. 4. — *P. G.*, t. XLV, col. 29.

directe disputans non solum de divinitate Verbi, nec de divinitate Spiritus Sancti, sed de SS. Trinitate, de tribus personis in una natura, textum non allegat in quo praegnantissima formula haec doctrina continetur, silentium tale argumento aequivalet; modo tamen *a*) ex illo Patre sat multa supersint scripta, ut materiam quam tractat quasi explevisse videatur, et *b*) in scriptis quae supersunt idem auctor textus inconcussae auctoritatis allegarit. Una alterave ex his conditionibus deficiente ex silentio nonnullorum arguitur, quin scriptorum conditio vel ubertas sat solidum fundamentum conclusioni certae praebeat.

2) Quemadmodum codices latini differunt a graecis, quatenus, dum in his comma desideratur, in illis ab aliquo saltem tempore reperitur; ita aliqui *Patres occidentales,* tacentibus orientalibus, ad versum 7. provocant; at eo minus frequenter ac certo, quo magis ad primaeva tempora ascenditur. Triplex enim potest distingui quasi stadium. A saeculo IX a Theodulpho deinceps, consensus quoad usum textus in genere habetur usque ad saec. XVI. A saeculo IX. ad V. retro, plures textum adhibent, nonnulli autem ab eo continent. Ante saeculum V. nulla apud orthodoxos scriptores commatis apparet citatio certa.

Tacent primaevi illique acutissimi simul et acerrimi Arianorum adversarii: S. Hilarius, Lucifer Calaritanus, Hosius Cordubensis, S. Hilarius Arelatensis [1], S. Ambrosius, S. Eucherius, in editione authentica hodiedum agnita [2], S. Hieronymus. Tacent S. Leo M. [3] et S. Gregorius M.; nec loquitur Ven. Beda noster, nisi interpolatus, qui ex ordine singulos epistolae versus interpretatur.

[1] Iuxta codicem Montis-Cassini Vindobonae repertum ab Angelo Mai, qui in Arelatensi Hilario se comma nostrum reperturum speraverat; sed frustra.

[2] Cf. *Spicileg. Cassin.,* a doctissimo viro D. Ambrosio Amelli editum.

[3] Nec solum tacet, sed in epistola sua ad Flavianum in graecum sermonem translata et in Conc. Chalcedonensi praelecta, totum contextum citat, omisso v. 7. Hoc non dico, quasi inde argumentum exsurgat invictum. Potuit enim Pontifex comma omittere vel quia id sciebat in codicibus graecis passim desiderari; vel quia in codice suo ordo inter versum 7. et 8. erat permutatus. Insuper controversia cum Eutychianis de veritate humanae naturae Christi per versum 8. efficacissime solvebatur, dum v. noster 7. minus fuisset ad rem. Nihilominus fatendum, hanc citationem Leonis M. absque dubio magis favere illis qui impugnant, quam qui tuentur commatis nostri authentiam.

Imo ipse Augustinus, luculentissimus Trinitatis perscrutator, qui tam subtiliter, tam fuse de unitate naturae divinae et de tribus personis discurrit, ne una quidem vice affert comma illud, quod hodiedum tanquam praecipua dogmatis tessera primo aut saltem secundo, post baptismi formulam, loco solet afferri.

Nec satis. Adest textus ex quo cum certitudine concludendum videtur, S. Augustinum versum nostrum septimum non legisse, aut saltem non agnovisse. Placet verba ex integro referre, quum tanti sint in re praesenti ponderis. Disputat S. Doctor contra Maximinum arianum [1], cui, ut consubstantialitatem Verbi Patris demonstret, opponit illud Christi: « Ego et Pater unum sumus », arguens, haec de vera unitate naturae esse intelligenda: « Tu, ait, si vis aliquid « respondere, ostende secundum Scripturam sanctam de ali- « quibus rebus dici, unum sunt, quarum est diversa sub- « stantia... Potest ergo quisquam Sanctorum dicere: ego et « Deus unum sumus? Absit hoc a cordibus et oribus sanctis. « Puto autem, quod et vos, a quocumque hoc audiatis, hor- « rescitis » [2]. Pronum erat reponere, allegando v. 8. Ioannis: Quid de aqua, sanguine et spiritu, quae unum esse praedicantur? Solvit obiectionem, recurrendo ad mysticum huius sententiae sensum: « Quae tria, si per seipsa intueamur, di- « versas habent singula quaeque substantias, ac per hoc non « sunt unum. Si vero ea quae his significata sunt, velimus « inquirere, non absurde occurrit ipsa Trinitas, qui unus solus « verus summus est Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanc- « tus, de quibus verissime dici potuit (adverte illud potuit): « Tres sunt testes, et tres unum sunt: ut nomine spiritus « significatum accipiamus Deum Patrem; de ipso quippe « adorando loquebatur Dominus, ubi ait: " Spiritus est Deus "; « nomine autem sanguinis Filium, quia " Verbum caro fac- « tum est "; et nomine aquae Spiritum Sanctum; quum enim « de aqua loqueretur Iesus, quam erat daturus sitientibus, « ait Evangelista: " Hoc autem dixit de Spiritu, quem accep-

[1] Adest codex Parisiensis in quo idem Maximinus contra S. Ambrosium et Concilium Aquitanum disputans, S. Ioannem citat: « Sicut vos dicitis, tres unum sunt ». Et in margine comma nostrum legitur.

[2] L. II, c. 2, n. 2.

« turi erant credentes in eum ". Testes vero esse Patrem, « et Filium, et Spiritum Sanctum, quis Evangelio credit et « dubitat, dicente Filio: " Ego sum, qui testimonium perhi- « beo de me; et testimonium perhibet de me qui misit me, « Pater? ". Ubi etsi non est commemoratus Spiritus Sanctus, « non tamen intelligitur separatus. Sed nec de ipso alibi « tacuit, eumque testem satis aperteque monstravit. Nam « quum illum promitteret, ait: " Ipse testimonium perhibebit « de me " ». Miror sane, Card. Franzelin [1] in citando hoc loco verba omisisse a sententia « Testes vero esse », etc., in quibus praecise maxima vis praesentis argumenti continetur. Thesis quippe S. Augustini erat demonstrare, versum nostrum 8. de SS. Trinitate intelligi posse, quod ipsi sufficiebat ad instantiam arianam depellendam. Debebat ergo demonstrare: 1) tria enumerata ad tres personas divinas suasibilem ex ipsa Scriptura relationem habere; 2) tres divinas personas posse testes de Christi veritate nuncupari. Hoc alterum, quaeso, quomodo non immediate ex adducto v. 7. effecisset, agens praesertim de illustrando hoc ipso contextu, si hunc v. 7. re vera iuxtapositum habuisset? Ecce tibi hominem ingenio summum: aggredientem probare, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum tres testes veritatis Filii vocari posse. Habet locum alteri quem illustrat, proximum, in quo legitur: « Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum « et Spiritus Sanctus », quae potius ipsam thesim formulare videntur quam corroborare, tanta inter utrumque datur concordantia. Et nihilominus hunc locum vicinissimum, tam mire fulgentem praeteriens, longius discurrit per latos Evangelii campos, ut diversis sententiis per partes illud colligendo ostendat, quod coram iacet obvium, completum, solis luce clarius splendens. Haec, quaeso, quis mihi unquam explicabit?

Missis duobus locis in quibus dubium est, utrum alludat necne ad comma nostrum [2], missa quoque duplici citatione apertiori quae invenitur in Speculo Scripturae non solum dubiae genuinitatis, sed sine dubio hispanicae originis, stat praecipuum SS. Trinitatis vindicem comma nostrum, licet

[1] Op. cit , p. 53.

[2] In Ioan. tract. xxxvi. 10; *De Civ. Dei*, l. xi.

princeps, nullibi certo allegasse, quum ex innumeris citationibus quibus libri eius caelesti veluti condimento consperguntur, integrum quasi N. T. confici possit.

At, reponunt, de authentia commatis apud adversarios dubium vigebat, et ipso fatente Augustino talia « non tanta firmitate proferuntur adversus contradictores ». Esto; sed multum interest inter haec duo: dubium textum cum minori firmitate afferre, et ab illo prorsus abstinere; praesertim si agatur de pretiosissima gemma, cuius splendorem ipsi adversarii fraudulenter obnubilare conentur.

At si tanti Doctores in Ecclesia latina silent, sunt tamen quarum vox nullatenus est spernenda, imo sat magnam sibi auctoritatem vindicat.

Imprimis habetur professio fidei quam anno 484. (54. anno post Hipponensis obitum) episcopi catholici « non solum uni- « versae Africae, sed etiam insularum multarum » [1], num. 461, praeside S. Eugenio Carthagin. ad regem Hunnericum, - qui eos convenire iusserat - per quatuor episcopos provinciarum Numidiae et Bysacenae transmiserunt. Iam vero in hoc libello fidei legitur: « Et ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse « cum Patre et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Ioannis « Evangelistae testimonio comprobatur. Ait namque: tres « sunt, qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, « et Spiritus S. et hi tres unum sunt ». Ut ab huius professionis vi se excipiat, Michaëlis contendit, hanc formulam testari quidem fidem illius qui eam confecit, non autem omnium praesulum quorum nomine est perlata. Talis duplicitas, ipso teste Michaële, apud protestantes ministellos occurrat, esto; at apud catholicos praesules eam fingere, ridiculum aeque ac impium foret. Habemus ergo ex hoc libello argumentum quod tempore huius concilii, in finem vergente saec. V, comma nostrum erat quasi in communi usu, atque agnitum, saltem in Ecclesia africana et insulis.

Quomodo conciliari potest hoc indubitatum factum cum apposita conclusione quam modo suggessit inspectio operum summi doctoris Africani? Quaestio sane perardua. Antequam autem hypothesim suggeramus, operae sane pretium est

[1] Victor Vit. de persec. Vandal. l. II, n. 18.

animadvertere de genuinitate huius loci apud eruditos magnum prostare dubium, quum unicus codex in quo hi actus contineantur, non ultra saeculum IX. ortum habeat.

Sed esto, textum esse genuinum. Afferri potest sat plausibilis hypothesis.

Vigilius Tapsensis, unus ex episcopis huius concilii, et forte in eodem verbi praeco, comma nostrum alibi certo citat: « Uni« tum nomen divinitatis clause est declaratum, dicente Ioanne « Evangelista in epistola sua: " tres sunt qui testimonium di« cunt in caelo, Pater, et Verbum, et Spiritus, et in Christo Iesu « unum sunt ".... Vide, quia in deitate et in substantia plenitu« dinis per omnia unum sunt, et in nominibus personarum « tres sunt » [1]. Iam vero idem praesul, qui sub nomine Athanasii hos libros de Trinitate edidit, et forte sub nomine Idacii Clari libros contra Varimadum, ubi l. V. nostrum comma invenitur, nonne ipse pseudo-Hieronymi praefationem confecit, ob cuius auctoritatem comma nostrum a saec. V. in litteram e margine irrepsisse nonnulli suspicantur? Fuerit igitur ipse Vigilius commatis fautor princeps, tum apud episcopos collationis africanae, tum apud coaevos et posteritatem. Textus autem commatis fuerit glossa iuxta interpretationem Augustini confecta, ad normam publicae fidei catholicae.

Eodem fere tempore quo Vigilius, *S. Fulgentius* Rusp. commate nostro utitur [2]. - In *Italia* habemus *Cassiodorum* (saec. VI.) comma, licet cum lectione differente, afferentem: « Cui rei testificantur in terra tria mysteria: aqua, sanguis et « spiritus, quae in passione Domini leguntur impleta: in caelo « autem Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et hi tres unus est « Deus » [3]. At non expresse Cassiodorus haec ultima verba ipsi Ioanni tribuit. Accedit (saec. VIII.) Autpertus Benev.. - In *Hispania* autem occurrit (saec. VII.) testimonium *S. Isidori* Hispal., necnon (saec. VIII.) Etherii et Beati [4], a quo iam tempore paulatim frequentiori usu in Occidente commendatur.

Quid autem de testimoniis Augustino antiquioribus? Nul-

[1] *De Trinit.*, l. 1, cf. l. x. — *P. L.* t. LXII, col. 243.

[2] *Resp. 10. ad obi. Arian.* — *P. L.* t. LXV, col. 224; *De Trin.* c. 4. — Ibid. col. 500.

[3] *Complex. in 1. Ioann*, n. 10. — *P. L.* t. LXX, col. 1373.

[4] Adoptianismi fautor Elipandus accusat Beatum, quod de errore Bonosiaco fuerit damnatus.

lum adest, dempto Priscilliano, quod certitudinem allati commatis inducat.

Ecce autem in qua forma omnino singulari apud hunc haereticum occurrit: « Sicut Ioannes ait: *tria* sunt quae testi- « monium dicunt *in terra:* aqua, *caro*, et sanguis, et *haec* « *tria* in unum sunt; et *tria* sunt quae testimonium dicunt « in caelo: Pater, Verbum et Spiritus, et *haec tria* unum sunt « *in Christo Iesu* » [1]. Nec singularis modo haec formula dicenda videtur; sed et vere priscillianam haeresim sapiens. Duos quippe magnos errores vir ille docebat. Sabellianus, negabat veram distinctionem inter divinas personas, unde voce Trinitatis numquam utebatur. Insuper, Apollinaris aemulus, non admittebat in Christo aliud principium intelligens praeter ipsum Verbum [2]. Inde in prima parte textus loco *spiritus* posuit *carnem;* in altera parte non dixit *tres* sed *tria;* imo, ut ibi *tria* dicere posset, iam in priori parte *tres* in *tria* mutavit; et illa tria unum dixit *in Christo Iesu*. Quippe iuxta Priscillianum in Christo erat tota Trinitas; et in Christo Verbum vices gerebat animae, ita ut nihil, dempto Verbo, in Christo esset, nisi elementa quibus corpus constituitur: *aqua*, scilicet, *caro* et *sanguis*. Ecquis his perpensis negaverit, citationem uti in Priscilliano prima vice occurrit, tum in his quae mutantur, tum in his quae adduntur, ad amussim erroribus huius viri esse conformem? [3] Inde non procul iacet suspicio, e Priscilliano, - quem caeteroquin Turibius et Leo M. ob corruptas Scripturas damnatum fuisse testantur, - hanc lectionem paulatim emendatam et ad catholicum sensum redactam, in codices esse receptam [4]. Haec hypothesis non est

[1] *Tract.* I, apolog., op. cit. p. 6.

[2] Cf. verba eiusdem: « Denique Deus noster adsumens carnem, formam in se Dei « et hominis, id est *divinae animae et terrenae carnis* adsignans » (Ibid. p. 24).

[3] Priscillianum anno 385, Treviri capite plexum, S. Martino Turonensi ex caritate non ex dogmatica ratione invito, discipuli olim martyrem iactitabant, nec desunt hodie apud protestantes, qui eius orthodoxiam, sed erronee, vindicare conentur.

[4] Non destruitur haec hypothesis per recentem dissertationem D. Germani Morin: « *Les nouveaux* " tractatus Origenis " *et l'héritage littéraire de l'Évêque espagnol Grégoire d'Illibiris* » *. — (Revue d'*Histoire et de littérature religieuse*, V, n. 2). Imo origo hispanica commatis inde valide confirmari posset; nec obstat ratio chronologica quominus Gregorius a Priscilliano comma acceperit, licet huius haeretici adversarius.

* Hanc D. Morin thesim acriter impugnavit Cl. Batiffol, scripta haec Origenis esse contendens. (*Bulletin de littérature ecclésiastique*, 1900, n. 6).

tam nostra, quam eruditissimi simul ac piissimi viri, quocum nobis de praesenti argumento fusius colloqui nuper contigit.

Sed et citantur Cyprianus et Tertullianus. At ipsos textus inspiciamus. S. *Cyprianus* [1] ita habet: « Dicit Dominus: " Ego « et Pater unum sumus ", et iterum de Patre et Filio et Spiritu « Sancto scriptum est: " et hi tres unum sunt " ». Sed quid, si Cyprianus eodem modo, quo postea Augustinus, mystice versum nostrum octavum intellexit? Quae mystica intellectio sat aperte suadetur per vocem « *tres* », et per actionem testimonium ferendi. Cur enim dicuntur tres illae res, non *tria* sed *tres*, nisi quia sub velamine rerum personae intelligendae sunt? Et re quidem vera Facundus Herminianus [2], ita Cypriani mentem interpretatur; et scimus aliunde [3], quam pronus fuerit hic africanus doctor in symbola Trinitatis ubicumque invenienda. Minori adhuc certitudine gaudet alter S. Cypriani locus [4], in quo nonnisi verba « quum tres unum sint » ad comma nostrum alludere videntur [5].

Tertulliani autem duo sunt loci afferri soliti:

« Paraclitum quoque a Patre se postulaturum, quum « ascendisset ad Patrem, et missurum repromittit, et quidem « alium, sed iam praemisimus quomodo alium. Caeterum " de « meo sumet ", inquit, sicut ipse de Patris. Ita connexus Patris « in Filio et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, alte- « rum ex altero, " qui tres unum sint ", non unus; quomodo « dictum est: " Ego et Pater unum sumus ", ad substantiae « unitatem, non ad numeri singularitatem » [6]. Sed, quaeso, nonne potius locus iste argumentum praebet in contrarium? Discursu Tertullianus ostendere conatur, tres personas esse quidem numero distinctas, in eadem tamen natura, quam duae ab una prima accipiunt. Et concludit: tres sunt unum, non unus. Ut autem demonstret, hunc modum loquendi esse legitimum, affert locum Ioannis in quo Christus dixit: « Ego « et Pater unum sumus ». Iam vero cur non simpliciter de

[1] *De unit. Eccles.* 6. — *P. L.* t. IV, col. 519.

[2] *Pro defens. trium capit.* I. 3. — *P. L.* t. LXVII, col. 534.

[3] *De Orat. Dom.* 34. — *P. L.* t. IV, col. 559.

[4] *Epist. ad Iubaian.* 12. — *P. L.* t. III, col. 1763. De hoc loco infra sermo recurret, in fine expositionis traditionis ante-nicaenae.

[5] De critica operum S. Cypriani lege eruditissima scripta Cl. Ioannis Mercati.

[6] *Ctr. Praxeam* 25. — *P. L.* t. II, col. 211. Adverte formam subiectivi unum *sint*.

tribus expresse totum comma citavit, si verba « qui tres « unum sint » ad idem alludant? [1] - Alter locus sonat: « Ec- « clesia proprie et principaliter ipse est Spiritus, in quo est « Trinitas unius divinitatis, Pater et Filius et Spiritus Sanc- « tus » [2]. Ergo sine commate nostro nullus Patrum potuisset exprimere dogma Dei unius et trini? ac si formula baptismi prorsus non extaret; nec haberentur alia Scripturae testimonia e quibus hoc dogma solide erui possit. Haec sane debilia valde; nec modo debilia, sed periculis plena [3].

Iudicet iterum lector, utrum usus patristicus, qualem sincere exhibuimus, per se inspectus, authentiam commatis suadeat, necne [4].

3) De Indole ac Nexu ipsius Contextus.

Ubi deficiunt codices, ubi usus patristicus desideratur, potest interdum cuivis alii rationi supplere argumentum intrinsecum, caute quidem adhibendum, quoque moderni critici non raro abutuntur; at quod nihilominus, ubi valet, valet multum: indoles scilicet ac nexus ipsius contextus. Inspiciamus igitur sedulo, utrum sententiae indoles, utrum contextus vis ac nexus authenticum necne comma nostrum suadeant. Adversarii authentiae conclamant, formam, ut ita dicam, mathematicam, abstractam, scholasticam huius commatis: « Tres sunt « etc., et hi tres unum sunt », ubi agitur de personis divinis, esse contrariam modo loquendi Scripturarum, ac imprimis ipsius Ioannis. Redolet scholam, aiunt, praesertim ingenium occidentale. - Non negamus huius sententiae rationem singularem, qua habet aliquid veluti inexpectati, quod lectorem excitat. At haec ratio non urgenda videtur, quum authenticus versus 8. iam a primis Patribus de SS. Trinitate intellectus sit. - Iidem e sermonis nexu contra authentiam arguunt.

[1] Huic textui Tertulliani simillimus est textus S. Phaebadii (*Ctr. Arian.* 22). Affertur et S. Eucherii Lugd. (*Formul. spirit. intellig.* 11); sed iste textus nullius valoris habendus est.

[2] *De pudic.* 21. — *P. L.* t. II, col. 1080.

[3] Minor sane, Cl. Lamy tantopere hos perdebiles textus Tertulliani et S. Cypriani extollere; silentiumque S. Augustini tantopere deprimere (op. cit.).

[4] Notatu dignissimum, difficultates ex usu patristico obiici solitas, non fuisse primum ab adversariis sed a patronis authentiae collectas, a Millio, Bengelio, protestantibus viris, quibus tunc temporis plus valebat universus usus ecclesiasticus, quam moles eruditionis contrariae, quoad maximam partem negativae.

E contra authentiae acerrimus vindex, Card. Franzelin, scribit: « Si contextum epistolae Ioannis inspiciamus, is certe « omisso hoc commate hiulcus videtur, eo admisso tam con- « cinnus est et sibi cohaerens, ut si versiculus alicubi in ido- « neis instrumentis reperiatur, gratulandum sit de opportu- « nissima lacunae suppressione » [1]. Imo ulterius progrediens Bengelius protestans ait: « Adamantina versiculorum cohae- « rentia omnem codicum penuriam compensat..... Certius « agnosci hoc dictum (v. 7.) potest, quam pars folii ex libro « aliquo amissa, passim quaesita, alicubi recepta et in tota « striatura parti non amissae congruens » [2].

At a priori hoc nimis dictum videtur. Si tam hiulcus est sine hoc commate contextus, quomodo tot Patres qui v. 7. non legebant, defectum nexus non animadverterunt?

Inspiciamus igitur - id aequa expostulat discussio - contextum omisso v. 7. nostro, iuxta probabiliorem in illa hypothesi ex codicibus lectionem.

Iam vero de lectione ipsa duo notanda occurrunt. 1) Versu 6. graecus textus hodiernus habet: « ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλή- « θεια, quoniam Spiritus est veritas », loco « quoniam Christus « est veritas ». Et re vera multi graeci et latini codices hanc lectionem exhibent. - 2) Ultima verba versus 8. multifariam reperiuntur. Dum editiones graecae, dempta illa Complutensi, in v. 7. habent ἕν εἰσιν (Complutensis habet εἰς τὸ ἕν εἰσιν); in v. 8. habent: εἰς τὸ ἕν εἰσιν. - 3) Insuper in eodem versu quidam codices habent additum « et hi tres *in nobis* [3], unum « sunt », alii « hi tres unum sunt *in Christo Iesu* » [4]. Cassiodorus liberiori modo utrumque versiculum (si non unum solum) refert: « Cui rei testificantur in terra tria mysteria, « aqua, sanguis et spiritus, quae in passione Domini leguntur « impleta; in caelo autem Pater et Filius et Spiritus Sanctus, « et hi tres *unus Deus* » [5].

Iure igitur optimo - in hypothesi de qua quaeritur - lectio sequens tanquam legitima habetur: « Haec est victoria quae

[1] Op. cit. p. 60. Eodem prorsus modo loquitur protestanticus vir Gulielmus Kölling *(Die Echteit von* 1. *Ioh.* v. 7. Breslau, 1893).

[2] Cf. Card. Franzelin, ibid., p. 61.

[3] Vigil. Taps, loc. cit.

[4] Etherius Osmensis epist. ad Elip. l. 1, c. 27.

[5] *Complex.* in epist. S. Ioann. ad Parthos.

« vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, « nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei? Hic est qui « venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus, non in aqua « solum, sed in aqua et sanguine. Et spiritus est qui testifica- « tur quoniam Christus (spiritus) est veritas. Quoniam tres « sunt qui testimonium dant: spiritus, aqua et sanguis, et hi « tres in unum sunt [1]. Si testimonium hominum accipimus, « testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium « Dei quod maius est, quoniam testificatus est de Filio suo. « Qui credit in Filium Dei habet testimonium Dei in se. Qui « non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in « testimonium quod testificatus est de Filio suo. Et hoc est « testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis Deus. « Et haec vita in Filio eius est. Qui habet Filium, habet vi- « tam: qui non habet Filium, vitam non habet. Haec scribo « vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis aeternam, qui cre- « ditis in nomine Filii Dei » [2].

Ubicumque verba per se varias interpretationes patiuntur - quis autem dixerit huius integri contextus sensum esse obvium? - consulendus est ipse auctoris scopus, ut quae dubia sunt in se considerata, iam ab eo determinentur. Inde recte observat Scheeben [3], aliter et aliter huius loci exegesim esse instituendam, secundum quod quis putet Ioannem contra Gnosticos Docetas, aut contra Cerinthum pugnare voluisse. Docetae enim negabant realitatem corporis humani Christi; Cerinthiani vero, personas in Christo separantes, affirmabant, Verbum illapsum esse in Christum dum baptizabatur, eum autem tempore passionis reliquisse. Si Docetas Evangelista impugnat, aqua, sanguis, spiritus videntur trahenda ad elementa quibus veritas humanae naturae constituitur, et alludere ad mysterium crucis, ubi Iesus emisit spiritum, et de latere eius transfixo sanguis et aqua effluxerunt. — Si contra Cerinthum agit, iam haec trilogia ad sensum altiorem, spi-

[1] Ita in recenti emendata editione Ecclesiae anglicae suppresso v. 7. legitur v. 8: « For there are three who bear witness: the spirit, and the water, and the blood; « and the three agree in one » Contra suppressum v. 7. fusiori calamo protestatus est vir anglicanus Rev. Armfield. (*The three Witnesses, the disputed text in S. John, Considerations new and old.* London, 1883).

[2] v. 5-13.

[3] *Dogmatik* t. I. p. 758.

ritualem trahenda videtur, et spiritus intelligendus de Spiritu divino. — Si autem utrosque simul convellere intendit, mixta quaedam interpretatio plenum sensum exhibebit.

Iam vero inquiramus ab ipso Apostolo, quid demonstrandum susceperit. Thesim clare exprimit tum in exordio: « Quis « est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est « Filius Dei »; tum in conclusione: « Qui credit in Filium « Dei, habet testimonium Dei in se.... Qui habet Filium, habet « vitam: qui non habet Filium, vitam non habet ». Iesum, verum Hominem-Deum, auctorem vitae et salutis: en argumentum quod Ioannes suscepit evolvendum. Iam iuxta hanc thesim liberiori discursu per modum paraphraseos integrum locum explicare liceat.

Mundus est perditionis civitas, cuius per originis culpam omnis homo civis natus, indiget ex Deo renasci, ut illius fiat membrum, qui de mundo triumphavit. Cui per fidem adhaerendum est, ut per fidem triumphi Christi comparticipes efficiamur. Haec autem fides, qua vincitur mundus, est fides integra atque sincera, in Christo vero homine Filium Dei verum agnoscens. Homo enim Iesus, in mundum venit, non mere in specie adumbrata, in aquosi flegmatis velamine, ut somniant Docetae; sed in aqua et sanguine, in corpore vivo, in vera humana natura. Et in hac natura venit Iesus-Christus, quia, verus homo, simul erat verus Deus. Nam si aqua et sanguis veritatem eius humanitatis testantur; Spiritus testimonium perhibet de eius divinitate. Hic autem Spiritus plenissimam fidem meretur, nam est ipsa veritas, ἡ ἀλήθεια. Tres sunt igitur [1], qui testimonium dant de Christo vero Homine-Deo, Spiritus, et aqua et sanguis, et hi tres unum sunt, nam Christus Homo-Deus una est persona, propter unionem hypostaticam, et in unitatem testimonii testes hi tres conspirant.

At forte quis quaerat de vi testimonii divinitatem Christi affirmantis. Impia quaestio! Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. En autem testimonium Dei, maius testimonio hominum: dixit enim de Christo Pater:

[1] In hac numeratione trium testium patet, S. Ioannem prae oculis habuisse illud DEUTER. XIX, 15: « In ore duorum aut trium testium stet omne verbum ». (Cf. MATTH. XVIII, 16; II. COR. XIII, 1).

Hic est Filius meus. Ergo qui credit in divinitatem Christi Filii Dei, habet testimonium Dei in se. Qui autem fidem hanc praestare recusat, iam facit Deum mendacem, quum testificanti Deo de Filio suo fidem non praebeat. Hoc est testimonium Dei verbale. Est et alterum testimonium reale. In baptismo Pater Christum Filium suum proclamavit; antequam moreretur, Christus Spiritum promisit. Et hoc ergo est testimonium divinitatis Christi, postquam scilicet venit in aqua baptismatis, et in sanguine passionis, - in qua contra Cerinthi blasphemiam Deus verus permansit, - de caelo nobis cum Patre suo per Spiritum vitam aeternam dedit. Et haec vita aeterna est in Filio, in agnitione divinitatis eius, sine qua non datur influxus operis eius salvifici. Qui habet ergo Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. Vos ergo qui creditis in Iesum verum hominem et verum Deum, mediatorem salutis, habetis vitam aeternam.

Lectio « quoniam Christus est veritas » non minus cum hac interpretatione concordat. Etenim nihil aliud apostolus demonstrare intendit, nisi Christum esse verum hominem, verum Deum, verum humani generis redemptorem. Quo magis autem ab intentione scribentis removetur demonstratio verae humanitatis Christi, eo magis accedendum est ad altiorem explicationem verborum aquae, sanguinis et spiritus.

Et re quidem vera S. Ioannes explicite thesim de divinitate Christi annuntiat, non autem de eius humanitate. Et certe sequens interpretatio magnam sibi vindicat speciem: « Iesus est Filius Dei ». Hic est enim qui venit, non in aqua solum, in baptismate, ubi Pater Filium suum proclamavit; sed in aqua et sanguine, in cruce, ubi ipse Christus martyr propriae divinitatis obiit; et Spiritus in coenaculo, a Iesu promissus, testimonium de Christi divinitate dedit. Tres sunt igitur in unum testimonium conspirantes, Pater in aqua Iordanis, Filius ipse in sanguine crucis, Spiritus in Pentecoste.

Nisi ex toto fallimur, quem modo exposuimus nexus, non solum valde naturalis est, ac nullo modo hiulcus; sed et optime explicat, quomodo S. Cyprianus, S. Augustinus aliique hunc versum de SS. Trinitate intelligere potuerint. Nec aliquid efficaciae habent considerationes quae contra hunc sensum ab aliis obiiciuntur. Nam *a*) verba « *in terra* » non habentur in

antiquioribus codicibus. - *b*) Forma « *tres* », loco « *tria* » (quae utique admisso v. 7. facilius per attractionem sermonis explicatur) rationem habet tum ex altiori significatione de SS. Trinitate, tum etiam, hac remissa, ex significatione vocis « Spiritus »; imo, sententia in se considerata, sine attractionis influxu, propter hanc interpretationem vocis « Spiritus » forma « *tres* » melius intelligitur, quam si v. 7. adiungatur, et ambo ita explicentur, ut v. 7. referatur ad demonstrandam divinitatem, et v. 8. ad demonstrandam humanitatem. - *c*) Versus 8. post 6. non est mera tautologia, sed partim reassumptio et partim complementum. - *d*) Versus 9. optime coniungitur cum praecedentibus, nam testimonium « Spiritus » in v. 6. et 7. allatum, remanet explicandum. - *e*) Imo facilius intelligitur, duplex afferri testimonium, verbale Iordanis, et reale coenaculi, si v. 7. non adest; nam cum v. 7. expectatur potius triplicis testimonii enumeratio. - *f*) Insuper non habetur saltus argumenti sicut in alia hypothesi. Nam addito v. 7 . ac admissa interpretatione Card. Franzelin et aliorum, in v. 6. afferuntur testimonia humanitatis, in v. 7. divinitatis, in v. 8. rursus humanitatis, in v. 9. et sequentibus rursus divinitatis. Dum in expositione quam suggessimus, in v. 6. et 8. (Vulg.) habetur utrumque testimonium synthetice collectum; in sequentibus autem evolutio testimonii divinitatis; vel, si thesim ad demonstrationem divinitatis limitare volumus, habetur in v. 6. affirmatio per exclusionem blasphemiae Cerinthi, in versu sequenti affirmatio cum adiuncta unitate testimonii; in reliquis evolutio expressa huius testimonii sub ratione verbali et reali. - *g*) Demum non cogimur, quemadmodum alii, disputare, utrum vox *spiritus* in v. 6. 7. 8. eodem modo sumatur. Et re vera sat multi intelligunt hanc vocem in v. 6. et 8. de anima humana Christi; in v. 7. de persona tertia SS. Trinitatis.

Ideone ex inspecto contextu negamus v. 7. esse genuinum? Nequaquam. Et ista conclusio nimia nobis videtur. Datur enim modus, imo non unus, exponendi contextum cum v. 7. Si quis enim teneat interpretationem modo iuxta antiquos Patres latinos expositam, valde naturali nexu versus 7. cum v. 6. et 8. copulatur. Explicite enim designat illos eosdem testes, qui sub mystico velamine in gemino alio continentur. - Alteram suggerere liceat, in qua divinitas Christi eiusque

opus salvificum thesim constituunt a Ioanne demonstrandam. Apostolus inducit personam Iesu: *Hic est*, in sua missione redemptrice *(qui venit)*, quam missionem duobus praesertim complevit: instituendo sacramentum regenerationis *(in aqua)*, et afferendo seipsum hostiam expiationis *(et sanguine)*, unde factus est Redemptor *(Iesus-Christus)*. Etenim non sicut Ioannes fuit solum baptizans *(non in aqua solum)*, sed seipsum consecrans *(sed in aqua et sanguine)*. Unde utrumque apparuerunt percusso latere eius in cruce. Iam hanc Christi missionem in Iordane, hanc in Calvario expiationem authentica fuisse, proclamat *Spiritus*, nempe attestatio suprema post opus Christi completum de eodem facta per promissum Spiritum *(Et Spiritus est qui testificatur)*. Quonam iure testificatur? Divino, est quippe ἡ ἀλήθεια, nimirum substantialis, perfecta veritas *(quoniam Spiritus est veritas)*.

Si teneatur lectio « *Quoniam Christus est veritas* », sensus quasi idem est, refertur enim incisum ad comprobandum testimonium sanguinis et aquae: sed minus apparet nexus inter v. 6. et 7; et ideo alteram lectionem praeferimus: « *quoniam Spiritus est veritas* ».

Allato testimonio Spiritus, Evangelista transit immediate ad ostendendam vim huius testimonii, evolvendo nempe illud quo terminavit sententiam: « *quoniam Spiritus est veritas* ».

Curnam est ἡ ἀλήθεια? Quia est unus ex tribus personis divinis quae in caelo testificantur, et quarum testimonium summam auctoritatem inde ducit, quod unum sunt in divina natura, totius veritatis fundamento. « *Quoniam tres sunt*, etc. ».

Iam vero, pergit Apostolus, hic ipse Deus unus et trinus, in supernis testificans, reddit et in terra testimonium Filio suo. Etenim baptismus Christi, mors eiusdem cruenta, et descensus Spiritus, tot fuerunt illustrata portentis, ut triplex inde testimonium oriatur divinum, triplex quidem tempore et circumstantiis, sed tum auctore, tum veritate comprobata unum: « *Et tres sunt qui testimonium dant*, etc. » [1].

Nexus cum sequentibus patet per se. Posito enim facto testimonii divini, Evangelista statuit, ut principium incon-

[1] Apparet, in hac interpretatione verba *tres sunt* utrobique ad idem mysterium Trinitatis referri; unde maior elucescit et sententiae nitor et structurae harmonia.

cussum, maiorem vim habere testimonium divinum quam humanum.

Remanet ut directius formalem huius testimonii significationem evolvat, duplicis scilicet testimonii de divinitate et de missione redemptrice. Quod poterat duplici modo fieri: vel prius exponendo utrumque, ac dein pro utroque conclusionem ferendo; vel conclusionem coniungendo immediate utrique testimonio singillatim. Hoc alterum fecit, de primo testimonio divinitatis v. 9. mediante et v. 10; de testimonio missionis redemptricis v. 11. et 12.

Demum concludit utrumque versu 13. qui versus potest haberi veluti versui 5. correspondens. « Haec scribo vobis, ut « sciatis quoniam vitam aeternam habetis, qui creditis in « nomine Filii Dei ».

Animadverte inversionem quae occurrit in enumeratione v. 6. et v. 8. Cuius inversionis sequens ratio prostat. Iterata formula « *tres sunt* » exigit ut ex hoc triplici testimonio illud primo loco ponatur, quocum illa masculini generis locutio melius concordet, qui « *spiritus est* ». Observa insuper, triplex testimonium in terra respondere triplici baptismati, per quod Christus generi humano factus est Iesus: baptismati *aquae, sanguinis* et *spiritus*.

Quidquid de hac expositione quis teneat, nihil tollit de naturali nexu, quem supra adesse probavimus, etiamsi versus 7 tollatur. Unde conclusio huius membri inquisitionis nostrae sit: ipsum contextum intrinsice inspectum non solidum suppeditare argumentum ad authentiam commatis certo demonstrandam quum sine hoc commate absque ulla violentia facta sermoni, valde bonae huius integri textus interpretationes prostent.

4) De Argumento theologico.

Hic sistunt critici rationalistae; ulterius autem progrediuntur catholici. Etenim, quum examen ex codicibus, ex usu patristico, ex indole sententiae ac contextus nonnisi ad moralem quamdam certitudinem conducere possit, si tamen conducat, fieri potest, ut veritas a parte opposita stet. Quare quaerendum superest, num circa rem controversam

iudicium non tulerit illa suprema auctoritas, cuius oraculis error subesse nequit: magisterium scilicet Ecclesiae catholicae, ex divinis promissis infallibilitate gaudentis.

Sane tereret tempus, qui heic fuse sibi probandum assumeret, Ecclesiam posse authentiam alicuius Scripturae partis ex cathedra declarare, ita ut iam fidem offendat quicumque mentis assensum huiusmodi declarationi praestare recuset. Quaestio est de facto. Estne verum, tale iudicium de nostro commate unquam esse latum?

Affirmat Kleutgen, et quidem tale cui extra fidei periculum nemo contradicere possit. Affirmant, licet absque hac extrema consequentia, Card. Franzelin, aliique non pauci. Allegant solemnes declarationes Concilii Tridentini et Vaticani; provocant ad titulum pacatae per saecula possessionis, ad usum dogmaticum publicum, necnon ad usum liturgicum.

1) Concilium Tridentinum, in Sess. IV, de canonicis Scripturis, ita habet: « Si quis libros integros cum omnibus suis « partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et « in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et « canonicis non susceperit, anathema sit ». Concilium autem Vaticanum in Sess. III. c. II. *de Revelatione*, can. 4: « Si quis « sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis parti- « bus, prout illos sancta Tridentina synodus recensuit, pro « sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspi- « ratos esse negaverit, anathema sit ». Atqui, aiunt, comma nostrum constituit huiusmodi Scripturae partem. Ergo non licet de eius authentia dubitare.

At alii vim huius argumenti recusant, tum inspecta mente utriusque Concilii, tum inspecta ipsa littera utriusque canonis. Etenim *a*) mens Concilii Tridentini non fuit componere huiusmodi lites, quae intra septa catholici campi existerent vel oriri possent; sed determinare arma quibus adversarii convincerentur. Quare directe Concilium declarare intendit, libros ac partes deuterocanonicas Sacrae Scripturae esse recipiendas. Etenim, si mens Concilii fuisset omnia prorsus, uti tunc temporis in Vulgata iacebant, undequaque probare ac consecrare, quomodo emendatio editionis Vulgatae suscipienda ab eodem Concilio iuberi potuisset: « ut Vulgata « vetus ex Tridentinae synodi praescripto emendatissima pri-

« stinaeque suae puritati, qualis primum ab ipsius interpretis « manu styloque prodierat.... restituta imprimeretur [1] » ?

Demum si Concilium authentiam huius loci declaravit, cur non omnium aliorum textuum, de quorum tamen origine inter catholicos disputatur? Idem a fortiori valet de canone Vaticano.

b) Nec littera utriusque canonis hoc secum fert. Imo quum potius ex codicibus constet, in primis saeculis comma nostrum, saltem in plurimis locis lectum non fuisse, et solum a saeculo V. in Ecclesia latina invaluisse; non potest in verborum rigore affirmari, comma nostrum esse ex partibus quae « in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri « Vulgata latina editione habentur ». Nam sub Damaso ipsum Hieronymum, cuius textum Sixtus V. aliique Pontifices in sua puritate restaurandum decreverunt, comma nostrum non legisse, cum certitudine constat.

2) Ex dictis iam patet vis argumenti ex *pacata possessione* desumpti. Utique talis possessio usquedum solide impugnetur, titulum legitimi iuris constituit. At non valet in re praesenti contra facta rite probata; nisi - de quo mox - ad ostendendum qualis fuerit per totum possessionis stadium publica Ecclesiae fides. Verissima sunt atque praeclara quae Tertullianus [2] monet ad iura catholicae Ecclesiae contra usurpationes haereticorum tuenda ac vindicanda: sed nonnisi ex praeoccupato iudicio ad praesentem litem componendam adduci posse videntur [3].

3) De *usu autem dogmatico publico* caute loquendum. *a*) Primo quidem non omnia quae occurrunt, in documento etiam ex cathedra emisso, auctoritatem summam ex cathedra loquentis iure sibi vindicant. Id solum infallibilitati subiacet, quod infallibilis Doctor definire intendit. Unde etiamsi in doctrinali documento, ad fidem, v. gr., SS. Trinitatis vindicandam, comma nostrum a Pontifice ex cathedra loquente,

[1] Sixtus V, Constit. « Aeternus Deus ». Haec emendatio, cui tempore Concilii Tridentini plurimum obstabant codices hispani, neque nostra aetate est absoluta, ita ut et nunc remaneat in votis.

[2] *De praescript. adversus haeret.*, c. 17, 37 et alibi.

[3] Cf. *Studium Solesmense*, l. c., p. 45.

aut ab oecumenico Concilio afferretur, nondum ideo ut authenticum infallibiliter declararetur. *b*) Sed et vera huiusmodi documenta desunt: nam aliud est longe quod versus noster in aliquo instrumento obiter citetur - uti occurrit in cap. « *Damnamus* » Conc. Later. IV. ubi legitur tanquam pars obiectionis Abbatis Ioachim, quin concilium ullo modo insistat, - necnon in decretali « *In quadam* » Innocentii III, ubi Pontifex respondens episc. Ferrarensi de vero sensu v. 8. sciscitanti [1], versum 7. per transennam affert, ut ad 8. perveniat; nam de v. 7. non movebatur quaestio [2]. *c*) Observa demum - quod ab initio monebamus - SS. D. N. Leonem XIII, in litteris encyclicis de cultu Spiritus Sancti, quasi immediate post responsionem S. Officii conscriptis, a commate nostro, praecipuis aliis ex Scriptura textibus allatis, e consulto temperasse.

4) Ex *usu liturgico* demum vix firmum argumentum desumes. Primo quia sat tarde comma nostrum (inde a saec. IX. vel X.) in liturgia apparet [3]. Tunc quia ab huiusmodi usu potest quidem ad doctrinae integritatem, non autem ad authentiam textus certo concludi. De quo, si non multa prostarent exempla, monerent satis verba quae hodiedum in praefatione Vulgatae Clementinae leguntur: « Sicut nonnulla « consulto mutata, ita etiam alia quae mutanda videbantur, « consulto immutata sunt relicta ». Prima autem ratio ibidem allata non minus, imo magis de usu liturgico valet: vitanda scilicet populi offensio.

Ultro concedimus, a saeculo V. in finem vergente, usum

[1] Quaerebat scil. utrum v. 8, per vocem *aqua* esset intelligenda aqua vera, an potius phlegma.

[2] Momentum nihilominus haec responsio habet, non solum ad ostendendum, tempore Innocentii III, comma nostrum passim agnitum fuisse, — de quo nemo controversiae parumper non ignarus dubitare potest; — sed etiam ad confirmandam interpretationem iuxta quam in v. 7. testimonia verae divinitatis, in v. 8. testimonia verae humanitatis Christi afferuntur. Aquam autem et sanguinem ingeniose sequenti modo Pontifex explicat: ad corpus humanum quatuor concurrunt elementa: terra et aqua, aër et ignis, quibus quatuor humores vegetantur, scil: sanguis et cholera, phlegma et melancholia. Ex elementis igitur et ex humoribus evangelista assumpsit utrimque unum: aquam et sanguinem, utpote mysterio utriusque sacramenti redemptionis et regenerationis magis congruentia.

[3] Prostat palemps. Montis Cassini, in quo Dominica in Albis *Quasi modo* comma nostrum desideratur.

biblicum in Ecclesia latina apparere, indeque temporis decursu acta quaedam publica, ipsamque deinceps liturgiam paulatim authentiae commatis favere. At haec suntne huiusmodi, ut genuinitatem eiusdem iuxta criteria in similibus controversiis passim admissa demonstrare valeant? Iudicet lector.

5) De Argumento traditionali.

Ideone, admissa conclusione negativa, iam abstinendum esset ab afferendo v. 7. quo dogma SS. Trinitatis fulciatur? Nequaquam. Sententia quippe hoc versu expressa, etiamsi inspirata dici non posset, constitueret nihilominus documentum authenticum fidei constantis illius Ecclesiae, quacum Christus se promisit permansurum, ne unquam a recto dogmatis tramite declinet. Impossibile enim est, formulam qua Ecclesia per tot saecula mysterium SS. Trinitatis expressit, veram de divinitate non exhibere doctrinam. Ergo comma nostrum, sive sit ad litteram inspiratam pertinens, sive interpolatum, quoad dogmatis confessionem authenticum est, ab omnique errore immune. Imo, admissa hypothesi de eius origine humana, eloquentius, ut ita dicam, fidem Ecclesiae catholicae testatur, et efficaciam aliorum locorum de SS. Trinitate agentium manifestat. Etenim, si versus 7. re vera Ioannem habet auctorem, nil mirum quod tanquam tessera summi dogmatis habitus sit. Si autem in origine fuit mera nota marginalis, vel aliunde derivatus est, nunquam in litteram fuisset receptus, nisi ex aliis Scripturae locis et ex tota traditione catholici magisterii eadem formula veluti effluxisset [1].

Atqui recte comma nostrum perpendenti vis dogmatica eiusdem sine ullo labore constat. Sufficit enim conferre sententiam v. 7. cum formula baptismatis, vel cum verbis Domini: « Ego et Pater unum sumus » [2], ut appareat, tres enumerari in Deo personas, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum,

[1] Vis huius considerationis adhuc augeretur, si comma nostrum Priscillianum haberet auctorem. Etenim discrimen quod apparet inter textum Vulgatae et formulam - in hac hypothesi - ab haeresiarcha inductam, efficacius ostendit publicae fidei catholicae virtutem.

[2] Ioann., x, 30.

qui tamen tres unum sunt ratione unius eiusdem divinae naturae. Agi enim hic de testibus divinis manifestum est, tum ex verbis « in caelo », tum ex versu 9, in quo testimonium ab eis datum vocatur explicite « *testimonium Dei* ».

Obiicies: Verba « *hi tres unum sunt* », non debent habere maiorem vim in v. 7. quam in v. 8; atqui, in versu 8. non significant unionem realem in natura, sed unionem moralem n testimonio; ergo.

Resp.: Ad maiorem. a) Recuso paritatem, seu parallelismum *verbalem.* Nam probabilius in v. 8. legendum est: « *in unum sunt,* εἰς τὸ ἕν εἰσιν. - *b*) Concessa utrobique lectione « *unum sunt*, ἕν εἰσιν », recuso parallelismum *realem.* Etenim significatio alicuius praedicati multum a natura subiecti dependet. Iam vero quum de divinis personis in v. 7. agi constet, affirmatio unitatis nequit intelligi nisi in eadem natura; licet in v. 8. alius sensus verbis subesse optime possit. Corroboratur vis huius responsionis per ipsa Domini verba: « Ego et Pater unum sumus ». Haec enim tum ex contextu, tum ex modo quo Iudaei ea intellexerunt, liquet de vera, intima, naturali cum Deo unione esse intelligenda, de tali scilicet unione, qua Deus sit, qui ea gaudet.

Ad minorem. Concedo in una alterave interpretatione quam suggessimus, verba « hi tres unum sunt » non posse de unitate naturae intelligi; at non desunt interpretationes in quibus totus rigor huius formulae servetur. Si enim cum S. Augustino haec verba de SS. Trinitate vel cum multis exegetis de humana Christi vera natura intelligis dicta, « hi « tres unum sunt » significant: hi tres sunt unus Deus, vel sunt unus homo.

Corollarium. Ex dictis apparet, quomodo solvatur instantia Arianorum ex verbis eiusdem Apostoli derivata: « Ut omnes « unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi « in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. « Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, « sicut et nos unum sumus » [1]. Nam 1) per haec verba unitas Patris et Filii adducitur tanquam supremum exemplar ad

[1] Ioann. xvii, 21, sq.

cuius imaginem quidem se christiani charitate supernaturali transforment, non autem quam unquam ex toto adaequent. An forte in alio loco verba: « Estote ergo vos perfecti, sicut et « Pater vester caelestis perfectus est » [1], significant, homines re vera posse infinitam perfectionem Patris in se moribus exhibere? Absit. Est ergo comparatio non aequalitatis, sed *supereminentiae*. - 2) Ipse contextus ostendit, agi heic de illa imitatione, qua homo capax redditur ope gratiae ad statum supernaturalem elevantis. Secus enim urgenda essent verba: « claritatem quam dedisti mihi, dedi eis »; quae, quum initio eiusdem orationis sermo sit de claritate divina aeterna Verbi, nequeunt intelligi nisi de participata ab hominibus claritate per lumen revelationis et per ardorem charitatis. Sensus est ergo: Sicut nos unum sumus per naturam, ita sint unum per participationem adoptivam, qua, gratia opitulante, divinae fiant consortes naturae. - 3) Inde iam incipit argumentum contra Arianos retorqueri. Sicuti enim eiusdem revera divinae dignitatis et supra-naturae est illa gratia omnes Christi discipulos in unum colligens; ita quoque una sit Patris et Filii natura oportet. - 4) Nec satis. Fundamentum huius transformationis per Christum est unitas humanae naturae inter Christianos et ipsum Christum, unitas in ordine supernaturali per Eucharistiam sigillata. Unde sicuti per eamdem specie naturam humanam et per mysterium altaris sunt re vera unum Christus et genus nostrum, ita unum sunt, per eamdem scilicet numero naturam divinam, Christus et Pater. Egregie S. Hilarius. « " Ut sint unum, sicut nos unum sumus: ego in « his et tu in me, ut sint perfecti in unum " [2]. Eos nunc, qui « inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, inter- « rogo, utrumne per naturae unitatem hodie Christus in « nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere « Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo « dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in « nobis aestimandum est, qui et naturam carnis nostrae iam « inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis « suae ad naturam aeternitatis sub sacramento nobis com- « municandae carnis admiscuit? Quisque ergo naturaliter

[1] Matth., v, 47.
[2] Ioann., xvii, 22 sq.

« Patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel « se in Christo, vel Christum sibi inesse; quia in Christo « Pater, et Christus in nobis, unum in his esse nos faciunt. « Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, « et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, ... « nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, « et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, et ille in « nobis, quomodo voluntatis unitas asseritur cum naturalis « per sacramentum proprietas perfectae sacramentum sit « unitatis? » [1]. Quae est ipsissima doctrina Magni Athanasii [2].

Sistamus iam in hac de commate Ioanneo critica simul et exegetica inquisitione. Si ex v. 7, uti in Vulgata latina iacet, argumentum traditionale deducitur invictum ad dogma SS. Trinitatis vindicandum, argumentum scripturisticum cautius adhibendum videtur, praesertim ubi res est cum adversariis, qui, ob rationes abunde allatas, putant authentiam huius commatis scientifice demonstrari non posse. Optemus igitur, fore ut alios codices perantiquos, hucusque ignotos, commate nostro instructos, eruditi e chartarum pulvere in lucem producant, - quemadmodum nuperrime Ziegler fragmenta versionis antiquae Italae (saeculi VII.) Frisingae reperta edidit. Talibus enim auxiliis, si multiplicarentur, authentia v. 7. validius paulatim propugnari posset. Et haec dicta de scientifica disquisitione, seu de **demonstrabilitate** authentiae Ioannei commatis sufficere credimus. De ipsa autem **authentia** nos iudicare noluisse, sicut lectorem monebamus incipiendo, ita absolvendo iterum monemus.

Claudatur ergo hoc alterum dissertationis nostrae caput. Ex omnibus locis Evangelii aliorumque librorum N. T. abunde

[1] *De Trinit.*, l. VIII, n. 13. — *P. L.* t. X, col. 245, sq. — Cf. n. 47. Quanti momenti sint huiusmodi comparationes ad fidem in mysterium corporis Christi demonstrandam, per se patet.

[2] *Ctr. Arian.*, or. 3, c. 22 et 26. — *P. G.* t. XXVI, col. 368, sq.

[3] Quantopere a plerisque e castris acatholicorum lis non amplius sub iudice videatur, ostendunt sequentia verba sane parum modesta Tischendorfii: « Apparet, « igitur verba quae de tribus testibus coelestibus dici solent, nullam prorsus fidem, « auctoritatem nullam habere, nec a gravi libidinis aut imprudentiae crimine liberari « posse eos, qui etiamnum, falsa pietate ducti, libris sacris obtrudi patiuntur ».

allatis constat, apertam in eodem doctrinam SS. Trinitatis praedicari. Nec mirum, quum ipse Redemptor, Verbum incarnatum, Filius Patris, operante Spiritu Sancto de Virgine natum, totum in se mysterium Dei unius ac trini contineat. Unde praeco Incarnationis in salutanda Deipara ad Trinitatem non solum alludit, sed quasi provocat: « *Spiritus* « *Sanctus* superveniet in te, et virtus *Altissimi* obumbrabit « tibi, ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur « *Filius Dei* » [1].

CAPUT III.

DE DOCTRINA SANCTISSIMAE TRINITATIS IN ANTE-NICAENA TRADITIONE ECCLESIAE CATHOLICAE.

Inde ab Arianismo catholicam Ecclesiam mysterium Dei unius ac trini, divinitatem praecipue Verbi ac Spiritus Sancti in unitate divinae naturae a Patre procedentium, indefesse propugnasse, vindicasse, illustrasse: fidei Symbola, Conciliorum declarationes ac anathemata, Patrum catholicorum acta atque scripta alte proclamant. Proclamat quoque publicus Ecclesiae cultus. Huic mysterio dominica dies, hebdomadae initium devovetur; psalmorum hymnorumque cantus die noctuque clauditur per doxologiam, ad quam, ait S. Benedictus, magnus ille veteris liturgiae testis simul ac legislator, « omnes de sedilibus surgant, ob honorem et reverentiam « SS. Trinitatis » [2]. Unius ac Trini Dei mysterium in hymno « Te Deum » « per orbem terrarum sancta confitetur Ec- « clesia ». Quare de traditione ante-nicaena heic tantum quaestionem movemus [3].

Etenim non defuerunt etiam inter catholicos, qui in obscuriora quaedam ac minus caute dicta antiquiorum Patrum offendentes, de concordia inter patristicam traditionem ante-nicaenam et post-nicaenam dubitarint; inter quos tres prae-

[1] Luc., I, 25.

[2] *S. Reg.*, c. IX.

[3] Iure Petavius: « Ad Nicaeni Concilii tempus traditionis seriem continuare suf- « ficit nobis; quod ex eo tempore, plane deinceps et extra controversiam posita fuit « istius dogmatis assertio, nec iam canalibus et rivis, sed torrentibus et fluviis totam « inundavit Ecclesiam » (*Theol. dogm.*, t. II, Praef. c. I. n. 8).

sertim nominandi sunt: e Patribus S. Hieronymus, e scholasticis secundae aetatis Petavius, e recentissimis Cl. Kuhn.

S. Hieronymus non satis ante-nicaenis Patribus favere videtur, utpote quos variis in locis de aequalitate divinarum personoram in una natura vix recte sensisse existimat. « Fieri « potest, ita ille, ut simpliciter erraverint, vel a librariis im- « peritis eorum paulatim scripta corrupta sint; vel certe an- « tequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius « nasceretur, innocenter quaedam et minus caute loquuti sunt, « et quae non possunt perversorum hominum calumnias de- « clinare » [1]. Transeat secunda, imo tertia explicatio; at primam non tam facile vir prudens concedat. Quare, in hac re potius S. Athanasii et S. Augustini testimoniis, quam isti iudicio S. Hieronymi standum esse putamus.

Petavius [2], vir sane eruditissimus, hanc S. Hieronymi sententiam non modo fecit suam, sed et ulterius ipse in eamdem viam progressus est. Traducit enim Patres ante-nicaenos uti antecedenter ariano errore aliqualiter imbutos, docentes quippe in Filio et Spiritu ad Patrem esse relationem non solum originis, sed et subordinationis in absoluta minori dignitate fundatae. At quum acriter se videret non a catholicis modo [3], sed a protestantibus theologis impugnari [4], imo a nonnullis errori Socinianorum adscribi [5], in praefatione secundae editionis *Theologicorum Dogmatum* ad saniora se recipiens, prudenter defendit quod audacius impugnare non veritus erat [6].

[1] *Apol. contra Rufinum*, l. II, n. 47. Caeterum adverte, S. Hieronymum ex nativae indolis ardore non semel ultra limites esse progressum; quod et testantur hae ipsae controversiae cum Rufino olim amicissimo, necnon litterae quaedam ad S. Augustinum directae.

[2] *De Trinit.*, l. I, c. 3, 4, 5. Recte de hac Petavii sententia Heinrich: « Es ist « da Petavius im Widerspruche mit dem, was er selbst in den Prolegomenen zu « seiner Trinitätslehre sagt, in der ungünstigen Beurtheilung der alten Apologeten « und Kirchenschriftsteller zu weit gegangen. Auch manche neuere Autoren sind « ihm hierin nachgefolgt » (Op. cit., § 231).

[3] Eminent inter hos Bossuetius (*Avertissements aux protestants*, 1. et 6. Avert.). — Thomassinus (*De SS. Trinit.*, a. 37, sq.) — Fratres Ballerini (*Op. S. Zen.*, proleg.). — Natalis Alex., aliique.

[4] Praecipue id egit Bullus (*Defensio fidei Nic.*, Oxon. 1688).

[5] De opinione Petavii triumphabat Iurieu, utpote vir protestans, qui Trinitatis dogma a punctis fidei fundamentalibus excludebat.

[6] Opinioni Petavii subscripsit Huetius (*Origenian.*, l. II, q. 2. n. 25.).

Priorem hanc Petavii calumniam instauravit nostris temporibus, mitigatam tamen, Doctor Kuhn. Cuius opinio ad haec capita reducitur. Eadem quoad rei veritatem fides ante-nicaena est, quae post-nicaena. At Patres ante-nicaeni, fidem hanc corde quidem tenere volentes, mente autem minus percipientes, modo confuso, imo interdum falso, ad subordinatianismum conducente exposuerunt. Quae, si quid dicunt, Patres a scelere utique haereseos formalis absolvunt, non autem a macula haereseos materialis; ac si Ecclesiae, cuius doctrinam per hoc stadium scriptis exprimunt, nonnisi immunitatem ab errore formali Christus promisisset; et non etiam, imo maxime, si externum magisterium, non sanctitatem internam attendis, ab errore materiali.

Transeat sententia Cl. Kuhn, si de uno alterove intelligatur, v. gr., de Tertulliano, aut Origene, aut Lactantio; at passim admissa, certe latius aequo patere dicenda est. Magis placeret, si hac forma mitigaretur, ut defectus non solum a mente, sed et a re excluderetur, ac non admitteretur nisi quoad *modum rei*. Ita mitigata sententia nedum corripienda, de aliquibus, neque tam paucis admittenda nobis videtur.

Inter theologos qui nostra aetate priscos Patres a labe subordinatianismi efficacius vindicarunt, eminent Cardinalis Franzelin [1], J. A. Moehler [2], Scheeben [3], Stentrup [4], Heinrich [5].

Mens nostra non est singula quaeque inde hinc prolata perpendere; labor foret prope infinitus. Sufficiat praesenti scopo principia regulasque primordiales attulisse, ac veluti viam tutam monstrasse, qua theologus per hanc sylvam dumis ac sentibus opacam, cuspidatisque scrupulis horridam inoffenso pede lucidas oras attingat.

I.) Et primo quidem *a priori* impossibile est, plures Patres, nullo reclamante, circa Trinitatis dogma gravius errasse. Hoc enim supponeret in Ecclesia stadium erroris, a quo

[1] Op. cit., t. VIII ad XI.

[2] *Athan. M.* etc., l. I.

[3] *Dogmat.*, l. II, p. 2, ch. IV, § 111.

[4] *De Verb. Inc.*, pars prior, l. I, c. 1, th. V.

[5] Op. cit., p. 250, sqq. — Cf. et Schwane *(Dogmengesch.)*, Werner (*Gesch. der apol. Lit.* t. I-III), etc. — De eadem controversia lege ephemerides: *Revue des sciences ecclésiastiques* (1882-83); — *La Revue du monde catholique* (15 et 31 Dec. 1880); laudatum opus Cl. de Regnon.

Redemptor Sponsam divino charismate immunem voluit futuramque promisit.

Cui argumento *negativo, positivas* sequentes considerationes adiunge.

1) Dogma Sanctissimae Trinitatis non erat huiusmodi, cuius cognitio ad solos eruditiores spectaret, aut vulgata praedicatio subtiliori discursu indigeret, qualem quis unionem hypostaticam in Christo vero homine et vero Deo maiori forte iure haberet. Erat Trinitatis confessio, titulus ipse templi christiani frontem adornans. In nomine Trinitatis neophyti baptizabantur) [1], Trinitatis invocatio signo salutis pectora muniebat; laus Trinitatis per doxologiam [2] die noctuque ubiubi perstrepebat; Trinitatem confitendo martyres vitam fundebant. Trinitatem quoque celebrant Symbola, in quibus ab antiquissimis temporibus fides in unum Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum proclamatur [3]. Verbo, Trinitatis dogma, Dei scilicet unius ac trini, fundamentum simul et culmen est catholicae doctrinae, quo sublato vel truncato totum corruit vel perit. Impossibile est ergo, plures circa hoc dogma Patres errasse, quin in publicum sensum Ecclesiae offenderent. Si legimus quamdam fidelium civitatem in Asia Minori tumultuarie contra episcopum insurrexisse, quod in legendo Evangelio vocem « grabatum » in « lectum » mutasset, quantis conclamationibus in doctrinae Sanctissimae Trinitatis corruptorem non fuisset invectum! Didicit derelictus a tota sua plebe Nestorius, infelix ille in Dei matrem blasphemus!

[1] « Nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur ». Ita Tertullianus (*Adv. Prax.* 26).

[2] De auctoritate ac vi doxologiae: « Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto », vel « cum Spiritu Sancto » etc. lege S. Basilium (*De Spiritu Sancto*, n. 71). Formulam quippe demonstrat esse, « quam, qui ab initio praescripserunt tradideruntque posteris, « usu simul cum tempore semper progrediente ipsam longa consuetudine in Ecclesiis irradicarunt ». — *P. C.* t. XXXII, col. 200.

[3] Placet declarationem afferre symboli divinitus traditi S. Thaumaturgo Gregorio, quem « maxime eminuisse » inter episcopos qui Samosatenum impugnarunt, testatur Eusebius (H. E. VII, c. 28). « Unus Deus Pater Verbi viventis, Sapientiae susbsistentis.... Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo.... invisibilis ex invisibili.... « Unus Spiritus Sanctus ex Deo subsistentiam habens et per Filium effulgens.... « imago Filii perfecta perfecti; vita, viventium causa, fons sanctus, sanctitas sanctificationis auctor; in quo (scil. Sp. S.), manifestatur Deus Pater, qui super omnia; « Trinitas perfecta, quae gloria et aeternitate et regno non dividitur nec alienatur.... » incommutabilis et invariabilis semper eadem Trinitas » (Galland. III, p. 385, 447).

Imo vehementius error circa Trinitatem corripiendus erat ab auditoribus, quorum nemo, primaeva praesertim aetate, nisi per catechumenatus stadium de Trinitate eruditus, ad baptismum erat admissus [1].

Ob singulare huius argumenti virtutem praecipuas quasdam ex martyrum actis confessiones excerpere placet. Et primo quidem loco afferenda est oratio illa mirabilis S. Polycarpi (Smyrnae, anno 155. vel 166?): « Domine Deus omni-« potens, Pater dilecti ac benedicti Filii tui Iesu Christi, per « quem tui notitiam accepimus, Deus angelorum et virtutum, « ac universae creaturae totiusque generis iustorum in con-« spectu tuo viventium; benedico tibi, quoniam me hac die « atque hac hora dignatus es, ut partem acciperem in numero « martyrum, in calice Christi tui ad resurrectionem in vitam « aeternam, animae et corporis in incorruptione per Spiritum « Sanctum.... Quapropter de omnibus (διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάν-« των) te laudo, benedico tibi, glorifico te cum sempiterno et « caelesti Iesu Christo dilecto tuo Filio, per quem tibi cum « ipso et Spiritu Sancto gloria et nunc et in futura saecula. « Amen » [2].

S. Epodius (Lugduni, ann. 178.) ait: « Christum cum Patre « et Spiritu Sancto Deum esse confiteor, dignumque est, ut illi « animam meam refundam, qui mihi et Creator est et Re-« demptor » [3]. - *S. Vincentii* (Valentiae, Hisp. ann. 304.): « Do-« minum Christum confiteor, Filium altissimi Patris, unici

[1] De modo quo fideles rudimenta fidei sedulo perdiscere cogebantur, Augustini audi testimonium: « Nec ut eadem verba symboli teneatis, nullo modo debetis scri-« bere, sed audiendo perdiscere; nec cum didiceritis, scribere, sed memoria semper « tenere atque recolere » (Serm. 212, n. 2. — Cf. Serm. 213; Serm. 214, in traditione Symboli; Serm. 214, in redditione Symboli. — Codic. liturg. Assemani l. I, de catechumenis). — Symbolum porro quod audit *Apostolicum* tredecim formis prostat (Cf. Denzinger, op. cit. 1-13.), illudque permulti veteres fuse interpretati sunt, uti Irenaeus, Tertullianus (ter), Novatianus, Cyprianus, Gregorius Thaumaturgus, etc.

[2] *Mart. S. Polyc.* c. 14. — *P. G.* t. v, col. 1040. De authentia horum actuum ab Evaristo Smyrnensis ecclesiae scriba confectorum, et ab Eusebio ex integro receptorum (H. E. v, 15), lege inter alios Alzog (*Patrol.* 3. edit. § 18, p. 47, sq.), Funk (*Op. Patr. Apost.* Proleg., p. xcv, sq.) et Nirschl (*Patrol.*, t. II, § 47). Caeterum adverte, quot veritates catholicas in his paucis verbis praedicatas: Sanctissimam Trinitatem, divinitatem Iesu Christi, creationem mundi visibilis sive angelici, participationem passionibus Christi, vitam aeternam, resurrectionem carnis, mediatorem laudis perennis eumdem Iesum Dei Filium. — Altera formula Sanctissimae Trinitatis in fine huius epistolae Ecclesiae Smyrnensis occurrit (c. 22. Ibid. col. 1045).

[3] Ibid. p. 65, n. 6.

« unicum, ipsum cum Patre et Spiritu Sancto unum solum « Deum esse profiteor.... Ego uni et vivo sacrifico Deo, qui « est benedictus in saecula » [1]. - *S. Eupli* (Catanae, ann. 304.): « Patrem et Filium et Spiritum Sanctum adoro; sanctam Tri- « nitatem adoro, praeter quam non est Deus, ... sacrifico modo « Christo Deo meipsum.... Adorem Trinitatem inseparabilem, « quae Trinitas unitas deitatis est.... Ego sacrifico et immolo « me ipsum Patri et Filio et Spiritui Sancto » [2]. Vide simillimam confessionem in actis *S. Afrae* (Augustae Vindelic. ann. 303. vel 304.) [3]. - *S. Tarachum* (Cilic., an. 304.) audi: « *Tarachus* (martyr) dixit: Ego Deo meo servio et sacri- « fico.... Magis ac magis opto confidere in nomine Dei et « Christi eius. - Maximus (praeses) dixit: Iniuste et male- « dicte, quomodo duobus Diis servis, quos voce confiteris, « et nunc deos negas? - Tarachus dixit: Ego confiteor mani- « feste, qui est Deus verax (ἐγὼ Θεὸν ὁμολογῶ τὸν ὄντως ὄντα) - « Maximus dixit: Nunc confessus es Christum et Deum (καὶ « μὴν καὶ Χριστόν τινα ἔφης εἶναι Θεόν). - Tarachus dixit: Et bene, « hic est enim Filius Dei, spes Christianorum, propter quem « patimur et salvamur » [4]. Vides, tyrannum obiicere pluralitatem quasi deorum; martyr confitetur pluralitatem personarum, at unum Deum. Adhuc eloquentius forte idem occurrit in actis *S. Pionii* cum sociis suis (Smyrnae, ann. 250.) [5].

2) Ex dictis sequitur, benigne ad formulas orthodoxas sequioris temporis ea esse trahenda, quae apud antiquos Patres minus caute dicta leguntur; nisi aperte de errore constet. Nam si plures simul, nulla exorta lite, in re praesenti errasse repugnat, unum alterumve a recta doctrina declinasse inscium, imo conscium - nisi cultu publico colatur - fieri potuit; sed neque hoc prudens theologus facile concedat, si apud coaevos nulla dubiae famae testimonia prostent.

II) Quod *a priori* verum esse debere his considerationibus tum negative, tum positive demonstravimus, iam a *posteriori* patet esse verum, et quidem directe et indirecte.

[1] Ruinart, *Act. Mart.*, edit. Veron. p. 326, n. 5.
[2] Ibid. p. 362.
[3] Ibid. p. 401, n. 3.
[4] Ibid. p. 377.
[5] Ibid. p. 122 sq. — Cf. Card. Franzelin, op. cit. p. 143. sq.

A) *Indirecte*, nam id preclarissimi ex Patribus post - nicaenis aperte testantur. Audiatur *S. Athanasius:* « Nos quidem, « hanc sententiam a Patribus ad Patres transiisse demonstra- « mus; vos vero, o novi Iudaei et Caiphae discipuli, quos Patres « dictorum vestrorum exhibere potestis? Nullum certe pruden- « tem et sapientem unquam proferetis; omnes enim a vobis « abhorrent praeter unum diabolum... qui etiam nunc vobis « persuadet, ut calumniemini oecumenicam synodum, quia « videlicet non vestra definivit, sed ea quae ab initio tradi- « derunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt « sermonis; nam fides quam synodus scripto confessa est, « ipsa est fides catholicae Ecclesiae » [1]. Et Hipponensis: « Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Tri- « nitate quae Deus est, divinorum librorum veterum et no- « vorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum « Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus « unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divi- « nam insinuent unitatem, ideoque non sint tres Dii sed unus « Deus, quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non « sit qui Pater est, Filiusque a Patre sit genitus et ideo Pater « non sit qui Filius sit; Spiritusque Sanctus nec Pater sit « nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio « etiam ipse coaequalis, et ad Trinitatis pertinens unitatem... « Haec est mea fides, quando haec est catholica fides » [2]. Rectissime proin Patres Conc. Constantin. I. fidem Nicaenam tenendam proclamarunt, ut quae antiquissima sit, et baptismati consentanea, docens nos credere in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, in tribus perfectis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis [3].

B) Quod isti Patres, cum Orientis tum Occidentis nomine tam solemni testimonio proclamant, iam *directe* docent 1) *controversiae* per prima saecula cum haereticis habitae. Etenim si per hoc stadium res unice fuisset cum Sabellianis, aliisque Monarchianis personas in Deo confundentibus, fieri potuisset, ut ex vi ipsius pugnae distinctio divinarum personarum in

[1] *De decret. Nic.*, n. 27.
[2] *De Trin.*, l. I, c. 4. — *P. L.* t. XLII. col. 824.
[3] HARDUIN, t. I, p. 295.

Patrum scriptis aut Ecclesiae documentis urgeretur, quin indicia prostarent tam manifesta constantis apud eos fidei in divinitatem propriam singularium personarum, in eadem una summa natura. At ita non fuit. Quemadmodum enim in praevio historico conspectu praelibavimus, utrimque et quidem ante exortas blasphemias Arii et Macedonii, ab Ecclesia certatum est: hinc ut contra Subordinatianos divinitas uniuscuiusque procedentium, illinc ut contra Monarchianos realis eorumdem inter se et a Patre distinctio defenderetur. Imo quum utrimque ipsa haereseos origo esset illa mysteriosa compositio utriusque in Deo uno ac trino elementi, nec Monarchiani debellari poterant, nisi concessa ipsius naturae unitate, nec Subordinatiani, nisi agnita distinctione personarum. Hoc praemisso, satis sit quaedam principaliora allegasse [1].

a) In percelebri epistola ad S. Dionysium Alexandrinum *Dionysius* Papa (mediante saec. III.) dogma catholicum simul ab excessu Sabellianorum et ab impietate Marcionitarum vindicat [2]. Tenet proin « augustissima praedicatio » Ecclesiae Dei unitatem divinae naturae simul cum trinitate Personarum: verbo abhorret a confusione Sabellii simul et separatione Gnosticorum.

b) Idem iam ante patuerat ineunte eodem saeculo, in actibus RR. PP. *Zephirini* et *Callixti*, quorum doctrina - teste ipso auctore Philosophumenon - ex una parte proclamat Deum unum, ex altera Deum trinum. Quam doctrinam, utique ipse, ex praeconcepto errore tritheistico, conciliat mitigando alterum membrum, ut ita veram inter personas distinctionem, quasi eorum doctrinae oppositam, defendet. Re tamen Callixtus, quum simul Sabellium et Hippolytum damnasset, Trinitatem veram cum vera unitate coniungendam esse proclamabat [3].

c) Ipse *Hippolytus*, contra *Noëtianos* scribens, utrumque dogmatis latus aequo studio tuetur. Exemplo sint sequentia verba: « Necesse est ergo ut quamvis nolens confiteatur

[1] De his controversiis fusius agentem consule inter recentes theologos praelaudatum Heinrich (op. cit. § 233. *Beweis der Trinität aus den vornicänischen Häresien und ihrer kirchlichen Verwerfung).*

[2] Cf. superius, p. 13, sq.

[3] Cf. Card. Franzelin, (op. cit., th. x, p. 134, 135).

« (Noëtus) Patrem Deum omnipotentem et Christum Iesum « Filium Dei, Deum hominem factum, cui Pater subiecit « omnia praeter se, et Spiritum Sanctum, et sic hos esse tria. « Quod si vult scire, quomodo unus Deus demonstretur, « sciat unam esse huius virtutem (ὅτι μία δύναμις τούτου). « Et quantum quidem ad virtutem, unus est Deus; quantum « vero ad oeconomiam, trina est ostensio. Haec igitur, fra- « tres, demonstrantur a nobis consonanter dicta; unus est « enim Deus » [1].

d) *Tertullianus* non aliter certat contra *Praxeam*. « Uni- « cum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, « quam oeconomiam dicimus, ut unici Dei sit et Filius, sermo « ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, « et sine quo factum est nihil. Hunc missum a Patre in « virginem et ex ea natum, hominem et Deum, filium ho- « minis et Filium Dei, et cognominatum Iesum Christum.... « Qui exinde miserit, secundum promissionem suam, a Patre « Spiritum Sanctum, Paracletum, sanctificatorem fidei eorum, « qui credunt in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum..... « Haec haeresis meram veritatem se existimat possidere, « dum unicum Deum non alias putat credendum, quam si « ipsum eumdemque et Patrem et Filium et Spiritum San- « ctum dicat, quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex « uno omnia, per substantiae scilicet unitatem » [2]. « Opus « Evangelii substantia novi Testamenti... quod exinde tres « crediti unum Deum sistunt, ut nove unus crederetur per « Filium et Spiritum Sanctum, ut coram iam Deus in suis « propriis nominibus et personis cognosceretur, qui et retro « per Filium et Spiritum Sanctum praedicatus non agno- « scebatur » [3].

e) Contra *Samosatenum* nondum a sede depositum eadem via procedunt Episcopi Conc. II. Antiocheni, ut illum ad veritatem catholicam reducant, ad fidem nempe in Deum unum ac trinum. Samosatenus quippe Nestorianismi parens, filiationem divinam Christi ad quandam virtualem Verbi inhabitationem in homine Iesu reducebat. « Visum est nobis,

[1] *Contr. Noët.* n. 8. — Galland. II, p. 459. — Cf. n. 10-14. —Epiph. (*Haeres.*, 57).
[2] *Ctr. Praxeam*, c. 2.
[3] Ibid., c. 31.

« inquiunt, scripto exponere fidem, quam accepimus ab initio « et habemus traditam in catholica sancta Ecclesia, usque « in hodiernum diem ex doctrina Apostolorum... Profitemur « et praedicamus, Filium esse Sapientiam et virtutem Dei « ante saecula existentem, non praecognitione sed essentia « et hypostasi Deum, Dei Filium. Qui vero repugnat, ut non « credat et profiteatur, Filium Dei Deum esse ante consti- « tutionem mundi, dicens duos enuntiari Deos, si Filius Dei « Deus praedicetur, hunc iudicamus alienum ab ecclesiastica « regula, et omnes catholicae Ecclesiae consentiunt nobis- « cum » [1].

2) Idem aliunde evincunt *scripta Patrum*. Solent isti distribui in apostolicos et subsequentes. De utrisque quaedam summa depromere scopo nostro sufficiat. Qui plura quaerit, adeat scriptores qui data opera hanc traditionem magis ex professo vindicarunt [2].

1') *Apostolici Patres* praecipui sunt auctor epistolae Barnabae, S. Clemens Romanus, S. Ignatius Antiochenus, et S. Polycarpus Smyrnensis.

a) *Epistola Barnabae* [3], ex una parte disertissime continet doctrinam unius Dei, ac ex altera Christum praedicat verum Dei Filium. Verba Geneseos « Faciamus hominem etc. », dicit a Patre prolata ad Filium: « Nam de vobis Scriptura di- « cit, loquente Patre ad Filium: " Faciamus hominem, etc. " » [4]; ad eum scilicet, qui « sustinuit pati pro anima nostra, cum « sit totius mundi Dominus » [5]; qui ipse « Dei Filius, qui est « Dominus et iudicaturus est vivos et mortuos » [6], « non « filius hominis, sed Dei Filius ». Ergo auctor huius epistolae proclamat ita Deum unum, ut tamen in eo sit Pater et Filius. — Nec omittit procedentem a Deo alteram personam, « effusum ex abundantia fontis Domini Spiritum » super

[1] Mansi, *Collect. Concil.*, I, p. 1033.

[2] Praeter superius iam allatos consule de Regnon (op. cit.) et Mgr. Ginoulhiac *(Hist. du dogme catholique)*.

[3] Quisquis huius documenti auctor teneatur, at certo primo saeculo confectum tenendum est, unde iure pleno scriptis apostolicis adnumeratur. Lege de hoc argumento eruditam disputationem Cl. Funk (*Patr. apost.* t. I., Proleg. IV).

[4] *Ep. Barn.*, 6, 12. Citationes desumuntur e textu Cl. Funk.

[5] Ibid., 5, 5.

[6] Ibid., 7, 2; cf. 7, 11.

recens baptizatos [1], quos describit « καρποφοροῦντες ἐν τῇ « καρδίᾳ τὸν φόβον καὶ ἐλπίδα εἰς τὸν Ἰησοῦν ἐν τῷ Πνεύματι « ἔχοντες » [2].

b) Ex *S. Clemente Romano* non afferemus nisi primam epistolam ad Corinthios, de cuius authentia vix prudens iam dubitat [3]. In hoc scripto doctrina tum de Deo singulari [4], tum de distinctis in Deo personis, Patre, Filio [5] et Spiritu Sancto [6], perfecte concordat cum doctrina S. Pauli, quem auctor non semel prae oculis habet, imo citat [7]. Satis sit attulisse formulam sequentem, quae simul tres personas complectitur: « Sicut enim Deus vivit, et Dominus Iesus « Christus vivit, et Spiritus Sanctus, fides et spes electorum, « ita etc. » [8].

c) Disertior longe doctrina *S. Ignatii Antiocheni* [9], quippe apud quem tum unitas Dei tum pluralitas personarum earumque distinctio verbis efficacissimis proclamantur. α) Deus est auctor unionis, quia « est ipse unus » [10]. Haec autem unio non impedit processionem, nam « unus est Deus omnipotens, qui « se ipsum manifestavit per Iesum Christum Filium suum [11] ». β) Porro hunc Filium Dei Iesum Christum tam diserte verum Deum Ignatius proclamat, ut nimii essemus, si singulos textus afferre vellemus. Praecipui scopo sufficiant. Vocatur ab

[1] *Ep. Barn.*, I, 3. — Plura invenies apud Sprinzl (*Die Theolog. der Apostol. Väter. Eine dogmengesch. Monogr.* Wien, 1880); Schwane (op. cit.); Heinrich (op. cit., § 230).

[2] Ibid., XI, 11. De vi huius formulae cf. Sprintz, (op. cit., p. 125; nota 2 et 3).

[3] Cf. *Kirchenlexicon*, Hergenr.-Kaulen ad hoc nomen. — Non ideo tamen spernenda est altera epistola ad Corinthios, utpote documentum magnae antiquitatis, quod his verbis incipit: « Fratres, ita sentire nos oportet de Iesu Christo, tanquam « de Deo, tanquam de Iudice vivorum ac mortuorum ».

[4] « Nomen veri et solius Dei » (XLIII, 6); « Tu es Deus solus » (LIX, 4).

[5] De Filio Iesu Christo lege: VIII, 2; XVI, 2; XLVI, 6; LIX, 2, 3, 4; LXV, 2, 7, 36; cf. Heinrich (loc. cit., II).

[6] De Spiritu S. vide: II, 2; VII, 1; LXIII, 2.

[7] Cf. I. COR., XII, 4-6; HEBR., I, 3.

[8] Ibid., LIX, 2.

[9] Ex scriptis huic praeclarissimo martyri tributis genuinas tenemus epistolas septem primas, quae passim tales accipiuntur; idque in textu breviori.

[10] *Ad Trall.* 11, *P. G.*, t. V, col. 684. Alii loco « ὅ ἐστιν αὐτός », legunt « ὅς « ἐστιν αὐτός »; tunc sensus iam non est « qui est ipse unio », sed « qui est ipse « Deus », et argumentum exsurgit fortissimum ad probandam veram divinitatem Christi.

[11] *Ad Magn.*, 8, *P. G.*, ibid., col. 669.

eo Christus « in carne existens Deus » [1]. Unde eumdem ipsum praedicat: « intemporalem, invisibilem, propter nos visibilem, « impalpabilem, impatibilem, propter nos patibilem » [2]. Iuxta hanc utramque naturam idem unus personaliter est « ex « Maria et ex Deo » [3], « Deus enim noster in utero gestatus « est a Maria iuxta dispensationem Dei ex semine quidem « David, Spiritu autem Sancto » [4]. Idem personaliter Iesus Christus « ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit » [5]. Est unus Iesus Christus « qui ab uno Patre prodiit, et apud « eum fuit, ad eumque reversus est » [6]. Hic Filius Patris « est « Verbum eius aeternum, non post silentium progrediens ». Quibus ultimis verbis, si genuina sit lectio Cod. Colb.: « ὅς « ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθῶν », confutatur gnosticismus, qui iam hoc tempore grassabatur [7]. Ex his abunde patet, Ignatium in uno Deo agnoscere Patrem et Filium, hunc ab illo uti Deum de Deo procedentem. — γ) Nec aliter docet de Spiritu Sancto, licet de hac tertia persona minus frequenter et aperte loquatur. « Spiritus, ait, non « decipitur a Deo ortus. Novit enim unde veniat et quo vadat, « et secreta coarguit » [8]. Unde alloquitur Smyrneos: « Fortes « sitis in virtute Spiritus » [9]. Imo plus semel diserte enumerat tres personas SS. Trinitatis. Ita in titulo epistolae ad Philadelphenses: « Ignatius, qui et Theophorus, Ecclesiae « Dei Patris et Domini Iesu Christi.... per Sanctum suum

[1] *Ad Ephes.*, 7. Ibid., col. 737. Cf. locutionem simillimam Tertulliani mox afferendam (*Adv. Prax.*, 27).

[2] *Ad Polyc.*, 3. Ibid., col. 721.

[3] *Ad Ephes.*, 7. Ibid., col. 737.

[4] *Ad Ephes.*, 18. Ibid., col. 660. (Cf. *Ad Smyrn.*, I, 1). Praeclara sane affirmatio non solum divinitatis Christi eiusque verae humanitatis, sed et virginalis conceptus B. V. M., quem tam impie nuper ac tam proterve infelix Mivart negare non erubuit!

[5] *Ad Magn.*, 6. Ibid., col. 668.

[6] Ibid., 7.

[7] *Ad Magn.*, 8. Ibid., 670. Alii cum Funk putant, verba « ἀΐδιος οὐκ », utpote quae in versione armena et textu syriaco Severi Antiocheni desunt, esse interpolata, primaevamque lectionem habere: « Verbum post silentium progrediens », utique ad extra ratione manifestationis per incarnationem, secundum quam alibi ipse Ignatius Iesum Christum vocat « os verax, in quo Pater vere locutus est » (*Ad Rom.*, 8. Ibid., col. 696).

[8] *Ad Philad.*, 7. Ibid., col. 701. — Cf. Ioann., III, 8; I. Cor., II, 10.

[9] *Ad Smyrn.*, 13. Ibid., col. 717.

« Spiritum » [1]. Et alibi: « Studete igitur confirmari in doc-
« trinis Domini et Apostolorum, ut omnia quae facitis, pro-
« spere vobis succedant, carne et spiritu, fide et caritate, in
« Filio et Patre et Spiritu, in principio et in fine.... Subiecti
« estote episcopo et vobis mutuo, ut Iesus Christus Patri
« secundum carnem [2] et apostoli Christo et Patri et Spi-
« ritui » [3]. Nec modo SS. Trinitatis mysterium formulis huiusmodi tradit, sed et eodem tanquam doctrinae capite notissimo utitur ad conceptum mysticum sive moralem illustrandum. Resistendum errores seminantibus suadet, Epheseos alloquens: « ut qui lapides sitis templi Patris, praeparati in
« Dei Patris aedificium, sublati in alta per machinam Iesu
« Christi, quae est crux, Spiritu Sancto pro fune utentes » [4].

c) S. Polycarpi orationem ex actibus genuinis martyrii eiusdem supra attulimus. In epistola certo authentica ad Philippenses talibus verbis utitur ad describendam fidem in Christum et in opus redemptionis per martyrium crucis completum, ut, - prae oculis maxime habita doctrina S. Pauli, - nullum dubium superesse possit de explicita doctrina Polycarpi circa divinitatem Christi et personalem distinctionem inter Filium et Patrem. Satis sit sequentes formulas ex exordio et fine attulisse: « Misericordia vobis et pax a Deo omni-
« potente et a Domino Iesu Christo Salvatore nostro multi-
« plicetur » [5]. « Deus autem et Pater D. N. I. C., et ipse
« sempiternus Pontifex, Dei Filius Iesus Christus, aedificet
« vos in fide et veritate et in... longanimitate et tolerantia
« et castitate, et det vobis sortem et partem inter sanctos
« suos, et nobis vobiscum et omnibus, qui sunt sub caelo,
« qui credituri sunt in D. N. I. C. et in ipsius Patrem, qui
« suscitavit eum a mortuis ».

Missis *Pastore Hermae,* de cuius auctoritate disputatur [6],

[1] *Ad Smyrn.*, col. 697. Cf. formulam minus utique apertam, sed breviorem tituli ep. ad Smyrn., col. 708.

[2] Mirare cautionem hominis obiectionem ab Arianis movendam quasi praevidentis.

[3] *Ad Magn.*, 13. Ibid., col. 672 sq.

[4] *Ad Ephes.*, 9. Ibid., col. 652.

[5] *Proem.* Ibid., col. 1005.

[6] De orthodoxia huius scripti alii aliter sentiunt. Cl. Funk putat, christologiam Pastoris ab erroribus gravibus salvari non posse, quum confundat Christum cum praeexistente Spiritu; et hunc cum principe Angelorum Michaële (op. cit. p. 457).

et *Epistola ad Diognetem* [1], in qua quidem de divinitate Christi Filii Dei pulcherrima testimonia continentur [2], sed de Spiritu Sancto, deque tota simul Trinitate nullum, iam ad subsequentium Patrum traditionem transitus fiat.

2) Audiamus igitur priscos illos catholici nominis ac veritatis vindices atque doctores; et quidem, ne in immensum haec dissertatio excurrat, praecipuos, id est, a parte Graecorum S. Iustinum Martyrem, Athenagoram, S. Theophilum Antiochenum, S. Irenaeum, Origenem, Clementem Alexandrinum; a parte Latinorum, Tertullianum, S. Cyprianum et Lactantium.

a) *S. Iustinus* vindicans divinitatem Christi Verbi Dei, Filii Patris, ait: « Cum Dei Verbum et Primogenitus et Virtus sit, « solum proprie Filium ex eo genitum esse, eiusque volun- « tate factum hominem instaurandi et revocandi humani « generis causa » [3]. « Qui (Filius) cum Verbum sit primoge- « nitus Dei, Deus etiam est.... ex virgine homo factus secun- « dum Patris voluntatem, pro eorum salute, qui illi credunt » [4]. – Trinitatem autem egregie confitetur, non solum ubi sublato velo ritum baptismi describit [5], sed ubi calumniam paganorum, ac si christiani athei essent, indignabundus depellit: « Atheos quidem nos esse confitemur, si de opinatis huius- « modi diis agatur; secus vero si de verissimo illo, et iustitiae « et temperantiae, ac caeterarum virtutum *Patre,* nulla ad- « misto vitiositate Deo. Sed eum et *Filium,* qui ab eo venit « ac nos ista docuit.... et *Spiritum* propheticum colimus et « adoramus, ratione et veritate venerantes » [6]. Et alibi ordinem Sanctissimae Trinitatis expressius exhibet: « Qui igitur « sanae mentis homo non fateatur, atheos nequaquam nos « esse, qui opificem huiusce universitatis colimus.... Nostrum

E contra plures, uti Möhler, Hefele, Alzog, Hagemann, Sprinzl, cum protestanticis scriptoribus non paucis, quibus subscribit et Heinrich, Pastorem ab his criminibus vindicare conantur.

[1] Haec epistola, utpote ab Apostolorum discipulo ad amicum paganum conscripta, veluti prima apologia religionis christianae haberi potest.

[2] Vide praecipua collecta apud Heinrich (op. cit. § 230, p. 262, sq.).

[3] I. *Apol.* n. 24. — *P. G.* t. VI, col. 363. Cf. II. *Apol.* n. 5, Ibid., col. 454.

[4] Ibid. n. 63. Ibid. col. 426. Distinctionem autem realem inter Patrem et Filium his verbis eloquenter urget: « Οὐχ ὡς τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ὀνόματι μόνον ἀριθμεῖται, ἀλλὰ καὶ ἀριθμῷ ἕτερον τί ἐστιν ». (*Dial. cum Tryph.* 128; cf. I. *Apol.* n. 6 et 61).

[5] I. *Apol.* n. 61. — Ibid. col. 420.

[6] I. *Apol.* n. 6. — Ibid. col. 335.

« autem harum rerum doctorem, natum ad hoc munus, Iesum « Christum ac sub Pontio Pilato.... crucifixum, ipsius veri Dei « Filium esse edocti, et ipsum secundo loco, Spiritumque « propheticum tertio ordine habentes, rationabiliter nos co- « lere demonstrabimus » [1].

b) *Athenagoras* in sua *Legatione pro christianis* pulcherrimum de Trinitate testimonium habet. De divinitate Christi disserens, affirmat eum Dei Filium praedicari et credi, non per metaphoram qualemcumque poëticam, sed quia « Filius « Dei est Verbum Patris in idea et virtute: ab eo enim et « per eum facta sunt omnia, cum Pater et Filius unum sint. « Cum autem Filius sit in Patre et Pater in Filio unitate et « essentia spiritus [2], Filius Dei est mens et Verbum Patris ». Spiritum « quoque Sanctissimum affirmat, ita a Deo emanare, « ad ipsumque reflecti.... ut emissi a sole radii reciprocant ». Et pergit quaerendo: « Quis igitur non miretur, nos, qui Deum « Patrem praedicamus et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, « ita ut et unionis eorum vim et ordinis distinctionem expo- « namus, impios et sine Deo homines vocari » [3]?

Hanc mirabilem unitatem cum trium distinctione alibi magis adhuc illustrat: « Quem utpote Deum cum Verbo suo « cognoscere optamus, ut quaenam Filii ad Patrem sit unio « intelligamus, quid Pater cum Filio communicet, quid sit « Spiritus, quae unitas trium, quae discretio unitorum, Spi- « ritus scilicet, Filii et Patris » [4]. « Quippe ut Deum adserimus « et Filium ipsius Verbum, et Spiritum Sanctum: unita qui- « dem secundum potentiam (ἑνούμενα μὲν κατὰ δύναμιν), Pa- « trem et Filium et Spiritum: quoniam Mens, Verbum, Sa- « pientia profluit a Patre, sicut lumen ab igne, similiter et « Spiritus » [5].

[1] I. *Apol.* n. 13. — Plura vide excerpta apud Schwetz (*Theol. dogm. cath.*, t. I, p. 239, sq.); Heinrich, op. cit. § 231. — Quo modo quaedam duriora Iustini verba ad veritatem catholicam sint trahenda ostendit Zaccaria in nota ad lib. I. Petav. de Trin. c. 3, § 2. Caeterum vix negari potest, S. Iustinum in quibusdam a recta doctrina declinare; v. gr., in origine daemonum, quos e malis angelis cum filiabus hominum impie congressis ortum habuisse existimat. Cf. 2. *Apol.* n. 5. — Ibid. col. 452.

[2] Hic vox *spiritus* sumitur generice, uti saepe apud antiquos, et apud ipsum S. Anselmum.

[3] N. 10. — *P. G.* t. VI, col. 910.

[4] Ibid. 12 (Ibid. col. 014).

[5] Ibid. 24 (Ibid. col. 946).

c) S. *Theophilus* Antiochenus primus videtur vocem Triadis seu Trinitatis induxisse: « Tres dies, qui praecesserunt crea- « tionem duorum luminarium, Trinitatis mysterium sacro- « sanctum repraesentant, videlicet Deum, Sermonem (Λόγον), « Sapientiam » [1]. Verba Dei « Faciamus hominem » intelligit ratione Trinitatis: « At haec verba ad neminem alium, quam « ad suum Sermonem, Sapientiamque direxit » [2]. Idem Theophilus induxit in Verbo duplicem respectum. Λόγος ἐνδιάθετος est Verbum uti ab aeterno in sinu Patris quiescens ac veluti absconditum; Λόγος προφορικός, idem Verbum est quatenus est veluti norma opificii ad extra [3]. Quod Verbum a Patre visibiliter mittitur, Patremque manifestat. « Verbum igitur, « cum Deus sit et ex Deo genitum, illud Pater universorum, « cum ita visum fuerit, mittit in aliquem locum, quo cum « venerit, auditur et videtur missum ab eo et in loco inve- « nitur » [4]. Haec distinctio quanti momenti sit ad difficiliores locos scriptorum huius temporis ad meliorem interpretationem trahendam, motae de Tertulliano, de Tatiano [5], deque aliis controversiae sat superque comprobant.

d) S. *Irenaeus*, cuius verba tanti ponderis aestimabat S. Basilius M. [6], mysterium SS. Trinitatis diserte exposuit, maxime in pugna contra Gnosticos [7]. Nimium foret singula loca ex eo afferre, quibus veram vindicat divinitatem Verbi, seu Christi Filii Dei [8], vel Spiritus Sancti [9]. Satis sit praecipua citare, ubi totam SS. Trinitatem talibus exprimit verbis, ex quibus unitas naturae et personarum distinctio appareat. Est imprimis locus ubi ex ipso nomine Christi Trinitatem

[1] *Ad Autolycum*, II, 15. — *P. G.*, t. VI, col. 1078.

[2] Ibid., 18, col. 1082.

[3] Ibid., 22, col. 1087.

[4] Ibid.

[5] Tatianum durius iudicant inter alios Petavius (op. cit., loc. cit., n. 5), Schwane (§ 14 die *Oratio adv. Graec.*); mitius autem Thomassinus (op. cit., c. 42, XI), Möhler, Kuhn, Heinrich, etc,.

[6] *De Spirit. S.*, c. 29. — *P. G.* t. XXXII, col. 201.

[7] Cf. de hoc scriptore sacro Massuet (Diss. 3. art. 51); Thomass. (*De Trinit.*, c. 43), Möhler (*Patrol.* p. 357), Schwane (*Dogmengesch. der vornic. Z.* § 11), praeter saepe nominatum Petavium, qui severius aequo illum iudicat, (op. cit. c. 3, n. 7); et inter recentissimos theologos Heinrich (op. cit. § 231, III).

[8] Cf. *Ctr. haeres.* lib. III, cc. 18, 19 et 20: lib. IV, cc. 4, 8. — *P. G.* t. VII.

[9] Lib. V, c. 12. — Ibid. col. 1151, sqq.

proclamat veluti in eodem inclusam [1]. Dein sunt formulae ipsi propriae, quibus Creatori supremum dominium in mundi opificium ac independentiam vindicat. « Non ergo angeli « fecerunt nos, nec angeli potuerunt imaginem facere Dei, « nec alius quis praeter Verbum Domini, nec virtus longe « absistens a Patre universorum. Nec enim indigebat horum « Deus ad faciendum, quae ipse apud se praedefinierat fieri, « quasi ipse non haberet manus. Adest enim ei semper Ver- « bum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus « omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens: « " Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nos- « tram ", ipse a semetipso substantiam creaturarum et exem- « plum factorum et figuram in mundo ornamentorum acci- « piens.... Et quoniam Verbum, id est Filius semper cum « Patre erat, per multa demonstravimus. Quoniam autem et « Sapientia, quae est Spiritus, erat apud eum ante omnem « constitutionem per Salomonem ait: " Deus Sapientia funda- « vit terram... " Unus igitur Deus, qui Verbo et Sapientia fecit « et aptavit omnia; hic est autem demiurgus » [2]. « Solus unus « Deus fabricator.... hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic « factor, hic fabricator, qui fecit ea per semetipsum, hoc est « per Verbum et per Sapientiam suam » [3]. Modus exponendi aliquantulum crudior in uno alterove termino nonnulli videbitur, praesertim ubi Verbum et Sapientiam, - quo vocabulo interdum utitur ad significandum Spiritum Sanctum, - describit veluti Patris ministros. Sanam autem esse Irenaei mentem atque doctrinam, non est fas dubitare, quum unus locus per alterum ad rectum sensum trahatur. Quare quod ait Petavius de illo: « Comiter *ministri* vox interpretanda est », valet et de omni modo loquendi minus hodie usitato, qui apud hunc Patrem occurrit. Eo vel magis quod in huiusmodi locis ipse modus arguendi ad hominem contra Gnosticos sinit terminos ab illis usurpatos ad veriorem conceptum veluti transferre. Hac methodo usus, quodam loco explodens octonationem Gnosticorum, ait: « Discite igitur, insensati, quoniam Iesus, qui « passus est pro nobis, qui inhabitavit in nobis, idem ipse

[1] *Ctr. haeres.* lib. III, c. 18 n. 4. — *P. G.* t. VII, col. 933.
[2] Ibid. lib. IV, c. 20, n. 3. — Ibid. col. 1033. — Cf. ibid. c. 6..
[3] Ibid. lib. II, c. 30, n. 9. — Ibid. col. 822.

« est et Verbum Dei.... Cum enim unus et idem ostenditur « Logos, et Monogenes, et Zoë, et Phos, et Soter, et Chri- « stus Filius Dei, et hic idem incarnatus pro nobis, soluta « est octonationis illorum compago » [1].

e) Inter Alexandrinos catholicos scriptores [2] limpida sua orthodoxia eminet *Clemens Alexandrinus,* cuius splendida prostant testimonia, tum de SS. Trinitate in genere, tum de divinitate Verbi ac Christi. Ex copiosa messe hae selectae spicae sufficiant: « O miraculum mysticum! Unus quidem « est universorum Pater, unum est etiam Verbum univer- « sorum, et Spiritus Sanctus unus, et ipse est ubique ». Ita exclamat in *Paedagogo* [3]. Et claudit hunc librum sequenti oratione mystico sapore referta: « Gratias agentes laudemus « unum Patrem et Filium, Filium et Patrem, paedagogum « et magistrum Filium, una cum Sancto Spiritu, qui unus « est omnia, in quo omnia, per quem omnia sunt unum, per « quem est aeternitas, cuius membra sumus omnes, cuius « gloria et saecula, qui est undequaque bonus, undequaque « pulcher, undequaque sapiens, undequaque iustus; cui gloria « nunc et in saecula saeculorum. Amen » [4]. - Consubstantialitatem Filii, et quidem incarnati, cum Patre, adducta similitudine fortiter exprimit. « Alimentum, id est Dominus Iesus, « hoc est Verbum, Dei spiritus (in sensu communi non per- « sonali) incarnatus; caro caelestis sanctificata. Alimentum « est lac Patris, quo solo aluntur infantuli. Ipse itaque, qui « est dilectus et altor noster, Verbum, effudit pro nobis « sanguinem, salutem humanae naturae afferens, per quem « qui in Deum credidimus, ad mamillam Patris, quae curarum « oblivionem inducit, nempe Verbum, confugimus » [5]. Aeterternitatem Verbi egregie illustrat: « Novum ergo canticum « est Verbi, quod in principio et ante principium fuit, exortum « qui modo nobis effulsit; modo enim apparuit; qui olim erat, « Servator; apparuit, qui ens est in ente (ὁ ἐν τῷ ὄντι ὤν); « Verbum nempe, quod apud Deum erat, et a quo facta sunt

[1] Op. cit. lib. I, c. 9, n. 3. — *P. G.* t. VI, col. 542, sq. De octonatione (ὀγδοάς), Valentinianorum lege Card. HERGENRÖTHER, *Kirchengesch*, t. I, p. 133.

[2] De Alexandrinis vide THOMASSINUM. *De SS. Trinit.*, c. 44, etc.

[3] *Paedag.* lib. VI. — *P. G.* t. VIII, col. 299.

[4] Ibid. col. 679.

[5] Ibid. I, 6. col. 302.

« omnia » [1]. - Aequalitatem divinitatis Verbi cum Patre expresse profitetur: « Divinum Verbum, verus sine controversia « Deus, cum Domino totius universitatis adaequatus, quoniam « eius Filius erat, et Verbum erat in Deo » [2]. Unde eleganter summam perfectionum Filii confert circulo: « Est enim idem « circulus omnium potestatum, quae in unum circumvolvun- « tur et uniuntur. Et ideo Logos dictus est "Alpha et Omega", « cuius solius finis sit principium, et rursus desinit in id, quod « est antea principium, nusquam distantiam accipiens et di- « mensionem » [3]. Et haec satis sint, ut appareat benigne interpretanda esse quaecumque vocabula apud Clementem occurrere possint; ex quibus, si in rigore terminorum sumerentur, quaedam subordinatio inter divinas personas sequeretur. Tanti enim acuminis virum, in re summi momenti, sibimetipsi contradixisse, repugnat. Unde quod ait Petavius de illo: « Clemens Alexandrinus, vir eruditissimus, et in Graeca Pla- « tonicaque Philosophia apprime versatus, christianum dogma « de Verbo Dei, ac Filio, Platonis ad mentem accommodare « statuit, sine erroris plerumque suspicione » [4], ita intellige, ut suspicio quae uni alterive loco subesse potest, per apertam doctrinam quae abundat passim, depellatur; in quo Petavius, utpote de more in hos veteres durior, nonnihil deficit.

f) *Origenis* doctrina abundantiori controversiae subiacet. Et sane iam antiquitus acerrimos habuit adversarios uti S. Epiphanium [5], ac maxime S. Hieronymum [6], qui ait Origenem in primo libro *Periarchon* scripsisse: « Christum Fi- « lium Dei non natum esse, sed factum; Deum Patrem per « naturam invisibilem, a Filio non videri; Filium qui sit imago « invisibilis Patris, comparatum Patri non esse Veritatem: « apud nos autem, qui Dei omnipotentis non possumus reci- « pere veritatem, imaginariam veritatem videri, ut maiestas, « et magnitudo maioris quodammodo circumscripta sentiatur « in Filio: Deum Patrem esse lumen incomprehensibile. Chri- « stum collatione Patris splendorem esse perpetuum; qui apud

[1] *Cohort. ad gent.* c. 1. — Ibid. col. 62.
[2] Ibid. c. 10, col. 227.
[3] *Strom.* 4, 25. — Ibid. col. 1366.
[4] Loc. cit. cap. IV, n. 1.
[5] *Haeres* 67. — *P. G.* t. XLII, col. 174.
[6] *Apol. contra Ruf. Ep. ad Avit.*, (94, al. 95).

« nos pro imbecillitate nostra magnus esse videtur ». Duarum statuarum « maioris et parvulae, unius, quae mundum im- « pleat, et magnitudine sua quodammodo invisibilis sit; et « alterius, quae sub oculos cadat, ponit exemplum, priori « Patrem, posteriori Filium comparans. Deum Patrem omni- « potentem appellat bonum, et perfectae bonitatis; Filium non « esse bonum, sed auram quamdam et imaginem bonitatis; « ut non dicatur absolute bonus, sed cum additamento Pastor « bonus, etc. Tertium dignitate et honore post Patrem, et « Filium asserit Spiritum Sanctum. De quo cum ignorare « se dicat utrum factus sit, an infectus, in posterioribus quid « de eo sentiret, expressit; nihil absque solo Deo Patre in- « fectum esse confirmans. Filium quoque minorem Patre, et « quod secundus ab illo sit; et Spiritum Sanctum inferiorem « Filio, in sanctis quibusque versari. Atque hoc ordine maio- « rem Patris fortitudinem esse, quam Filii et Spiritus Sancti; « et rursum maiorem Filii fortitudinem esse, quam Spiritus « Sancti; et consequenter ipsius sancti Spiritus maiorem « esse virtutem caeteris, quae tanta dicuntur » [1]. Ita Origenes, iuxta S. Hieronymum. Ad quae Petavius: « Haec sunt ger- « mani Platonici, et ariana imbuti perfidia scriptoris de « Trinitate dogmata ». Vix aliter de eodem sentiunt Baronius et Huetius, et ex recentissimis Hagemann, Kuhn, Schwane, etc.

Errores Origeni passim tributi maxime reperiebantur in libris *Periarchon*, quorum non superest nisi editio Rufini ex proposito truncata [2]. « Quae, ait Petavius, nemo sine stomacho, ac tam stolidi interpretis odio potest legere » [3]. Contra hanc S. Hieronymus genuinam atque completam versionem confecit. Reperiebantur quoque in decem libris quibus titulus *Stromata*, pariter in duobus libris de Resurrectione. Sed nec deesse videntur in Commentariis eius praesertim in Ioannem [4].

[1] Loc. cit.

[2] « Sicubi ergo nos in libris aliquid circa id invenimus quod ab ipso in caeteris « locis de pietate, de Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc, et alienum, « aut praetermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, quam ab ipso frequen- « ter invenimus affirmatam ». Ita in primi libri praefatione Rufinus.

[3] Ibid.

[4] Vide locos difficiliores a Petavió adductos (Ibid.).

Sed si non unum habet sibi ob doctrinae pravitatem infensum, non caret Origenes qui eum ab errore vindicent. Ex antiquis pro illo stant Pamphilius, Gregorius Thaumaturgus, Eusebius Caesariensis, Rufinus, ipseque Athanasius Magnus, cuius placet iudicium ex integro referre. En verba quae strenuus ille Arianorum malleus Origeni tribuit: « Si « est imago Dei invisibilis, ipsa quoque invisibilis: equidem « audacter hoc etiam adiecerim, cum sit idem similitudo « Patris, non fuisse aliquando cum non esset. Quandonam « enim Deus, qui secundum Ioannem lumen dicitur, - Deus « enim lumen est - splendorem propriae gloriae non habe- « bat, ut audeat quisquam initium dare Filio, cum antea « non esset? Ecquando ille hypostaseos Patris, quam nec « effari, neque nominare, neque verbis eloqui possumus, « imago; character ille Verbum, Patrem cognoscens, non « fuit? Animadvertat enim si quis hoc dicere audeat, erat « aliquando quando non erat Filius; illud etiam deesse di- « cturum: Sapientia aliquando non erat, et Verbum non erat « et vita non erat » [1]. Nonne haec verba, nedum Subordinatianistae, sunt potius Trinitarii, arianam pravitatem praesentientis, et antequam in lucem prodeat, vix conceptam praefocantis? Inde mirum non est, neque apud recentiores defuisse, qui Origenis orthodoxiae faverent, uti de la Rue, Maranus, praecipue autem recentissimus Vincenzi [2]. Et sane praeterquam quod non semel Origenes de corruptis ob invidiam scriptis propriis est conquestus, scimus ex una parte Arianos ad eius auctoritatem non provocasse; ex altera vero primos eorumdem oppugnatores aut amicos aut discipulos magni Alexandrini exstitisse. Nec litem solvere valent quindecim anathemismi contra Origenem a Constantinop. Synodo sub Menna confecti et a quinto Concilio oecumenico recepti, quorum praecipue 6, 7, et 8, graves de Trinitate errores continent; nam Ecclesia non decrevit, quid de his re vera Origenes ipse tenuerit [3].

Aequitatis causa nonnullas sententias heic adiicimus, certe ab Origene conscriptas, ac insimul orthodoxiae inconcussae.

[1] *De decr. Nic. Syn.* n. 27. — *P. G.* t. xxv. col. 465. Lege ibidem laudem Origenis.

[2] *Origenes vindic.*

[3] Cf. Hefele (*Concil. Gesch.* t. ii, § 56, sq.). — Vincenzi (op. cit. t. iv).

« Sunt nonnulli qui annuntiant quidem et praedicant de Pa-
« tre et Filio et Spiritu Sancto; sed non sincere, non integre,
« ut sunt omnes haeretici, qui Patrem quidem et Filium et
« Spiritum Sanctum annuntiant, sed non bene, nec fideliter
« annuntiant. Aut enim male separant Filium a Patre, ut
« alterius naturae Patrem, alterius Filium dicant; aut male
« confundunt, ut vel ex tribus compositum Deum, vel trinae
« tantummodo appellationis in eo esse vocabulum putent.
« Qui autem bene annuntiat bona, proprietates quidem Patri
« et Filio et Spiritui Sancto suas cuique dabit; nihil autem
« diversitatis confitebitur in substantia vel natura » [1]. Et formulam baptismi exponens ait: « Unus est qui salvat, una est
« salus. Unus vivens Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Unus
« est non coitione trium, sed unica essentia: tres vero hypo-
« stases perfectae in omnibus et ad se invicem relatae. Se-
« cundum naturam genuit Pater, proptereaque consubstan-
« tialis (ὁμοούσιος) genitus est » [2]. Haec sane simul Sabellianismum et Arianismum efficacissime depellunt. Imo Origenes videtur Patribus Nicaenis dogmaticam formulam praeministrasse. Audi iam Gnosticos confutantem ac simul arianam formulam praecludentem: « Non enim dicimus, sicut haere-
« tici putant, partem aliquam substantiae Dei in Filium ver-
« sam, aut ex nullis substantibus Filium procreatum a Pa-
« tre, id est extra substantiam suam, ut *fuerit aliquando*
« *quando non fuerit* (en ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν Arianorum expresse
« excluditur); sed abscisso omni sensu corporeo, ex invisibili
« et incorporeo Verbum et Sapientiam genitam dicimus abs-
« que ulla corporali passione, veluti si voluntas procedat a
« mente » [3]. Clavem autem perutilem ad textus minus claros rite interpretandos suggerit ipse Origenes in his verbis sane aureis: « Substantia (οὐσία) cum sit Dei Sapientia, ante
« saecula nata est, et ante creaturam sempiterna erat. Cum
« autem relationem ad creaturas admisit, tunc initium via-

[1] *In Rom.* l. VIII, n. 5.

[2] *In Matth.* — *P. C.* t. XVII, col. 310.

[3] *De princ.* IV, 28. Bona utique comparatio ad explicandum modum spiritualem generationis divinae; impropria vero, si agatur de ostendendo discrimine inter prolationem Verbi et spirationem Spiritus. Caeterum circa hoc punctum Origenes ipse se ancipitem proclamavit in sua confessione fidei de reliquo optima (*De princ.* l. I, praef. § 4).

« rum Dei facta est, creationis videlicet et providentiae; « consociato nimirum initio cum creaturis, quarum fuit ini- « tium: id est relationem erga creaturas habere incoepit. « Attamen ipsa Sapientia sempiterna est, substantialiter ante « saecula apud Deum existens » [1]. Aequalitatem Filii ad Patrem fortiter adstruit: « Et hic enim (I. Cor. XV. 28) *subie-* « *ctus* non quasi inferior dicitur. Quomodo enim inferior dici « potest, qui Filius est, et omnia est quae Pater? " Omnia « enim, inquit, Pater, tua mea sunt " ». Et locutionem explicat, non de humana natura Verbi, sed de membris eius, et addit: « Sed haec per excessum quemdam dicta sunt » [2].

Quid ergo? Potuitne idem homo, acumine ingenii iure tam illustris, de eodem mysterio proferre tam manifesto aberrantia, et tam inconcusse, imo tam profunde ac provide orthodoxa? Nonne forte Rufinus aequius Hieronymo Origenem iudicavit, quando tanquam spuria suppressit quae cum optimis eiusdem sententiis nimis aperte pugnare videbat? Solvat litem peritior.

Et haec de Patribus Graecis satis. Iam ad Patres latinos.

a) *Tertullianus,* Sanctissimae Trinitatis strenuus est assertor, uti patet maxime ex eius disputatione contra Praxeam [3], in qua totus incumbit in conciliandam unitatem Dei, a qua nullatenus deflectit, cum distinctione vera trium ab invicem personarum, quam ille haereticus intuitu ipsius unitatis negare autumabat. Ex disputatione eius contra Praxeam locum praecipuum iam deprompsimus.

En quomodo in *Apologia* Christum Filium Dei describat: « Nos sermoni atque rationi, itemque virtuti per quae omnia « molitum Deum ediximus, propriam substantiam spiritum « inscribimus, cui et sermo insit praenuntianti, et ratio adsit « disponenti, et virtus praesit perficienti. Hunc ex Deo pro- « latum didicimus, et probatione generatum, et idcirco *Filium* « *Dei,* et Deum dictum *ex unitate substantiae;* nam et Deus

[1] *Expos. in Prov.* c. 7. n, 86. — *Bibl. nov. Patr.* Card. Ang. Mai.

[2] *In Rom.* l. VII, n. 5.

[3] Cf. n. 2 superius allatum. Adverte, hoc opus a Tertulliano iam infeliciter in Montanismum delapso esse confectum. Id significant interdum in optimis locis emphatica verba, uti: « Nos vero et semper, et *nunc magis, ut instructiores* per *Pa-* « *raclctum, deductorem scilicet omnis veritatis* »; utinam! et non] per mulierculas prophetissas, deductrices pessimi erroris. (*Adv. Prax.* c. 2.)

« spiritus: et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa; « sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur « substantia, sed extenditur: ita de spiritu spiritus, et de *Deo* « *Deus,* ut lumen de lumine accensum: manet integra et « indefecta materiae matrix, etsi pluries inde traduces qua- « litatum mutueris: ita, et quod de Deo profectum est, *et* « *Dei Filius, et unus ambo:* ita et de spiritu spiritus, et Deo « Deus: modulo alterum, non numero; gradu non statu fecit: « et a matrice non recessit, sed excessit. Iste igitur Dei radius, « ut retro semper praedicabatur, delapsus in virginem quam- « dam, et in eius utero caro figuratus, nascitur *homo Deo* « *mixtus;* caro spiritu instructa nutritur, adolescit, docet, « operatur, *et Christus est* » [1]. Quo in loco habes simul optima, et minus adaequata; unde mirum non est, dubium prostare, idque sat grave, utrum in modo confutandi Sabellianismum [2], vel depellendi gnosticismum [3], Tertullianus non in quemdam tritheismum aut subordinatianismum abierit, ita ut unus ex Arianismi antesignanis haberi debeat. Praeiudicium stat in Tertulliani favorem: nam antiqui Patres, uti S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Vincentius Lirinensis nullam habent mentionem haeretici excessus ab africano Apologista commissi; nec quidquam huiusmodi ipsi improperat discipulus magistrum magna veneratione prosecutus, de quo mox dicendum erit, S. Cyprianus. Patrum iudicio subscribunt plerique theologi. « Tertulliani de Trinitate doctrina prorsus orthodoxa »: ita Thomassinus [4], cui adhaerent plures ex minus recentibus, uti Maranus; et inter recentes Card. Franzelin [5], Scheeben [6], Heinrich, qui iudicium suum ita contrahit: « In der « That enthalten die Schriften Tertullian's so richtige und « genaue Darlegungen des Trinitäts-Dogma's, dass wir voll- « kommen berechtigt sind, die Aeusserungen, auf die man « jene Vorwürfe stützte, in einem günstigen Sinne auszu-

[1] *Apol.* n. 21. — *P. L.* t. I, col. 457.

[2] Ad hoc scriptorum genus maxime pertinet liber *contra Praxeam,* maximo styli rigore confectus.

[3] Praecipue in libro *contra Hermogenem.*

[4] *De Trinit.* c. 37.

[5] Op. cit. t. XI.

[6] Op. cit. §. 835, 839.

« legen » [1]. - Ex opposito stat Petavius, qui non dubitat affirmare de mente Tertulliani, quod « etiam Arianam haeresim « impietate et absurditate superat » [2]. - Mediam veluti viam ineunt nonnulli, uti Kuhn [3], Möhler [4], Schwane [5], qui tenent quidem Tertulliani doctrinam quoad principia summa, mentemque scriptoris esse catholicam, deficere autem quoad modum eam explicandi sive tuendi. Haec ultima sententia nobis arridet, eamque non solum de Tertulliano, sed de aliis quibusdam antiquioribus scriptoribus, uti S. Iustino, valere putamus; at cum moderamine superius exposito. Quam sententiam breviter illustrare liceat, afferendo quaedam α) orthodoxa prorsus quoad rem, β) deficientia prorsus quoad modum rem illustrandi.

α) « Apprime catholica », collegit ipse Petavius [6], cum hoc tamen discrimine quod ipsi ita mere « videntur », nobis autem *sunt*. Ecce praeclara sententia synthetica: « *Trinitas unius divinitatis, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus* » [7]. Quam unitatem in Trinitate Tertullianus ita illustrat: « Quasi non sic « quoque sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiae sci- « licet unitatem: et nihilominus custodiatur oeconomiae sacra- « mentum, quae *unitatem in Trinitate* disponit, tres dirigens « Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Tres autem non « statu, sed gradu; nec substantia, sed forma, nec potestate, « sed specie, unius autem substantiae, et unius status, et unius « potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti, et formae « et species, in nomine Patris, et Filiii, et Spiritus Sancti « deputantur » [8]. Et in eodem libro superius ait: « Hanc re- « gulam - scil. fidei eorum, qui credunt in Patrem et Filium « et Spiritum Sanctum - ab initio Evangelii decurrisse, etiam « ante priores quoque haereticos, nedum ante Praxeam hester- « num, probabit tum ipsa posteritas omnium haereticorum,

[1] Op. cit. §. 232, p. 296.
[2] Op. cit. lib. I, c. V, n. 2.
[3] *Trinitätslehre*, §. 14, p. 179, sqq.
[4] *Patrol.* p. 748, sqq.
[5] *Dogmengesch. der vornic. Zeit.*, §. 20, p. 156, sqq.
[6] Loc. cit. n. 4.
[7] *De Pudic.*, c. 21. — *P. L.* t. II, col. 1080.
[8] *Adv.* Prax. c. 2. — Ibid. col. 180; — cf. et simillima in eodem opere, praesertim c. 13.

« quam ipsa novellitas Praxeae hesterni »[1]. Quae sane non catholica, sed et propemodum prophetica.

β) At in illustranda *hac Trinitate unius divinitatis* plus semel deficit. Et sane α) *consubstantialitatem* personarum imperfecte intelligit. « Pater, inquit, tota substantia est; Filius « vero derivatio totius, et *portio:* sicut ipse profitetur: " Quia « Pater maior me est ". Unde Patrem dicit natura invisibilem « pro plenitudine maiestatis ». Filium visibilem, « pro modulo « derivationis » [2]. - β) *Coaeternitatem* Filii (ac proin Spiritus) cum Patre non recte vindicat, imo interdum ita de ea eloquitur, ut eam potius recuset. Audi quomodo contra Hermogenem gnosticum arguat ex eo quod Pater Deus est, et iudex Deus est, ideo « et Pater et iudex semper, quia Deus sem- « per. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec iudex ante « delictum. Fuit autem tempus, cum et delictum et Filius non « fuit, quod iudicem, et qui Patrem Dominum faceret. Sic et « Dominus non ante ea, quorum Dominus existeret, sed Do- « minus tantum futurus quandoque, sicut Pater per Filium, « sicut iudex per delictum; ita et Dominus per ea, quae sibi « servitura fecisset » [3]. Hermogenes quippe materiam Deo coaeternam inde demonstrari putabat, quia secus Deus non esset ab aeterno Dominus. Respondendum erat ei: Deus utique est ab aeterno Deus ac Pater; non tamen ideo ab aeterno Dominus ac Iudex [4]. Tertullianus autem et de Patre concedit, quod erat sane negandum. Imo inde a fortiori contra Hermogenem ita arguit: « Si enim intra Dominum quod ex ipso « et in ipso fuit, sine initio fuit; Sophia scilicet ipsius exinde « nota et condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi dispo- « nendi coepit agitari; multo magis non capit sine initio quic- « quam fuisse, quod extra Dominum fuerit. Si vero Sophia, « eadem Dei sermo est sensu Sophia, et sine quo factum est « nihil, sicut est dispositum sine Sophia; quale est ut Filio « Dei sermone unigenito, et primogenito aliquid fuerit praeter « Patrem antiquius et hoc utique generosius, nedum quod

[1] *Adv. Prax.*, c. 2.

[2] Ibid. c. 9. Ibid. col. 187.

[3] *Adv. Hermog.* c, 3. Ibid. col. 323.

[4] Utique eo sensu quo huiusmodi loquendi rationes pro deficientia nostri sermonis intelligendae sunt. Cf. doctrinam de hoc argumento expositam in nostro tractatu *De Deo uno*, t. I. p. 353, sqq; praesertim p. 364, sqq.

« innatum nato fortius, et quod infactum facto validius? quia « quod, ut esset, nullius eguit auctoris, multo sublimius erit, « eo, quod, ut esset, aliquem habuit auctorem » [1]. Ex quo modo arguendi iam sequitur, Filium esse tum natum, tum factum; unde nihil mirum, si et istud Tertullianus paulo infeferius asserat [2]. - γ) Fundamentum autem huius saltem valde imperfecti conceptus invenitur in ipsa generatione Filii, qualem Africanus intellexisse videtur. Etenim si eiusdem doctrinam pressius investigas, reperis Tertullianum Filium intellexisse quasi *medium* inter aeternitatem Dei nondum Patris, et conditionem universi, quasi *viam* in opificium ad extra. Inde verba Geneseos « Fiat lux » intelligit de interna generatione Sermonis in Filium. « In antecedentibus operibus mundi quo- « modo scriptum est? Primum quidem nondum Filio appa- « rente: " Et dixit Deus: fiat lux, et facta est " ipse statim « Sermo " lux vera, quae illuminat hominem venientem in « hunc mundum "; et per illum mundialis quoque lux. Exinde « autem in Sermone Christo [3] assistente et amministrante « Deus voluit fieri, et Deus fecit ». Unde plurali forma dictum est: « " Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem no- « stram ", quia iam adhaerebat illi Filius, secunda persona, « Sermo ipsius, et tertia Spiritus in Sermone » [4]. Haec et similia [5] quomodo ad sensum plene orthodoxum trahi sine violentia possint, equidem non videmus; nec putamus huiusmodi conatus genuinae dogmatis expositioni prodesse magis quam obesse. Placet inde iterare iudicium superius expressum. Mysterium SS. Trinitatis Tertullianus quoad summam rei agnovit ac vindicavit, unde vere catholicus haberi meretur; sed modus illud exponendi valde deficiens est, ansamque subordinatianismo praebet. Caeterum, ne tam imperfecta explanatio orthodoxiam professionis fundamentalis destruere videatur, recolendum monemus, praeter contradictionem cuivis errori congenitam, Tertullianum neque Dei Summi spi-

[1] *Adv. Hermog.*, c. 18. — Ibid. col. 237.

[2] C. 32. — Ibid. col. 251.

[3] Adverte, antiquos non raro loqui de primordiali praexistentia Christi non solum ratione divinitatis sed - venia verbo! - Christeitatis.

[4] *Adv. Prax.*, c. 12. — Ibid. col. 191.

[5] Plura lege apud Petavium, sed imprimis sermonis nexum apud ipsum Tertullianum consule.

ritualitatem plane agnovisse; qua sublata, quid mirum sì sequantur absona atque incohaerentia? [1].

b) *S. Cypriani* fides elucet ex modo quo per formulam baptismatis adversarios impugnat. « Dominus enim post re-« surrectionem discipulos mittens, quemadmodum baptizare « deberent, instruxit et docuit dicens: Ite et docete gentes « omnes, etc. Insinuat Trinitatem, cuius sacramento gentes « baptizarentur. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? « Numquid eumdem asserit quem et nos, Patrem creato-« rem? Numquid eumdem novit Filium Christum de Maria « Virgine natum? Si baptizari quis apud haereticos potuit, « utique et remissionem peccatorum consequi potuit [2]. Si « peccatorum remissionem consecutus est, et sanctificatus « est, et templum Dei factus est; si sanctificatus est, si tem-« plum Dei factus est, quaero cuius Dei? Si Creatoris [3], non « potuit, quia in eum non credidit. Si Christi, nec huius fieri « potuit templum, qui negat Deum Christum. Si Spiritus « Sancti, cum tres unum sint [4], quomodo Spiritus Sanctus « placatus esse ei potest, qui aut Filii aut Patris inimicus « est? » [5].

c) *Lactantii* doctrinam, etsi quidam ab errore vindicare conentur, ad minus tam severe quam Tertulliani iudicandam arbitramur. Confundens quippe aeternam Filii generationem in ipso sinu Patris, cum illa quasi prima dictione, a qua exordium universi, videtur unice hanc alteram agnovisse, ac proin veram Verbo coaeternitatem et codivinitatem

[1] Cf. tractatum nostrum *De Deo uno,* t. I, p. 227.

[2] Observa, hoc in loco Cyprianum confundere ipsum characterem sacramenti cum re sacramenti, iuxta errorem in quo fuit — forte ex eadem confusione argumentationis defectus circa valorem sacramentorum ab haereticis collatorum. At hic nihil demit de testimonio ob quod hunc locum attulimus.

[3] Id est Patris, quemadmodum et hodie canimus: « Patrem omnipotentem, fac-« torem caeli, etc. ».

[4] His verbis defensores commatis Ioannei valde insistere solent, ac si vix, citra cognitum a Cypriano comma, horum verborum ratio dari possit. At, iudicio meo, perperam. E contra haec requiruntur ad argumenti valorem. Secus, uti iam monuimus, dicendum esset, absque Ioanneo commate, Patres, neque arguendo ex consimili loco de Filio, ad formulam « tres personas divinas unum esse » pervenire potuisse. Defendatur authentia v. 7; optime quidem: thesaurum tanti ponderis nonnisi aegerrime quis deserat. Sed leges serventur critici examinis: ne cum hoc loco male custodito et ipsa arguendi methodus in detrimentum veniat.

[5] *Ep. ad Iubaian.,* n. 12.

denegasse, Filiumque Dei veluti aliquid medii inter Deum et creaturas cogitasse. Unde Petavius de eo ait: « Lactantius « a Tertulliani opinione non discrepat, ac de Filio Dei prorsus « indigne absurdeque statuit » [1]. Non ideo tamen Verbum Deum negavit: « Quod si quis miratur, ait, ex Deo Deum « prolatione vocis ac spiritus potuisse generari, si solas « voces Prophetarum cognoverit, desinet profecto mirari » [2]. Unde et Christum vocat simpliciter Deum: « Quis non igitur « captos mentibus tum fuisse Iudaeos arbitretur, qui cum « haec legerent et audirent, nefandas manus Deo suo intu- « lerunt? » [3]. Sed paulo inferius asserit de Filio quod: « nec « unquam se ipsum Deum dixit ».

Mitto vere miram explicationem eiusdem de discrimine inter Filium et angelos, quatenus ille est sermo, hi mere spiritus sunt: « Nam sermo est spiritus cum voce aliquid « significante prolatus. Sed tamen quoniam spiritus naribus, « ore sermo procedit: magna inter hunc Dei Filium et cae- « teros angelos differentia est ». Scilicet illi sunt mere administratores, ille doctor. Et claudit: « Merito igitur sermo et « verbum Dei dicitur, quia Deus procedentem de ore suo « vocalem spiritum, quem non utero, sed mente concepe- « rat, inexcogitabili quadam maiestatis suae virtute ac po- « tentia, in effigiem, quae proprio sensu ac sapientia vigeat, « comprehendit, et alias item spiritus in angelos figuravit ». Quae omnia sane ostendunt, virum orthodoxe loqui cupientem, sed in conceptu ac sermone valde deficientem [4].

Nec mirum, quamdam de modo mysterii haesitationem viguisse. Quin imo hoc fuit provida permissio haeresum, ut, urgente depellendi errorem necessitate iam ipsa veritas quae corde tenebatur, et quotidiano fidei cultu in confesso regnabat, accuratiori formula proponeretur, nec proponeretur

[1] Op. cit. c. v, n. 6. Vide textus Lactantii ibidem allatos.

[2] Lib. II. c. 8.

[3] Ibidem l. IV, c. 14.

[4] Idem valet de S. Zenone Veronensi, qui distinguit in Filio existentiam aeternam sub velamine in sinu Patris, et generationem sive primam nativitatem per quam Pater praeludit creationi universi ita ut procedat « in nativitatem, qui erat, ante- « quam nasceretur, in Patre ». Sed idem hanc generationem pulchre describit. « De « Deo nascitur Deus; de ingenito unigenitus; de solo solus; de toto totus; de vero « verus; de perfecto perfectus; totum Patris habens, nihil derogans Patri ». Serm. 2. Cf. Serm. 1. et 3.

modo, sed, in quantum debilitas humanae mentis sinit, intelligeretur. Et sane indefectibilitatis charisma quo Christi Ecclesia pollet, efficacius suam explicat virtutem, si non solum de blasphemiae monstro triumphat, sed et per victoriam deinceps possessae veritatis splendorem adauget.

III. - At, ne nimis facile antiquorum dicta uti minus adaequata habeantur, restat ut difficultatibus ex eorum scriptis congeri solitis per quaedam principia breviter fiat satis.

1) Et primo quidem sint quaedam principia generaliora.

a) Ante omnia e mente non dimittendum est, Patribus ad novos conceptus exprimendos defuisse idioma mediis aptis instructum. Sermonem utique latinum in formam magis christianam redegit mirus ille verborum fictor Tertullianus; at non eiusdem inventoris ingenii virum habuit eodem tempore Ecclesia graeca. Eloquentissimi certe facundique auctores eam illustrarunt; nullus autem qui hellenicum sermonem tantopere christiana forma sigillarit.

b) Et re quidem vera, quot lites de verbo his temporibus exortae! Iam si inter se confers terminologiam latinam et graecam, ὑπόστασις et *substantia* idem ex etymologia significare deberent, et tamen pro ὑπόστασι Latini dicunt *hypostasim,* et substantia idem sonat ac in graeco οὐσία.

Si apud Graecos permanes, quid proprie significat οὐσία? Ecce tibi Hippolytum, qui contra haeresim Noëti, hoc verbo utitur ad exprimendam personam. Ne in hoc sensu sumeretur, Patres concilii Antiocheni in lite Samosatena a voce ὁμοούσιον abstinendum arbitrati sunt, ne Sabellianismum docere viderentur. Temporis decursu sensus vocis determinatur, et habes ipsos Nicaenos Patres consubstantialitatem Verbi cum Patre per vocem ὁμοούσιον proclamantes. Quando ergo opponitur Origenes Filium ἑτεροούσιον vocans a Patre, primo intuitu videtur Subordinatianus vel Arianus; re tamen non est nisi Anti-sabellianus. Inde explicatis terminis lites inter homines recte sentientes facile componebantur, quemadmodum Dionysius Alexandrinus prompte fidem Dionysii Romani amplexus est, et ὁμοουσιότητα libenter in sensu Pontificis accepit [1].

[1] Cf. Moehler, *Athan. M.,* lib. I. - Plura de his dicemus in Quaest. seq.:

c) Confirmatur haec animadversio per controversiam de terminologia Trinitatis anno 362, id est triginta septem annis a celebrata Syn. Nicaena inter Orientales et Occidentales habitam. Romanis et Occidentalibus disciplicebat formula tres ὑποστάσεις et una οὐσία, propter etymologicam similitudinem inter ὑπόστασιν et substantiam; unde expostulabant, ut diceretur: tria πρόσωπα et una οὐσία. Haec autem formula Orientalibus displicebat, quia Sabellius concesserat tria in Deo πρόσωπα, contrahendo scilicet sensum vocis ad munera, ad apparentias unius eiusdemque personae.

d) Adde quod, ex ipso pugnae ardore cum determinatis adversariis, nisi caveatur, excidunt facillime quaedam locutiones utique efficacissimae contra eos, minus autem cautae, si de opposito errore mox depellendo agatur. Quod enim mente prava Eutycheti accidit, ut confutando in Christo duas personas, nonnisi unam docuerit esse naturam; id quoad verba pronum est etiam optima mente produci.

e) Nec satis. Arcani lex vetabat scriptores nimis aperte Trinitatem ab initio confiteri, ne pagani aut falsa imaginatione seducti in tritheismum inducerentur, aut in altissimam veritatem quasi rationi contrariam blasphemarent. Divinitatem autem Christi non poterant vindicare, quin relationem Verbi ad Patrem tangerent. Ita Tertullianus in Apologia eam suasibilem reddit ex ipsa doctrina apud ethnicos philosophos de λόγῳ non incognita [1].

f) Adde imperfectionem qua omnes comparationes laborant, necnon confusiones quae interdum e modo appropriato oriri possunt, si ut strictus intelligatur. Exemplum utriusque habes in ipso Symbolo. Canitur enim ibi de Patre: « Credo « in Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, etc.». Ergone tam propria est Patri creatio mundi quam incar-

[1] C. 21. Lege textum superius allatum: en autem verba quibus inducitur et clauditur: « Iam ediximus Deum universitatem hanc mundi Verbo et Ratione et Vir« tute molitum. Apud vestros quoque sapientes Λόγον, id est Sermonem atque Ra« tionem, constat artificem videri universitatis ». Et allatis Zenone et Cleanthe pergit: « Et nos etiam Sermoni atque Rationi, itemque Virtuti, per quae omnia « molitum Deum ediximus, propriam substantiam spiritum inscribimus, cui et Sermo « insit pronuntianti, et Ratio adsit disponenti, et Virtus praesit perficienti ». Et claudit: « Recipite interim hanc fabulam, similis est vestris; dum ostendimus, quo« modo Christus probetur ». *P. L.* t. I. col. 456, sq.

natio et passio propria sunt Filio? Et de Verbo: « Et in unum « Dominum Iesum Christum, etc. lumen de lumine ». Ergone relatio Verbi ad Patrem est prorsus eadem quae derivati luminis ad lumen a quo derivatur? Scilicet prior locutio est appropriata, non propria; altera figurativa, deficiens.

2) Principaliores autem difficultates quae in doctrina Patrum ante-nicaenorum occurrunt, ad sequentes cum Scheeben [1] reduci posse videntur. *a*) Tantopere extollunt in Patre principium summum ad intra, ut praeeminentia in ipsa ratione divinitatis ei competere videatur, sitque ipse Deus super omnia; reliqui vero potius per concomitantiam. Sed iam in Scripturis non raro Pater vocatur simpliciter Θεός, ὁ Θεός. - *b*) Loco unionis substantialis qua Verbum et Spiritus coniunguntur cum Patre, potius loquuntur de unione per virtutem, per operationem, amorem aut originem; ad vitandum magis excessum ditheismi, Deum Deo opponentis. At rursus apud Ioannem c. V. et c. X. huiusmodi locutiones reperiuntur. - *c*) Generationem Filii interdum describunt uti voluntariam, ad excludendam generationem caeca necessitate productam. Sed et apud post-nicaenos Patres simile legitur. - *d*) Innixi *Prov.* VIII, generationem Verbi repraesentant tanquam dispositivam ad creationem mundi, et ad hanc quasi ordinatam. Imo [2] agnoscunt duplicem generationem, seu nativitatem Verbi; qua λόγος ἐνδίαιτος, ab aeterno oritur a Patre, et λόγος προφορικός, manifestativus prioris, in tempore producitur, unde in incarnatione nascitur Filius, qui hucusque non erat nisi conceptus [3]. - *e*) Demum Patrem depingunt undequaque invisibilem, Filium autem et Spiritum uti visibiles, scilicet in theophaniis et symbolis, quibus procedentes personas, non autem principium summum Trinitatis [4] manifestari condecet. - Cf. de his Card. Franzelin [5].

Heic sistendum duximus. Pro argumenti opportunitate

[1] Op. cit. loc. cit. v. n. 840.

[2] Cf. S. Theophilum Antioch., loc. cit.; Tertull., *Ad Prax.*, c. 5-7.

[3] Ita Hippolytus et Tertullianus.

[4] Ad mentem huius distinctionis - de qua superius diximus ubi de theophaniis - forma Aquileiensis et Africana Symboli vocat Patrem « invisibilem, et impassibi- « lem », ad distinctionem Patris a Filio, qui est visus et passus.

[5] Op. cit. th. XI.

difficiliora quaedam Patrum testimonia infra penitius investiganda reassumemus.

Traditio ante-nicaena, traditioni post-nicaenae plene conformis, rationem reddit apertissimam consensus illius qui in ipsa Nicaena Synodo apparuit, in qua, si demuntur quidam episcopi perpauci « in quaestionibus callidi, et ob id simpli- « citati fidei adversi » [1], reliqui omnes, tercentum decem et octo, impium Arium non solum repudiarunt, sed nomine traditionis catholicae a communione Ecclesiae semoverunt [2].

Appendix de Traditione post-nicaena.

A nicaeno tempore deinceps Patrum auctoritates acervare, infinitus labor, nec operae pretium. Dogma quippe SS. Trinitatis solemnius vindicatum tanta luce effulget, ut solis splendorem iam negaverit, qui de eius praedicatione catholica vel dubium movere velit. Hinc ad nostrum usque tempus ineffabilis Trinitatis confessio, tessera fidei semper est habita, ac veluti supremum inter christianas gentes vinculum. Trinitatis fidem S. Remigius Clodoveum edocet; Unius ac Trini mysterium S. Patritius illustrat ope trifolii, inde ab Hibernorum gente uti fidelitatis symboli usque servati. In nomine SS. Trinitatis tum Concilia de fide moribusque decernunt; tum rei publicae moderatores per christiana saecula leges, chartas, diplomata condunt. Quin et hisce temporibus, praeter exemplum Germanorum Caesaris superius allatum, invocato mysterio augustissimo, pacem post Aduensem victoriam init Negus Menelik, ad idemque dogma - factum refero, iura luctae non perpendo - ante supremas pugnas appellant pacis cupidi Krueger et Steyn.

Satis sit igitur heic praecipua auctoritatis adducere documenta, tanquam catholicae eruditionis armamentarium.

Post ipsam confessionem nicaenam, - in qua legitur de Verbo: « Πιστεύομεν.... εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Υἱὸν « τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ.... Θεὸν ἐκ Θεοῦ....

[1] Ruf., (H. E., l. I. c. II.).

[2] Cf. Theodoretum (*Ep. duae Alexandri episc. Alexandrin. Hist. Eccl.* lib. I, cap. 3, etc. etc.).

« γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ »[1]. Et de Spiritu Sancto: « Εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον », quae verba Macedonius suscipere recusavit, quia manifesto ponebant Spiritum Sanctum in eadem cum Patre et Filio dignitate suprema, divina; - praeter hanc confessionem nicaenam, inquam, habes confessionem *Synodi Romanae IV.* sub Damaso anno 378, 379 vel 380 celebratae, quam summo honore tenuerunt Pontifices Caelestinus et Vigilius, Doctores Ambrosius et Gregorius Nazianzenus, quamque Concil. Constantinopol. prae oculis uti normam habuit. Ibi legitur: « Si quis non dixerit « Verbum Domini Filium Dei Deum, sicut Deum Patrem « eius et omnia posse, et omnia nosse, et Patri aequalem: « A. S. - Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse « vere et proprie, sicut Filius de divina substantia et Deum « verum: A. S. [2] ». Dein cum caterva illustrium Patrum Orient. et Occid. [3], habes *Symbolum Conc. Constantinop. I.* (ann. 381), in quo divinitas Spiritus Sancti contra Macedonium est apertius proclamata; - Decretum *Innocentii I*, de Paulianistis et Novatianis [4]; - Decreta *Concil. Oecumen. III. Ephes.* [5]; - *Epistolam dogmaticam (XV.) S. Leonis M.* ad Turribium de erroribus Priscillianistarum [6]; - Conc. Toletan. XV [7]. - Habes quoque Symbolum Athanas. (saec. exeunte V.), cuius verba heic referre inutile foret [8]; - iudicium *Hormisdae* et *Ioannis II.* de formula « Unus de Trinitate passus est », in qua tam evidenter convellebatur Nestorius, ut aliquibus Eutycheti favere videretur; quam tamen formulam a Pontificibus recto sensu agnitam probavit aperte Synodus VI, *Constantinop. III* [9], necnon Eugenius IV. in *Decreto pro Iacobitis* [10]; - habes Synodum oecumenicam V. [11]; - Concil.

[1] Denzinger, op. cit., n. 17. — Cf. anathem. quod sequitur: Τοὺς δὲ λέγοντας etc., ibid. n. 18. — Cf. Labbe: II, col. 902 sq. — Cf. nn. 23-26, 32 sq.

[2] Ibid. nn. 34-38.

[3] Cf. praecipuos in praevia dissertatione enumeratos.

[4] Denz., n. 63.

[5] Ibid. 73-74.

[6] Ibid. n. 98.

[7] Ibid. n. 115.

[8] Cf. ibid. nn. 135-136.

[9] Ibid. x, 247.

[10] *Concil. Florent.*, Ibid. n. 601.

[11] Ibid. nn. 172, 193, 194.

Lateranense sub Martino I [1]; - Symb. Conc. *Toletani XI* [2], cuius formula maximae auctoritatis in Occidente fuit; insuper professionem fidei Concil. *Toletani XVI:* « Itaque quamquam » etc. [3]; - Symbolum fidei a *Leone IX.* propositum [4]; - Abaelardi propositiones tres [5].

Dein, praeter instrumenta superius enumerata, habes definitionem in Concil. *Lateranensi IV.* latam contra abbatem Ioachim et Almaricum Carnutensem [6]; - professionem fidei *Waldensibus* impositam [7]; - quatuor articulos Hussii in Conc. *Constantiensi* damnatos [8].

Tempore pseudo-reformationis nullae novae de Trinitate declarationes ab Ecclesia latae sunt; licet Lutherus vocem ὁμοούσιον animo oderit, multasque Sociniani et Antitrinitarii cum Michaële Serveto blasphemias contra SS. Trinitatem eructarint [9].

Exeunte saeculo XVIII, Ianseniani et Ricciani pseudo-Synodi *Pistoriensis,* per novam aliquam incaute inductam formulam in tritheismum Abbatis Ioachim relapsi sunt. Recedentes quippe ab axiomate decreti Eugenii IV. pro Iacobitis: « In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis op« positio », Deum, quem catholica traditio dicebat esse in tribus personis *distinctis,* contendebant esse in tribus personis *distinctum.* Insuper tantopere extollebant nomen *Verbi,* ac si Verbum nonnisi improprie *Filius* vocaretur. Excessus huius Synodi damnavit *Pius VI.* per bullam « Auctorem « fidei », ann. 1794 [10].

De Güntheri erroribus ac laudabili subiectione iam superius aliquid praelibatum est; fusius autem dicetur infra, quando sermo occurret de aequalitate divinarum persona-

[1] Denzinger op. cit. n. 202.
[2] Ibid. nn. 222 sq.
[3] Ibid. n, 242.
[4] Ibid. n. 292.
[5] Ibid. nn. 310, 311, 312.
[6] Ibid. nn. 357, 359.
[7] Ibid. n. 366.
[8] Ibid. n. 525.
[9] Cf. Passaglia, (*Comm.* II); Petav., *De Trin.,* l. III; Greg. de Valentia, (*De reb. fid. hoc. temp. controversis,* Sect. II, de SS. Trinit. dedic.); *Studium Solesmense* (loc. cit. p. 68-70); et historicos passim.
[10] Cf. Denzinger, op. cit., nn. 1458-1460.

rum in singulari divina natura, deque naturali via dogma SS. Trinitatis assequendi; ubi et aliae quaedam viae ab aliis excogitatae, futiles ostendentur. Discutietur et ibidem ex professo modus quo Cl. Schell conceptum suum de Deo *causa sui* ad mysterium SS. Trinitatis applicat; imo potius per ipsam SS. Trinitatem evolvit atque tuetur, quasi hoc augustissimum dogma esset audacioris istius formulae simul explicatio ultima atque supremus vindex.

PARS II.

DE RELATIONIBUS DIVINIS.

QUAESTIO XXVIII.

UNICA HUIUS PARTIS.

De Nexu ac Ordine Quaestionis. Quomodo haec secunda pars cum priori colligetur, ex hucusque obtentis, si cum obtinendis conferuntur, aperte constat. Tota quippe vis mysterii SS. Trinitatis consistit in praedicando Deo uno natura, trino personis, iuxta verba S. Epiphanii « Unus enim nobis est « Deus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, personae tres, una « dominatio, divinitas una » [1]. Duplicem in Deo processionis viam dari per intellectum et amorem, aequaliter utrumque foecundum, in prima parte demonstravimus. Iam magis distinctioni quae ob geminam processionem in divinis oritur, insistendum superest; ut probatis determinatisque relationibus non solum rationis, sed realibus, quas inter procedentes ab invicem ipsa processionis origo producit, iam in sua distincta subsistentia seu personalitate, sive tres simul, sive singulae seiunctim considerari valeant.

Origo scilicet, sive processiones sunt fundamentum logicum ipsarum relationum. Logicum dixi, non reale; quare inter praecedentem et hanc quaestionem ordo seu transitus datur non secundum rem, sed secundum nostrum intelligendi modum. Egregie S. Thomas: « Ubi non est distinctio « secundum rem, sed solum secundum modum intelligendi, « ibi non potest esse ordo nisi secundum modum intelli- « gendi.... Processiones autem et relationes non distinguuntur

[1] Op. cit. l. I, l. II, haeres 26 (vel 5). — *P. G.* t. XLI, col. 329.

« in divinis secundum rem, sed solum secundum modum « intelligendi.... Non est ergo inter processiones et relatio- « nes in divinis quaerendus ordo secundum rem, sed se- « cundum modum intelligendi » [1].

Stando igitur in eadem distinctione, momentum huius quaestionis de divinis relationibus apparet. Etenim si hucusque inquisitio catholicae veritatis planior incedebat: agebatur quippe magis de ponendo utriusque processionis facto; iam incipit summa argumenti difficultas: scilicet quaeritur de intelligendo ipso *modo* facti, non quidem clarae ope contemplationis, quae nec in caelo erit comprehensiva; sed sat lucidae, ut aliqualem saltem revelati dogmatis perceptionem acquirere, illudque contra adversarios tueri possimus.

Duplex enim axioma conceptui catholico SS. Trinitatis opponi solet, sive a Monarchianis, sive a Subordinatianis, sive a Tritheistis, sive a Rationalistis. Prius est: « tres distincti, « si coniunguntur nequeunt esse re unum. Ergo Pater Deus, « Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, si Pater non est Filius, « nec Filius est Spiritus Sanctus, sunt tres dii [2] ». Alterum est: « quaecumque idem sunt cum communi quodam, inter se iden- « tificantur. Atqui Pater est idem cum natura divina, Filius est « idem cum natura divina, Spiritus Sanctus est idem cum « natura divina. Ergo Pater est idem ac Filius ac Spiritus « Sanctus. Ergo non sunt tres, sed unus ». Porro utriusque axiomatis vis depellitur distinguendo in Deo inter absolutum et relativum [3].

Meritum fuit praeclarissimum S. Augustini, duplicem hunc in divinitate respectum profundius investigasse atque efficacius distinxisse. Quare si parens scholasticae theologiae ab Ecclesia celebratur, maximas eum in SS. Trinitatis dogmate illustrando ac vindicando sibi laudes conciliasse, iure dixeris.

[1] *De Pot.*, q. 19, a. 3.

[2] Cf. Augustin. (*In Ioan.*, tr. XXXIX n. 3): « Interrogant nos aliquando infideles « et dicunt: Patrem quem dicitis, Deum dicitis? Respondemus: Deum. - Filium quem « dicitis, Deum dicitis? Respondemus: Deum. - Spiritum Sanctum quem dicitis, Deum « dicitis? Respondemus: Deum. - Ergo, inquiunt, Pater et Filius et Spiritus Sanctus « tres sunt dii? Respondemus: non ». — Cf. LUCIAN. (*Dial. Philip.*).

[3] Inde Augustinus ibidem obiectionem soluturus incipit: « Pater nomen est dictum *ad aliquid* et Filius *ad aliquid*.... Hoc solo numerum insinuant quod ad invicem sunt; non quod ad se sunt ».

Etenim heic, uti in aliis partibus catholicae doctrinae, agebatur de ampliandis ipsis notionibus philosophicis usque ad tempus praesens in schola receptis. Potestne substantia corporalis existere sine suis accidentibus propriis, aut e converso, sublata substantia, possuntne remanere accidentia? Antiqua philosophia iuxta placita sua inclinabat in negandum; at Dogma eucharisticum demonstrat, respondendum esse affirmando. Potestne existere natura prima completa rationalis, quin subsistat in seipsa; aut duae naturae perfectae possuntne subsistere in una sola persona? Prona rursus erat philosophia antiqua in negandum; dum affirmando respondendum esse ostendit Incarnationis mysterium.

Simile quid in praesenti argumento occurrit; imo, si fas est dicere, profundius, et forte totius dogmaticae contemplationis altissimum. Quaeritur nempe, num tres possint subsistere ab invicem distincti in singulari natura communi, et quidem ita singulari, ita communi, ut unaquaeque persona in ea subsistens nonnisi ratione distinguatur ab ea. Primo intuitu mens nostra miratur ac quasi rebellat. Insistendo autem magis, iam introvidet eatenus, in subiecto problemate repugnantiam dari, quatenus ex ratione constat, idem non posse simul habere respectum absoluti ac relativi, ita ut tres illi, ab invicem distincti, sint tres relationes in eadem singulari communi natura subsistentes.

At nonne repugnat conceptus relationis subsistentis? Antiqua philosophia rursus sibi relicta in negandum prorumperet; at philosophia christiana, ex ipsa veritate superna Trinitatis, exigit ut, iudicio suspenso, penitius de essentiali notione relationis quaquaversus ratio sciscitetur. Quod heic nobis est praestandum. Unde ad faciliorem intellectionem huius argumenti, quaedam philosophica, ad modum praeambuli, de ipsa relatione praemittenda duximus.

Considerationes praeviae de ipso Relationis Conceptu.

1) Relativum dici in oppositione ad absolutum, est manifestum. Absolutum dicit *quid*, in quovis utique genere ac gradu quidditatis. Relativum autem dicit *ad aliquid*. Iam vero istud *aliquid* potest esse vel pars entis incompleti seu

imperfecti, ad quam pars alia refertur ut completum exsurgat; vel aliquid distinctum ab esse completo ad quod refertur. Priori sensu anima humana relationem habet ad corpus humanum; quantitas, qualitas, ad substantiam, etc. Altero sensu pater dicitur habere relationem ad filium. Relatio in priori sensu intellecta *transcendentalis* est, quia pervadit omnia genera quidditatum, quae ad compositionem entis completi concurrunt; estque acceptio impropria. Altero sensu est *praedicamentalis,* atque propria huius generis entitatis quod in relatione consistit. Discrimen inter utrumque relationis sensum multiplex est. Duplex heic tetigisse sufficiat. *a*) Relatio transcendentalis importat ens compositum ac proin finitum; quare praedicare in Deo relationem in sensu transcendentali pantheisticum foret, ac si Deus posset tanquam pars in universi compositionem ingredi. *b*) Praeterea relatio transcendentalis tantopere afficit indolem rei de qua praedicatur, ut etiam deficiente termino, in subiecto remaneat, v. gr. relatio animae ad corpus afficit intrinsece ipsam naturam animae, ita quidem ut etiam separata a corpore anima eam in se servet. E contra relatio praedicamentalis nullam per se importat compositionem in eo de quo dicitur, atque desinit, deficiente termino ad quem dicitur. Ex dictis iam patet, in SS. Trinitate agi de relatione praedicamentali, - utique supereminenti modo, quemadmodum cuncta quae ad genera alludunt, ubi applicantur ad ens omne genus transcendens [1].

2) Age! Decem dari praedicamenta rursus in comperto est; quorum unum, primum scilicet, ponit substantiam; alia novem: [2] quantitas, qualitas, ubi, quando, actio, passio, situs, habitus, et relatio, accidentium varias percurrunt species atque exhauriunt. Inter haec novem, discernitur relatio, propter tria: *a*) Alia octo dicunt, *quid;* relatio dicit ad *aliquid.* - *b*) Alia octo non patiuntur distingui inter accidentia secundum rem, et accidentia secundum rationem tantum et non secundum rem; relatio autem potest esse vel rationis tan-

[1] Vides hinc, relationem transcendentalem dupliciter intelligi posse: 1) de relatione improprie dicta excedente genus ipsum praedicationis ad aliquid; 2) de relatione supereminenter dicta, superante omne genus creaturae cuiusvis.

[2] Iuxta tritas categorias Aristotelis: ποῖον, πόσον, πού, ποτέ, ποιεῖν, πάσχειν, κεῖσθαι, ἔχειν, πρός τι.

tum vel etiam secundum rem. Cuius ratio fluit ex priori. Nam relatio essentialiter dicit *ad aliquid*, hoc autem *ad aliquid* non ponit necessario *aliquid* in eo subiecto de quo praedicatur. Optime S. Thomas: « Considerandum est quod « solum in his quae dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua « secundum rationem tantum, et non secundum rem. Quod « non est in aliis generibus, quia alia genera, ut quantitas et « qualitas, secundum propriam rationem significant aliquid « alicui inhaerens. Ea vero quae dicuntur *ad aliquid* signi- « ficant secundum propriam rationem solum respectum ad « aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura « rerum, utpote quando aliquae res secundum suam naturam « ad invicem ordinatae sunt, et huiusmodi relationes opor- « tet esse reales. Aliquando vero respectus significatus per « ea quae dicuntur *ad aliquid*, est tantum in ipsa apprehen- » sione rationis conferentis unum alteri, et tunc est relatio « rationis tantum » (1. q. 28. a. 1) [1]. Verbo alia accidentia dicunt esse *in*, relatio autem dicit necessario *esse ad*, a quo habet esse relationem, et potest insuper dicere *esse in*, a quo tunc habet esse relationem realem. Nam hoc *esse ad* non tale est quod excludat *esse in*. « Quamvis *ad aliquid*, ait « rursus S. Thomas, ex ratione sui generis non habeat quod « ponat aliquid, non tamen etiam habet ex ipsa generis ratione « quod nihil ponat, quia sic nulla relatio esset aliquid in « rerum natura. Habet autem relatio quod sit aliquid reale « ex eo quod relationem causat » [2]. Ex quo rite perpenso intelligis, α) dari posse reales relationes mutuas, aut non mutuas; mutuas, si id quod causat relationis elementum quoad *esse in* utrimque invenitur; non mutuas, scilicet ex una parte reales, ex altera tantum rationis, quando hoc elementum *esse in* solum ex una parte reperitur, uti est in creatura relate ad Creatorem quae relatio realis est, dum relatio Creatoris ad creaturam est mere rationis. Intelligis β) in relatione reali elementum *esse in* et elementum *esse ad* se habere ad invicem non ut partes compositi, sed ut geminum aspectum unius eiusdemque rei. - γ) Tertium iam discrimen inter relationem et alia octo praedica-

[1] Cf. simillimam doctrinam *Quodl.* IX, a. 4.

[2] *Quodl.* IX, a. 4.

menta accidentalia consistit in hoc, quod aliorum praedicamentorum *esse in*, sine quo concipi nequeunt, est necessario *inesse*, scilicet accidentaliter; dum in relatione reali *esse in* potest esse vel *inesse* accidentaliter vel *subsistere* substantialiter. Ratio patet: nam essentiale relationis non consistit in elemento *esse in*, sed in elemento *esse ad*. Quare sicuti relatio potest esse mere rationis, vel secundum rem; ita quoque relatio realis, seu secundum rem, potest esse vel accidentalis vel subsistentialis. Relatio igitur non est praedicamentum essentialiter accidentale, sed se habet, ut ita dicam indifferenter ad hoc ut sit accidentalis vel substantialis. Et hic est verus sensus axiomatis Boëthii « cum quis « praedicamenta in divinam vertit praedicationem, cuncta « mutantur in substantiam » [1]. Unde relatio nequit praedicari realis nisi substantialis. Quam doctrinam altissimam, nova luce philosophiam antiquorum collustrantem, S. Augustinus aureis verbis iureque celeberrimis ita exposuit: « In rebus « creatis atque mutabilibus, quod non secundum substantiam « dicitur, restat ut secundum accidens dicatur; omnia enim « accidunt eis, quae vel amitti possunt, vel minui, ut ma- « gnitudines et qualitates, et quod dicitur *ad aliquid*, sicut « amicitiae, propinquitates, servitudines, et si quae huius- « modi..... In Deo autem nihil quidem secundum accidens « dicitur; nec tamen omne quod dicitur, secundum substan- « tiam dicitur. Dicitur enim *ad aliquid*, sicut Pater ad Fi- « lium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens..... » Quamobrem quamvis diversum sit Patrem esse et Filium « esse, non est tamen diversa substantia, quia hoc non se- « cundum substantiam dicitur, sed secundum relativum, « quod tamen relativum non est accidens » [2]. Et S. Thomas axioma Boethii iuxta hanc doctrinam mitigans seu exponens ait: « Dicuntur duo tantum esse praedicamenta in « divinis, quia alia praedicamenta important habitudinem ad « id de quo dicuntur; nihil autem quod est in Deo, potest « habere habitudinem ad id in quo est, vel de quo dicitur, « nisi habitudinem identitatis, propter summam Dei simpli-

[1] *De Trinit.* c. 4. — *P. L.* t. LXIV, col. 1252.
[2] *De Trinit.* l. V. c. 5. — *P. L.* t. XLII, col. 914,

« citatem » [1]. Quae ultima verba demonstrant, relationes, si subsistentes sint, subsistere debere in substantia simplicissima, ac per consequens impossibile esse ut dentur relationes subsistentes aliter quam in eadem communi simplicissima essentia.

3) Ex dictis vides, aliquantulum mitigandam esse scalam praedicamentorum, qualem solent describere philosophi, ponendo ex una parte praedicamentum substantiale, seu subsistens, ex altera parte novem praedicamenta accidentalia. Relatio enim locum specialem sibi vindicat, quatenus *esse accidens* non est de definitione eius. Unde se habet aliquomodo inter substantiam et alia octo. Non certo ea medietate, qua inter accidens praedicabile et substantiam datur proprium [2]; sed quatenus relatio, utique realis, vel in substantiam redundat, quia subsistens, si de Deo praedicatur; vel, si de creatis, est simpliciter accidens, sicut et alia octo.

Scilicet, uti alibi S. Thomas profunde evolvit [3], in unoquoque novem praedicamentorum duo inveniuntur: ratio accidentis, et ratio propria illius generis, verbi gratia, quantitatis vel qualitatis. Haec ratio propria relationis est *esse ad aliquid*. Ratio autem accidentis, quum imperfectionem involvat, ac proin in Deo repugnet, debet a relatione semoveri, si qua relatio realis de Deo praedicanda sit. Porro quum nequeat ex toto semoveri, quin pereat ipsa relationis realitas; et quum perfectissima divina simplicitas exigat, omne in Deo re idem esse cum ipsa divina essentia subsistente: nihil superest, nisi ut in tali relatione reali in Deo praedicanda, servetur utique elementum essentiale relationis, scilicet *ad aliquid*, sed, quoad elementum genericum, permutetur *esse in* cum *subsistere*, atque ita sit *relatio realis subsistens*.

4) At forte oppones. Quodnam igitur supererit huius relationis fundamentum? Nam, iuxta ipsum Angelicum, funda-

[1] I. Q. XXVIII, a. 2. ad 1. Et inde ipse Angelicus concludit: « Et propter hoc, « tantum remanent duo modi praedicandi in divinis, scilicet secundum substantiam « et secundum relationem ». I. Dist. VIII, q. 4. a. 3.

[2] Iuxta praedicabile, et non iuxta praedicamentum intellige quae in tractatu *de Deo Uno* t. I. p. 206, sq. diximus.

[3] Ibid. I. Dist. VIII, q. 4. a. 3.

mentum relationis est id per quod causatur. Ergo requiri videtur distinctio inter fundamentum relationis et ipsam relationem. Ergo ipsa relatio nequit esse ipsum esse subsistens.

Respondetur. Quod esse subsistens sit fundamentum relationis rationis, facile intelligitur; subtilior autem fit quaestio de relatione reali subsistente. Quare sedulo distinguendum est fundamentum *logicum* a fundamento *ontologico*. *a*) Fundamentum *logicum* est aspectus magis obvius, a quo iuxta modum nostrum intelligendi deducimus ipsum aspectum relationis. Talis est in divinis ipsa originis processio, quam iure vocamus logicum relationis fundamentum. Nisi enim processio duplex daretur, neque relationi quaestio superesset, sed facilius processionem intelligimus, quam ipsam relationem a qua nequit seiungi. - *b*) Fundamentum vero *ontologicum* si conceditur distinctum ab ipsa relatione, iam ratio substantialitatis relationis perit. Quare tale fundamentum in divinis relationibus non datur; sed sibimetipsis, utpote subsistentibus, fundamentum sint oportet. Ratio autem negandi fundamenti ontologici in Deo datur, ipsa scilicet divinae naturae simplicitas.

5) Doctrinam in supradictis expositam habes his schematibus expressam.

Praedicamenta decem:

subsistere:	substantia,		
esse in accidentale:	qualitas, quantitas, actio, passio, ubi, quando, situs, habitus,		*absoluta;*
esse in accidentale, ita tamen ut possit esse *subsistens*:	relatio.	=	*relativum.*

1) *ad aliquid,* proprium, formale, quo sublato perit;

Relatio autem habet duplex elementum:

2) *esse in*

a) logicum, si agatur de relatione rationis tantum;

b) reale, si relatio sit realis, et quidem:

α) *accidentale,* seu *esse in* proprie dictum, ubicumque subiectum comportat accidens;

β) *subsistens,* seu *esse in* improprie dictum, in Deo, in quo accidens, ob simplicitatem repugnat.

Relatio heic consideranda est relatio 2) *b*) β).

6) Porro ex duplici respectu quem distinximus in relatione, respectum scilicet *ad aliquid* proprium, formalem, et respectum *aliquid,* sequitur, oppositionem relativam *non necessario involvere imperfectionem*, quod in re praesenti summi momenti est.

Etenim si inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum datur distinctio realis, propter reales relationes quas habent ad invicem, haec relatio realis oppositionem aliquam involvat oportet. Inde axioma: « In divinis omnia sunt unum, « ubi non obviat relationis oppositio » [1]. Iam vero, quomodo potest oppositio in divinis ab aliquali imperfectione vindicari? Omnis quippe oppositio oritur ex hoc quod in uno ad invicem oppositorum reperitur aliquid, quod in altero deest. Hoc autem quum sit aliquid, supponit in altero defectum illius entitatis, quae, etsi per aliam forte compensetur, at semper ens imperfectum, quia compositum, ostendit. Si ergo personae divinae ad invicem opponuntur, nonne necessario imperfectionis arguuntur? Nam idipsum quo Pater est Pater, si Filius haberet, esset ipse Pater.

Solvitur obiectio recurrendo ad duplicem adspectum relationis. Et re quidem vera: undenam datur oppositio Filii ad Patrem? Ex relatione originis, qua Filius ad Patrem realem ordinem habet. In hac autem origine habes elementum *ad aliquid*, et elementum *aliquid*; quae est ipsa divina natura subsistens. Iam vero oppositio inter Patrem et Filium

[1] Cf. Conc. Florent. decret. Eug. IV. pro Iacobitis.

non provenit ab elemento *aliquid*, Filius enim quoad illud est identicus Patri. Elementum autem *ad aliquid*, praecise quia *ad aliquid*, nullum secum trahit defectum entitatis in Filio. Hic enim defectus praedicaretur secundum aspectum *in aliquo*. Sed, uti optime habet Aquinas, « in relativis non « est oppositio secundum id quod relativum in aliquo est, « sed secundum id quod *ad aliud* dicitur. Unde quamvis una « relatio habeat annexam negationem alterius relationis in « eodem supposito, non tamen ista negatio importat aliquem « defectum, quia defectus non est nisi secundum aliquid quod « in *aliquo* natum est esse; unde quum id quod habet oppo- « sitionem relativam ad ipsum, secundum rationem opposi- « tionis non ponat *aliquid* sed *ad aliquid*, non sequitur im- « perfectio vel defectus: et ideo sola talis oppositio competit « distinctioni personarum » [1].

Quanti momenti sit haec doctrina, magis apparebit infra, ubi de aequalitate perfectionis divinarum personarum ex professo erit disserendum.

Quaeres. Ad complendum conceptum philosophicum relationis iuxta exigentiam catholici dogmatis, reliquimus ab exordio relationem transcendentalem, ut per viam relationis praedicamenti iter nobis sterneremus. Quod forte cuidam praepostere actum videbitur. Etenim, quum difficultas praecipua constet in efformando conceptu relationis subsistentis, et respectus hic subsistentiae in promptu sit; si quis a relatione trascendentali procedat, nonne obvia magis haec via prae altera est dicenda?

Respondemus negando, idque propter rationem triplicem. 1) Primo quidem in relatione respectus principalis, formalis, est respectus *ad aliquid;* secundarius autem et quasi materialis, *in aliquo.* Oportet per consequens eam potius viam ingredi, quae magis procedit iuxta respectum formalem, qui est ipsa relatio praedicamenti. - 2) Nec satis. Esto, relationem transcendentalem suppeditare scalam, quam ascendens quis facillime ad subsistentiam relationis perveniat; at certe, ubi coeperit hunc conceptum ad relationes divinas applicare, oportebit ut ab ipsa fundamentali definitione re-

[1] I, Dist. XXVI, Q. II, a. 2. Cf. de toto hoc argumento egregiam dissertationem Cl. Billot (op. cit., p. 70-82); nec non expositionem Card. Satolli (op. cit. hoc loco).

lationis trascendentalis recedat, quippe quae necessario involvit compositionem in toto. E contra ascensus per viam relationis praedicamenti est talis, ut usque ad finem obtentum, scilicet usque ad relationis subsistentiam, cum elementis constitutivis eiusdem relationis concordet. Equidem si tres personae divinae concurrerent ad totalitatem divinitatis efformandam, quasi partes totius entis supremi: utique via simplicissima perveniendi ad relationes divinas esset, ut a relatione transcendentali quis assurgeret. Quum autem iste conceptus sit nimis imperfectus, imo dogmatis perversivus, per aliam viam ascensus instituatur oportet. - 3) Et re quidem vera, solvenda difficultas non mere consistit in substantialitate relationis per se; sed in substantialitate relationis praedicamenti *ad aliquid*, more praedicamenti. Haec autem difficultas nullo modo per ipsam substantialitatem relati solvitur, nisi relatio uti *ad aliquid* simul adsit, imo uti primarius aspectus consideretur.

Recte igitur ab exordio relationem transcendentalem reliquimus, et per analysim relationis praedicamenti viam nobis sternendam duximus.

Ex dictis de relationum gradibus, ecce tibi ascendentem relationum scalam, in genere utique praedicamenti.

1) Relatio rationis utrimque (genus et species);

2) relatio rationis ex una parte (Creatoris ad creaturas), realis ex altera (creaturarum ad Creatorem);

3) relatio realis utrimque, sed in ordine inaequali (relatio inter capillos et corpus eos generans, relatio inter fictorem et statuam);

4) relatio realis utrimque in ordine aequali, sed accidentali, cum inhaerentia (pater et filius in humanis);

5) relatio realis utrimque in ordine aequali, sine inhaerentia, quia substantialis (Pater et Filius in divinis).

His de ipso relationis conceptu iuxta christianam philosophiam praemissis, iam Quaestionem XXVIII. exponendam aggrediamur.

ARTICULUS I.

UTRUM IN DEO SINT ALIQUAE RELATIONES REALES.

I. - De ipsa Quaestione. - 1) Ex solutione praesentis argumenti tota SS. Trinitatis doctrina pendet. Etenim, si negas reales in Deo relationes dari, Sabellianus es, ipsamque Trinitatem ad aliquem mentis nostrae conceptum reducis, quin vera adsit in Deo personarum distinctio. Si affirmas in Deo dari distinctiones reales, et quidem non solum formaliter quatenus relatio dicit *ad aliquid*, sed etiam quatenus, utpote accidens, praedicat *inesse alteri*, iam ponis non solum personas realiter distinctas, sed in unaquaque personarum distinctionem inter naturam divinam et personam, et es Tritheista. Veritas ergo catholica est, ut praedicetur quidem relatio realis, at cuius aspectus *in aliquo* sit substantialis, sive subsistens. In articulo primo *realitas* relationis directe probatur; in sequenti directe *subsistentia* eiusdem.

2) Iam vero ad relationem realem requiruntur duo: *a*) ut principium et terminus sint reales; *b*) ut ordo sit realis unius ad alterum. Principium et terminum reales esse oportere, nimis manifestum est. Possum quidem in mente fingere utrumque, v. gr., patrem et filium, inter quos, si extarent in ordine reali, realis relatio interesset; si autem mere in ordine ideali existunt, iam perit ipsa realitas relationis, quae ad summum vocari posset relatio realis conditionalis, seu hypothetica. Pariter si alteruter tantum ex terminis existat realiter, impossibile est ut relatio oriatur realis.

3) Non tamen sufficit realis existentia terminorum. Oportet insuper ad realem relationem constituendam ut realiter ad invicem ordinentur. Iam vero tunc realiter ad invicem ordinantur, si hic ordo resultat ex ipso obiectivo ligamine, praescindendo a mentis operatione. Talis imprimis est ordo naturae, qualis ex communicatione ipsius naturae oritur patrem inter et filium. Si ergo demonstratum sit, talem in divinitate ad intra ordinem dari, iam manifesto sequitur, in Deo inter terminum procedentem et principium a quo procedit, realem relationem esse praedicandam. Unde medium

non superest. Vel, cum Sabellio, istae processiones dicuntur mere figurativae ad intra: et tunc mirum nulli erit, si nulla realis relatio ex illis oriatur; vel, secundum fidem catholicam, processiones admittuntur verae, proprie dictae: et tunc secum ferant reales relationes oportet. Conclude, citra fidei detrimentum reales has processiones in Deo negari non posse.

4) Et re quidem vera, quam modo ex ratione theologica doctrinam, uti certissimam demonstravimus, sine ullo dubio inspectis Scripturis, ecclesiasticis documentis, atque Patrum traditione probatur catholica. *a*) Scripturas quippe vidimus strictas processiones proclamare, personasque uti relationibus oppositis ab invicem distinctas describere atque enumerare. - *b*) Post Lateranense Concilium sub Innocentio III, Florentinum sancivit: « essentia personis communicatur; at proprietates nullo modo communicant. Atque hoc ex vi relationis oritur ». Et Eugenius IV. proclamat: « Tres personae sunt unus Deus, et non tres dii, quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una aeternitas omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio »[1] - *c*). Patrum autem atque Doctorum testimonia heic congerere iuvaret, nisi ipsa textuum moles a labore nos retineret. Sufficiant scopo quaedam capita summa.

5) Ex *Latinis* audiantur Augustinus, Fulgentius, Boëthius, Isidorus Hispal., Alcuinus, Bernardus et Anselmus. - *a*) S. *Augustini* de relationibus doctrinam iam in praeambulo laudatam, invenies fuse expositam in libris *de Trinitate*, praesertim in libris quinto et quinto decimo. Accipe aurea verba e priori loco desumpta: « Quod autem propria singula in eadem Trinitate dicuntur, nullo modo ad seipsa, sed *ad invicem*, aut ad creaturam dicuntur; et ideo *relative*, non substantialiter ea dici manifestum est. Sicut enim Trinitas unus Deus dicitur, magnus, bonus, aeternus, omnipotens, idemque ipse sua sic dici potest deitas, ipse sua magnitudo, ipse sua bonitas, ipse sua aeternitas, ipse sua omnipotentia; non sic potest dici Trinitas Pater, nisi forte trans-

[1] DENZINGER (op. cit., n. 598).

« lata ad creaturam propter adoptionem filiorum. Quod enim « scriptum est: "Audi Israël; Dominus Deus tuus, Domi- « nus unus est"[1], non utique excepto Filio, aut excepto « Spiritu S. oportet intelligi, quem unum Dominum Deum « nostrum recte dicimus etiam patrem nostrum per gratiam « suam nos regenerantem. Trinitas aut Filius nullo modo « dici potest. Spiritus vero Sanctus secundum id quod scrip- « tum est. "Quoniam Dominus spiritus est"[2], potest quidem « universaliter dici, quia et Pater spiritus, et Filius spiritus, « et Pater sanctus, et Filius sanctus. Itaque Pater et Filius « et Spiritus Sanctus, quoniam unus Deus, et utique Deus « sanctus est, et Deus spiritus est, potest appellari Trinitas « et Spiritus Sanctus. Sed tamen ille Spiritus Sanctus qui « non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod pro- « prie dicitur Spiritus Sanctus, relative dicitur, cum et *ad* « Patrem et *ad* Filium refertur, quia Spiritus Sanctus et Pa- « tris et Filii Spiritus est »[3]. Et pergit investigando oppositionis relationem quae est in Spiritu S. ad Patrem et Filium, quemadmodum inter Patrem et Filium adesse patet. Ergo iuxta Augustinum per relationes ad invicem divinae personae distinguuntur. Distinguuntur autem realiter; ergo relationes in Deo inveniuntur reales[4]. Et paulo superius in eodem libro, obiectionem Arianorum solvens, inter alia habet: « Quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non « est tamen diversa substantia, quia haec *non secundum* « *substantiam* dicuntur, sed *secundum relativum*, quod ta- « men relativum *non est accidens*, quia non est mutabile »[5]. Et pariter: « Sicut genitus non ad seipsum dicitur, sed quod « ex genitore sit; ita cum dicitur ingenitus, non ad seipsum « dicitur sed quod ex genitore non sit ostenditur. In eodem « tamen praedicamento quod relativum vocatur, utraque si- « gnificatio vertitur; quod autem *relative* pronuntiatur, non « indicat substantiam; ita quamvis diversum sit genitus et « ingenitus, non indicat diversam substantiam »[6].

[1] Deut. vi, 4.
[2] Ioann. iv, 24.
[3] C. 11. - *P. L.* t. xlii. col. 918, sq.
[4] Cf. *In Ioann.* tr. xxxix, n 4.
[5] C. 4. Ibid. col. 914.
[6] C. 7. Ibid. col. 916.

Lege integram hanc expositionem a cap. 3. ad 7. quae celeberrima iure habetur. Et in libr. XV. eiusdem gigantici operis doctrinam paucis comprehendens, ait: « In quinto, « propter eos quibus ideo videtur non eamdem Patris et Filii « esse substantiam, quia omne quod de Deo dicitur, secun- « dum substantiam dici putant, et propterea gignere et gi- « gni, vel genitum esse et ingenitum, quoniam diversa sunt, « contendunt substantias esse diversas: demonstratur, non « omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dici, « sicut secundum substantiam dicitur bonus et magnus, et « si quid aliud *ad se* dicitur; sed dici etiam *relative*, id est « non ad se sed *ad aliquid*, quod ipse non est; sicut Pater « *ad* Filium dicitur, vel Dominus ad creaturam sibi servien- « tem, etc. » [1].

b) Eamdem doctrinam *Fulgentius* exhibet: « Pater et Fi- « lius *relativa* sunt nomina, quae naturam gignentis geniti- « que non separant, sed unam sine dubitatione significant. « Relativum autem illud dicitur quod *ad aliud* agnoscen- « dum referimus, ut, dum unum nominavimus, alium demon- « stremus » [2]. — *c*) Aperte *Boëthius* distinguit duplicem de divinis praedicationem: relativam et secundum se; haec facit unitatem, illa Trinitatem. « Facta quidem est trinitatis nu- « merositas in eo quod est praedicatio *relationis;* servata « vero unitas in eo quod est indifferentia vel substantiae, « vel operationis, vel omnino eius, quae *secundum* se di- « citur praedicationis. Ita igitur substantia continet unita- « tem, relatio multiplicat trinitatem » [3]. - *d*) Hanc ipsam expositionem *Isidorus Hispal.* suam facit, brevissima formula distinctionem veluti axioma comprehendens: « In relatione « personarum Trinitas est; in substantia vero naturae unus « Deus est: Pater scilicet et Filius et Spiritus Sanctus » [4]. Et Synodus Toletan. VI, magni Hispaniarum Doctoris sententiam complexa, declaravit: « In *relativis* personarum « nominibus Pater *ad* Filium, Filius *ad* Patrem, Sanctus Spi- « ritus *ad* utrosque refertur; quae cum relative tres perso-

[1] Cap. 3, n. 5.
[2] *Resp. adv. Arian. sub init.*
[3] *De Trin.* c. 6. — *P. L.* t. LXIV, col. 1254, sq.
[4] *De different. differ.* 2.

« nae dicuntur, una tamen natura per substantiam creditur..... « In relatione numerus cernitur, in divinitatis vero substan- « tia quid numeratum sit non comprehenditur. Ergo in hoc « solum numerum insinuant, quod *ad invicem* sunt, et in « hoc numero carent, quod *ad se* sunt » [1].

e) Inchoante nova aetate, veluti albescente media, *B. Alcuinus* eamdem doctrinam lucidissime expressit: « Haec Trini- « tas unus est Deus, solus, bonus, magnus, aeternus, omni- « potens. Ipse sibi deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, « et quidquid *ad se* substantialiter dicitur. Non ita in *relati-* « *vis* vocabulis est intelligendum vel dicendum, quia dici « non potest Pater sibi Pater, vel Filius sibi Filius, vel Spi- « ritus S. sibi Spiritus S.; sed haec *relativa* vocabula *ad* « *aliam* procul dubio personam referri debent ». Et paulo superius: « Quaedam de Deo substantialiter dicuntur, uti est « magnus, etc.... Quaedam relative dicuntur ut Pater ad Fi- « lium, et Filius ad Patrem, et Spiritus Sanctus relative ad « Patrem et Filium. Ad se autem, sive Pater, sive Filius, « sive Spiritus Sanctus, Deus dicitur » [2].

f) Per Scholae aevum, quo haec eadem doctrina subtilius ac fusius illustrata est, Ecclesiae mentem sat aperte demonstrarunt ipsae lites cum Gilberto Porretano in *Concilio Rhemensi* feliciter compositae. Nam si tam acriter de relationum modo est dimicatum, quid iam si ipsas relationes reales quis inter catholicos negasset? *S. Anselmi* mentem ex professo in fine huius quaestionis exponemus. Testis alter sit huius epochae *S. Bernardus,* qui ita habet: « Nam quod alter ex « altero, vel alter ad alterum veracissime dicitur, persona- « rum sane designatio est, non unitatis divisio.... Alia illa « sunt profecto vocabula, quae *non ad seipsos* dicuntur, sed « *ad alterutrum* » [3].

6) E *Graecis* Patribus sufficiat adducere praeclarissima testimonia S. Gregorii utriusque, Nazianz. ac Nysseni, et S. Damasceni. – *a*) *Nazianzenus* hinc contra Arianos ac Eunomianos, illinc contra Sabellianos simplicitatem unius naturae divinae cum distinctione personarum conciliari demonstrat,

[1] Denzinger (op. cit.) nn. 225-227.
[2] *De fide S. Trinit.* l. I, c. 5 et 3. — *P. L.* t. ci, col. 17, 16.
[3] Ep. 190.

quia unum idem habet respectum absoluti ac relativi. « Neque « enim Filius est Pater, sed est id quod Pater; nec Spiritus « est Filius, sed est id quod Filius; tria haec unum, si divi- « nitatem spectes, et unum tria, si proprietatum rationem « habeas, ut nec unum Sabellio faveat, nec tria pestiferae « divisioni quae hac tempestate (ex Eunomianis scil.) viget ». Et paulo superius: « Radiationis, ut ita dicam, mutuaeque « eorum relationis differentia diversa quoque ipsis nomina « procreavit. Τὸ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως διάφορον, διάφορον « αὐτῶν καὶ τὴν κλῆσιν πεποίηκεν » [1]. Et contra Arianos: « Pater « non est nomen essentiae, o viri acutissimi [2], nec actionis, « sed *relationem* eam indicat, quam habet Pater *ad* Filium « vel Filius *ad* Patrem. Ut enim apud nos haec nomina ger- « manam necessitudinem (τὸ γνήσιον καὶ οἰκεῖον) significant, « sic et ibi indicant habitudinem geniti ad generantem in « communicatione naturae (τὴν ὁμορυίαν) » [3]. - *b*) Et *Nyssenus:* « Quod si quis nostram doctrinam calumnietur, ac si « eo quod nullum discrimen secundum naturam admittat, « permixtionem et confusionem hypostasium introducat, hoc « contra criminatores respondebimus, nos sic naturam di- « versitatis expertem confiteri, ut non negemus differentiam, « qua unus principium est, alius a principio; quippe qua « solummodo alterum ab altero differre concipimus » [4].

c) Distinctionem inter absolute et relative in Deo praedicata ad mentem Patrum graecorum optime exposuit *S. Damascenus:* « Haec igitur omnia communiter in tota divinitate « accipienda sunt; distinctim autem quod principio caret, et « quod a principio est, ac postremo ingenitum, genitum ac « procedens; quae quidem non eiusmodi sunt ut naturam de- « notent, sed mutuam inter se personarum *relationem*, ac

[1] *Orat. theol.* v, c. 9. — In translatione latina Acaci Berrhaeensis (*P. G.* t. xciv, col. 838 in nota): « Modus subsistentiae seu nomen est habitus, non autem substan- « tiae simpliciter significatio », pro habitu sine dubio legebatur σχέσις, habitudo, relatio.

[2] Quam Arianorum cavillationem Nazianzenus « haereticorum arcem ac mu- « rum », Augustinus « callidissimum machinamentum » vocat (*Trin.*, v, 8. *P. L.* t. xlii, col. 913).

[3] *Orat.* xxix, n. 16. — *P. G.* t. xxxvi, col. 96.

[4] *Ad Ablad.* Simillima invenies apud S. Basilium (*ctr. Eunom.*); Epiphanium (*Haeres*, 76) etc.

« existendi modum: ἅτινα οὐκ οὐσίας εἰσὶ δηλωτικά, ἀλλὰ τῆς « πρὸς ἄλληλα σχέσεως, καὶ τοῦ τῆς ὑπάρξεως τρόπου » [1].

7) Porro has in mente Patrum tum latinorum tum graecorum relationes intelligendas esse *reales*, fluit ex ipso modo quo eas exhibent, necnon ex scopo quo easdem vindicant. Si enim, logice quidem prae nostro modo intelligendi, fundamentum distinctionis divinarum personarum est duplex respectus absoluti et relativi, qui quidem respectus relativi per processiones producitur, tolle realitatem huius respectus relativi unius ad alterum, quodnam tibi fundamentum praestatues ad realem distinctionem inter personas defendendam? Arium depuleris, esto; at certe nullo modo Sabellium.

8) Iam vero, si relationes istae sunt reales, *substantiales* sint oportet, quum iuxta manifestam doctrinam Patrum, accidens in Deo repugnet [2]. Sed de hoc fusius in articulo sequenti.

II. - **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit in asserto boëthiano duo valde distincta, et ita illud pervertit. Quod relatio dicit *ad aliquid* non excluditur in Deo, imo realiter in eo invenitur, non ad opus ad extra, sed ad personas *ad intra;* quod autem relatio dicit *in aliquo,* excluditur quidem per modum accidentis, sed praedicatur per modum substantiae. Solvit proin obiectionem S. Thomas distinguendo in relatione praedicationem *ad* et praedicationem *in.*

2. Obi. Confundit duplicem significationem relationis identitatis: alia enim relatio identitatis *partialis,* v. gr., quoad substantiam tantum; alia relatio identitatis *completa,* quoad omnia. Haec tollit fundamentum relationis realis; illa autem non, si ratio relationis realis est ipse duplex aspectus absoluti et relativi qui in eadem singulari substantia reperitur. Obiiciens supponit *idem* de Patre et Filio praedicari non solum natura, sed et numero.

3. Obi. Confundit rationem principii ad intra cum ratione principii ad extra. Si creatio nullam importat in Deo relationem ad creaturam, hoc non provenit ab ipsa ratione principiati, sed a ratione principiati talis, quod non sit in ordine

[1] *De fide Orth.,* lib. I, c. 10.

[2] Cf. S. Cyrill. Alex., *De SS. Trinit.,* dial. II. — *P. G.* t. LXXV, col. 719 n. 755.

ipsius divinae naturae. Secus enim creatio fuisset necessaria, et opificium mundi esset emanatio vera divinitatis. Principium autem *ad intra* est in eodem ordine divinae naturae.

4. Obi. Confundit pariter duplicem sensum valde distinctum, quorum alter conceditur, sed non est ad rem; alter, qui ad rem facit, negatur, et quidem ita, ut ex hac ipsa negatione argumentum retorqueatur. Relatio scilicet rationis tantum oritur ex intellectione ad res intellectas, sed quid hoc ad praesens argumentum? Relatio autem realis oritur inter verbum intellectum et intellectum illud proferentem. Quod et retorquetur. Etenim si iam in nobis, licet intellectus sit mera facultas, et terminus intellectionis mere accidentalis, haec relatio oritur realis; quanto magis in Deo realis erit, quum intellectus simul et terminus eius sint substantiales. Intellectus enim operans seu in actu est substantia Dei, imo ipsa intellectio est divina substantia; quare relatio non solum realis, sed et substantialis sit oportet.

Sed contra est. Praeter argumenta et auctoritates superius allata, huc spectat maxime declaratio Concilii Lateranensis IV. cap. *Damnamus:* « Una quaedam summa res « est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter « est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae, « ac singillatim quaelibet earumdem: et ideo in Deo solum- « modo Trinitas est, non quaternitas, quia quaelibet trium « personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu « natura divina, quae sola est universorum principium.... Et « illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed « est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus « Sanctus qui procedit; ut distinctiones sint in personis et « unitas in natura » [1].

Huius declarationis ut vis plenius intelligatur, iuvat quaedam historica simul ac dogmatica praemittere de circumstantiis in quibus hoc Concilium praelaudatam doctrinam proclamavit. Lombardus enim [2] fuse disputat, utrum necne concedendae sint locutiones: Pater genuit divinam essentiam, divina essentia genuit Filium, essentia genuit essentiam; quas omnes reiicit, utpote confundentes in SS. Trinitate aspec-

[1] Denzinger op. cit. n. 353.
[2] I. *Dist.* v.

tum absoluti et aspectum relativi. Utique Pater est essentia, Filius est eadem essentia, et pariter Spiritus Sanctus, qui singillatim vel simul sumpti, sunt una summa res. Haec autem res non est nec generans, nec genita, nec procedens: quia generare, gigni, procedere relativum significant; summa autem res absolutum. Quare Pater, non essentia, generat Filium, non essentiam; et ita de Spiritu Sancto. Hanc autem catholicam mysterii expositionem Ioachim Abbas Florinus, Ord. Cisterc. († 1202) [1], impugnare coepit, ac si Lombardus, distinguendo nimis inter summam illam rem et singulas personas, non iam Trinitatem, sed quaternitatem defenderet. Falsa prorsus calumnia, quum Magister identitatem inter personas singulas ac illam rem summam apertissime praedicet. Ipse autem Ioachim, utpote vir nominalista, a triplici persona ad triplicem rem concludebat, trinitatem utique servans, sed tritheisticam, pervertens unitatem. Quare Petavius [2] de Florino Abbate ait: « personas tres non solum relationibus, proprie- « tatibusque separabat, sed etiam naturis et essentiis » ; « nam, « uti optime advertit Gregorius de Valentia [3], si essentia ge- « neraret Filium, necesse esset, essentiam re distingui a Filio ». Lombardi sententiam Ioachim detulerat ad iudicium Concilii Lateranensis III, quod tamen controversiam intactam reliquit. Concilium autem Lateranense IV. doctrinam Magistri quasi ad verbum probavit, sententiamque Florini Abbatis, utroque litigante iam a vivis erepto, proscripsit.

In Corpore. Duo probanda S. Doctor assumit: relationes in divinis dari, easque reales. Utrumque autem simul demonstrat; nam directe probat hoc alterum, in quo prius a fortiori continetur. Vides proin discrimen methodi inter Angelicum et illos theologos qui, uti Cardinalis Franzelin [4], primo probant dari in Deo relationes, dein easdem esse reales.

Argumentum triplici parte constat. 1) S. Thomas ostendit discriminis quid interveniat quoad esse secundum rationem tantum et secundum rem, inter relationem et alia octo prae-

[1] Opera eius varia, quorum celeberrimum « Evangelium aeternum », ob sedandas controversias erroresque spiritualisticos vitandos synodus Arelat. an. 1203. divulgari prohibuit.

[2] *De Trinit.*, lib. VI, c. 12, n. 4.

[3] *De Deo trino*, p. 911. Disp. II, c. 15, n. 3.

[4] Op. cit., th. XXI, XXII.

dicamenta. 2) Exponit quid requiratur ad hoc ut relatio sit non solum secundum rationem, sed secundum rem. 3) Demonstrat, conditiones requisitas ad constituendam relationem realem in divinis processionibus apprime verificari. Unde patet conclusio.

De prima parte. Adverte necessitatem huius processus. Nam, nisi relatio hoc haberet proprii, ut possit esse vel rationis tantum vel realis, sufficeret probare in Deo relationes dari, ut eaedem iam demonstrarentur reales. Nunc autem oportet ut reales esse directe probentur.

De secunda parte. Paucis Aquinas argumentum complectitur: realis est relatio quae est in ipsa natura rerum; rationis, quae est mere in apprehensione rationis conferentis unum ad alterum. Adverte tamen, naturam heic non esse intelligendam presso sed latiori sensu, pro re scilicet qualis facta est ab ipsa natura, vel ab aliquo modum eius essendi ita modificante, ut ex hac modificatione ordinatio obiectiva oriatur sive rei ad rem, sive rei ad illum qui eam modificavit. Ita in statua ad fictorem realis ordinatio oritur fundata in natura rei, non uti est lutea vel marmorea, sed huius vel illius formae.

In tertia parte. Adverte verba « *quod ambo* »; nam ad hoc ut relatio realis ex una parte oriatur, non ex altera, non requiritur ut principium sit eiusdem naturae. Ita inter Creatorem ad creaturam habetur relatio mere rationis in ipso Creatore, quia deficit ratio principii eiusdem naturae; in creatura autem, propter ordinationem naturae ex toto receptae, habetur ad Creatorem relatio maxime realis.

De *S. Anselmi* et *S. Bonaventurae* doctrina in fine huius quaestionis.

Corollarium. Licet reciprocatio sit de essentia relationis saltem sub aliquo respectu, haec reciprocatio nisi utrimque nomina ipsam relationem exprimant, per nomina non potest aequaliter illustrari. Ita in SS. Trinitate non eadem valet reciprocatio de tribus nominibus *Pater, Filius* et *Spiritus;* valet tamen inter nomina *Pater* et *Filius*, *Spirator* et *Spiritus*. Nomina enim *Pater* et *Filius* exhibent relationem ad invicem. Nomen autem *Spiritus* dicit quidem

relationem ad *Patrem* et *Filium,* non autem nomina *Pater* et *Filius* ex altera parte hanc relationem exprimunt.

Quod iam his verbis optime animadverterat B. Alcuinus: « Sed ipsa relatio Spiritus Sancti non ita reciproca ratione « converti poterit, sicut Pater et Filius. Nam Pater Filii Pater « dicitur, et Filius Patris Filius dicitur. Spiritus vero Sanctus « uniformiter dicitur ad Patrem et Filium, quia Patris et Filii « Spiritus est. Dicimus enim Spiritum Sanctum, Spiritum « Patris; sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus Sancti, « ne Filius eius intelligatur Spiritus. Item dicimus Spiritum « Sanctum, Spiritum Filii; sed non dicimus Filium Spiritus « Sancti, ne Pater eius intelligatur Spiritus Sanctus. Dicitur « et idem Spiritus donum Dei, quia Deus donator doni sui « est » [1].

ARTICULUS II.

UTRUM RELATIO IN DEO SIT IDEM QUOD ESSENTIA.

I. - **De ipsa Quaestione.** 1) Reales in Deo dari relationes, ex praecedenti articulo accepimus; iam de *modo* huius realitatis. Quaeritur scilicet quomodo haec realitas se habeat ad essentiam divinam. In qua quaestione rursus ab utroque excessu cavendum est. Si enim negas, relationes realiter esse idem cum divina natura, eas vel ponis intrinsecas, vel extrinsecas, ad modum alicuius rei affixae aut assistentis. Intrinsecum aliquid ponere quod re differat ab essentia, est facere personam divinam compositam ex essentia et relatione; fingere autem relationes extrinsecas, est creatum quid immiscere increato, ipsasque processiones ad extra concipere, non ad intra. - Porro si ita affirmas identitatem relationum cum essentia divina, ut inde neges realem distinctionem relationum ad invicem, tollis Trinitatem realem.

Prius vitium fuit Gilberti Porretani Pictaviensis Episcopi; alterum Arianorum et Eunomianorum. Aliquid igitur sit de utrisque.

[1] Op. cit. c. 4. — *P. L.* t. CI, col. 16.

2) Uti observat Petavius [1], error Porretani citatur ab omnibus ut tritus quin tamen de propria indole erroris quoad SS. Trinitatis mysterium omnes conveniant; forte quia ipse quae asserebat quaestionibus undeque pressus, vario modo defendit. Ex operibus nihilominus S. Bernardi, necnon ex ipsa professione quam in Concilio Rhemensi (ann. 1148.) [2] Clarevallensis Abbas confecit, iudicium sat aequum de erroribus Pictaviensis Praesulis ferre valemus, utique praeter ipsius scripta Gilberti.

Duo praesertim loca in scriptis S. Bernardi ad rem faciunt. In Sermone LXXX. in *Canticum* ait: « Non immerito, « nuper in Concilio quod Papa Eugenius Remis celebravit, « tam ipsi quam caeteris Episcopis perversa visa est expo- « sitio illa in libro Gilberti Episcopi Pictaviensis, quo super « verba Boëthii de Trinitate [3], sanissima quidem atque ca- « tholica, commentabatur hoc modo: Pater est veritas, id « est verus; Filius est veritas, id est verus; Spiritus Sanctus « est veritas, id est verus; et hi tres simul non tres verita- « tes, sed una veritas, id est unus verus. O obscuram per- « versamque explanationem! Quam verius saniusque per con- « trarium ita dixisset: Pater est verus, id est veritas; Filius « est verus, id est veritas; Spiritus Sanctus est verus, id est « veritas; et hi tres unus verus, id est una veritas! » Et alibi in libro *de Consideratione* scribit: « Non est ergo in Deo nisi « Deus. Quid, inquiunt (Porretani asseclae), negas Deum ha- « bere divinitatem? Non, sed quod habet, hoc est. Negas « divinitate Deum esse? Non, sed non alia quam quae ipse « est. Aut si tu aliam invenisti, adiuvet me Trinitas Deus, « adversus illam tota me contumacia erigo. Quaternitas « orbem disterminat, non signat Deitatem. Si quartam divi-

[1] *De Deo*, l. I, c. 8.

[2] Iam anno praecedente Concil. Parisiense de eisdem erroribus statuerat. Rhemense quidem Concilium provinciale fuit; at, a praeside Eugenio III. et a numero ingenti Praesulum qui e Gallia, Germania, Italia, Anglia, Hispania eidem interfuerunt, maximam sibi auctoritatem vindicat.

[3] Statuit quippe Gilbertus in hoc opere propositiones sequentes: « 1) Divinitas « non est Deus, sed est forma qua Deus est: 2) Tres personae tribus unitatibus sunt « tria, et distinctae proprietatibus tribus, quae non sunt ipsae personae, sed sunt « tres aeternae, et ab invicem et a divina substantia numero differentes; 3) dici non « potest naturam divinam incarnatam esse ». Cf. Mansi (*Collect. Concil.*, t. XXI, p. 711 sqq.); Katschthaler (op. cit., p. 32).

« nitatem adiicere placet, interim ego hanc, quae Deus non « est, persuasi mihi minime adorandam [1].

In symbolo autem Concilii Rhemensis ita legitur: « 1) Cre- « dimus et confitemur, simplicem naturam divinitatis esse « Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin sit « divinitas Deus, et Deus divinitas. Sicubi vero dicitur: Do- « minum sapientia sapientem, magnitudine magnum, divini- « tate Deum esse, et alia huiusmodi: credimus nonnisi ea « sapientia, quae est ipse Deus, sapientem, magnum, aeter- « num, unum Deum esse. - 2) Cum de tribus personis loqui- « mur, Patre, Filio et Spiritu Sancto, ipsos unum Deum, « unam divinam substantiam esse fatemur; et e converso, « cum de uno Deo una divina substantia loquimur, ipsum « unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas « profitemur. - 3) Credimus solum Deum Patrem et Filium et « Spiritum Sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, « sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, sive « unitates dicantur, et huiusmodi alia adesse Deo, quae sint « ab aeterno, quae non sint Deus. - 4) Credimus ipsam divini- « tatem, sive substantiam divinam sive naturam dicas, incar- « natam esse, sed in Filio ». Hoc symbolum non fuit quidem a Rhemensi Concilio publice sancitum. Nihilominus quum in eadem Synodo errores Porretani, ipso dicta retractante, damnati fuerint, ex hac damnatione, cuius fideliter mentem reproducit, auctoritatem magnam derivavit. Nec in Parisiensi et Rhemensi solum Conciliis doctrina Gilberti reprobata est; modus enim quo Concil. Lateran. IV. damnavit sententiam Abbatis Ioachim, haud minus Porretani propositiones convellit.

Ex hisce documentis apparet, Gilbertum philosophicum errorem circa ipsam formam divinitatis consequenter ad personas divinas extendisse. Si enim Deus habet esse Deum per aliquam formam divinitatis, persona divina habebit esse personam per aliquam formam personalitatis distinctam re non solum ab ipsa divinitate, sed ab ipsa persona. Ne autem aperte in dogma offenderet, Gilbertus has personales proprietates seu formas ita dicebat naturae divinae affixas, sive

[1] L. x, c. 7.

assistentes, ut tamen essent aeternae. Qua posita reali distinctione inter personam et naturam, iam nullo modo poterat dici natura divina incarnata [1]. — Consequens erroris Gilberti erat, dari non Trinitatem, sed aliquam quaternitatem, quemadmodum ei Bernardus improperat.

Quomodo hic error Gilberti sit corrigendus, in quantum realiter vult distingui inter naturam divinam et attributa divina et ipsum Deum, in tractatu *de Deo uno* sat fuse ostendimus [2]. Heic solum quaerimus de errore circa divinas personas. Iam vero duplici praesertim vitio conceptus Porretani quoad hanc partem suae doctrinae laborat. 1) Non distinxit in relatione aspectum *in aliquo* a respectu *ad aliquid;* nec intellexit respectum *in aliquo,* ob eminentem simplicitatem naturae divinae, ab accidenti converti in substantiam; ita ut sola relatio realis in Deo admissibilis sit substantialis, non accidentalis. 2) Non vidit repugnantiam ut aliquid ponatur in Deo aeternum, quod non sit ipse Deus.

Et haec de errore Gilberti dicta sufficiant. Iam ad alterum excessum.

3) Post Arianos, Eunomianos aliosque contra catholicam Trinitatis doctrinam rationalistae obiiciunt hoc modo. Distinctio realis inter personas divinas fundatur in relationibus. Atqui vos ipsi conceditis, imo contenditis, inter essentiam divinam et relationes non dari nisi distinctionem rationis. Quo igitur iure, nisi per saltum logicum, hanc distinctionem rationis tanquam fundamentum assumitis ad realem distinctionem inter personas proclamandam?

Ut valide se ab hoc nexu excipiant, theologi heic insistere solent in distinctione rationis ratiocinatae quae existit inter relationes et divinam essentiam. Equidem hanc distinctionem non modo optime fundatam ducimus; sed, si dici fas sit, melius fundatam distinctione inter divinam essentiam et attributa [3]. At etiamsi haec distinctio ex parte tol-

[1] Observa, hanc formulam re vera uti ambiguam vix esse probandam; unde Concilium Rhemense eam quidem non reiicit, sed illam ad sensum catholicum contraxit.

[2] Cf. *De Deo Uno,* t. I, p. 196, 394, 497.

[3] Ratio huius asserti est manifesta. Etenim attributa de Deo praedicamus per modum qualitatum, quarum usus ad Deum translatus fundatur in imperfectione sermonis nostri collata cum eminente dignitate divinae essentiae. Qualitas autem in

leretur, quemadmodum quoad elementum *esse in* eam non agnovit Caietanus, adhuc modo obiecta argumentatio vitio summo laboraret. Etenim tunc valeret, si utrimque relatio in eodem sensu sumeretur. Atqui ex opposito procedit.

Et re quidem vera, uti iam plus semel est dictum, relatio habet respectum quo dicit *ad aliquid*, et respectum quo dicit *in aliquo;* prior respectus constituit essentiam relativi, alter participat de absoluto. Iam vero quando relationes conferuntur cum ipsa essentia divina, consideratur in relatione respectus absoluti, seu *in aliquo;* quando autem relationes, scilicet illae quae per processiones constituuntur, conferuntur ad invicem oppositae, consideratur in eis respectus relativi *ad aliquid.* Unde etiamsi respectus absoluti in relationibus divinis tantopere identificaretur cum natura divina ut ne ratione quidem ab ea possent distingui, non ideo distinctio realis inter divinas personas in discrimen vocaretur. Hae enim habent suam distinctionem ab oppositione, oppositio vero oritur a relatione considerata uti *ad aliquid.* Realitas autem huius relationis, non provenit a distinctione rationis quae interest inter naturam et relationem, uti dicit *in aliquo;* sed *a substantialitate ipsius relationis.* Unde quo magis identitas inter relationem et essentiam praedicatur, eo profundius ipsa realitas divinae relationis radicatur.

Iuvat heic praecitati Cardinalis de Vio verba referre: « Diligenter adverte quod, quia *esse in* significat esse actua- « lis existentiae accidentis in proposito, actualis autem exi- « stentia etiam relationis non est *ad aliquid*, ut expresse do- « cet S. Thomas in I. Dist. XXXIII, Q. I. a. 1, ad 1; ideo actua- « lis existentia relationis divinae est omnino idem cum ac- « tuali existentia ipsius divinae essentiae: quia non differt « ab illa *etiam ratione*, sicut *quod quid est* relationis intel- « ligitur differre a *quod quid est* essentiae, ut respectivum « ab absoluto. Et hoc est quod Augustinus dicit (*De Trin.* « l. VII, c. 4; in Psal. LXVIII; in Serm. 1, num. 5) quod idem

Deo redundat ex toto in essentiam. Non ita de relatione, quae utique, quoad elementum *esse in*, cum essentia divina prorsus identificatur; at, quoad elementum *ad aliud*, in Deo proprie praedicatur, etiam sub ipsa luce beatificae visionis. Quare duo tantum praedicamenta in Deo proprie servantur: substantia et relatio (Cf. S. Th., *I. Dist.*, XXXIII, Q. I, a. 1, ad 5).

« est quo Pater est Deus, et quo est; non autem eo Pater, « quo Deus. Et sic habemus non solum realem identitatem « relationis cum essentia, sed omnimodam identitatem exi- « stentiae utriusque. Et propterea una est actualis existen- « tia omnium divinarum relationum; quamvis inter se distin- « guantur realiter ipsae relationes » [1].

Paucis: relationes divinae quatenus dicunt *esse in*, seu quid existens, nullatenus differunt nisi ratione ab existente essentia divina; quatenus autem dicunt *esse ad*, propter ipsam oppositionem realiter inter se distinguuntur. Sed iste respectus *ad aliquid* nequit ullo modo ad ipsam essentiam conferri; unde nec sub hoc respectu potest distinctio inter essentiam divinam et relationem praedicari. Esset confundere elementum relativum cum elemento absoluto, quod in quavis relatione reali, maxime in subsistente habetur.

Secundum quod in relatione consideratur elementum *in aliquo* vel *ad aliquid*, relatio dicitur *inhaerens* vel *assistens*. Assistens autem relatio cui non subest, tanquam fundamentum, relatio inhaerens, est mere rationis, seu ens secundae intentionis. Quare correlationes in divinis solum admittere assistentes, conducit ad negationem distinctionis realis inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, seu in negationem SS. Trinitatis; est proin sabellianum. Ponere autem relationes ita affixas personis, ut realiter sint quid distinctum a natura divina, est vel ponere quaternitatem, vel tres deos compositos. Opinio autem Gilberti Porretani non eodem modo ab omnibus exponitur, quia eius terminologia aliis de utroque vitio habere videtur.

II. - **Ad Textum.** *1. Obi.* Non pigeat heic integrum S. Augustini textum audire, iam partim superius allatum [2]: « Nihil « in eo (Deo) secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit, « nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam di- « citur. In rebus enim creatis atque mutabilibus quod non se- « cundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens « dicatur; omnia enim accidunt eis, quae vel amitti possunt, « vel minui, ut magnitudines et qualitates, et quod dicitur

[1] I. Q. XXVIII, a. 2.
[2] Cf. p. 210.

« ad aliquid, sicut amicitiae, propinquitates, servitutes, simi-
« litudines, aequalitates, et si qua huiusmodi; et situs et
« habitus et loca et tempora, et opera atque passiones. In
« Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia
» nihil in eo mutabile est; nec tamen omne quod dicitur,
« secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid,
« sicut Pater ad Filium et Filius ad Patrem, quod non est
« accidens »; quo breviter ex aeternitate processionis evo-
luto, pergit: « Si vero quod dicitur Pater, ad seipsum di-
« ceretur, non ad Filium; et quod dicitur Filius, ad seipsum
« diceretur, non ad Patrem; secundum substantiam dicere-
« tur et ille Pater et ille Filius..... » et concludit: « Quam-
« obrem quamvis diversum sit Patrem esse, et Filium esse;
« non est tamen diversa substantia: quia haec non secundum
« substantiam dicuntur, sed secundum relativum; quod ta-
« men relativum non est accidens, quia non est mutabile » [1].

Obiectio, uti patet, ex hoc loco adducta confundit utrumque relationis divinae respectum. Scilicet quatenus divinae relationes reales sunt, redundant in substantiam; quatenus dicunt formaliter respectum *ad aliud*, sunt proprie relationes et per modum proprium relationum de Deo praedicantur. Quod Augustinus intendit de respectu formali, obiectio intendit de respectu reali.

2. Obi. Allatus textus de medio n. 2, cap. I. libr. VII. *de Trin.* sumitur; quo in loco S. Augustinus componit has duas propositiones: Pater quatenus *ad se* dicitur, et Filius quatenus *ad se* dicitur, sunt una ac eadem substantia, quacum uterque identificatur; quatenus autem relative dicitur *ad alium*, realiter ab invicem distinguuntur. Ex ipso ergo Augustino, paulo inferius obiectio solvitur. Nam Patrem et Filium demonstrat et affirmat unam esse substantiam. Procedit autem obiectio ac si illud quod res relativa esse dicitur, dempto relativo, deberet esse re ab ipsa relatione distinctum. Sed hoc esset demonstrandum. Unde reponit optime S. Thomas: est quidem in creatis re distinctum (nam hic de sola relatione reali agitur), concedo; in Deo vero, nego. - Ergone in Deo falso praedicamus, cum relativo nomine appellamus id

[1] *De Trin.* l. v, c. 5. - *P. L.* t. LXII, col. 913, sq.

quod est ipsa essentia divina? - Resp.: praedicamus modo imperfecto, conc.; non autem falso. Nam respectus *ad alium*, qui formalis est relationis, legitimat distinctionem rationis quam praedicando facimus in singulis personis inter relationem et essentiam. Verbo, valet obiectio de relatione cuius *esse in* sit accidens; non valet de relatione cuius *esse in* sit substantiale.

3. Obi. Confunditur in hac obiectione *nomen* cum *re* significata per illud. Ubi noli urgere vim comparationis a S. Thoma factae inter modum quo attributa de divina natura et quo relationes de eadem praedicamus, ex indigentia quippe nostrae intellectionis atque sermonis. Recte quidem si relationes ad essentiam conferuntur; sed quoad respectum *ad alium* relationes habent ut in Trinitate proprie praedicentur.

Sed contra est. Thesis est de fide, uti ex allatis superius testimoniis et ex evidentia deductionis theologicae apparet. Totus enim in eo est Augustinus ut haec duo conciliet, simplicitatem divinae essentiae, singularumque personarum, cum earum reali distinctione ab invicem. Pone relationes, reales scilicet, esse re vera mere assistentes, inhaerentes ita ut accidens quoddam aeternum in personis constituant ab essentia distinctum: quis non videt, totum mysterium verti vel in Sabellaniam monarchiam vel in crassum tritheismum?

Argumentum a S. Thoma a formula praefationis deductum fit evidentius, si consideras vocem « proprietas » in antiquo sermone theologico idem sonare ac relationem. Qua cum formula non inutiliter conferes textum antiquae praefationis Ecclesiae Gallicanae (saec. V. ineunte) « Dignum et « iustum est, vere aequum et iustum est, nos tibi gratias « agere, omnipotens, aeterne Deus, Pater, Unigenite, Spiritus « Sanctus, ex Patre et Filio mystica processione subsistens, « una eademque in sanctam Trinitatem trium personarum « substantiam coaeterna essentia, et non discreta concordia »[1]. Pariter formula praefationis Romanae in Natali S. Ioannis Evang. (saec. V.): « Addendo (Ioannes): et Deus erat Ver-

[1] Missa 3. ap. Mone, (*Lateinische und griechische Messen*, Frankfurt, 1850, p. 19).

« bum, et hoc erat in principio apud Deum, et distinctionem « protulit personalem, et unam te cum Filio tuo, patefecit « habere Deitatem » [1]. In his formulis identitas personarum cum divina communi essentia sat aperte praedicatur. Atqui haec identitas periret, si relatio esset quid realiter distinctum ab essentia divina. Ergo.

In Corpore. Processus lucidus. Praemisso errore Porretani, S. Thomas duplici gradu sive parte intentum obtinet. In priori discrimen ostendit inter alia octo praedicamenta accidentalia et relationem. Conveniunt in communi ratione *esse in;* differunt in ratione propria uniuscuiusque generis. Nam in aliis octo specifica ratio etiam dicitur quoad *esse in;* in relatione autem quoad *esse ad.* Relatio per consequens habet respectum *in*, et respectum *ad;* quod non advertit Porretanus, unice considerans respectum *ad.*

In altera parte S. Th. insistens in respectum *in*, discrimen ostendit inter relationem praedicatam de creatis et de Deo. In creatis iste respectus ponit accidens; in Deo redundat in substantiam, quacum necessario re identificatur [2].

Quaeres I. - Igiturne nullo modo licet relationes divinas considerare uti assistentes? - Subtilis quaestio. Certum est, relationes divinas, quatenus sunt reales seu quatenus dicunt *in*, esse in supremo gradu inhaerentes, utpote substantiales sive subsistentes. Aliunde non omnino repugnat, iuxta nostrum modum intelligendi, aliquam relationem non realem, sed rationis, considerari tanquam aliquid mere assistens, v. gr., relationem rationis Creatoris ad creaturam. Periculum autem a tali modo loquendi non abest, ubi de relationibus divinis, uti *ad aliquid* consideratis, ne ipsa realitas relationum negari videatur. Inde Ruiz [3] periculosum ait et errori proximum, negare realitatem relationis secundum *esse ad.* Non ideo tamen, praedicata realitate relationis secundum *esse in*, non potest relatio secundum *esse ad*, quatenus nullam huic realitati realitatem adiungit, considerari tanquam aliquid accrescens aut superadditum, utique ex nostro intel-

[1] Assemani., *Codex liturg. Eccl. univ.* 1. 4. Romae 1754, p. 174.
[2] Confer cum corpore loca simillima *de Pot.* 9. viii, a. 2: I. *Dist.* xxxiii. q. 1. a. 1.
[3] *Disp.* ix. sect. *An.* 14.

ligendi modo. Ita Card. Cienfuegos [1], cui adhaeret Card. Franzelin.

« Conceptus relationis, ait, ut *superadditae* realis esse « nequit, sed pure rationis (in divinis scilicet), quamvis, si « *formalitas ad* non concipiatur ut *supperaddita*, sit per se « simpliciter realis, seu idem formaliter entitative cum prae- « dicato absoluto divino. Est igitur realis, si concipiatur ea « *formalitas ad* secundum se, et prout existit a parte rei; « est tamen rationis tantum, si concipiatur ut *accrescens* « absolutis vel *addita*. » Sententiam referimus, non corripiendo, sed neque ex toto probando.

Quaeres II. - Quaenam igitur admittenda est in divinis distinctio inter relationem et essentiam? - Resp.: Exclusa distinctione reali, quam admittere haereticum foret, omnes theologi concedunt, inter utrumque dari distinctionem rationis, illam gradus minoris, quae rationis ratiocinantis in schola vocari solet. Non eodem modo consentiunt de distinctione rationis ratiocinatae, sive virtuali cum fundamento in ipsa re [2]. Scotus quippe mediam aliquam distinctionem inducit, quam *formalem* appellat. Si in relatione consideratur elementum *in*, distinctionem rationis dari inter relationem divinam existentem et essentiam divinam existentem Caietanus prorsus negat [3]. Non placet aliunde, rationem distinctionis unice repetere ab elemento *ad*; hoc enim elementum dicit respectum relativi qui non potest conferri cum re absoluta, qualis est essentia. Quid ergo? Solutio quae nobis arridet, sequens est.

Quando quaeritur de habitudine relationis ad essentiam divinam, quaeritur de relatione uti est quid existens, absolutum, non prout est quid relativum, *ad aliud* se habens. In hoc autem existere relationis divinae distinguendus est modus quo in se existit, ab eo quo nos illud existere apprehendimus. In se consideratus, modus ille existendi tantopere identificatur cum ipsa divina essentia, ut nulla distinctio inter ea adsit

[1] *Op. cit.* th. XXII, *p.* 317.

[2] De subdistinctione huius fundamenti in perfectum et imperfectum consule probatos philosophos.

[3] Cf. textum p. 230, allatum.

nisi rationis ratiocinantis, non autem virtualis, seu rationis ratiocinatae. Et hoc rectissime Caietanus asseruit. At inter essentiam et relationem existentem uti nos eam in recto apprehendimus, datur, propter defectum nostri conceptus et supereminentiam divinae essentiae, eadem distinctio rationis, quae inter essentiam Dei et divina attributa passim admittitur. Imo minor videtur distinctio inter essentiam et attributa, et quidem propter duo. Primo, quia facilius apprehendimus qualitatem per modum substantiae quam relationem; secundo, quia, etsi relatio collata cum essentia consideratur secundum *esse in*, nihilominus est fundamentum τοῦ *esse ad*, quod *esse ad* propter oppositionem inducit distinctionem realem.

Quaeres III, utrum realiter necne relatio distinguatur a fundamento. Multi Thomistae negant; alii cum Caietano affirmant. Scotus ita distinguit: relatio cuius fundamentum potest remanere sine termino, distinguitur realiter a fundamento; relatio autem cuius fundamentum non potest esse sine termino, est eadem realiter cum fundamento. Lege, si otium sinat, fusam dissertationem Caietani [1]. Nos e consulto ab investigando penitius hoc argumento abstinemus, quum ad philosophicam potius disciplinam pertineat.

Corollaria - Ex doctrina hujus articuli fluunt *Corollaria* duo:

1) Relationes divinae sunt *subsistentes*; quum enim sint maxime reales, easque accidentia esse repugnet, oportet ut sint subsistentes.

2) Nulla distinctio realis datur inter singulas personas et essentiam divinam. (De quo fusius in Q. XXXIX).

[1] Hoc loco.

ARTICULUS III.

UTRUM RELATIONES, QUAE SUNT IN DEO, REALITER AB INVICEM DISTINGUANTUR.

I. - **De ipsa Quaestione.** 1) Hucusque vidimus, relationes in se ipsis esse reales, et in comparatione ad essentiam cum ea identificari re, non ratione. Iam de earum comparatione ad invicem est dicendum. Difficultas oritur in componendo utroque asserto, ex una scilicet parte dari veram processionem substantialem cum reali habitudine *ad aliud;* ex altera vero unumquodcumque ex relativis identificari cum uno eodem communi.

Eadem difficultas movebitur infra quoad personas; quin et solutio ibidem danda pendet a solutione praesentis quaestionis: nam processiones faciunt relationes, relationes vero personas. Quomodo enim possent concipi personae realiter ab invicem distinctae, nisi relationes realiter ab invicem distinguerentur? Unde negare distinctionem realem inter relationes, est tollere realitatem Trinitatis, quod est sabellianum.

2) At cuidam forte praesens quaestio videbitur otiosa. Etenim supra probatum est, dari in divinis relationes reales. Quomodo autem reales esse possent, nisi realiter ab invicem distinguerentur?

Resp. - Aliud est, doctrinam praesentis articuli in primo contineri; aliud, probationem sive respectum eius esse omnino eumdem. Quod ut melius appareat, sint sequentia. In quavis relatione triplex respectus considerandus occurrit: *a*) respectus ad hoc quod sit realis vel rationis; *b*) respectus ad hoc quod sit accidens vel substantia quoad elementum *in*; *c*) respectus ad hoc quod secundum elementum formale *ad,* sint relationes realiter distinctae vel non. Iam vero in primo articulo consideravimus *a*), in secundo *b*); superest ut *c*) in tertio examinemus. Unde licet *c*) sit consequens ex *a*), nihilominus fluit tanquam aliquid formaliter distinctum.

Rursus in articulo 2. in principio *Corporis* explicatum est, quomodo in relatione considerari debeant respectus ad sub-

iectum *in quo*, et terminus *ad quem*. Quoad primum probata est realis identitas cum discrimine rationis; quoad alterum nunc ostendenda est distinctio realis.

3) Difficultas autem heic oritur summa ex hoc quod, dum in quavis relatione cum essentia comparata, solum adsit distinctio rationis, iam in relationibus ad invicem collatis distinctio praedicetur realis. Quare videtur huic distinctioni reali deesse fundamentum; vel si adsit, ulterius protrahendum usque ad realem distinctionem inter personas et essentiam. Dilemma quippe sese menti opponit: aut relationes re non identificantur cum divina essentia; aut relationes inter se non distinguuntur nisi ratione.

4) Iam vero hoc dilemma potest aliter et aliter solvi: indirecte vel directe. Indirecte solvitur confutando utrumque membrum. Directe, ostendendo defectum nexus sive disiunctionis.

Primo igitur procedamus *indirecte*. In art. 2. demonstravimus, relationes re vera identificari cum essentia. Ergo iam reiectum est prius membrum dilemmatis. In praesenti vero art. 3. demonstramus, relationes realiter ab invicem distingui. Demonstramus autem considerando alterum elementum relationis *ad aliquid*, quod oppositionem involvit; ita ut, si in Deo dentur relationes reales, - quod in art. 1. acquisitum est, - istae non possint ab invicem non realiter distingui. Ergo a priori dilemma demonstratur valore destitui. Ubi erit vitium? In defectu nexus. Quod iam *directe* superest ostendendum.

5) In praemisso dilemmate nexus petitur ab axiomate duplici: *a*) conclusio nequit latius patere praemissis: ergo a distinctione rationis inter relationes et essentiam nequit concludi ad distinctionem realem inter *relationes ad invicem*. - *b*) Quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem.

Inquiramus igitur sive de valore sive de applicatione utriusque axiomatis.

6) *De priori axiomate* (Cf. *Obi. 2*). Ut valeat hoc axioma, oportet ut in casu ratio unica distinctionis realis praedicatae inter relationes ad invicem, sit distinctio rationis existens inter relationes et essentiam, praescindendo a respe-

ctu relationum ad invicem. Atqui non ita res se habet. Etenim α), uti mox apparebit, propria ratio distinctionis realis inter relationes ad invicem desumitur ab elemento *ad aliquid*, quod formale relationis est; identitas autem relationum cum essentia praedicatur iuxta elementum *in aliquo*, utique subsistentiali. Insuper β), licet comparatio identitatis inter relationes et essentiam non fiat secundum elementum *ad aliquid;* nihilominus, uti loco suo ostendemus, non ab eo totaliter praescindit. Patet ergo, prius axioma nihil in casu concludere [1].

7) *De altero axiomate.* Ad vim huius axiomatis vitandam, Suarezius de ipsa absoluta veritate eiusdem dubitare non dubitavit. « Respondeo, ait, principium illud: *Quaecumque*, etc., si in tota abstractione et analogia entis sumatur, « abstrahendo ab ente creato et increato, seu finito et infinito, « esse falsum, neque directe demonstrari aut probari posse; « sed ad summum, inductione posse a nobis ostendi in crea- « turis. Negamus autem inde recte concludi in tota illa uni- « versalitate, quia in rigore fit argumentum ex puris parti- « cularibus, et quia in creaturis potest illud oriri ex limita- « tione earum, et ideo non recte fit illatio ad rem illimita- « tam » [2]. At hoc videtur excessivum. Axioma enim de quo agitur, modo intra debitos limites contineatur, sat facile reduci potest ad principium maxime fundamentale contradictionis; de quo, qui dubitarit, iam non amplius habet, non modo unde fidem tueri, sed nec unde ipse credere possit.

Est igitur rectus sensus axiomatis determinandus. Qua ratione, nisi restringendo illud ad acceptionem quae evidentiae assensum cogat? Scilicet, quum immediate principio contradictionis axioma nostrum innitatur, ad normam huius principii quam maxime redigatur oportet. Quando igitur dico: « Quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem

[1] Adverte, hoc prius axioma Scoto minus opponi posse, quum Doctor Subtilis inter relationem et essentiam, sicut inter attributa, tenet dari distinctionem non solum rationis, sed formalem ex natura rei. Attamen ex eo ipso quod eamdem distinctionem admittit inter attributa et relationes ad essentiam, habet, sicuti nos, quomodo se ab huius axiomatis logico nexu excipiat; quum ipse, haud secus ac nos, realem simpliciter distinctionem inter relationes ad invicem admittat, quam inter attributa dari negat.

[2] *De Trin.* l. IV, c. 3, n. 7.

« sunt eadem inter se », nisi ludere velim verbis, exigitur non solum ut identitas utrimque praedicetur in eodem sensu, sed ut respectus comparationis sit idem utrimque. Et re quidem vera, pone in priori membro tria quae sint quidem eadem communi eidem quarto, at solum re, non ratione; evidentissime ad earum inter se identitatem etiam ratione concludes sine iure. Pariter si in priori membro comparatio instituitur secundum unum respectum, falso concludes ad identitatem secundum alium respectum. Atqui hoc alterum in casu occurrit; indeque inanitas manifesta huius axiomatis ad realem distinctionem relationum ab invicem in divinis infitiandam. Nempe relationes divinae, si considerantur iuxta elementum *in,* habent rationem seu respectum *absoluti;* si vero considerantur iuxta formale elementum *ad*, habent rationem seu respectum *relativi.* Verbo: axiomatis allati vis contra SS. Trinitatem nihil valet, quia cardo huius mysterii praecise consistit in duplici respectu unius summi entis, quod simul habet esse summum absolutum et summum relativum. Dato ente tali, imo ente tali ex revelatione probato, iam propter duplicem respectum absoluti ac relativi huius entis, quodvis telum vi allati axiomatis immissum decidit imbelle.

Neget homo fide destitutus, conceptum τοῦ summi absoluti, quod sit simul summe relativum. At contra fidem habentes, istumque conceptum ex fide profitentes, nihil efficaciter per allatum axioma incredulus unquam obtinere poterit [1].

8) Vides proin, solutionem difficultatis a nobis repeti non solum a distinctione rationis quae obtinet inter relationem et essentiam, - haec enim distinctio per se non sufficit, secus iam ab invicem realiter distingui ipsa divina attributa probarentur [2], - sed a tali distinctione quae involvat duplicem aspectum absoluti et relativi, et quidem ideo, quia aspectus relativi secum fert necessario oppositionem, ac ita distinctionem realem, ubicumque fundamentum relationis est reale.

[1] Imo axioma allatum in catholica doctrina optime servatur, valetque contra tritheistas. Etenim quum tres personae identificentur cum una eademque essentia, ob eamdem numero essentiam, sint unus Deus et non tres dii sint oportet.

[2] Cf. Obi. 2.

Unde quo magis urgetur realitas relationis a parte *in*, eo magis praedicatur realitas distinctionis a parte *ad*. Quare illud ipsum a quo incompossibilitas petebatur, ratio evadit inconcussa, cur summe realis distinctio sit praedicanda.

9) Ex dictis iam apparet, quid sentiamus de modo quo aliqui se ab obiecto axiomate excipiunt [1]. Dicunt, axioma valere, si agatur de identitate plurium cum aliquo singulari incommunicabili, non autem cum communicabili. Verum quidem est, in divinis communicationem divinae naturae esse fundamentum Trinitatis; at haec communicatio non tollit singularitatem huius communis quarti. Manet quippe in tribus personis una et singularis natura communicata. Unde remanet quaestio, quomodo haec communicatio unius singularis naturae possit esse talis, ut relationes ex hac communicatione ortae, sint ex una parte identicae cum una singulari communi natura, ex altera realiter ab invicem distinctae. Quam quaestionem per ipsam communicabilitatem communis essentiae solvere, esset mera petitio principii. Unde restat ut dicatur, rationem huius duplicis habitudinis inveniri in duplici respectu unius rei, quae sit simul summum absolutum et summum relativum. Quia est summum absolutum, relationes a parte *in* cum eo identificantur; quia summum relativum, relationes a parte *ad*, propter oppositionis respectum, realiter ab invicem distinguuntur.

10) Ex huius articuli simul ac praecedentis doctrina iam collige aliquid magni momenti; nempe qua ratione fides conceptus rationales non destruat, sed corrigat. Nam in creatis tam apparens est limitatio quae ex relativo oritur, ut conceptus relativi aliquid essentialiter imperfecti continere videatur. Rursus tam obvia est excellentia absoluti, ut absolutum absque relativo, reali scilicet, videatur perfectionis plenitudo. Fides autem, quae docet, Deum esse simul summum absolutum et summum relativum, corrigit utrumque, dicens: nec *a*) absolutum sufficere solum ad plenitudinem perfectionis, nec *b*) relativum esse essentialiter imperfectum.

Non ideo tamen fides ita nostros conceptus corrigens, rationem destruit quae eosdem efformabat. Nam conceptus

[1] Cf. MOLINA. Primam Part., q. 29, a. 2. disp. 2.

illi non erant immediati neque a priori; sed mediati et a posteriori acquisiti per experientiam circa creata. Quare fides immediate de caelo illapsa, omnia illuminans secundum esse a priori quod cuncta in Deo habent, summo iure id corrigit, quod sine iure sufficienti ratio iam uti sufficienter probatum, absque dubio certum iudicabat.

Quae absoluti simul et relativi perfectio apparet etiam aliquomodo in creatis. Nam quis non videat, patrem perfectiorem esse cum filio quam sine illo? et tamen cum filio aliquid relativi acquirit, quatenus realem relationem ad alium habere incipit. Quae relatio, cum sit mutatio, nec substantialis, utpote facta in tempore cum modificatione accidentali, imperfectione utique miscetur; quatenus vero ponit terminum, perfectionem involvit. Idem dic de filio, in quo, licet sit imperfectum quod in tempore originem habuerit, et factus sit ab alio; est tamen perfectio hanc filiationis relationem ad patrem habere a quo est. - Iam vero utraque perfectio in Deo Patri et Filio competit ex processione unius ab altero, sine ulla admixta imperfectione; est enim generatio aeterna nec mutationem nec effectionem involvens.

II. - **Ad Textum.** Obiectiones, uti ex iam dictis apparet, pulcherrime procedunt, una effluente ex alia. Quod enim in prima ponitur, urgetur per secundam. Nam si quis solutionem ab applicato axiomate quaerat, ex eo quod inter relationes et essentiam datur distinctio rationis; obiiciens in secunda instat, hoc non sufficere; quia, etsi sapientia ratione differat ab essentia, et pariter bonitas ab eadem; bonitas tamen et sapientia non realiter differunt ab invicem. Quae instantia inde maioris efficaciae est, quod ipse S. Thomas, uti supra vidimus, quoad distinctiones relate ad essentiam, paritatem concedit. Quare insufficiens manet responsio, usquedum addatur elementum oppositionis, quippe fundamentum realis distinctionis in illis, quae realiter sibi invicem opponuntur. Iam vero realiter sibi opponuntur, qui realiter ab invicem procedunt. Quare demum *originis oppositio* fundamentum est realis distinctionis inter relationes ab invicem.

Hic autem oritur tertia difficultas; nam si origo distinctiones facit, quomodo Pater generans distinguitur realiter a

Spiritu Sancto, quum tamen non sit a Patre generante? - Resp.: Pater generans, idem est cum Patre spirante; atqui Pater spirans realiter opponitur Spiritui spirato; ergo. In qua responsione habemus confirmationem illius, quod modo dicebamus de responsione ad secundum. Nam sicuti sapientia et bonitas ratione non re distinguuntur ab invicem, quia ratione tantum sine ulla oppositione distinguuntur ab una communi essentia; ita Pater generans et Pater spirans nonnisi ratione distinguuntur, quia cum eadem essentia, sine ulla originis oppositione conveniunt.



Per figuram quamdam geometricam potest responsio ad axioma primae obiectionis explicari aliqualiter. Supponamus, lineas AO, BO et CO se moventes circa centrale punctum O; et concipiamus relationes divinas ad modum motus alicuius circularis ad intra circa essentiam divinam. AO, BO et CO conveniunt quoad hoc, quod moventur circa O; nullomodo tamen moventur circa invicem. Atqui motio *circa* est radix unionis et identitatis cum O. Ergo, licet omnes tres conveniant cum uno quarto, non tamen conveniunt inter se. A pari arguitur de divinis processionibus. Cavendum tamen, ne huiusmodi similitudinibus aut figuris nimis tribuatur. Ad rem S. Thomas: « Omnia similia, « quae possent induci, vel de punctis vel de differentiis existen- « tibus in genere, plus habent de dissimilitudine quam de « similitudine, et ideo magis abducunt a veritate, quam in « verum intellectum inducant. Sicut enim dicit Boëthius [1]: « " in his quae sine materia sunt oportet non ad imagina- « tionem deduci, quia hoc plurimum officit in divinis " » [2].

Sed contra est. Praesentis articuli doctrinam de fide esse, apprime constat. Sublata enim distinctione reali relationum ab invicem, earum scilicet, uti mox dicetur, quae oppositionem ad invicem involvunt: iam perit realis distinctio inter divinas personas, nec superest Trinitatis conceptus nisi sabellianus.

Ex Scripturis autem praesens thesis probatur per omnia testimonia in quibus talis habitudo personarum ad invicem

[1] *De Trinit.* I, 2.
[2] I. *Sent.* Dist. XXXIII, q. 1, a. 1 ad 2.

puta Patris ad Filium eruitur, ut appareant ex oppositione ab invicem distincti et singuli in divinitate realiter constituti. Talia sunt, v. gr., efficacissime, ea in quibus missio cum opere personali divino coniungitur, uti illa Christi apud Ioannem: « Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet « Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia » [1].

Huc faciunt verba Conc. Toletani XI, superius citati, necnon reliquae auctoritates in art. 1. huius Quaestionis allatae. Adde verba Conc. Laterani IV. cap. *Firmiter:* « Haec Sancta « Trinitas, secundum communem essentiam individua, et se- « cundum personales proprietates discreta, primo per Moysen « et sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, iuxta ordina- « tissimam dispositionem temporum, doctrinam humano ge- « neri tribuit salutarem » [2]. Necnon Conc. Florent. in actis Sess. XVIII: « Est secundum doctores tam graecos quam « latinos, sola relatio, quae multiplicat personas in divinis « productionibus, quae vocatur originis, ad quam duo tantum « spectant: a quo alius et qui ab alio » [3]. Ex qua aurea sententia habes ordine logico: 1) processiones, 2) relationes, 3) personas, iuxta *Summam* ipsam Angelici.

In Corpore. Duo probanda sunt: 1) in divinis respectus dari oppositionis; 2) hos respectus esse reales. - Prius probatur inducendo formale et essentiale elementum relationis; scilicet elementum *ad,* quod involvit oppositionem. - Alterum probatur ex eo quod relatio sit realis.

Vides rursus, quo modo catholica doctrina sibi constans, viam inter duo extrema teneat. - Vitium Porretani est, relationem non considerasse nisi secundum elementum *ad aliquid;* vitium Sabellii, in eadem neglexisse elementum *ad aliquid,* solumque elementum in *aliquo* considerasse. Quare optimo iure arguit S. Thomas: vel in Deo dantur verae relationes, vel non dantur. Si non, actum est de verae Trinitatis conceptu, quia tolluntur verae processiones; si autem dantur, oportet elementum maxime formale relationis in eis

[1] XIV, 26.

[2] DENZINGER (op. cit. n. 355). Cf. hanc declarationem cum doctrina superius exposita de modo quo iam sub nube antiquae Legis SS. Trinitatem aliqualiter manifestari oportebat. Etenim: *a)* idem est Deus revelans, unus ac trinus; *b)* eadem revelatio pro temporum adiunctis gradatim ordinata.

[3] Ita in hac celeberrima synodo doctrinam formulavit Ioannes a Monte Nigro.

servari. Veritas igitur stat in coniungendo arctissime utrumque elementum: scilicet in praedicando, Deum simul esse Summum Absolutum, unde identitas relationis consideratae quoad *esse in* cum divina natura; - et Summum Relativum, unde realis distinctio relationum ab invicem consideratarum quoad *esse ad,* scilicet ex oppositione quam hic respectus necessario involvit.

Ex dictis vide, quam recte Card. Satolli doctrinam huius articuli in sequenti conclusione comprehendat: « In Deo est « realis distinctio secundum rem non absolutam, sed relati- « vam; ita ut verissime plures respectus secundum rem sint « idem absolutum, quod est divina essentia, et non idem « inter se » [1].

ARTICULUS IV.

UTRUM IN DEO SINT QUATUOR RELATIONES REALES, SCILICET PATERNITAS, FILIATIO, SPIRATIO ET PROCESSIO.

I. - **De ipsa Quaestione.** 1) Solutio praesentis Quaestionis immediate fluit ex modo quo praecedentis argumentum solvimus. Etenim quum probaverimus, rationem realis distinctionis esse in reali oppositione quam secum fert respectus *ad aliquid* relationis realis: tot erunt in Deo relationes reales, quot erunt oppositiones per relationes inductae. Porro quum haec oppositio in divinis nonnisi ex processione ad intra oriri possit, et unaquaeque processio duplicem producat relationem, scilicet utrimque reciprocam, patet, in Deo non dari posse nisi quatuor relationes, id est, bis geminas: paternitatem in Patre et filiationem in Filio, consequentes priorem processionem per modum generationis; spirationem activam in Patre et Filio simul, et spirationem passivam sive processionem in Spiritu Sancto, consequentes alteram processionem per modum amoris.

2) Ex hoc iam observa, valde interesse inter haec duo: utrum quatuor dentur relationes reales, et utrum istae quatuor relationes distinguantur ab invicem. Hoc alterum non

[1] Op. cit. hoc loco p. 75.

fluit e priori. Imo prius affirmandum est, alterum negandum. Scilicet in Patre non realiter distinguitur paternitas a spiratione, nec in Filio filiatio a spiratione, quia deest ratio oppositionis inter ipsas; licet singulae habeant rationem oppositionis ad alium terminum, scilicet paternitas ad filiationem, et spiratio ad processionem.

3) Pariter observa discrimen inter processionem et relationem, non quidem reale, sed rationis. Processio quippe dicit actum unum formaliter per modum unius; relatio dicit formaliter duo consequentia ex hoc uno actu, in termino scilicet a quo, seu in principio actus, et in termino ad quem. Materialiter autem in divinis processio cum gemina relatione convenit; et vicissim gemina relatio cum processione, propter actum entis supremi immutabilis.

Nam licet in creatis processio, uti actus, sit quid transiens, cuius termini a quo et ad quem possint, actu cessante, perdurare; in Deo, propter immutabilitatem et simplicitatem summi entis, idem resonant actus aeternus immobilis, et duplex relatio quae logice processioni innititur. Adest nihilominus unde ratione inter processionem et relationem distinguatur: tum quia processio magis concipitur per modum actionis unius, relatio per modum habitus duplicis; tum quia nobis magis est obvius processionis quam relationis conceptus, ita ut ordine logico a processione intellecta ad intelligendas relationes procedamus.

4) Penitius autem inspicienti ratio cur relationes reales in Deo ad praedictas quatuor limitari debeant, in ipsa formalitate relationis subsistentis invenitur. Etenim propter simplicitatem entis infiniti repugnat, in Deo dari entitatem, quae non sit cum divina essentia identica prorsus; repugnat per consequens quaevis relatio realis, cuius *esse in* non sit subsistens. Ex quo iam sequitur, relationem realem in Deo non esse solum id *quo* unum ad aliud refertur, sed etiam illud ipsum *quod* refertur. Nequit igitur Deus aliter referri realiter nisi ad seipsum, ponendo, ut ita dicam, semetipsum. Hoc autem fieri nequit, nisi per geminam viam intellectus et voluntatis, cuius utraque processio utrimque involvit relationem. Ergo in Deo nequeunt dari nisi quatuor relationes reales.

5) Nec operae pretium est, hic rursus afferre argumenta quibus supra demonstravimus, praeter hanc duplicem processionem nullam dari, unicam scilicet per geminam viam; tum quia utraque est perfectissima, tum quia gemina via totam entis spiritualis foecunditatem complectitur.

II. - **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit dicta n. 4. Eadem enim divina simplicitas, quae non admittit in Deo alias relationes reales nisi subsistentes, non sinit distingui inter τὸ esse et τὸ intelligere. Quare comparatio ex nostro intelligendi modo allata nihil valet. At repones forte: Ergo, si nihil valet, nequit ex processione nostra intellectuali argui ad processionem Verbi. - Resp. A priori, apodictice, concedo; secus enim SS. Trinitas rationali via demonstrabilis esset, neque mysterium foret dicenda. A posteriori, sive suasive, subdist.: ac si perfecta esset comparatio, concedo; quatenus fundamentum nobis est analogicum, et mysterii intelligentiam aliqualiter iuvat, nego.

2. Obi. Negligit acquisita superius, praesertim n. 5.

3. Obi. Gratuito supponit, unam ideam non posse relationem habere adeo plura, quo est perfectior. Insuper falso procedit, ac si relatio ad res esset in idea divina realis, sicuti est in rebus ipsis.

4. Obi. Non considerat, hic non agi nisi de relationibus realibus.

Sed contra est. Est cavillatio, ludens in duplici sensu processionis. Si processionem intelligis in sensu viae, duae solum in Deo sunt; si in sensu terminorum per viam ad invicem relatorum, sunt quatuor. Unde obiectio non solum solvitur, sed et retorquetur.

Doctrina huius articuli tanquam omnino certa tenenda est; fluit enim immediate ex principiis superius expositis, eisdemque auctoritatibus inconcusse fulcitur.

In Corpore. Processus limpidissimus. Argumentum triplici parte constat. In prima S. Thomas, exclusis aliis relationibus, quaestionem reducit ad relationes fundatas in actione ad intra. In secunda parte demonstrat, talem actionem non dari nisi geminam, quarum utraque duas relationes im-

portat. In tertia parte his quatuor relationibus nomina assignat.

Quaeri potest cur in initio *Corporis* S. Thomas non faciat mentionem relationum quae ex mensuris proveniunt, v. gr., scientis ad rem scitam? - Resp. duplex ratio esse videtur. Prior est, quia relatio haec aliquo modo ad quantitatem reducitur. Altera, quia est relatio dispar in terminis, quum non sit utrimque realis: v. gr., in intellectu cognoscente arborem est realis relatio ad illam; in arbore vero nonnisi rationis ad intellectum. Corroboratur haec secunda ratio ex modo quo Angelicus paulo inferius excludit actiones ad extra, quia in Deo non ponunt relationes reales, quum tamen in termino creato illas producant.

Quod autem Aquinas dicit de quantitate, intellige de quantitate relativa, vel materialitatis. Quantitas enim essentialis non est nisi gradus in ente, quae absoluto et infinito gradu Deo competit. Sed quum secundum illam non detur nisi relatio aequalitatis, qua omnes personae unam essentiam aequaliter participant, de illa non directe sermo occurrit.

Adverte in fine, de priori processione, praeter commune vocabulum processionis in sensu actionis, haberi alterum vocabulum *generationis*; ad significandas autem formaliter relationes in terminis, habemus *paternitatem* et *filiationem*.

De Spiritu Sancto autem non habemus nisi processionem, quod est vocabulum actionis vel originis; cui, ex voce Spiritus, additum est vocabulum *spirationis*. Relationis vero nullum proprium vocabulum adest. Quare quum terminus a quo uti principium magis activum, terminus ad quem uti magis passivum a nobis intelligatur, spiratio de priori, processio de altero dicta est.

Nihilominus propter respectum spirationis ad Spiritum, claritatis causa, apud recentiores praesertim, distinguitur saepe spiratio *activa* a spiratione *passiva;* ita ut vocabulum processio generice de generatione et de spiratione usurpetur, secundum modum loquendi Scripturarum; specifice vero generatio et spiratio audiant.

In resp. ad 1m duo adverte. 1) Multum interest inter haec duo: procedere ut rem intellectam, et procedere per actio-

nem intelligibilem. Prius imperfectum dicit, tum in intelligente, tum in re intellecta, quam caeteroquin supponit potius quam ponat. Alterum perfectionem sonat intelligentis, seipsum aliquo modo sibimetipsi ponentis. - 2) Ratio nostra sibi relicta vidisset utique, in Deo repugnare relationem intelligentis ad rem intellectam; sed ex ipsa simplicitate actus divini potius conclusisset ad talem actionem intellectualem, quae nec ponat terminum realiter distinctum. Ibi residet mysterium, aliqualiter quidem illustrabile, si reveletur; non autem, nisi reveletur, neque tunc apodictice, demonstrabile.

Resp. ad 5m. Perpende vim ultimae sententiae. Ratio duplicis relationis petitur ab oppositione terminorum et ab aspectu summi relativi. Pone inter sibi opposita absolutum uti medium, nec distinguuntur ambae nisi ratione [1].

Conclude. 1) Ratione tantum distinguuntur relationes a processionibus. - 2) Ratione tantum distinguuntur in Patre paternitas et spiratio; in Filio filiatio et spiratio. Magis tamen apparet haec altera distinctio, quia filiatio dicit terminum ad quem, spiratio terminum a quo. - 3) Datur in divinis relatio aequalitatis tum inter personas ad invicem sub ratione absolutae perfectionis; tum inter personas et essentiam; sed haec relatio non est realis, sed rationis tantum.

De Doctrina S. Anselmi.

Doctrinam de divinis relationibus S. Anselmus exponit in multis locis libri *de Fide Trinitatis* et tractatus *de Processione Spiritus Sancti.* Quaedam selectae citationes ex utroque sufficiant.

I. In libro *de Fide Trinitatis* directe intendit convellere errorem Roscelini, asserentis: vel in Deo cum tribus personis admittendas esse tres res; vel affirmandum esse Patrem et Spiritum S., non minus quam Filium, esse incarnatos. Doctrina S. Anselmi ad hoc reducitur. In SS. Trinitate ita sunt tres personae, ut tamen non ibi adsit nisi res una [2].

[1] Utique, nisi aliunde realiter distincta probentur.

[2] Scil. absoluta.

Unaquaeque enim personarum identificatur cum illa re, quae ipsa est natura divina. Res enim dicitur absolute; et absolutum in Deo non multiplicatur. At nihilominus nequit dici Pater, nec Spiritus incarnatus, quia praeter respectum ad absolutum, quocum unum sunt, personae habent relationem ad invicem, ratione cuius sibi invicem opponuntur. Unde potest una incarnari, quin incarnetur alia, propter hanc ipsam relativi oppositionem. Imo - et in hoc S. Anselmus paulum aliter loquitur ac S. Thomas[1] - repugnat (saltem in praesenti ordine) tres personas in una natura incarnari simul.

Quare tota vis argumenti S. Anselmi stat in duplici respectu absoluti *ad se* praedicati, et oppositi seu relationis praedicatae *ad alium*. Et ita ab hac principali distinctione incipit: « Ratione igitur, qua se defendere nititur (Roscelinus scil.), eius error demonstrandus est. Ut autem facilius « et brevius hoc faciam, loquar tantum de Patre et Filio: « quoniam hae duae personae suis propriis vocibus *aliae ab* « *invicem* aperte demonstrantur. Nam nomen Spiritus Sancti « non est alienum a Patre et Filio, quia uterque spiritus et « sanctus[2]. Quod autem in Patre et Filio de unitate substantiae, vel pluralitate personarum inveniemus, hoc in « tribus absque dubio cognoscemus ». Aliis verbis: lis tota provenit a confusione inter absolutum et relativum; quum ergo vox Spiritus S. per se utrumque sensum patiatur, relinquamus eam pro instanti, et loquamur unice de his duabus personis, quarum nomen manifeste indicat relationem originis ab invicem.

Ita cap. 3°. ad duas personas dilemmate contracto, de significatione expressionis a Roscelino adhibitae subtiliter disserit: « Dicat ergo: " Si duae personae, Pater et Filius, non « sunt duae res..... ". Quaeramus primum quid velit dicere « *duas res*. Nam unamquamque personam credimus esse « hoc, quod commune est ambobus; et esse hoc, quod pro- « prium est sibi. Persona enim Filii, et Deus est, quod com- « mune est illi cum Patre; et Filius est, quod nonnisi de hac

[1] Cf. dicenda in tractatu *de Verbo Incarnato*.

[2] Idem iam plures Patres, praesertim S. Augustinus, animadverterant. Cf. dicenda inferius ubi de nominibus personalibus.

« sola persona dicitur. In his igitur duabus personis unum « est commune, id est Deus: et duo propria, quae sunt Pater « et Filius. Quaecumque enim illis sunt communia, ut omni- « potens, aeternus, in hoc solo communi intelliguntur. Et « quae sunt singulis propria, ut est Patri genitor, vel gi- « gnens; et Filio Verbum, vel genitus; his duobus nomini- « bus, Patris scilicet et Filii significantur. Cum igitur dicit, « has duas personas esse duas res, quaero quid dicat ibi esse « duas res: an id quod commune est illis? an ea quae pro- « pria sunt singula singulis? Sed si duas res esse dicit duo « propria, id est, Patrem et Filium; ut tamen id quod com- « mune est, non sint plures res, sed una et sola res: super- « flue hoc dicit: quia nemo Christianus confitetur, Patrem « et Filium, secundum haec duo propria, unam rem esse, « sed duas. Solemus enim usu dicere rem, quidquid aliquo « modo dicimus esse aliquid. Quod autem dicit de Deo « Patrem et Filium, aliquid de eo dicit; et omnes sciunt in « Deo Patrem non esse Filium, et Filium non esse Patrem; « quamvis in uno homine pater sit filius, et filius sit pater, « si idem homo est pater et filius; quod ideo fit quia in *Deo* « *dicuntur opposite;* in uno vero homine *non ad invicem*, sed « ad alium filium pater, et ad alium patrem filius dicitur. « Hoc ergo modo nihil prohibet dicere duas personas, Patrem « et Filium esse duas res, si tamen intelligatur cuiusmodi « sint res. Non enim sic sunt Pater et Filius duae res, ut « in his duabus rebus intelligatur eorum *substantia*, sed « eorum *relationes* ». Verbo: Pater et Filius sunt duae res: dist.: substantive, nego; relative, propter oppositionem ad invicem, concedo. Recte quidem. At propter periculum erroris, et propter nexum intimum inter rem et quidditatem, hodie potius haec loquendi formula vitatur. De quo infra fusius ex professo.

Iam vero mentem Roscelini non rectam fuisse sed falsam, ex eius comparatione cum tribus angelis, aut cum tribus animis egregie ostendit: « Sed cum dicit: " Sicut sunt tres « angeli, aut tres animae ", aperte monstrat, se non de plu- « ralitate vel separatione illa loqui, quae in illis est personis « secundum propria. Nam de nulla una eademque numero « re duo angeli dicuntur, aut duae animae; nec unum aliquid

« numero de duobus angelis dicitur, aut de duabus animabus; « sicut Patrem et Filium dicimus de Deo uno numero, et « unum numero Deum de Patre et Filio. Credimus enim et « dicimus quia Deus est Pater et Deus est Filius; et conver- « sim, Pater est Deus, et Filius est Deus; et tamen nec credi- « mus, nec dicimus plures esse deos; sed ita unum esse Deum « numero, sicut natura, quamvis Pater et Filius non sint unus, « sed duo ». Verbo: nego paritatem. Ratio autem negatae paritatis ulterius explicatur: « Angelum enim et animam secun- « dum substantiam dicimus, non secundum *relationem* ».

Insistens porro in utramque partem extremorum, ostendit, quomodo praedicare in Deo tres res in sensu absoluto, sit pervertere divinam unitatem; negare autem distinctionum trium, sive tres res in sensu relativo, sit, sabelliano more, destruere trinitatem. Quare, ait, conclusio Roscelini solum vera esset in sensu Sabelliano.

Adverte porro, S. Anselmum contra Roscelinum agentem, in formula « tres res », praeter duplicem sensum absoluti et relativi ad invicem, nullam realem distinctionem admisisse in singulis personis inter rem substantiae et rem relationis uti substantiae adiunctae: quod tamen, si ullo modo potuisset admitti, ad hominem in casu fuisset efficacissimum, tanquam magis tangibile reddens substratum rationis ob quam solus Filius incarnatus diceretur. Ergo ex controversia cum Roscelino apparet, S. Anselmum in Deo admisisse relationes reales, ratione quarum ita realiter personae ad invicem distinguuntur, quippe ab invicem procedentes, ut singulae cum eadem communi natura identificentur. Ergo admisit diserte relationes reales (a. 1) quae nonnisi ratione a divina essentia distinguuntur (a. 2), realiter autem ab invicem (a. 3), quatuor scilicet ratione geminae processionis (a. 4).

II. Eadem est doctrina sancti Doctoris in libro *de Processione Spiritus Sancti*. Ab ipso exordio huius subtilissimae tractationis nomen tertiae personae SS. Trinitatis contrahit ad sensum relativum, quia inde totum effluit: « Nomen autem « Spiritus Sancti, ideo quia Spiritus Sanctus alicuius intelli- « gitur spiritus, *pro relativo nomine* ponitur. Nam quamvis « Pater sit spiritus et sanctus; et Filius sit spiritus et sanctus;

« non est tamen Pater alicuius spiritus, nec Filius alicuius est « spiritus; sicut Spiritus Sanctus alicuius est Spiritus; est « enim spiritus Dei, et spiritus Patris et Filii ». Quo fusius evoluto, haec vere aurea habet: « Unde fit, ut non sit in illa « Trinitate Pater nisi eiusdem Filii; nec Filius nisi eiusdem « Patris; neque Spiritus Sanctus alicuius Spiritus, nisi eius- « dem Patris et Filii. Haec itaque sola causa pluralitatis est « in Deo; ut Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus dici non pos- « sint *de invicem*, sed alii sint *ab invicem;* quia praedictis « duobus modis est Deus de Deo. *Quod totum potest dici re- « latio:* nam, quoniam Filius existit de Deo nascendo, et Spi- « ritus Sanctus procedendo; ipsa diversitate nativitatis, et « processionis referuntur ad invicem, ut diversi et alii ab in- « vicem. Et quando substantia habet esse de substantia, duae « fiunt ibi relationes insociabiles, si secundum illas nomina « ponantur substantiae; cum enim homo est, gignendo de « homine, dicitur homo, de quo est homo, pater, et homo, « qui est de homine, filius. Impossibile igitur est patrem esse « illum filium, cuius pater est; et filium esse illum patrem, « cuius filius est..... » etc. [1]. Et paulo inferius: « Supradicta « vero relationis oppositio, quae ex hoc nascitur quia supra- « dictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, « et Filium et Spiritum Sanctum de invicem dici, et propria « singulorum aliis attribui. Sic ergo huius unitatis, et huius « relationis consequentiae se contemperant; ut nec plurali- « tas quae sequitur relationem transeat ad ea in quibus prae- « dictae simplicitas sonat unitatis; nec unitas cohibeat plu- « ralitatem, ubi eadem relatio significatur; quatenus nec « unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi *non ob- « viat aliqua relationis oppositio;* nec relatio perdat quod « suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis » [2]. Et in capite sequenti solvens alteram partem dilemmatis ab unitate contra Trinitatem, vel a Trinitate contra unitatem concludentis, quae pars ita sonat: « Videamus nunc quomodo « hanc unitatis Dei consequentiam restringat relatio. Dici- « mus enim quia Deus est Pater. Quoniam ergo unus est « Deus Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, exigit unitas

[1] Cap. 1. — *P. L.* t. CLVIII, col. 286, sq. — Cf. c. 23 in fine.
[2] C. 2, lege totum hoc caput. — Ibid. col. 288.

« Dei ut Filius sit Pater, et Spiritus Sanctus sit Pater; » Anselmus reponit: « *sed obviat relatio*, quae prohibet, Filium « aut Spiritum Sanctum esse Patrem ». Quod evolvit per hoc caput, ostendendo oppositionem quam processionis origo propter relationem secum fert inter procedentem et illum, a quo procedit [1]. Et in fine cap. 27, postquam demonstravit tam arctam esse processionum legem per quam unice personae distinguuntur, ut, nisi Spiritus esset a Filio, abesset ratio cur ipse Filius non esset a Spiritu Sancto [2], concludit: « Apparet igitur quod supra dixi, quia relationes praedictae, « licet sint in uno, non possunt unitati immittere pluralita- « tem suam; nec unitas relationibus singularitatem suam » [3]. Enumerando iam relationes per duplicem processionem exortas, dicit: « Est autem tribus commune ad duos habere rela- « tionem: Pater enim ad Filium et ad Spiritum Sanctum re- « fertur, sicut ad illos qui de se sunt; Filius ad Patrem et « ad Spiritum Sanctum, quia est de Patre, et Spiritus Sanctus « de illo; Spiritus Sanctus ad Patrem et Filium, quia est de « utroque » [4]. Iam vero in cap. 8. probaverat, Spiritum Sanctum procedere de Patre et de Filio tanquam de uno principio, quum procedat de Deo, qui est Pater et Filius; ergo eadem est unica relatio Spiritus Sancti ad Patrem et ad Filium; et vicissim, una eadem Patris et Filii ad Spiritum Sanctum. Sunt igitur in Deo uno quatuor relationes ad invicem realiter distinctae, iuxta doctrinam in art. 4. huius Quaestionis evolutam.

Et haec pro argumento praesenti satis sint. Redibit sermo de hoc tractatu S. Anselmi, ubi processio Spiritus Sancti a Patre et Filio, non a Patre solum, contra Graecos erit vindicanda.

De Doctrina S. Bonaventurae.

Quae tum in praeambulo, tum in evolutione huius Quaestionis exposita sunt, per selecta quaedam loca Doctoris Seraphici ex ordine corroborare iuvat.

[1] Cf. locum simillimum *Monol.* c. 38, necnon dicenda mox de S. Bonav. II, 1.
[2] Cf. c. 4. Ibid. col. 291, sq.
[3] Ibid. col. 322.
[4] C. 28. Ibid. col. 323.

I) **Ad praevia de ipsa relationis notione.** Discrimen quod interiacet inter relationem et alia praedicamenta S. Bonaventura ita exponit: « Relatio in aliquibus convenit cum aliis « praedicamentis, in aliquibus differt. Convenit enim in hoc, « quod est praedicamentum, et genus entis, et in hoc quod « est accidens; et disconvenit in hoc, quod praeter alia ge- « nera habet respectum non solum ad subiectum, sed etiam « *ad obiectum*, secundum habitudinem et dependentiam ». Quae praemissa iam ad relationes in Deo applicat. « Quan- « tum ad primas conditiones impossibile est relationem ma- « nere in divinis, sicut alia genera, et hoc propter summam « simplicitatem. In Deo enim relatio non est praedicamentum « nec accidens, sed substantia est. Quantum vero ad condi- « tiones, quas habet respectu obiecti, necesse est quodammodo « manere, et hoc propter veram distinctionem, quae est in « divinis, et veram originem et habitudinem. Et necesse est « quodammodo non manere, scilicet quantum ad dependen- « tiam, et hoc propter omnimodam absolutionem quae est in « divinis. Alia igitur genera simpliciter transeunt, sed relatio « quodammodo manet, et quodammodo transit. Quia alia « genera respectum solum ad subiectum dicunt, et secundum « illum transeunt. Sed relatio ultro dicit respectum ad obiec- « tum, et secundum illum respectum dicit pluralitatem, quae « vere est in divinis; et ita relatio manet. Patet etiam quo- « modo transit, videlicet, quantum ad omne quod dicit com- « positionem. Unde non est genus neque in genere; nec est « accidens, nec aliud » [1].

Et alibi ostendens quo sensu numerus in divinis dari possit, Seraphicus ait: « Numerus in creaturis est quan- « titas, sed in Deo dicit *relationem;* et hoc patet sic. Dis- « tinctio in creaturis est per alicuius proprietatis vel quali- « tatis oppositionem, et ita per additionem: ubi autem additio, « ibi limitatio; ubi limitatio, ibi unius ab alio divisio; et ubi « haec sunt, ibi aggregatio divisarum et mensuratio. Et quia « quantitatis est mensurari, ad distinctionem in inferioribus « sequitur numerus, et est modus essendi consequens mate- « riam cum forma. — In divinis autem est distinctio per ori-

[1] I. *Dist.* XXVI a. 1, q. 2.

« ginem, non per additionem alicuius; et ideo nulla additio, « nulla limitatio: et ubi hoc non est, nec mensuratio, et ideo « nec quantitas. Sed ubi origo, ibi habitudo et *relatio*; et « ideo in divinis numerus non dicit quantitatem sed magis « *relationem*. Sed quoniam relatio non transit in substantiam, « igitur nec termini numerales »[1]. Quam ultimam sententiam ita in *Breviloquio*[2] egregie illustrat. Praemiserat synthesim in eodem capite evolvendam; ad quam infra fiet recursus: « Ad istius autem fidei[3] expressionem catholicam tenendum « est, secundum sacrorum Doctorum documenta, quod in « divinis sunt *duo* modi praedicandi, scilicet per modum « *substantiae* et *relationis*; tres modi supponendi, scilicet es- « sentiae, personae, notionis; quatuor modi significandi sub- « stantiam, scilicet nomine essentiae, substantiae, personae, « hypostasis; quinque modi dicendi, scilicet, quis, qui, quae, « quod et quid; tres modi differendi, scilicet secundum diffe- « rentem modum existendi, secundum differentem modum se « habendi, et secundum differentem modum intelligendi ». Iam primam huius syntheseos partem ita evolvit: « Cum primum « principium sit perfectissimum simul et simplicissimum, om- « nia quae perfectionis sunt, de ipso dicuntur perfecte, pro- « prie et vere; quae autem imperfectionis sunt, aut non di- « cuntur, aut, si dicuntur, secundum assumptionem humanae « naturae dicuntur, vel transumptive. Cum igitur decem sint « praedicamenta, scilicet substantia, quantitas, relatio, quali- « tas, actio, passio, ubi, quando, situs et habitus; quinque ul- « tima spectant proprie ad corporalia, seu mutabilia; ideo non « attribuuntur Deo, nisi transumptivo modo et figurativo. Alia « vero quinque praecedentia Deo attribuuntur secundum id, « quod complectionem dicunt, ita tamen quod divinam sim- « plicitatem non impediant. Omnia ergo haec praedicta prae- « dicamenta sunt idipsum, quod est illud de quo praedicantur; « et ita per comparationem ad subiectum, in quo sunt omnia, « dicuntur transire in substantiam; *relatione* tamen *excepta*, « quae, cum duplicem habeat comparationem, scilicet ad « subiectum *in quo*, et ad terminum *ad quem*, primo modo

[1] I. *Dist.* XXIV, a. 2, q. 2, a. 1.
[2] P. I, c. 4.
[3] Cf. c. 3. supra a nobis allatum.

« transit, ne faciat compositionem; sed secundo modo manet, « ut faciat *distinctionem*. Et hinc est quod substantia continet « unitatem, et relatio multiplicat Trinitatem; et ideo manent « ibi hi tantum duo modi praedicandi differentes, de quibus « talis datur regula: Quae dicuntur secundum substantiam, « de omnibus dicuntur, et singillatim, et simul, et singula- « riter; quae vero secundum relationem, aut non de omnibus « dicuntur, aut si de pluribus, pluraliter, ut relati, distincti, « similes, aequales, *propter relationem intrinsecam*. Nomen « autem Trinitatis comprehendit utrumque ».

II). **Ad doctrinam ipsam Quaestionis.** Loca hucusque relata, si adiungas cap. 2. *Breviloquii* supra transcriptum, omnia iam capita doctrinae continent, quae S. Thomas per quatuor articulos et per gradus exponit. Sint nihilominus adhuc quaedam specialiora.

Ad art. 1m. Reales in divinis relationes dari S. Bonaventura sequenti discursu demonstrat: « Generatio in divinis « facit *realem distinctionem* inter generantem et generatum, « non rationalem vel intellectualem solum, sicut dixit Sa- « bellius, sed realem quantum ad personas, non quantum ad « essentiam, sicut dicit Arius. Quod sic patet. Generatio in « creaturis dicit emanationem per modum actionis, sive mu- « tationis, in Deo emanationem *per modum relationis*. In « quantum enim emanatio dicit distinctionem ratione ema- « nationis, est distinctio, quia sicut dicit Anselmus [1]: Nec in- « tellectus capit, nec natura permittit, illum, qui est ab alio, « esse illum a quo est, secundum quod positive dicitur ali- « quis esse ab alio. Nam Pater privative dicitur esse a se, « id est, non ab alio; in quantum autem talis emanatio « ponit distinctionem in persona. Generatio enim est pro- « ductio convenientis in natura; ratione igitur naturae non « potest esse distinctio. Ergo vel erit ratione suppositi, vel « proprietatis. Si proprietatis, aut absolute, aut respective.

[1] *De Process. Sp. S.*, c. 3. Citatio liberior est. En ipsa Anselmi verba: « Nec « natura permittit, nec intellectus capit, existentem de aliquo esse de quo existit; « aut de quo existit, esse existentem de se ». (Cf. sequentia ibidem). Offendit quippe haec positio in ipsissimum principium contradictionis. — Hanc contradictionem iam eloquenter evolverat Tertullianus in suo libro saepe laudato adversus Praxeam.

« Non absolute, quia tunc esset distinctio in natura. Non « respective, ut puta relationis, quia in relatione secundum « se non est motus in creaturis, nec origo in divinis; unde « filiatio non generatur nisi in alio. Ergo necesse est quod « sit distinctio in supposito. *Similiter ratione relationis est « distinctio, quia nihil ad se refertur nec ordinatur.* Ratione « vero talis relationis est distinctio personalis, quia generare « et generari, cum dicant relationem per modum actionis et « passionis, dicunt eam in supposito, et respectu suppositi. « Et ideo, quia *relatio inter extrema notat distinctionem*, « patet quod distinctio est ibi suppositorum » [1]. Ergo iuxta S. Bonaventuram, sicuti processiones sunt logice fundamentum relationum, ita relationes sunt fundamentum distinctionis personarum. Quem inter duo priora ordinem logicum ita breviter exponit: « Paternitas et generatio sunt « una notio secundum rem, licet vario modo significe- « tur. Cum generatio originem dicat (sive processionis mo- « dum), paternitas vero habitudinem (sive relationem), gene- « ratio est ratio paternitatis, et non e converso » [2].

Ad art. 2m. Tanquam omnino credendam, utique ab homine exculto qui terminos intelligere valet, S. Bonaventura defendit relationum divinarum *substantialitatem:* « In his quae sunt « annexa fidei vel Scripturae, aut una opinio sequitur ad fidem « vel Scripturam, et ad alteram sequitur oppositum: et tunc « dicendum quod ante percontationem licet contrarie opinari « (citra peccatum scilicet nexum non percipienti), sed post « percontationem non licet, imo peccatum est, sicut in his « quae determinata sunt per fidem et Scripturam, sicut fuit « de opinione Porretani circa proprietates. Dicebat enim illas « non esse Deum, et ad hoc consequitur contrarium fidei. « Cum enim Ecclesia adoret proprietatem, tunc adoraret non « Deum, et non Deus esset adorandus. Unde postquam osten- « sum est sibi inconveniens, nisi retractasset errorem, fuisset « ab Ecclesia haereticus iudicatus: sed hoc retractavit in « Concilio Remensi, ut dicit Bernardus » [3].

[1] I. Dist. IX, a. 1. q. 2.

[2] I. Dist. XXVII, p. 1. a. 1. qq. 1, 2.

[3] I. Dist. XXVII, p. I, a. 1. q. 4. — (*In Cant.* Serm. 80). — Alterum membrum disiunctionis in sequentibus evolvitur; quod omittimus, utpote extra casum.

Modum autem quo intelligenda sit haec identitas proprietatis cum essentia, ita explicat: « Ad illud quod quaeritur utrum eodem communicabile et incommunicabile, « dicendum quod alio et alio: Quia sicut dicit Augustinus [1], « alio est Deus et alio Pater. Sed non alio et alio secundum « rem; sed secundum rationem, quia deitate est Deus, paternitate Pater, et paternitas non est aliud re ab essentia, « quoniam paternitas est essentia. Est tamen aliud ratione. « Et quia ablativus dicit rationem: ideo non est Deus quo « Pater. Et si obiicias, aut tunc illi rationi respondere aliquid in re, aut nihil: dicendum quod ratio illa per comparationem ad essentiam non est nisi *modus*, sed per « comparationem ad aliam personam est *res*. Et hoc patet, « quoniam haberi essentiam ab alio, et non haberi, non dicit rem aliam, sed solum modum; habere autem ab alio, « et habere non ab alio, dicit realem differentiam, quia nullus est a se, et ab alio » [2]. Praeclara sane expositio!

Ad art. 3m. Ex his ultimis verbis, sicuti et ex multis iam citatis patet, quantopere S. Bonaventura relationes *realiter distinctas* ab invicem cogitarit, illas scilicet quae oppositionis respectum involvunt. Quod et in solutione eiusdem Quaestionis clare exponit: « Cum fides nostra ponat Trinitatem et Unitatem in divinis, necesse ponit convenientiam et distinctionem ». Iam in distinctionis ratione assignanda, ad originem recurrit: « Ab origine est, quando « unum differt ab altero, quia emanat ab eo: idem enim a « se emanare non potest. Talis distinctio suppositorum est « in Deo; sed hoc non potest esse in creatura, scilicet distinctio solum per originem: nam nulla creatura potest « alteri totam suam essentiam dare ».

Disertius idem demonstrat in Dist. XXVI, a. 1. q. 1., quae ex integro legenda est. Prae aliis autem iuvat notare responsionem ad 6: « Referri seipso potest intelligi tripliciter. « Aut quia inter rei respectum et essentiam non cadit medium, quia ipsa essentia essentialiter dependet: et sic « quidem reperitur in creaturis: sic enim refertur materia « ad formam, et forma ad materiam; - unde dicit Philo-

[1] *De Trin.*, l. VII, c. 6. - *P.L.* t. XLII, col. 943.
[2] I. Dist. XIX, p. II, a. 1. q. 2 ad 4.

« sophus[1] quod materia hoc ipsum quod est, ad alterum « est; tamen nec materia est suus respectus, nec forma est « suus respectus, quia non habet omnimodam simplicitatem. « - Alio modo est referri seipso, quia inter id quod refer- « tur et suum correlativum non cadit aliquod medium, « quod non sit alterum illorum: et sic Pater refertur seipso « ad Filium, et e converso. Nam Pater est sua paternitas « (a. 3), et hoc propter summam simplicitatem. - Tertio « modo referri seipso est, quia ipsum quod refertur, non « est nisi relatio, et respectus purus: et hoc est impossi- « bile esse, neque in Deo, neque in creatura; quia, sicut « dicit Augustinus, omne quod refertur, est aliquid, excepto « eo quod relative dicitur; alioquin relationis esset relatio. « Et sic patet quod omnis proprietas relativa, sive sit in « Deo, sive in creaturis, necessario differt ab eo cuius est « proprietas, et magis in creatura quam in Creatore ». Confer etiam quae Seraphicus Doctor habet in Q. 4. eiusdem Distinctionis, ubi subtiliter investigat modum, quo se habent ad invicem proprietates, relationes et notae; de quo fusius dicendum erit infra in Q. XXXII.

Ad art. 4m. Sufficiat remittere lectorem ad cap. 3. *Breviloquii* superius allatum, in quo diserte S. Bonaventura quatuor relationes enumerat atque evolvit.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Licet relationes sint aliae rationis tantum, aliae reales, in Deo tamen relationes ad intra, quum oriantur ex processione a principio eiusdem naturae, reales sint oportet (a. 1.).

2) Non ideo tamen realiter ab ipsa divina essentia distinguuntur; nam relatio quoad *esse in* praescindit ab accidente, et in Deo, ob supremam simplicitatem, omne accidens repugnat: proin relationes reales re identificantur cum essentia divina, a qua nonnisi ratione, utique ratiocinata, distinguuntur (a. 2.).

3) At inter se, seu ad invicem realiter distinguuntur, imo

[1] I. Phys., cant. 25.

tota realitate divinae essentiae, sed consideratae non secundum rem absolutam, sed secundum rem relativam (a. 3.).

4) Porro quum quaevis processio ponat ad minus duos ad invicem relatos, et in Deo duplex sit processio distincta, quatuor sint in Deo relationes reales oportet: scilicet paternitas et filiatio, ex prima processsione; spiratio et processio, ex altera. Non ideo tamen hae quatuor relationes sunt ab invicem realiter distinctae, - esset enim quaternitas, - sed tres tantum, quum inter paternitatem ac filiationem ex una parte, et spirationem, activam scilicet, ex altera, non detur processionis oppositio (a. 4.).

PARS III.

DE PERSONIS DIVINIS.

(Q. XXIX — Q. XLIII).

De Nexu et Ordine Partis. Ex supra dictis iam ad abundantiam patet, quam arctus sit logicus nexus hanc tertiam partem cum duabus partibus praecedentibus colligans. Quae pars, utpote praecipua, magis diffundetur. Imo quasi totum deinceps tractatum exhauriet. Malumus enim, iuxta ipsum Angelicum in unam partem congerere quaecumque de personis dicenda erunt, sive absolute, sive relative, sive in communi, sive in speciali, ut ita magna tractationis partitio altius insita mentibus haereat. Subdivisiones enim per sectiones et membra, iuxta tabellam p. 2, praepedient ne in ista protractiore parte confusio ex ipsa longitudine oriatur.

SECTIO I.

DE PERSONIS SECUNDUM CONSIDERATIONEM ABSOLUTAM.

(Q. XXIX — Q. XLII).

Lex gradationis postulat, ut prius consideretur obiectum in se ipso sub quovis respectu, antequam investigetur eius habitudo ad alia, quibuscum intime connectitur. Ita heic agit S. Thomas, cuius vestigiis de more insistimus. Absolute autem considerandae sunt personae in communi, dein in speciali; inde duplex huius sectionis membrum.

MEMBRUM I.

DE PERSONIS IN COMMUNI.

(Q. XXIX — XXXII).

De **Ordine** huius membri cf. tabellam p. 2. expositam. Gradatio tractationis obvia nimis. Antequam de numero personarum quaeratur, oportet ut ipsa significatio personae praestabiliatur. Inde cognita significatione vocis, numeroque determinato, iam consideranda occurrunt quae ex hac praedicatione trium personarum logice effluunt. Demum, ipsa altitudo conceptus suadet, ut inquiratur de modo quo mens nostra sese ad eiusdem cognitionem habeat.

QUAESTIO XXIX.

DE SIGNIFICATIONE NOMINIS PERSONAE.

Ordo Quaestionis. Argumentum duplici parte constat: 1) In priore, introductoria, quaeritur more potius philosophico de significatione personae *in genere*, et quidem tum *a*) in se (art. 1), tum *b*) in comparatione ad alia nomina plus minusve synonyma (art. 2). - 2) In altera parte iam pressius theologica quaeritur de persona *in divinis*, et quidem gradationis ordine, *a*) utrum praedicanda sit (art. 3), et *b*) quomodo praedicet (art. 4).

De personae significatione quaeritur:
- 1) *in genere:*
  - *a*) in se (a. 1.)
  - *b*) in comparatione ad alia nomina (a. 2);
- 2) *in divinis:*
  - *a*) utrum sit praedicanda (a. 3),
  - *b*) quomodo praedicet (a. 4).

Momentum huius argumenti tum a priori, tum a posteriori uberrime constat. *a*) *A priori* quidem, quia doctrina, prae-

sertim si sublimior, solide, tuteque exponi non potest, quin significatio vocabulorum quibus utendum sit, nitide circumscribatur. Rectissime iam monet Theodorus Abucara : « iis, qui « verorum dogmatum amatores defensoresque sunt, necessariam esse vocabulorum distinctionem, et explanatio- « nem. Nam accurata illarum notitia destituti, complures, « qui sapientes habebantur, a veritate aberraverunt, et ad « absurda quaedam ac blasphema delapsi sunt, atque ab « recta in Deum fide ceciderunt » [1]. Quare, iuxta sententiam Epicuri, iure a Petavio laudatam : « Ante omnia nosse « oportet quae sunt subiecta vocibus, ut habeamus ad quod « referentes ea, quae in opinione, vel dubio posita sunt, « diiudicemus; ut ne temere ac confuse nobis in infinitum « efficiant omnia : neve inanes sine re voces habeamus. Ne- « cesse est enim primam in unaque voce rationem consi- « derari » [2].

b) *A posteriori* idem constat ex multiplicibus controversiis inter Graecos et Latinos, sive inter se, sive ad invicem exortis, usquedum certa terminologia orthodoxa statueretur. Quae controversiae quantopere haereticam pravitatem iuverint, historia docet. Unde in casu urget necessitas, ut, teste ipso S. Hilario, catholici dogmatis contra Arium illibato vindice, « quia malignitas instinctu diabolicae fraudulentiae ex- « citata veritatem rerum per naturae nomina eludit, nos « naturam nominum proferamus » [3]. In quo conficiendo, iuxta ordinem ipsius Aquinatis, tum a nimia brevitate, tum a longiori excursu praecavebimus ; ea scilicet ex philosophicis notionibus et ex historica-patristica eruditione depromentes, quae indoli nostrarum praelectionum respondeant [4].

[1] Apud Petavium (op. cit., l. IV, c. 1).

[2] Ibid.

[3] *De Trinit.*, l. 2 n. 5 *P.L.* t. x. col. 54. Unde idem S. Doctor, in fine primi libri Deum invocans, ita pulcherrime orat : « Tribue nobis verborum significationem, « intelligentiae lumen, dictorum honorem, veritatis fidem, et praesta ut, quod ere- « dimus, et loquamur ». Ibid. col. 49.

[4] De hoc argumento inter alios optime scripserunt, praeter magnos scholasticos Aquinatisque commentatores : SUAREZ (*De Trin.*, l. I, c. 1-4 ; l. III ; l. VII, c. 7-8) ; PETAVIUS (*De Trin.*, praesertim l. IV, c. 5, 7 ; l. VII, c. 4, 11, 18) ; RUIZ (*De Trin.*, disp. 21) ; NATALIS ALEXANDER (H. E., saec. IV, diss. 14) ; GOTTI (tr. 37. *De Deo trino*. q. 4) ; FRANZELIN (*De Trin.*. thes. IX et X) ; SCHEEBEN (*Dogm.*, t. I. §. 112, ssq) ; HURTER (*Theol. dogm.*, t. II, th. 105-199) ; KUHN, (op. cit. § 19) ; SCHWANE (*Dogm.*

ARTICULUS I.

DE DEFINITIONE PERSONAE [1].

I. **De ipsa Quaestione.** 1) Antequam analysim *personae* aggrediamur, iuvat verbulum praemittere de ipsa origine vocis [2].

Persona id dicit in latino sermone, quod in graeco πρόσωπον. Nec valde discrepat etymologia utriusque vocabuli. Πρόσωπον primario significat vultum, dein a theatricis ludis in quibus ad repraesentandos deos, heroes aliosque alienae facies aptabantur vultui, πρόσωπον ipsas personas per has facies expressas secundario significat. A qua significatione de maioribus viris translata ad quodcumque individuum humanum ut tale, πρόσωπον ad ipsam rationem individuationis exprimendam adhibetur. Nisi vicinior deductio sit, ex hoc quod individuans ratio ex facie maxime agnosci solet.

Simillima traductio vocabuli *personae*. Et ipsa a scenico ludo derivatur. Vox enim scenicorum per largum appositi vultus foramen *personabat*. Inde persona appellata est ipse fictitius vultus; a vultu ille quem figurabat; et inde subiecta iuris ac demum singula individua, uti talia, personam audire coeperunt. [3].

Gesch. der patrist. Zt., p. 1, c. 2); Kleutgen (op. cit. 1, sect. 3. c. 3); Braun (*der Begriff "Person" in seiner Anwendung auf die Lehre von der Trinität und Incarnation.* — Mainz, Kirchh. 1876); Stentrup (*Zum Begriff der Hypost.* — Innsbruck, *Theol. Zeitschr.* 1877 et 1878); Heinrich (op. cit. § 235 et 246); Katrchthaler, (op. cit. Prooem. p. 118 sqq.); *Studium Solesmense* (op. cit.); necnon, sed magis sub respectu philosophico, Card. Satolli, A. Billot (hoc loco), Glossner (*Das Princip der Individuation.*); etc., etc.

[1] De hoc argumento sermo recurret in tractatu de Verbo Incarnato, in quo conceptus naturae potius considerabitur in sua relatione ad assumentem personam; dum hic considerantur personae in sua habitudine ad invicem et ad communem sibi numero naturam.

[2] Cf. et dicenda in appendice ad art. 2. et in art. 3. n. 4.

[3] Cf. de hac etymologia Boëthium, *De duab. nat.* Cap. 3. — *L.P.* t. LXIV. col. 1343. En ipsa verba Boëthii. « Nomen personae videtur aliunde traductum : ex his scilicet « personis, quae in comoediis tragoediisque eos quorum interest homines repraesenta- « bant. Persona vero dicta est a personando, circumflexa penultima. Quod si acuatur « antepenultima, apertissime a sono dicta videbitur. Idcirco autem a sono, quia conca- « vitate ipsa maior necesse involvatur sonus. Graeci quoque has personas πρόσωπα « vocant ab eo quod ponantur in facie, atque ante oculos obtegant vultum παρὰ τοῦ

Si autem conferuntur ad invicem πρόσωπον et *persona*, haec videtur habere facturam magis specialem, ita ut, si cum quadam veritate Graeci Latinorum penuriam quoad vocem ὑπόστασιν obiicere potuerint, Latinis forte non defuisset ius de vocabulo *persona* gloriandi [1].

2) His praemissis, iam personae definitionem investigemus. Ardua sane quaestio, in qua rursus revelatio de disciplinis philosophicis optime meruit. Fides enim correxit sive complevit conceptum personae et naturae quoad relationem quam habent ad invicem; quemadmodum et conceptum substantiae et accidentium quoad dependentiam mutuam.

Etenim, licet antiquiores philosophi distinctionem inter naturam et personam agnoverint, nunquam tamen completam naturam a completa persona separabilem duxerunt. Quare illis axioma: quoties habetur persona, toties adest et perfecta natura; et vicissim: quoties adest natura perfecta, toties adest et persona.

Fides autem docens, in SS. Trinitate uno Deo unam esse naturam et tres personas, et in Christo duplicem naturam esse in una persona, simul docet, aliquid huic conceptui philosophico addendum esse, quatenus eadem natura numero potest esse pluribus communicabilis, ac perfecta natura ab alia natura superiori assumi. Unde distinctio inter substantiam et subsistentiam.

Adverte autem sedulo discrimen inter haec duo: aliud est dicere, tot esse substantias vel naturas quot sunt personae, quod falsum est, solido fundamento caret, et sine ratione sufficiente a philosophis asserebatur; aliud affirmare ubicumque est persona, ibi et naturam completam esse, quod verissimum est et in utroque dogmate SS. Trinitatis et Incarnationis verificatur.

3) Quo autem praesens argumentum facilius intelligatur, sequentia breviter in memoriam revocare iuvat.

« πρὸς τοὺς ὤπας τίθεσθαι. Sed quoniam personis inductis, histriones individuos homi-
« nes quorum intererat in tragoedia vel comoedia, ut dictum est, repraesentabant;
« - id est Hecubam, vel Medeam, vel Simonem, vel Chremetem, — idcirco caeteros
« quoque homines quorum certa pro sui forma esset agnitio, et Latini personam, et
« Graeci πρόσωπα nuncupaverunt ».

[1] SCHEEBEN (op. cit. n. 896); - NOTTEBAUM (*De pers. vel hypost. notione et usu* §. 5).

a) Substantia contra accidens[1] dividitur: accidentis est existere in alio, substantiae existere in se. - *b*) Substantia autem, ut et natura, distinguitur in substantiam primam et substantiam secundam. Substantia prima, quae et primae intentionis, est ea quae singularis individua a parte rei existit et primo apprehenditur; substantia autem secunda, seu intentionis secundae, ea est quae uti species aut genus pluribus individuis communis ab intellectu apprehenditur vi operationis subsequentis[2]. - *c*) Natura prima, uti distincta a natura secunda, vocatur *res naturae*, scilicet res individua, cui competit esse illud, quod generice per hanc naturam designatur. Cave autem, ne hanc formulam in sensu platonico accipias, ac si natura individua esset quaedam realis participatio naturae genericae extra individua, ad modum formae universalis realiter existentis. - *d*) Porro, etsi de indole sit substantiae primae ut sit individua, determinata, haec ratio individui comportat gradus, quorum primus excludit rationem partis, secundus rationem assumptionis a principio superiori, demum tertius identitatem numericam cum subsistentibus pluribus. Ratio primi gradus in promptu est, et iam ab antiquis philosophis agnoscebatur. Ratio secundi petitur a mysterio Incarnationis. Tertii demum gradus ratio desumitur ab ipso mysterio SS. Trinitatis.

4) Iam vero quum trita sit et ab omnibus catholicis scholis agnita definitio quam Boëthius personae tradidit, audiatur perceleber philosophus ipse. In quarto libro de SS. Trinitate Boëthius directe agit contra Eutychen et Nestorium, qui quartus liber passim vocatur *De duabus Naturis*. Iam vero quum stabilienda sit doctrina tenens in Christo personam esse singularem, duas autem haberi naturas, discussioni praemittenda definitio est tum naturae, tum personae. « Quoniam vero, ait sub exordii fine, in tota quaestione con-
« trariarum sibi haereseon de personis dubitatur atque natu-
« ris, haec primitus definienda sunt, et propriis differentiis
« segreganda ».

Praemissa definitione naturae - de qua mox - personam definiendam inducit. « Sed de persona maxime dubitari potest,

[1] Haec de accidente praedicamentali dicta intellige.

[2] Οὐσία πρώτη, τόδε τι; et οὐσία δευτέρα, ποῖόν τι. ARISTOT. *Categ.* cap. 3.

« quaenam definitio ei possit aptari. Si enim omnis natura « habet personam, indissolubilis nodus est, quaenam inter « naturam personamque possit esse discretio. Aut si non « aequatur persona naturae, sed intra terminum spatiumque « naturae persona subsistit, difficile dictu est, ad quas usque « naturas persona perveniat, id est, quas naturas conveniat « habere personam, quas a personae vocabulo segregari. Nam « illud quidem manifestum est, personam subiectam esse « naturae; nec praeter naturam personam posse praedicari. « Investigandum est igitur haec inquirentibus hoc modo: « Quoniam praeter naturam non potest esse persona, quoniam « quae naturae dicuntur, aliae sunt substantiae, aliae acci- « dentes, et videmus personam in accidentibus non posse « constitui, - quis enim dicat albedinis, vel nigredinis, vel « magnitudinis esse personam? - relinquitur ergo, ut perso- « nam in substantiis dici conveniat ».

Contracta igitur ab inquisitionis exordio persona ad substantiam, iam substantia determinanda superest. « Sed sub- « stantiarum aliae sunt corporeae, aliae incorporeae; corpo- « rearum vero aliae sunt viventes, aliae minime. Viventium « aliae sensibiles, aliae insensibiles. Sensibilium vero aliae « sunt rationales, aliae irrationales. Item corporearum aliae « sunt rationales, aliae minime, ut pecudum vitae. Rationa- « lium vero alia est immutabilis atque impassibilis per natu- « ram, ut Deus; alia per creationem mutabilis atque passi- « bilis: nisi impassibilis gratia substantia ad impassibili- « tatis firmitudinem permutetur: ut angelorum atque animae « rationalis ».

En substantiarum scalam, iam audi exclusionis processum. « Ex quibus omnibus, neque in non viventibus corporibus « personam dici posse, manifestum est: nullus enim lapidis « ullam dicit esse personam; - neque rursus eorum viven- « tium, quae sensu carent: neque enim ulla persona est « arboris; - nec vero eius quae intellectu ac ratione dese- « ritur: nulla est enim persona equi vel bovis, caetero- « rumque animalium, quae muta ac sine ratione vitam solis « sensibus degunt. At hominis dicimus esse personam, dici- « mus Dei, dicimus Angeli. - Rursus substantiarum aliae « sunt universales, aliae particulares. Universales sunt, quae

« de singulis predicantur: ut homo, animal, lapis, lignum, « caeteraque huiusmodi, quae vel genera, vel species sunt. « Nam et homo de singulis hominibus, et animal de singulis « animalibus, lapisque ac lignum de singulis lapidibus ac « lignis dicuntur. Particularia vero sunt, quae de aliis minime « praedicantur: ut Cicero, Plato, lapis hic, unde haec Achillis « statua facta est, lignum hoc, unde haec mensa composita « est. Sed in his omnibus nunquam in universalibus persona « dici potest, sed in singularibus tantum atque individuis. « Ergo animalis vel generalis hominis nulla persona est, sed « vel Ciceronis, vel Platonis, vel singulorum individuorum « personae singulae nuncupantur ». - Et longiorem hunc discursum exclusionis via institutum concludit his verbis: « Quo circa, si persona in solis substantiis est, atque in his « rationalibus; substantiaque omnis natura est nec in uni- « versalibus sed individuis constat, reperta personae est defi- « nitio: Persona est *naturae rationabilis individua substan- « tia* ». Hucusque Boëthius [1].

4) Iam quaeramus de valore definitionis quam suggerit. Et primo quaeramus utrum bona sit; secundo utrum optima.

Bonam definitionem oportet non solum convenire omnibus ac singulis quibus applicatur, sed et exprimere non descriptive, sed formaliter rationem cur de illis praedicetur. Verbo: extensione et intensione obiectum complecti debet. In casu extensio comprehendit homines, angelos, Deum, nam de his omnibus, deque his solis dicitur persona. Intensio autem consistit in singularitate. Aliis verbis: personae elementum materiale est dignitas substantiae intellectu praeditae; formale est singularitas, sive individualitas eiusdem. Iam vero nemo non videt, utrumque in boëthiana definitione clare contineri: *Rationalis naturae substantia* (en extensionem, τὸ materiale) *individua* (en intensionem, τὸ formale).

Rursus definitio constat ex genere remoto vel proximo cum specifica differentia. Ita potest substantia individua considerari tanquam genus, et rationalis natura tanquam species; vel individuum tanquam genus remotum, substantia

[1] Op. cit. c. 2. - *P.L.* t. LXIV, col. 1342, sq.

tanquam genus proximum; rationalis natura tanquam species [1]. Unde apparet, brevissimam simul atque completissimam esse, definitionem de qua quaeritur. Quare ex hac parte non solum bona, sed et bona valde dici meretur.

5) Nisi quod dubium moveat eiusdem applicatio ad genera entium quae humanam naturam excedunt. Etenim ad humanam personam designandam absque controversia definitio boëthiana optima est. Non autem videtur omnino idem dicendum, si consideretur, sub hac definitione non solum homines, sed et angelos et Deum contineri. Iamvero nec angelus nec Deus in rigore sermonis rationales dici possunt; imo de Deo melius dicitur essentia quam natura, quod et de angelis, licet in minori gradu valet.

At duo hic occurrunt sedulo consideranda. *a)* Prius est, Deum in nullo genere comprehendi, nec substantiarum, nec praecellentium inter substantias. Quare quidquid de Deo simul ac de creaturis praedicatur, quodcumque sit, etiam perfectissimum, nequit praedicari univoce, sed ad summum aequivoce. Nil inde mirum, si definitio personae ad Deum translata, aliqualiter sit modificanda; quod non solum fatendum est de respectu materiali, sive exstensionis, sed et de formali, sive intensionis [2].

b) Insuper considerandum est, vocabula interdum deficere, ubi tamen rectus conceptus non abest. Tunc vocabula ipsa sunt ad conceptus rectitudinem trahenda. Ita in casu, appellatio requiritur ad significandam dignitatem omnibus communem substantiis, quae gradum simplicis animalitatis sive vitae sensibilis transcendunt. Formula « *rationalis natura* » quum definiat proprie ens, quod in primo insequenti gradu collocatur, perfectio quae his verbis subest, a fortiori ab entibus superiorum graduum possideri debet. Unde haec verba « *rationalis natura* » duplicem sensum patiuntur: genericum, quo distinguitur substantia intellectu praedita contra substantias eadem virtute destitutas; alterum specificum, quo distinguitur non solum ab entibus inferioribus, sed ab ipsis spe-

[1] Hic tamen considerandi modus cedit alteri utpote longe meliori; quare in sequentibus iuxta priorem modum τὸ individuum tanquam τὸ formale personae consideramus.

[2] (Cf. dicenda art. 3).

ciebus superioribus, scilicet ab entibus quae non ratiocinio, sed intellectuali apprehensione procedunt, magisque per suam immutabilitatem ad Dei essentiam puram appropinquant. Angelus enim proprie loquendo nec rationalis est, quum sine discursu intelligat; nec propriissime, id est, etymologice loquendo, substantia est, quum nullis subsit accidentibus. Patet ergo boëthianam definitionem esse, quantum ad verba « *rationalis naturae substantia* », non in hoc strictiori sensu, sed in illo latiori intelligendam.

E contra vox « *individua* » sumenda est in sensu maxime rigoroso. Etenim, si mere naturam primam contra naturam secundam distinguere intendit, et non insuper significare illam naturam in sua subsistentia incommunicabili constitutam, quomodo natura humana in Christo non constituet personam, quum sit rationalis naturae individua substantia? Sed de hoc magis ex professo in art. sequenti.

6) Brevior proin definitio personae dari posset, dicendo simpliciter: « *persona est intellectualis sive rationalis natura « subsistens sive individua* ». Nam talem naturam esse substantiam per se patet. Quod autem substantia dicit praeter exclusionem accidentis, continetur in verbis *subsistens sive individua.*

II. **Ad Textum.** - Obiectiones definitionem impugnant sive ex toto, sive per partes. Ex toto arguunt obi. 1. et ultima: prima quidem ratione intensionis, ultima ratione extensionis; ex parte, aliae: singula scilicet verba definitionis impugnando.

Obi. 1. Duo valde distincta confundit: individuum in concreto, et ipsam rationem individualitatis; prius definiri repugnat, non autem alterum.

Obi. 2. Peccat per falsam disiunctionem. Etenim inter substantiam intellectam uti primam et uti secundam, est substantia in communi, per additum ad alterutram significationem trahenda. Insuper concessa disiunctione, obiectio quoad prius membrum falso procedit; nam non est inutile additum *individua* in sensu incommunicabilitatis, intuitu scilicet mysterii SS. Trinitatis.

Obi. 3. Confundit in nomine intensionis illud quod proprie

intensionem significat, et hoc definitionem ingredi nequit; et illud quod exprimit perfectionem quae in intentione continetur, et hoc, propter rationem in obi. 1. datam, ad definitionem pertinet.

Obi. 4. Non distinguit in voce *natura* illud a quo desumitur, et illud quod significat. Eodem modo arguetur ex verbo *rationalis*, in obi. 4. art. 3. - Cf. dicenda ibidem, necnon in fine huius articuli.

Obi. 5. Fundamento laborat. Falsum enim est, boëthianam definitionem animas quoque separatas complecti.

Sed contra est. Adverte definitionem Boëthii gaudere aliquo modo auctoritate theologica, quatenus per tot saecula a catholicis doctoribus uti genuina est usurpata.

In Corpore. Argumentum ad hoc reducitur. Formale personae residet in individuo seu singulari. Hoc autem formale de substantiis prae omnibus accidentibus speciali titulo praedicatur, quia substantiae individuantur in seipsis; specialissimo autem titulo praedicatur de nobiliori substantia, quae habet non solum esse in se, sed agere per se. Agere autem per se incipit, ubi adest lux intellectualis, cuius gradus inferior ratio dicitur. Collato textu superius allato, apparet, argumentum S. Thomae ad gressum sequi ipsius Boëthii discursum.

Et haec pro instanti satis sint. De Güntheri enim personalitatis conceptu infra sermo recurret.

Monemus tamen, quosdam recentiores ab errore güntheriano non satis praecavere, dum in analysi personalitatis activitati propriae nimias partes tribuunt. Ita Cl. Schell, qui, uti in aliis argumentis, ita in tractatione de SS. Trinitate pulcherrima et incauta permiscet.

Ex dictis conclude, personam nihil aliud esse quam ens in summo gradu individualitatis, vel subsistentiae. Apparet inde quomodo de nobis vere dicatur relate ad omnia quae nobis subsunt, vel nobiscum sunt creata: nam etiam relate ad angelos vere personae independentes sumus, utpote dominium cordis ac mentis servantes. Ad Deum vero nonnisi secundum quid, quatenus Deus dedit nobis proprium et vitale principium operationis; non autem quatenus hoc principium esset extra extensionem divinae activitatis et operationis.

Quare in Deo solo potest inveniri summa et plena ratio personalitatis, quia est a se.

Resp. ad 2.m Responsio S. Thomae magis consona videtur menti ipsius Boëthii. Non ideo tamen reiicienda est prior sententia; continet enim magnam veritatem, quatenus mysterium Incarnationis nos monet, non quamvis substantiam individuam esse personam; nisi verba *substantia* et *individua* ad strictiorem subsistentiae completae significationem trahantur.

Resp. ad 3.m Accipe ex hoc responso, subsistentiam individuam esse aliquid valde reale in substantia; neque solum esse relationem aliquam ad extra, quae facit substantiam esse substantiam. Unde in voce *individua* duplicem possumus videre significationem: aliam, qua pertinet ad intentionem et dividit contra genus et speciem; aliam pertinentem ad realitatem substantiae, quae pleno iure in definitione rei usurpatur.

In verbis quae Angelicus de accidentibus addit, solutio continetur alicuius difficultatis, quae nonnullis visa est magni momenti. Quomodo enim, aiunt, potest S. Th. simul docere quod substantia individuatur per seipsam, et quod substantia fit haec substantia - sive secunda fit prima - per accidentia? Responsum ex dictis hoc loco patet. Licet enim substantia individuetur per seipsam, quum tamen effectus formae substantialis sint accidentia, innotescit ut individua per accidentia. Haec autem accidentia tanquam effectus substantiae, quoad esse quod substantia habet, sunt extra eamdem; sunt autem in illa, quoad subiectum in quo sunt. Quum igitur neque sint pars essentialis eius, et sic nec substantia sit subiectum internum eorumdem, Deus tollere potest substantiam manentibus accidentibus, eisque aliam substantiam supponere propriis accidentibus destitutam.

Resp. ad 4.m Habes inde sequentem successionem veluti gradationem in acceptione vocis *naturae:* 1) nativitatem; 2) principium intrinsecum motus, quod tum de materia, tum de forma praedicatur; 3) essentiam rei, utpote quae per formam completur. Hoc ultimo demum sensu natura convenit cum essentia, et potest etiam de Deo praedicari.

Esto; at repones, si idem sunt natura et essentia, cur in

personae definitione ponitur *natura* et non potius *essentia?* - Resp. Considerando unice Deum, uti cui definitio personae convenire debeat, melius forte posita fuisset *essentia.* Sed considerando rationem quae definitum determinat, specificam scilicet differentiam, melius ponitur *natura*, eo vel magis quod heic agitur de definiendo summo singulari.

Audiatur Boëthius [1] de varia *naturae* significatione disserens: « Natura igitur aut de *solis corporibus* aut de solis « substantiis praedicatur, id est, *corporeis atque incorporeis* « atque de *omnibus rebus quocumque modo* esse dicuntur. « Cum igitur tribus modis natura dici possit, tribus modis « sine dubio definienda est. Nam sic de omnibus rebus natu- « ram dici placet »..... Quod iam evolvens, quatuor suggerit naturae definitiones.

1). De omnibus rebus quocumque modo: « natura est « earum rerum, quae cum sint, quoque modo intellectu capi « possunt ». Quae definitio simul capit substantias et accidentia. - 2) De solis substantiis, ac simul corporeis et incorporeis: « Natura est vel quod facere vel quod pati possit ». Quae definitio simul corpora, et spiritus, et ipsum Deum comprehendit. - 3) De solis substantiis corporeis: « Natura est « motus principium secundum se et non per accidens ». 4) De proprietate rerum « Natura est unamquamque rem « informans specifica differentia ».

Ad 5.m Convenientissime S. Th. dicit, animam esse partem humanae speciei, et exemplum affert de parte corporis, potius quam de forma sine materia. Nam quoad *esse* anima immortalis dicenda est aliquomodo independens a corpore, quum sit spiritualis substantia; quoad naturam vero, quae respicit *agere*, dependens a corpore est, ita ut sine corpore, in statu separationis, nihil agere posset, nisi Deus suppleret. Obiectionem hanc Scotus [2] contra definitionem Boëthii ex corde movit.

Corollarium. - Ex doctrina huius corporis collige quid censendum sit de formali ratione personalitatis quam Güntherus reponit in *conscientia sui.* Utique conscientia sui nequit ha-

[1] Loc. cit.
[2] I. Dist. XXIII (in resp. ad quaest.).

beri nisi in entibus nobilioribus quibus convenit esse personas: unde quoad extensionem negativam, saltem in individuis adultis sanae complexionis, concordant ambae definitiones: nemo persona, nisi conscius sui. At formalis ratio differt, unde positive neque concordant quoad extensionem: tot personae, quot conscientiae sui. Nam Christus Dominus etiam ut homo habuit conscientiam sui. Verbo formalis ratio Güntheri psychologica est, ratio formalis quam defendimus, radicitus ontologica.

Quaeres. - Estne eadem ratio applicandi *personae* nomen angelo ac homini? - Resp. Duplex in hac ratione respectus haberi potest: respectus fundamenti, et respectus necessitatis.

1) Respectus *fundamenti* in angelo maior est quam in homine. Etenim *a)* si *persona* est appellatio *dignitatis*, maior dignitas naturae angelicae quam humanae; *b)* si *persona* est nomen *individuationis*, fortior ac nobilior est individuatio angeli quam hominis, quia in angelo maior possessio sui, maiorque ad Dei libertatem atque dominium approximatio. - Nihilomninus 2) respectus *necessitatis* maior pro nobis est a parte hominis quam angeli ut personae nomen inducatur. Homines enim sunt omnes eiusdem naturae specificae, nec ab invicem distinguuntur nisi per individuantia principia, quae sunt *haec* anima, *hoc* corpus, unde exsurgit *hic* homo, seu *haec humana persona*. Angeli e contra habent individuantia principia ipsam suam speciem per quam ab invicem discernuntur; unde angelus non dicit nisi genus; nomen autem uniuscuiusque angeli individuum simul ac speciem diceret, si id sciremus, nec *personae* nomine amplius indigeremus.

ARTICULUS II.

UTRUM PERSONA SIT IDEM, QUOD HYPOSTASIS, SUBSISTENTIA ET ESSENTIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Definita propria ratione personalitatis, restat ut conferatur vocabulum *personae* cum aliis vocabulis exprimentibus quidditatem rerum, vel naturas.

Quaerendum igitur, utrum re conveniant alia vocabula, differantque solum ratione; an potius et re differant; an tandem neque discrepent ratione.

Ut confusio praecaveatur, recolendum est, aliis Graecos, Latinos aliis vocabulis uti. In utraque lingua praesertim sex occurrunt. Apud Graecos adhibentur φύσις, οὐσία, οὐσίωσις, ὑπόστασις, ὑποκείμενον, πρόσωπον; apud Latinos vero *essentia*, *natura*, *substantia*, *subsistentia*, *suppositum*, *persona*, quibus adde graecum nomen *hypostasin* latinis litteris expressum.

Circa quorum vocabulorum usum animadverte, ὑπόστασιν licet simpliciter vertenda esset *substantia*, a Graecis usurpari pro subsistentia eodem sensu ac οὐσίωσιν, et quidem in natura intellectuali, ita ut cum *persona* conveniat. Ad quam distinctionem significandam Latini ὑπόστασιν vertunt *subsistentiam*, magisque *substantiam* ad sensum *naturae* contraxerunt [1].

3) Quoad *substantiam* vero rursus notandum est, eam dupliciter dici: *a*) ad excludenda universale et partiale; *b*) ad excludendum assumptibile. Quare quum distinctio quoad assumptibile magnum ex Incarnatione momentum acceperit, subsistentia κατ' ἐξοχήν natura vocatur quae non est amplius assumptibilis, substantia vero ea κατ' ἐξοχήν quae assumptibilis adest. Unde in Christo Domino duplex est substantia et una subsistentia; e contra in SS. Trinitate una substantia et trina subsistentia.

4) *Substantia* vero etiam ea quae iam contra substantiam primam distincta est, potest considerari adhuc secundum quidditatem et secundum *hanc* quidditatem. Quidditas prima quoad definitionem nihil aliud continet praeter ea quae ad rationem substantiae secundae pertinent. *In hac quidditate* rursus potest considerari ipsa ratio τοῦ *huius*, et tunc erit intentionalis.

Quare quum in quavis substantia prima hic duplex respectus habeatur, nomina ad utrumque respectum significandum adsint oportet. Ad respectum intentionalem, quum ille sit unicus, sufficit unicum nomen; ad respectum vero quidditativum vel realem triplex nomen convenit, quia ipse triplex est. Etenim potest substantia conferri vel *a)* cum substantia

[1] Cf. dicenda in appendice.

secunda, et tunc est tanquam res eius, unde nomen *res naturae*, (optimo enim iure per naturam substantia secunda exprimitur); vel *b)* confertur cum seipsa, quatenus est in seipsa et non in alio, et tunc vocatur *subsistentia;* vel tandem *c)* confertur cum accidentibus, et tunc, quia saltem connaturaliter illis substat, vocatur *substantia* in senso strictissimo vel *hypostasis* (secundum etymon vocabuli).

Iam vero omnia haec generica nomina, si in speciem substantiarum rationalium transferantur, personalia fiunt. Unde persona est subsistens, substantialis, res naturae rationalis.

5) Adverte nexum et gradationem inter haec tria *subiectum, substantiam, subsistentiam,* quae omnia a compositis ex materia et forma derivantur. *Subiectum* vocatur relate ad accidentia quae in eo existunt; *substantia* simul relate ad accidentia per quae manifestatur, et relate ad seipsum quatenus non in alio subiecto sed in seipso existit; *subsistentia* demum rursus relate ad accidentia quorum est substratum reale, et relate ad seipsum quatenus in se ipso perficitur.

6) *Suppositum,* demum - graece ὑποκείμενον, - idem sonat ac subiectum, aliter tamen usurpatur: contrahitur enim usu communi ad eumdem sensum quo hypostasis, scilicet ad *personam.*

I. **Ad Textum.** - Quum solutio quaesiti quasi ex toto sit iuxta 1m ex tribus n. 1. enumeratis, obiectiones procedunt iuxta secundum (ita duae ultimae) et iuxta tertium (ita tres primae).

1. Obi., quae contendit, idem esse hypostasin et personam, petitur ex usu loquendi Graecorum, non ex formali significatione vocabuli.

2. Obi. Contendit idem esse subsistentiam et personam. In solutione S. Thomas rationem nostri modi loquendi pariter in usu Graecorum invenit. Quum ex una parte Graeci dicerent in Deo tres hypostases; et ex altera Latini, propter fraudes, non possent in Deo praedicare tres substantias, oportuit aliud adhibere vocabulum a substantia distinctum, et est subsistentia.

Nihilominus verum remanet, subsistentiam per se non ponere naturam rationalem.

3. Obi. Ad rectam intelligentiam huius obiectionis et S. Thomae responsionis sequentia sedulo consideranda sunt. Aliud est dicere, essentiam et hypostasin *re* convenire, quatenus essentia complectitur materiam simul et formam, ac proin continet omnia principia individuantia; aliud, ea convenire et *ratione*, quatenus essentia eadem principia individuantia definiret. Prius verum est; alterum falsum. Nam principia individuantia non pertinent ad specificam quidditatem.

Nihilominus adverte, eadem definiri posse, non quatenus sunt haec potius quam illa, sed quatenus eorum existentia est de ratione individualitatis in genere.

Rursus adverte, haec principia individuantia habere in ipsa substantia formale principium simul et reale; in accidentibus vero nonnisi accidentalem effectum demonstrativum.

4. Obi. Posita differentia inter *subsistentiam,* quae dicitur substantia relate ad seipsam, et *substantiam* relate ad accidentia, differunt eodem modo *subsistere* et *substare.* Quo posito, quum genus et species nunquam existant nisi per quidditatem individuorum, subsistunt in illa; individua vero quoad suam individualitatem substant, quippe quae per accidentia apparent.

5. Obi. Sicuti supra dictum est, essentiam desumi ab esse, naturam vero a motu, et tamen ambo in unum convenire; ita οὐσίωσις sumitur ab οὐσίᾳ principio formae, hypostasis vero a materia, quae est principium vel subiectum accidentium; quoad rem tamen conveniunt sub duplici distincto respectu.

In Corpore. Sequens tabella uno conspectu nexum exhibet qui existit inter haec vocabula qualia iam per usum determinata sunt.

- **Substantia**
  - A) *secunda* vocatur } natura vel essentia;
  - B) *prima* vocatur
    - 1) *intentionaliter:* } suppositum, vel *subiectum;*
    - 2) *realiter:*
      - *a)* relate ad esse completum: } *subsistentia;*
      - *b)* relate ad notas constitutivas: } *res naturae;*
      - *c)* relate ad accidentia: } *hypostasis.*

Doctrinam huius articuli compendiose ita expressam tene. Persona et hypostasis et subsistentia non differunt nisi ratione, quantum ad elementum formale, scilicet quantum ad rationem indivui; neque differunt quantum ad elementum materiale, scilicet quantum ad dignitatis gradum, usus enim hypostasin ad rationalem naturam contraxit, et subsistentia pariter non dici solet nisi de substantia superioris dignitatis. Persona tamen ratione magis concordat cum subsistentia quantum ad formale, magis autem cum hypostasi quantum ad materiale.

Persona autem et essentia non solum ratione distincta sunt, sed et re, si essentia consideretur secunda, non prima; imo si intelligatur prima, sine adsignificatione distinctionis seu individui perfecti; - at differunt solum ratione, quantum ad formale, si haec ratio adsignificatur; sed et tunc quoad materiale differunt quoque re, quatenus essentia non trahitur per se ad substantias altioris dignitatis.

Antequam autem ad sequentes articulos accedamus, iuvat breviter praecipua colligere, de genesi terminologiae catholicae circa dogma SS. Trinitatis iam a multis saeculis receptae, ut inde constet ex una parte quantopere in his controversiis Patres orthodoxi non modo de fide, sed et de philosophicis disciplinis meriti sint; ex altera vero quibuscum criteriis philologicis atque patristicis legenda sint opera ante exortas controversias de Trinitate conscripta.

Appendix de Genesi Terminologiae catholicae.

Ratio mysterii SS. Trinitatis atque Incarnationis radicitus consistit in habitudine personae ad naturam. Inde nova terminologia determinanda erat, tum ad falsa praeiudicia depellenda, tum ad veritatem pressius exprimendam. Nam, uti recte iam observabat S. Ioannes Damascenus: « hoc est quod « haereticis errorem obiicit, quod idem naturam et hypostasim arbitrantur » [1].

Iam vero si Scripturas consulimus, parcissime philoso-

[1] *De fid. orth.*, III, 3. — Cf. ibidem, III, 7.

phicis verbis utuntur. A vocabulis quippe abstractis quasi omnino abstinent. « Divinitatem » nunquam in eis dictam reperis, neque, - nisi semel indirecte vel bis [1] - ipsam divinam « natu- « ram ». Vox « hypostasis », iuxta etymon substantiam seu fundamentum, non personam passim significat [2]; nisi forte in initio epistolae ad Hebraeos: « Qui cum sit splendor gloriae, « et figura substantiae eius (τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ) » [3]; licet interpretes optimi nominis, et in hoc loco ὑπόστασιν putent nihil aliud significare quam principium Filii, Patrem [4]. Nec magis occurrit vox « persona », nisi semel apud Paulum [5], et quidem manifeste in sensu repraesentationis moralis.

Porro antiquiores Patres non magis quam scriptores inspirati utebantur vocabulis abstractis, quorum tunc solum urgens necessitas prodiit, quando haereses circa unitatem trinitatis et trinitatem unitatis in Deo serpere coeperunt.

Iam vero ab harum luctarum principio apud orientales Patres usus potius invaluit, ut pro una essentia adhiberetur vox οὐσία, pro tribus personis vox ὑπόστασις. Ita, ut notissimo exemplo utar, Origenes interpretans Matthaeum, ait: « Unus « vivens Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Unus est non coi- « tione trium, sed unica essentia (ἀλλ' οὐσίᾳ μίᾳ): tres vero « hypostases (τρεῖς δὲ ὑποστάσεις) perfectae in omnibus et ad « se invicem relatae, (τέλειαι ἐν πᾶσι καὶ κατάλληλοι) » [6]. Non desunt tamen exempla in quibus tum οὐσία sumitur pro persona, tum ὑπόστασις pro natura. Ita, praeter S. Athanasium, qui passim hypostasin in sensu οὐσίας adhibet [7], Origenes dicit de Verbo quod est ἑτέρα οὐσία, S. Gregorius Nyssenus Patrem vocat τὴν μὴ γεννηθεῖσαν οὐσίαν [8], S. Cyrillus Hierosol. naturam divinam dicit ὑπόστασιν incomprehensibilem [9], qui

[1] « Ut efficiamini divinae consortes naturae ». II, Petr., I, 4. — « Sed hunc qui- « dem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dii, serviebatis ». Gal., IV, 8.

[2] Ita certe, II. Cor., IX, 4; XI, 17; Hebr., XI, 1; cf. III, 14.

[3] I, 3.

[4] Cf. Cl. Stentrup, (*Innsbr. Zeitschr.*, 1877, p. 67-75).

[5] « Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, « propter vos in persona Christi (ἐν προσώπῳ Χριστοῦ) ». II, Cor., II, 10.

[6] Matth. XXVIII, n. 18. — *P. G.* t XVII, col. 710. Adverte quam concise doctrina de relationibus in hac formula contineatur.

[7] Inde protestabatur se non docere μονουσίαν in sensu Sabelliano.

[8] *Adv. Eun.* 12.

[9] *Cat.* 6. n. 5.

modus loquendi et apud S. Basilium occurrit [1]. Mirum inde non est, utrumque vocabulum quasi synonymum ab ipso Concilio Nicaeno usurpari, damnante in anathematismis eos qui affirmant, Verbum esse ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας. Praevalebat utique usus usiae in sensu naturae, et hypostaseos in sensu personae - licet Thomassinus et Petavius credant permixtum indifferenter utrumque vocabulum usque ad saeculum IV. esse usurpatum; - sed terminologia nondum erat stricte determinata ad alterutrum. Cuius ratio in promptu est. Nam ex una parte vox ὑπόστασις non adhibebatur a scriptoribus classicis nisi in sensu fundamenti, principii [2], quem, uti vidimus, sensum ipse Paulus adhibet; ex altera usurpabatur οὐσία tum de natura prima (i. e. οὐσία πρώτη, τόδε τι) et de natura secunda (i. e. οὐσία δευτέρα, ποῖόν τι) [3]. Nihilominus praevaluit semper magis usus distinguendi inter οὐσίαν et ὑπόστασιν. Testis sit S. Basilius: « Quae est ratio communis ad proprium, eamdem habet « οὐσία ad ὑπόστασιν » [4]; et S. Cyrillus Alexandrinus: « Sub- « stantia (οὐσία) significatio ad commune aliquod pertinere « videtur; hypostasis vero nomen de unoquoque, verbi gra- « tia, sub illo communi comprehensorum enuntiatur et di- « citur » [5]. Inde Patres Nicaeni consubstantialitatem per compositam vocem ex οὐσίᾳ expresserunt, definiendo Verbum Patri ὁμοούσιον. De quo termino sermo fusior infra redibit.

Praeter οὐσίαν Graecis erat vox φύσις ad divinam naturam significandam. Verum est, per se τὸ esse divinum melius vocari οὐσίαν sive essentiam, quam φύσιν sive naturam; sed φύσις, etiamsi interdum et pro persona occurrat et apud Graecos in aliis quoque significationibus usurpetur, tanquam synonymum οὐσίας invaluit. Inde haeretici, qui duas in Christo negabant naturas, *Monophysitae* a voce φύσι nuncupati sunt [6].

[1] *De Spir. S.* c. 16.

[2] Cf. historicum Socratem, (H. E. III, 7).

[3] Cf. ARISTOTILEM, *Categ.* c. 3.

[4] Ep. 349.

[5] *Dial. I. de Trin.*

[6] De distinctione quam isti adhibebant inter οὐσίαν et φύσιν imo inter φύσιν γενικήν et ἰδικήν, ut ita simul tenere possent ὁμοούσιος Conc. Nic. et nihilominus praedicare in SS. Trinitate τρεῖς φύσεις et in Christo μίαν φύσιν, in tractatu de Verbo Incarnato, Deo dante, sermonem habebimus.

Caeterum ipse Paulus iam vocem φύσιν ad exprimendam divinam naturam adhibuerat [1].

Quomodo πρόσωπον ad personam divinam indicandam inductum sit, in fine articuli sequentis dicemus.

Porro, ut iam superius animadvertimus, id inter terminologium latinam et graecam interest, quod, dum utrimque conveniunt voces essentia et natura, οὐσία et φύσις, discrepantia oritur quoad substantiam. Etenim licet per se substantia idem sonet prorsus ac ὑπόστασις, tamen mos invaluit ut usurparetur in sensu essentiae. Audiatur S. Augustinus: « Quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, ut hoc intel-« ligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum di-« cimus substantiam: non audemus dicere unam essentiam, « tres substantias, sed unam essentiam vel substantiam, tres « autem personas, quemadmodum multi Latini et digni aucto-« ritate dixerunt, cum alium modum aptiorem non inveni-« rent, quo annuntiarent verbis, quod sine verbis intellige-« bant » [2]. Inde vox *persona* magis expresse adhibita est a Latinis quam πρόσωπον a Graecis ad individuum intellectualis naturae exprimendum. Ne autem altera vox deesset ad idem significandum et minus dives probaretur sermo latinus, confecta est graeca vox *hypostasis* veluti synonyma personae.

Quot ex his variis vocabulorum respectibus confusiones oriri deberent, - quum discrimen inter οὐσίαν et ὑπόστασιν nonnisi tempore Concilii Chalcedonensis prorsus determinatum sit, cura praesertim Hosii, quem ad Arianos controversias sedandas Constantinus Alexandriam miserat [3], - a priori manifestum est, ac patet a posteriori ex ipsis controversiis quas, tum inter ipsos Graecos, tum inter Graecos et Latinos non solum de re, sed et de modo loquendi natas esse constat. Ex Graecis testis sit S. Athanasius, qui in epistola synodali ad Antiochenos, inter alia fusiora, quae brevitatis causa omittimus, haec habet: « Eos quoque esamina-« vimus, quos illi accusabant, quod unam dicerent hyposta-« sim, num ii in Sabellii sensu ita loquerentur, quo Filium

[1] II. Petr. I, 4; Gal. IV, 7.
[2] *De Trin.* l. V, c. 9. — *P. L.* t. XLII, col. 917.
[3] Cf Socratem, (H. E., l. V, c. 5).

« Spiritumque Sanctum de medio tollerent; an Filium sub-
« stantia (ἀνουσίου ὄντος), Spiritumque Sanctum hypostasi ca-
« rere (ἀνυπόστατον) existimarent? Qui item affirmarunt, se
« numquam hoc dicere, nec unquam ita sensisse; sed hy-
« postasin, aiebant, dicimus, existimantes perinde esse hy-
« postasin dicere atque substantiam (οὐσίαν); unamque cre-
« dimus hypostasin eo quod Filius est ex substantia (οὐσίας)
« Patris, et quod una eademque sit natura (διὰ τὴν ταυτότητα
« τῆς φύσεως), nec aliam quidem Patris, alienam autem ab
« illo Filii et Spiritus Sancti substantiam sentimus » [1]. Ex Latinis testis sit famosa querela S. Hieronymi ad Papam Damasum : « Interrogamus, quid tres hypostases posse
« arbitrantur intelligi: tres personas subsistentes, aiunt.
« Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum
« nomen efflagitant. Clamamus, si quis... tres subsistentes
« personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula
« non ediscimus, haeretici iudicamur. Si quis autem hypo-
« stasim *usiam* intelligens, non in tribus personis unam
« hypostasim dicit, alienus a Christo est. Decernite, obse-
« cro, si placet, et non timebo tres hypostases dicere. Si
« iubetis, condatur nova post Nicaenam fides, et similibus
« verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi... Quamobrem
« obtestor Beatitudinem tuam per crucifixam mundi salu-
« tem, per *homousian* Trinitatem, ut mihi epistolis tuis,
« sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur au-
« ctoritas » [2].

Praeter vocabula hucusque notata occurrunt adhuc apud Graecos ὕπαρξις et ὑποκείμενον. *a*) Ὕπαρξις, adhibetur ad illud praecise in personis significandum quo distinguuntur et sunt alia et alia [3], quod latine dicitur *subsistentia*, et germani theologi eleganter vocant « das Fürsichbestehen der Hypostase ». - *b*) Ὑποκείμενον, idem sonat ac *subiectum*, sive suppositum, vox quidem a Patribus rarius, frequentissime autem a scholasticis usurpata.

Et haec de hoc argumento satis. Qui plura quaerit, con-

[1] *Tom. ad Antioch.* 5 et 6. — *P. G.* t. XXIV, col. 802.

[2] Ep. 15.

[3] Inde locutio τρόπος τῆς ὑπάρξεως, utpote id quo personae ab invicem distinguuntur. Cf. S. IOANN. DAMASC. (*De Fid. orth.* III, 5).

sulat, praeter historicos, ex theologis praecedentis aetatis Petavium [1], ex coaevis Cl. Heinrich [2] et de Regnon [3].

ARTICULUS III.

UTRUM NOMEN PERSONAE SIT PONENDUM IN DIVINIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si per revelationem non edoceremur, tres in Deo dari subsistentes ab invicem distinctos, de praedicanda in Deo persona nec philosophi, nec theologi, Deum profitentes unum, cogitarent. Deus quippe supra quodvis genus, imo extra omne genus, in sua sublimi solitudine collocatus, habet ipso suo nomine quod singularis intelligatur simul ac praedicetur. Manifestato autem superne SS. Trinitatis mysterio, iam urget ratio ut intelligibile quoddam vocabulum trahatur ad significandam trinam illam subsistentiam, qua Pater est alius a Filio et a Spiritu Sancto. Iam vero quodnam vocabulum melius ad hoc assumi potuisset, nisi illud ipsum, quod formaliter praerogativam ac perfectionem exprimit qua nobiliores substantiae in se distinctae existunt?

2) Etenim quum res significata per personam sit non solum perfectio, sed et perfectio simpliciter dicta, difficultas, si moveretur, esset unice de nomine, non de ipsa re. Nomen autem si quis recusaret, esset vel quia in Scripturis non occurrit, vel quia originem habet incongruam, vel quia in definiendo nimis deficit. De singulis breviter.

3) Nomen ipsum personae de divinis in Scriptura non occurrere, manifestum est; at minime ideo debet recusari. Legitimum enim est novas formulas ad exprimenda divina inducere, si *a*) aequivalens in verbo divino aut in traditione contineatur, si *b*) necessitas urgeat per novam formulam fidem antequam defendi, si *c*) electa formula scopo respondeat. Iam vero haec tria in casu obtineri patet. *a*) Sacra enim eloquia repraesentant nobis Tres in una divina natura subsistentes, ita ut ratio Trinitatis sit haec ipsa realis distinctio in qua

[1] Op. cit. lib. praesertim IV.

[2] Op. cit. §. 235.

[3] Op. cit. II-III. Quae autem auctor hic habet de opinione scholasticorum, praesertim thomistarum, interdum caute discernenda sunt.

constituuntur ad invicem. Ergo personae aequivalens in ipsa revelatione continetur, unus enim est Pater, unus Filius, unus Spiritus Sanctus, sicuti apud nos (aequivoce utique) unus est Petrus, unus Paulus, unus Ioannes. - *b*) Necessarium autem fuisse, ut per hanc formulam fides magis determinaretur, ipsa haereseon historia docet. Urgentibus enim hinc et illinc adversariis SS. Trinitatis, vocabula oportuit discernere quorum altera significarent essentiam divinam unam, sed communicabilem; altera vero relationem trinam, incommunicabilem. Ita « essentia et natura et substantia » tracta sunt ad priorem speciem; ad alteram autem « suppositum, hypostasis, « subsistentia », et maxime, ratione dignitatis, « persona ». - *c*) Unde non solum aequa fuit haec inductio, sed maxime opportuna et felix, quum de hypostasi aliisque quaestio moveri possit, utrum singularis an trina praedicari possit, de persona vero non.

4) Nec obest origo nominis. Si enim obesset, non solum persona, sed nec substantia, nec hypostasis, nec suppositum, nec subsistentia, nec natura, de Deo praedicari possent; et nihil remaneret nisi ut in Deo *esse* absolutum, et relativum praedicaretur. Sed et ipsa origo vocis tum in latino uti diximus, a *personare,* propter concavitatem maiorem per quam histriones, obiecto ore fictitio, altius in tragoediis personabant, tum in graeco πρόσωπον, ab eo quo sibi *vultum* obtegebant; licet quoad modum significandi in Deo repugnet, quoad rem significatam sat bene congruit. Etenim in hisce ludis nonnisi digniores repraesentabantur, unde a tragoediis vox persona ad dignitatem exprimendam usurpata est, quemadmodum et hodie in vulgari idiomate viros excellentiores personas κατ' ἐξοχὴν (personaggio, personnage, personaje, Persönlichkeit, personalty) nuncupantur. Iam vero quid personalitate divina excellentius? - Mittimus ingeniosas at arbitrarias vocabuli etymologias a quibusdam Scholasticis traditas, ac si persona esset quaedam contractio a *per se una* vel a *per se resonare* ratione scilicet eminentiae [1].

[1] Mutati accentus a « *pérsona* » ad « *persóna* » S. Bonaventura rationem hoc modo reddit: « In etymologia, quia persona dicitur quasi *per se una:* per se autem « unum, proprie dicitur unum, quod est omnimode distinctum ab aliis in se indis« tinctum. Rursum persona dicitur a *personando,* quasi *per se resonando,* resonare

5) Restat ut definitio vocabuli personae in divinis vindicetur. Ad quod sufficit removere *a*) limitationem quam involvit quaevis praedicatio univoca de creaturis ad Deum univoce translata, quum nonnisi aequivoce ad summum convenire possit, *b*) ipsas imperfectiones quae in definitione personae humanae, qualis a Boëthio traditur, implicite saltem continentur. Cui alteri praestando (prius enim per ipsam aequivocam acceptionis praedicationem obtines), praemittendum est, definitionem conceptus generici interdum deficere propter ipsam sermonis penuriam. Vis dignitatis gradum exprimere ad personam requisitae? Si dicis *spiritum,* hominem excludis; si vocas *naturam rationalem,* hominem ponis utique, at iam specifice nimis determinas; si *intellectualem* asseris, iam in sermonis rigore humanam speciem excedis. Deest quippe vocabulum genus intellectualitatis ita exprimens, ut specifice nec per defectum nec per excessum deflectat.

Hoc posito singula verba definitionis Boëthianae cum persona divina conferamus.

6) Iam vero *a*) verba « *rationalis naturae* » Deo convenire non videntur, α) quia *rationale* ponit discursum, β) quia *natura* ponit motum. Ad β) iam respondimus in primo articulo.

Ad α) quod attinet, sufficit animadvertere, τὸ *rationale* poni pro intellectuali. Richardus autem a S. Victore ob hanc rationem posuit *intellectualis naturae.*

b) « *Individua* » rursus videtur omnino Deo repugnare; nam principium individuationis est materia. – Respondetur multipliciter: α) cum S. Thoma vocem « *individua* » poni pro *incommunicabili;* quae responsio videtur incidere in illam quae art. 1. ad 2m. ab aliquibus in eumdem finem datur. Nam assumptibile et communicabile aliquomodo conveniunt. - Ne tamen S. Thomas sibi contradicere videatur, quippe qui illam responsionem in illo loco non admiserit, animadverte: α′) ibi agebatur de definitione in genere, β′) nec negata est ibi ratio prius data. - β) Secundo responderi potest, individuum non

« autem dicitur quod in sono praeeminet aliis et ideo persona dicitur suppositum di-
« stinctum habens dignitatem; et ratione huius dignitatis, cum deberet per naturam
« vocabuli dici persona penultima correpta, dicitur persona penultima producta »
(I. Dist. XXIII, a. 1, q. 1).

constitui per solam materiam, sed et per illud quodcumque quo aliqua substantia est *haec* substantia. Et est in Deo ipsa identitas inter naturam sive essentiam, et hanc naturam sive hanc essentiam.

c) « *Substantia* », quatenus desumitur a *substare* accidentibus, in Deo repugnat; quatenus dicit illud quod *subsistit,* soli Deo plene convenit, quum solus sit *a se.*

Richardus rursus loco « *individua* » posuit « *incommunicabilis* », loco « *substantia* » ponit « *existentia* ». Quod ultimum vocabulum optime subsistentiam exprimit.

7) Ex his omnibus conclude *a*) cum S. Bonaventura, personam de divinis non solum convenienter dici, sed et providentialiter: « Quia in Deo est reperire suppositum distin-« ctum proprietate nobilissima, Spiritu Sancto dictante, trans-« latum est ad divina, quia ibi res nominis proprissime « invenitur, quamvis ipsum nomen prius aliis sit impo-« situm » [1].

Conclude *b*) definitionem personae aliquantulum esse modificandam, secundum quod personam humanam, angelicam aut divinam quis exprimere intendit.

Persona	*humana:*	rationalis naturae individua substantia;
	angelica:	intellectualis naturae individua essentia;
	divina:	intellectualis naturae incommunicabilis existentia (Rich. Vict.).

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ex novitate formulae. Cf. dicta n. 3.

2. Obi. Confundit sensum vocabuli et originem eius; nec distinguit in ipsa origine modum significandi a re significata. Cf. dicta n. 4.

3. Obi. Arguit ex similitudine personae cum hypostasi. Ubi observa, ex voce ὑπόστασις dupliciter difficultatem moveri posse: *a*) ex etymologia, *b*) ex eius similitudine cum substantia. Hoc alterum magis respiciebat S. Hieronymus [2].

[1] S. Bonav. I Dist. XXIII, art. 1. quaest. 3.

[2] Cf. textum in fine art. 2. citatum.

4. Obi. Arguit ex terminis definitionis boëthianae. Cf. dicta n. 5.

Sed contra est. Translationem vocabuli personae ad divina testantur innumerae ecclesiasticae auctoritates. Ita verba Symboli Athanasiani: « Neque personas confundentes, « neque substantiam separantes » et Praefationis SS. Trinitatis: « Et in essentia unitas, et in personis proprietas, et « in maiestate adoretur aequalitas ».

Vocem *personam* iure esse inductam ad significandam distinctas in Deo ad invicem relatas subsistentias, licet expresse in Scripturis non occurrat, S. Augustinus his verbis ostendit. « Sed nec tres personas alicubi Scripturam comme- « morare invenimus. An quia nec tres, nec unam personam « Scriptura dicit haec tria (legimus enim personam Domini, « non personam Dominum), propterea licuit loquendi et « disputandi necessitate tres personas dicere, non quia Scri- « ptura dicit,sed quia non contradicit? Si autem diceremus « tres deos, contradiceret Scriptura, dicens: Audi Israël: « Dominus Deus tuus, Deus unus est? » [1]. Et pergit legitimando usum ex necessitate controversiae et ex aptitudine vocis [2]. Quam tamen aptitudinem nimis sub respectu negativo considerare videtur, quemadmodum ex appendice articulo sequenti adiicienda patebit.

Appendix de Genesi Nominis Personae ad divina applicatae.

Quae superius diximus de translatione vocis *personae* ad angelos, partim et heic valent. Etenim quae essentia magis distincta a quavis alia quam essentia divina? quodnam ens nobilius, firmiusque in semetipso active constitutum? Quippe *actus purus*, en altissima definitio personalitatis.

Nihilominus tam altus est Deus, ut personalitas de eo numquam praedicata fuisset, nisi ex una parte confutanda esset absurda impietas pantheismi, et ex altera vindicandum ac illustrandum mysterium SS. Trinitatis. Inde duplex ratio valde distincta nominis personae in divina inducti.

[1] Deut. vi, 4.

[2] *De Trin.*, l. vii, c. 4, n. 8. - *P. L.* t. xlii, col. 941.

Contra pantheistas Deum appellamus personalem, ad significandam distinctionem summam quae interest inter creata et Creatorem, necnon ad exprimendum summum intelligentiae, independentiae ac providentiae gradum quem haec distinctio in se involvit. Ista significatio magis pertinet ad contemplationem naturalem Dei unius ab opere suo distincti, eiusdemque auctoris, gubernatoris, renumeratoris, vindicis.

Personas autem in hoc Deo personali distinguimus ex revelatione supernaturali, ad significandas tres distinctas subsistentias in hac simplicissima entis summi natura. Quae subsistentiae in latino sermone personae, in graeco πρόσωπα praesertim nuncupantur. Magis autem in possessione tranquilla fuit vox latina quam graeca. Etenim πρόσωπον ex etymologia vocis reique derivatione perfidiae inserviebat Sabellianorum, utpote qui, licet tres hypostases in Deo admittere recusarent, sat libenter τρία πρόσωπα confitebantur; imo per hoc vocabulum praecise id exprimebant quod haeresis eorum ferebat, Deum scilicet, unum in se, tres veluti scenicas apparentias adhibuisse, indeque ex usu ludi scenici optime τρία πρόσωπα tres personas, scenicas utique, appellari.

Ad quam perfidiam S. Basilius alludens, ait: « Qui autem « idem esse dicunt essentiam (οὐσίαν) et hypostasin (ὑπόστα- « σιν), coguntur personas (πρόσωπα) tantum confiteri differen- « tes, ut dum refugiunt dicere tres hypostases, Sabellii labem « inveniantur non effugere; qui ipse et saepe, etsi confundit « notionem, conatur personas distinguere, dum hypostasin « eamdem ait pro usu subinde occurrente varias personas « induere » [1].

Hinc factum, ut appellatio ὑπόστασις magis esset in usu apud Patres graecos quam πρόσωπον; dum apud Latinos, quippe apud quos Sabellianismus vix ullius erat momenti, vox *persona* sine ambagine adhibebatur.

[1] Ep. 236, 6.

ARTICULUS IV.

UTRUM HOC NOMEN PERSONA SIGNIFICET RELATIONEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Praesens quaestio dupliciter poni potest. *a*) *In genere* sive in communi: utrum scilicet quaevis persona ponat relationem; et negandum est. Persona enim *per se* potius dicit absolutum, quum affirmet completam in se subsistentiam. - *b*) *In specie* sive in particulari: utrum aliqua persona significet relationem; et respondetur affirmative de persona divina, quae constituitur in sua ipsa distinctione per relationem oppositionis a processione ortam. Quae veritas potest duplici via manifestari, indirecta scilicet et directa.

2) *Indirecte* quidem iam ex praecedenti quaestione patet, divinam personam in recto significare relationem. Etenim quum ex una parte persona divina dicat subsistentem in divina natura, quatenus ab alio subsistente in eadem natura distinguitur; ex altera autem parte, solae relationes subsistentes constituant realiter distinctos: sequitur, personam divinam aliqualiter saltem relationem significare.

3) *Directe* idem evincitur. Et re quidem vera in art. 1. huius Quaestionis vidimus formale elementum personalitatis esse rationem individui, seu distincti, materiale autem, ipsam dignitatem naturae de qua persona praedicatur. Pariter in relatione habetur elementum formale, quod dicit respectum *ad aliquid*, et materiale, sive respectum *in aliquo;* quod utrumque si ad relationem divinam transfertur, elementum formale est ipse respectus *ad*, quo Pater est Pater, et elementum materiale est respectus *in*, quo Pater dicitur Deus, inde est relatio (form.) subsistens (mater.) Iam vero ecquis non videat, haec sibi perfecte respondere? Elementum quippe personalitatis formale, sive ratio distinctiva, habetur in persona divina ab elemento formali relationis, id est, a respectu oppositionis Patris ad Filium; elementum personalitatis materiale, sive ratio dignitatis, in persona divina habetur ab elemento materiali relationis, seu a respectu subsistentiali Patris ad naturam divinam.

4) Porro in persona tum essentia tum relatio duplicem respectum habent. *a*) Essentia habet α) respectum essentiae uti essentia est, β) respectum essentiae uti est hypostasis. Pariter *b*) relatio habet respectum α) relationis uti relatio est, praedicans *ad aliquid*, β) relationis uti subsistens est, praedicans *in aliquo*, sed substantialiter. Quando ergo quaeritur, utrum persona divina dicat in recto essentiam an relationem, solutio pendet a significatione utrique vocabulo tributa. Si intelligis essentiam iuxta respectum α) et relationem iuxta respectum β), dicendum est, personam divinam in recto dicere relationem, in obliquo essentiam. Si intendis essentiam iuxta respectum β), relationem vero iuxta respectum α), respondendum est e converso, personam divinam in recto dicere essentiam, in obliquo relationem.

5) Quaestionem autem de praeferenda ex alterutra solutione solve iuxta elementum praedominans in analysi personalitatis, et iuxta significationem magis obviam utriusque vocabuli essentiae et relationis, quando in divina persona considerantur. Quum igitur ex una parte elementum distinctionis seu individualitatis, formale personae constituat, et ex altera parte essentia relationi comparata in sensu nudae essentiae magis obvie intelligatur, solutio quaesiti praeferenda est haec ipsa quam praefert Angelicus: in persona scilicet divina relationem (utique subsistentem) praedicari in recto, essentiam autem (utique uti essentiam) praedicari in obliquo.

II. Ad **Textum**. - *1. Obi.* Confundit in relatione respectum *ad aliquid* cum respectu *in aliquo*, qui aliquo modo medium se habet inter essentiam et relationem uti relationem.

2. Obi. Non attendit ad sensum genericum vocis *quid*, iuxta quem potest dici non solum de natura, sed et de supposito, imo de quocumque conceptu qui aliqualem realitatem sive subiective, sive obiective habet.

3. Obi. Non distinguit rationem personae in genere a ratione personae divinae: in Deo quippe hoc praecise proprium est, quod personalis distinctio formaliter per relationem constituitur.

4. Obi. Eodem vitio laborat. Insuper non attendit ad

duplicem significationem praedicationis univocae. Quatenus nihil univoce praedicatur de Deo simul et de creaturis, utique nec persona simul de Deo et de creaturis univoce dici potest. Quatenus autem in conceptu personae intenditur de Deo et de creatis idem formale, scilicet substantia nobilior uti in se ab alia distincta, persona de Deo et de creaturis non mere praedicatur aequivoce [1].

Sed contra est. Accipe ex integro celeberrimum Boëthii locum. Probato in prima huius libri parte, substantialiter praedicari quaecumque de singulis personis praedicari possunt, pergit: « Unde apparet, ea quaecumque in singulis « separatim dici convenit, nec tamen in omnibus dici queunt, « non substantialiter praedicari, sed alio modo. Qui vero iste « sit, posterius quaeram. Nam qui Pater est, hoc vocabulum « non trasmittit ad Filium, neque ad Spiritum Sanctum. Quo « fit, ut non sit substantiale nomen hoc indictum. Nam si « substantiale esset, ut Deus, ut veritas, ut iustitia, ut ipsa « quoque substantia, de caeteris diceretur. Item Filius solus « hoc recipit nomen. Neque enim cum aliis iungitur, sicut « in Deo, sicut in veritate, sicut in caeteris, quae superius « dixi. Spiritus quoque Sanctus non est idem, qui Pater ac « Filius. Ex his ipsis intelligamus Patrem et Filium et Spiri- « tum Sanctum non de ipsa divinitate substantialiter dici, sed « alio quodam modo ». Et paucis interiectis, quae brevitatis causa omitto, pergit: « Quo fit, ut nec Trinitas substantialiter « de Deo praedicetur. Non enim Pater Trinitas; qui enim « Pater est, Filius ac Spiritus non est, nec Trinitas Filius, « nec Trinitas Spiritus secundum eumdem modum. Sed Tri- « nitas quidem in personarum pluralitate consistit, unitas « vero in substantiae simplicitate. Quod si personae divisae « sint, substantia vero indivisa sit necesse est, vocabulum, « quod ex personis originem capit, id ad substantiam non « pertinere; at Trinitatem personarum diversitas facit. Trini- « tas igitur non pertinet ad substantiam. Quo fit, ut neque « Pater, neque Filius, neque Spiritus Sanctus, nec Trinitas « de Deo substatialiter praedicentur; sed, ut dictum est, *ad* « *aliquid* ». Doctrinam hoc loco vindicatam consonam tradi-

[1] Cf. de praedicatione aequivoca et univoca S Th. I. Dist. XXIII q. 1. a. 3; necnon dicta in nostro tractatu *de Deo Uno*.

tioni Patrum egregie ostendit Petavius [1]. De mente S. Augustini mox fuse dicetur [2].

In Corpore. Argumentatio duas partes comprehendit. In priori status Quaestionis ponitur; in altera suam Angelicus doctrinam evolvit.

I. Pars. Initio Aquinas exhibet principium unde petenda sint ratio ac momentum praesentis Quaestionis: doctrinam quippe catholicam contra Sabellium simul et Arium. Contra Sabellium quidem, quia revera tres distincti sunt quibus competit esse personam; contra Arium, quia hi tres sunt in una natura. Quaerendum ergo est de significatione *personae* his tribus a catholicis Patribus et Conciliis applicatae.

Iamvero quatuor sensus dari possent principaliores. - 1) Persona nihil aliud ponit quam essentiam. - 2) Persona mere dicitur ad aliquid. - (Utrumque confutatur ex ipso modo quo noster incipit de ipsa Quaestione discursus.) - 3) Persona re utrumque significat, sed per se solum essentiam; relationem vero mere ex usu loquendi. - 4) Per se significat utrumque.

Sensus 1. et 2. haeretici sunt. Sensus vero tertius non est haereticus; sed procedit ex falso supposito ac si vox *persona*, per se nihil ultra substantiam vel essentiam ponens, iam ante controversiam in usu fuisset ad significandam solam essentiam; extensa nihilominus ad tres hypostases propter calumnias haereticorum. Iam vero praeterquam quod praecise usus *hypostaseos* graece et *personae* latine propter necessitatem disputationis introductus est, si talis fuisset origo vocis *personae* ad tres applicatae, tunc, ut notat optime Angelicus, calumnia fuisset adaucta magis quam sedata. Quare dicendum ideo electam esse vocem *personam*, quia per se nata est significare praecise illud quod praeter essentiae substantiam hypostases in Deo constituit.

Quartus autem sensus, in quo stat veritas, duos sub se continet, secundum quod in personae significatione prioritas relationi vel essentiae tribuitur.

Iure merito praefert S. Th. alteram sententiam, eamque in secunda parte probat: sententiam vero quam ibi subiun-

[1] *De Trin.* l. IV. c. 11.

[2] Apparet, haec verba Boëthii simul confirmare quae superius de relationibus dicta sunt, et praeoccupare quae mox de trinitatis vocabulo erunt dicenda.

git, secundum quam in recto poneretur essentia, differt aliquantulum a sententia quae heic prior invenitur. Quare simpliciter in hac parte argumenti alteram praeferendam esse affirmat, quin eam tam absolute probet.

II. Pars quatuor membris constat.

1) *In primo membro* S. Thomas probat, aliam esse posse specificam rationem personae humanae et personae divinae. - 2) *In secundo membro* quaerit terminum utrique personalitati communem, quem pulcherrimo discursu, analysi scilicet vocis *individua*, obtinet. Est nempe formale individui illud quod facit rem esse in se indistinctam, ab aliis vero distinctam. Illud formale in creatis est distinctio inter *esse* et *hoc esse;* - in Deo vero, in quo *esse* et *hoc esse* unum sunt, non est aliud quam *relatio.* Quae tamen relatio propter utrumque respectum summi entis, identificatur re cum natura divina. - 3) *In tertio membro* conferuntur inter se duo modi praedicandi, quin priori alia quam loci praeferentia tribuatur. Confer quae de utroque modo loquendi in praeambulo ad textum diximus, et videbis, alterum modum non identificandum esse cum modo qui in priori parte minus probatur. Ratio autem cur S. Th. ibidem non simpliciter alteri sententiae subscribit, est quia, iuxta duplicem intellectionem terminorum, utraque solutio bona est. - 4) *In quarto membro* contra tertium sensum in priori parte expositum, vindicat significationem propriam huius vocis *personae.* Quare ante determinatum hunc sensum, persona nunquam ponebatur nisi pro aliquo absoluto. Relativus vero sensus ei adiunctus est, ad quem exprimendum vocabulum *personae* habilitatem praehabebat, quatenus illud ipsum exprimit per quod formaliter aliquid distinctum ab alio subsistit.

Utramque solutionem a S. Th. agnitam hoc schemate expressam tene.



Lege longiorem discursum S. Th. in I. Dist. XXIII, e quo iuvat afferre modum quo S. Doctor inter se confert praedicationem Deitatis, Dei, Patris, Paternitatis et Personae.

« Si accipiamus ista quatuor, scilicet deitatem, Deum, « Patrem, paternitatem, constat quod ipsi *Deitati,* prout sic « significatur ut natura quaedam, non convenit ratio personae « dupliciter: primo, quia non significatur ut per se subsistens; « secundo, quia est commune pluribus, et persona significat « distinctum quid. - Similiter hoc nomen *Deus* non habet ra- « tionem personae: quia quamvis significetur ut subsistens, « non tamen habet rationem distinctionis; quia sicut Pater et « Filius conveniunt in hoc quod est Deitas, ita conveniunt in « hoc quod est Deus. Sed verum est, quod, si tolleretur plura- « litas personarum et per consequens communitas huius no- « minis Deus, hoc nomen Deus significaret personam quam- « dam distinctam ab omnibus aliis naturis proprietatibus es- « sentialibus. Unde hoc nomen Deus significaretur ut persona « quaedam. Similiter etiam *Paternitas*, cum non significetur « ut quid subsistens, nec ut distinctum, sed ut distinguens, « non significatur per modum personae. - Similiter *Pater,* « quamvis significetur ut quid distinctum, non tamen signifi- « catur ut subsistens in natura aliqua, sed magis ut subiec- « tum cuidam proprietati. Unde sicut album de ratione nomi- « nis sui non est nomen personae, ita nec Pater; sed in quan- « tum Pater et Deus sunt idem, non quidem sicut accidens et « subiectum, sed per omnimodam rei indifferentiam; sic Pater, « in quantum est Pater Deus, habet ut sit persona. Et ideo « dico, quod *persona in divinis significat relationem per* « *modum substantiae* ». Quam sententiam his aureis verbis evolvit: « Ipsa enim relatio, quae est distinguens, est distinc- « tum, quia Paternitas est Pater. Et quia persona significat « quid distinctum existens in natura aliqua, ideo constat quod « significat relationem in quantum ipsa relatio est ipsum re- « latum, et in quantum ipsum relatum est subsistens in tali « natura. Et ideo patet quod persona significat relationem per « modum substantiae, non quae est essentia, sed quae est sup- « positum habens essentiam ».

Utramque autem solutionem in hoc *Corpore* probatam, interpretatur et hic iuxta eamdem doctrinam: « Qui dixerunt,

« quod (persona) significat substantiam in recto, attenderunt « substantiam quae est essentia ».

Parumper aliter Angelicus loqui videtur in Q. Disp. *de Pot.,* XI. 4, ubi docet, personam in divinis significare quidem relationem, sed materialiter tantum, non formaliter. Sed oppositio est mere in terminis. Etenim relationis formale est respectus *ad aliquid,* materiale respectus *in aliquo.* Iam vero ubi agitur de persona, distincta in seipsa, relatio non ingreditur significationem personae in quantum est relatio, nisi in obliquo. In recto autem eam ingreditur in quantum dicit *in aliquo;* nec eam ingreditur solum, sed tanquam formale eius, quum persona constituatur formaliter per respectum distinctionis, materialiter per respectum subsistentiae. Ergo nomen personae significat formaliter respectum materialem relationis in se consideratae. - In *Summa* tamen S. Th. relativo respectui personae plus tribuisse dicendus est.

Appendix de Mente S. Augustini, S. Bonaventurae et Petavii.

I. **S. Augustini** mentem penitius investigare iuvat, quaerendo nempe utrum necne in praesenti argumento cum Boëthio et S. Thoma concordet. Iam vero sedulo perpensa dissertatione fusiori quam huic nostro quaesito per dimidium librum VII tract. de SS. Trinitate devovet, fatendum est, in hac quaestione Hipponensem et Angelicum vix inter se componi posse. Ne nimii simus, sequentes citationes sufficiant: integer textus otium habenti adeundus est atque perscrutandus.

Discursum S. Augustinus inducit hoc modo. « Itaque lo- « quendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, « quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris Graecis « una essentia, tres substantiae, a Latinis autem, una essentia « vel substantia, tres personae; quia, sicut iam diximus, non « aliter in sermone nostro, id est, latino, essentia quam sub- « stantia solet intelligi. Et dum intelligatur saltem in aenig- « mate quod dicitur, placuit ita dici, ut diceretur aliquid cum « quaereretur quid tria sint: quia tria esse, fides vera pronun- « tiat, cum et Patrem non dicit esse Filium, et Spiritum San-

« ctum, quod est donum Dei, nec Patrem dicit nec Filium. « Cum ergo quaeritur, quid tria, vel quid tres, conferimus « nos ad inveniendum aliquid speciale vel generale nomen, « quo complectamur haec tria; neque occurrit animo, quia « excedit supereminentia divinitatis usitati eloquii facultatem. « Verius enim cogitatur Deus quam dicitur, et verius est « quam cogitatur ». Et multis interiectis comparationibus, de modo praedicandi per nomen commune pluribus applicatum, pergit: « Pater ergo et Filius et Spiritus Sanctus, quoniam « tres sunt, quaeramus quid sint tres, et quid commune ha- « beant ». Quaesitum solvit per exclusionem. Commune non est esse Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. Oportet ergo commune dari aliquod nomen sive speciale, sive generale. Generale esse nequit propter identitatem singulorum cum eadem una natura. Speciale autem in persona non invenitur. Insuper si generale, quia tribus est commune esse personam, cur non tres Deos dicimus? Aut si dicis, hoc esse contra Scripturas: cur non saltem aequo iure tres essentias praedicamus? Si dicis, obesse unitatem: cur non obest quominus tres dicamus personas? Et anceps mente pergit: « Quid igitur restat, nisi ut fatea- « mur loquendi necessitate parta haec vocabula, cum opus « esset copiosa disputatione adversum insidias vel errores « haereticorum? Cum enim conaretur humana inopia loquen- « do proferre ad hominum sensum, quod in secretario mentis « pro captu tenet de Domino Deo Creatore suo, sive per piam « fidem, sive per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere « tres essentias, ne intelligeretur in illa summa aequalitate « ulla diversitas. Rursus non esse tria quaedam, non poterat « dicere, quod Sabellius quia dixit, in haeresim lapsus est.... « Quaesivit quid tria diceret: et dixit substantias sive personas, « quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed sin- « gularitatem voluit: ut non solum ibi unitas intelligatur ex « eo quod dicitur una essentia, sed et trinitas ex eo quod di- « cuntur tres substantiae vel personae ». In sequentibus autem indolem oeconomicam huius terminologiae ita urget, ut a praedicatione per nomen *personae* relativum excludat. « Nam si « hoc est Deo esse quod subsistere, ita non erant dicendae « tres substantiae, ut non dicuntur tres essentiae; quemad- « modum quia hoc est Deo esse quod sapere, sicut non tres

« essentias, ita nec tres sapientias dicimus. Sic enim quia hoc « illi est Deum esse quod est esse, tam tres essentias quam « tres deos dici fas non est. Si autem aliud est Deo esse, aliud « subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse vel Do- « minum esse; quod enim est ad se dicitur, Pater autem ad « Filium, et Dominus ad servientem creaturam dicitur: rela- « tive ergo subsistit, sicut relative gignit, et relative domi- « natur. Ita iam substantia non erit substantia, quia relativum « erit. Sicut enim ab eo quod est esse appellatur essentia, « ita ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus. Ab- « surdum est autem ut substantia relative dicatur: omnis enim « res ad se ipsam subsistit: quanto magis Deus? » [1] Dein paucis interiectis, ad ostendendum quam improprie de Deo substantia praedicetur, concludit: « Sed tamen sive essentia dicatur, quod « proprie dicitur; sive substantia, quod abusive; utrumque ad « se dicitur, non relative ad aliquid. Unde hoc est Deo esse « quod subsistere, et ideo si una essentia Trinitas, una etiam « substantia. Fortassis igitur commodius dicuntur tres per- « sonae, quam tres substantiae » [2].

Iam vero neque hoc concedit [3], et quidem propter eamdem rationem, quia nomen personae non minus quam substantiae absolutum, non relativum, praedicat. Audiamus hanc partem forte principaliorem totius discursus. Pareat lector longiori citationi: nisi integra verba afferantur, arguentis via minus redditur manifesta. « Sed ne nobis (Latinis scil.) videar suf- « fragari, hoc quoque requiramus. Quamquam et illi Graeci, « si vellent, sicut dicunt tres substantias tres hypostases, pos- « sent dicere tres personas tria prosopa. Illud autem malue- « runt, quod forte secundum linguae suae consuetudinem « aptius diceretur. Nam et in personis eadem ratio est: non « enim aliud Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem. « Nam si esse ad se dicitur, persona vero relative; sic dicamus « tres personas, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quem- « admodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, « aut tres vicini, quod sint ad invicem, non quod unusquisque « eorum sit ad seipsum. Quapropter quilibet ex eis amicus

[1] *P. L.* t. XLII, col. 939. sqq.
[2] Cap. 5. — Ibid. col. 941, seq.
[3] Ibid.

« est duorum caeterorum; aut propinquus aut vicinus, quia « haec nomina relativam significationem habent. Quid ergo? « num placet ut dicamus, Patrem personam esse Filii et Spi- « ritus Sancti, aut Filium personam esse Patris et Spiritus « Sancti, aut Spiritum Sanctum personam esse Patris et Filii? « Sed neque persona ita dici alicubi solet, neque in hac Tri- « nitate cum dicimus personam Patris, aliud dicimus quam « substantiam Patris. Quocirca, ut substantia Patris ipse Pater « est. non quo Pater est, sed quo est; ita et persona Patris, « non aliud quam ipse Pater est; *ad se quippe dicitur per-* « *sona,* non ad Filium vel Spiritum Sanctum; sicut ad se di- « citur Deus et magnus et bonus et iustus, et si quid aliud « huiusmodi. Et quemadmodum hoc illi est esse quod Deum, « quod magnum, quod bonum esse; ita hoc illi est esse quod « personam esse ». Et concludit iterando illud a quo incepit: « Cur ergo non haec tria simul unam personam dicimus, « sicut unam essentiam et unum Deum, sed tres dicimus « personas, cum tres deos aut tres essentias non dicamus; « nisi quia volumus vel unum aliquod vocabulum servire huic « significationi qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus « interrogati, quid tres, cum tres esse fateremur? » [1]

Haec omnia sane ingeniosa, subtilia, eloquentia. At, pace tanti Doctoris dixerim, in hoc toto discursu S. Augustinus arguit per dilemma cuius disiunctio parumper claudicare videtur. Aut nomina *substantia, persona* dicunt absolutum, aut dicunt relativum. Addo tertium, scilicet: aut utrumque simul dicunt; quod in divinis obtinet. Considerans substantiam uti subsistentiam, personam uti subsistentem, negat ea significare relationem uti relationem. At non inde sequitur, personam et hypostasin in divinis non significare relationem, uti subsistentem.

Putamus ergo S. Thomam hanc doctrinam S. Augustini prae oculis habere in sententia quam in prima parte huius *Corporis* confutat. Et certe ratio quam a priori adducit, validissima est. Si enim eo iure possent dici in Deo tres essentiae, tres et dii quam tres personae dicuntur, nedum per formulam

[1] Cap. 6. — Ibid. col. 943. Simillima leguntur apud S. FULGENTIUM (Lib. *de Trinit.* et *Inquis. I. ad Ferrand.*).

hanc haereticorum calumniae sedatae fuissent, alimentum novum potius ab ea excepissent.

Quibus simul perpensis, videtur Boethius nimis insistere in significationem relativi, substantialem praedicationem a nomine personae in divinis veluti excludendo; S. Augustinus ex opposito non satis considerare elementum relativi in significatione personae divinae contentum [1]; S. Thomas autem utramque sententiam coniungens, arduum quaesitum miro acumine solvit.

II. **S. Bonaventurae** doctrinam pariter investigare lubet. Quaerit S. Doctor in I. Dist. XXV. a. 1. q. 1, utrum in Deo nomen *persona* secundum substantiam an secundum relationem dicatur. En discursum longiorem schemate expressum.

I) Sententiae non admittendae exponuntur et confutantur.	1ª.) Distinguit iuxta diversitatem *numeri:*	*a*) persona in singulari, sec. substantiam; *b*) in plurali, sec. relationem;	Non valet	*a*) nec in se: idem sensus adesse debet in utroque; *b*) nec ad propositum: dicitur in singulari alia persona Patris.
	2ª.) Distinguit secundum diversa *tempora:*	*a*) ante usum Ecclesiae, sec. substantiam; *b*) postea, sec. relationem;	pariter non valet:	*a*) nec in se: tunc usus fuisset sine legitimo fundamento; *b*) nec ad propositum: quaeritur nunc de utroque.
II) Vera sententia proponitur et vindicatur.	Persona iuxta duplex elementum quo constat, dicitur secundum utrumque, aliter tamen et aliter: est enim persona	1) suppositum certum substantiae, unde dicitur	secundum substantiam	*principalius*, quantum est de *generali* et *primo* nominis intellectu;
		2) proprietate distinctum, unde dicitur	secundum relationem	quantum est de *speciali* et *ultimo* nominis intellectu.

Optima sane doctrina, dummodo istud II) 2) intelligatur de persona non qualicumque, sed divina.

III. **Petavius** tam acriter tenet doctrinam Boëthii in *Sed contra est* vindicatam, ut aliquantulum limites excedere videa-

[1] In sententiam S. Augustini Lombardus inclinat (I Dist. xxv) et Hugo Victorinus (Tract. I. Summ. Sent. c. 9).

tur, absolutum a significatione personae divinae excludendo. En eius verba. « Cum nulla creatarum substantiarum pro-« prietas personalis relatione constet, nihil ex prima sua impo-« sitione tale intelligentiae nostrae subjecit; sed quiddam « absoluti. Postquam autem velut e proprio solo in peregrinum « traiici coepit, et ad divinas substantias accommodari, quas « solae relationes constituunt: castiganda consuetudo est « humani sensus; et ad id, quod subiectae rei proprium est, « vocabuli istius exigenda notio. Quocirca cum de divinis « personis ita loqui non dubitem: Pater persona est ad « Filium; Filius persona est ad Patrem; Spiritus Sanctus ad « utrumque persona est. Quod hunc sensum continet: Pater « non est persona nisi comparatus ad Filium; Filius item « ad Patrem »: etc. [1]. Quod nimium sane personam divinam ad relationem contrahit.

Conclusio. Quid ergo? Standum est doctrinae S. Thomae et S. Bonaventurae. Utique fides, transferendo nomen personae ad personas divinas, perfecit significationem eiusdem nominis ,quemadmodum de relatione superius exposuimus; at in sensu opposito. Trinitas enim demonstrat respectum *in aliquo* relationis posse esse subsistentialem, non accidentalem. Pariter nos docet, elementum *individui*, quo constituitur persona, posse esse relationem. Nihilominus iste respectus iam prius nomini personae inerat, licet de speciali individuatione per relationem non cogitaretur.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Persona optime definitur cum Boëthio: « Rationalis « naturae individua substantia » sumendo scilicet vocabula: *rationalis*, *natura*, *substantia*, in sensu latiori, generico; vocabulum autem *individua* in sensu pressiori. (a. 1.) - 2) Ita definita persona non addit subsistentiae et hypostasi nisi gradum naturae rationalis, sive intellectualis; essentiae autem, etiam primae, addit principium perficiens individuationem. (a. 2.)

3) Quum iam persona dicat perfectionem simpliciter sim-

[1] Op. cit. loc. cit. n. 12.

plicem, legitime praedicatur de Deo, licet non univoce, propter eminentem modum quo personalis perfectio in Deo reperitur. Est scilicet divina persona « divinae naturae in- « communicabilis existentia ». (a. 3.) - 4) Porro vocabulum *persona* translatum ad subistentiam in divina natura exprimendam, significet necesse est principium distinctionis quale in divinis habetur; hoc autem est ipsa relatio uti subsistens. Persona ergo divina non solum dicit essentiam absolutam, sed et relationem; imo magis in recto relationem, utique uti subsistentem, quam ipsam essentiam (a. 4.).

QUAESTIO XXX.

DE PLURALITATE PERSONARUM IN DIVINIS.

Ordo Quaestionis manifestus est. S. Thomas 1) quaerit de ipsa pluralitate *a*) in genere, *b*) determinate. Probato autem tres esse personas, 2) quaerit de significatione huius praedicationis *a*) quoad numerum, *b*) quoad personam in communi.

ARTICULUS I.

UTRUM SIT PONERE PERSONAS PLURES IN DIVINIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Agnita summa Dei unitate ac simplicitate, humana ratio sibi relicta de pluribus personis in Deo uno nunquam cogitasset; nunquam enim potuisset ad talem pluralitatem invenire fundamentum, quod absoluta attributa non simul infecisset. Deus autem ipse revelavit se esse simul unum et trinum; atque illustrata superne theologia certissimo discursu, uti vidimus, fundamentum Trinitatis investigavit, asserens Deum esse simul τὸ summe Absolutum, et τὸ summe Relativum. Unitas proin Dei in absoluto esse, Trinitas vero personarum in relationibus fundatur.

2) Quae relationes ideo faciunt *personas,* quia sunt reales et subsistentes; ideo faciunt *plures distinctos*, quia uti sunt ad invicem, oppositionem involvunt.

3) Quo magis deinceps in qualemcumque mysterii intellectionem ingredimur, eo magis utrumque respectum ne per instans ab oculo mentis dimitti oportet. Quod si aliqualiter animo reverentiali praestare conarentur superbi illi viri rationalistae, non deplorandas de tam excelso argumento eructarent insanias, quales inter alios Strauss, tabescens nedum arguens, centenis in locis deprompsit [1].

4) In praesenti autem argumento de numero, ad solvendas difficultates duo animadvertere sufficit. *a*) Semper in praedicando numero in divinis respectus habetur non solum ad relationes, sed ad eorum ad invicem oppositionem. *b*) Distinguendus autem est numerus idealis a re numerata. Numerus idealis sive absolutus non est nisi numerationis resultans, nullamque per se in numerato rationem partium involvit. Res autem numerata est ipsius numerationis in re fundamentum; quod fundamentum compositionem et divisibilitatem inducit necne, secundum quod numerata sibi invicem necne, ratione aequalitatis in eodem communi, identificantur.

II. **Ad Textum.** - Vix aliqua in toto articulo difficultas occurrit. Animadvertere tamen quaedam pauca iuvat.

1. Obi. Iterum nota, quae supra diximus de usu vocis substantiae. Per se solam substantia, etiam intellecta de substantia prima, nondum ponit subsistentiam, quatenus incommunicabile non formaliter significat. Addita tamen voce *individua*, identificatur cum hypostasi. Unde inconveniens petitum ex identitate essentiae cum substantia, perfecte vitatur.

2. Obi. Non considerat in relationibus divinis realem oppositionem ad invicem. Constituunt scilicet plures personas non quatenus relationes dicunt, sed relationes sibi oppositas. Inde gignens et spirans, licet duplicem relationem exprimant, non constituunt in Patre duplicem personam.

3. Obi. Negligit dicta n. 4, *a*.

[1] Cf. dicenda inferius, ubi de habitudine rationis ad cognitionem divinarum personarum.

4. Obi. Non attendit ad distinctiones expositas n. 4, *b*.

Sed contra est. Adde ex eodem Symbolo: « Sicut singil- « latim unamquamque personam Deum ac Dominum confi- « teri christiana veritate compellimur, ita tres deos ac domi- « nos dicere catholica religione prohibemur ». Scilicet ita numerus propter relativorum oppositionem praedicatur, ut unitas in absolutis nullum inde detrimentum capiat. In quo utroque evolvendo tota agit prior pars huius mirabilis Symboli. Quod non impedivit Strauss, quin scriberet: « Wer das « Symbolum *Quicumque* geschworen hat, der hat den Ge- « setzen des Denkens abgeschworen » [1]. Huc faciunt quotquot ecclesiasticae auctoritates varios errores damnaverunt, qui in Deo veram pluralitatem impugnant: uti haereses Noëti, Sabellii etc., etc. Huc quoque facit cum acervo testimoniorum e Scripturis depromptorum, tota catholica traditio superius vindicata.

In Corpore. Argumentum simplicissimum. Persona divina est relatio subsistens; atqui tales in Deo dantur plures; ergo in divinis plures dentur personae oportet.

Ad 2m. Observa discrimen quo absoluta et relativa diversimode se habent in creatis et in Deo. In Deo absolutae proprietates sunt subsistentes, sed non distinctae realiter. In creatis vero absolutae proprietates (v. gr. albedo) non sunt subsistentes, sed sunt realiter ab invicem distinctae. — Proprietates autem relativae in Deo sunt simul subsistentes et realiter distinctae. In creatis possunt esse reales vel non reales; nunquam autem sunt subsistentes, quia, si reales, accidentales sunt.

Ad 4m. Certum omnino ex fide est, Deum esse simul unum et tres, quatenus est unus et trinus. Unde unum et tria in eo inveniuntur. Sed ex hoc numero non maior compositio per partes sequitur, quam continetur in ipsa re propter quam numerus inest. Unde quum insit propter relationes oppositionis, quousque non probatur tales oppositiones facere compositum ex partibus, nihil per solum numerum obtinetur.

Tunc solum numerus facit compositionem quando pro fundamento habet aliquam quantitatem vel qualitatem, quae

[1] GLAUBENSLEHRE, t. I, p. 460.

ratione realis multiplicationis facit vel imperfectum unumquodque cui competit, vel limitatum et compositum totum cui multitudo adscribitur.

Reliqua patent.

ARTICULUS II.

UTRUM IN DEO SINT PLURES PERSONAE QUAM TRES.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Recolamus initio quaecumque hucusque ad praesentem quaestionem spectantia accepimus, ut via magis strata appareat. *a*) Habemus in Deo esse duas processiones distinctas: unam per intellectum, alteram per voluntatem. - *b*) Pariter processionem per intellectum praecedere processionem per voluntatem. - *c*) Relationes per illas processiones determinari quatuor reales, quia utraque duos terminos oppositos ponit. - *d*) Distinctionem realem per ipsam oppositionem determinari, non per solam realitatem. - *e*) Relationem in natura divina subsistentem, esse personam. - *f*) Personas has esse plures propter oppositionem relationum ad invicem.

2) Quaerere ergo de numero personarum, est simul quaerere de relationibus subsistentibus et de earum oppositione; nam oppositio facit distinctionem; distinctio vero numerum. Quare licet omnis relatio realis sit persona in Deo, non ideo tot sunt personae quot sunt relationes reales; sed tot sunt quot sunt relationes oppositae, in eadem subsistentia dissociabiles.

3) Applicando iam haec principia habemus: *a*) in prima processione Patrem et Filium duas personas distinctas; quia concurrit utrumque: α) relatio subsistens, β) cum oppositione ad invicem.

b) In altera processione habemus spirans principium et procedentem terminum; ac proin rursus saltem duas personas propter idem, personam spirantem et Spiritum Sanctum.

Unde secundum quod adsit ratio propter quam hae duae personae aliqualiter identificentur cum praecedentibus, habebimus vel quatuor vel tres, vel duas personas. — Quatuor, si neutra amborum; tres, si una tantum; duas, si utraque cum duabus primis identificatur.

4) Iam vero hoc ultimum repugnare, ita ostenditur. Si hoc haberetur, esset vel *a*) quia Pater idem est cum Spirante et Spiritus cum Filio; vel *b*) quia Pater est Spiritus, et Filius Spirans. — Prius *a*) dari nequit, quia non haberemus duas processiones distinctas, sed unam tantum; et proin non quatuor relationes reales, sed duas solummodo, quod aperte falsum est, et contra diserta Scripturarum testimonia, quibus Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedere dicitur.

Alterum *b*) adhuc minus dari potest, quia apertam ponit circulationem: Pater enim simul produceret Filium et produceretur ab illo, quod repugnat. Insuper Pater esset a seipso, quum Spiritus, iuxta Scripturas, a Patre procedat.

5) Ergo plus quam duae personae sint oportet; sunt ergo vel tres vel quatuor. Non esse quatuor, ita probatur. — Supra positum est, relationes oppositas efficere pluralitatem personarum. Iam vero per se neque paternitas neque filiatio opponuntur spirationi, sive processioni; ergo alterutra ex duabus relationibus illis convenire dicenda est, id est ambabus, personis Patris et Filio, quia eadem pro utraque ratio convenientiae valet.

Iam vero processio nequit esse, quum sit terminus processionis per amorem; ac repugnet processionem amoris in divinis praecedere intellectualem; est insuper manifesto contra Scripturas, in quibus Spiritus dicitur Patris et Filii.

Relinquitur ergo ut spirans identificetur cum Patre et Filio, sive spiratio cum paternitate et filiatione.

6) Habemus ergo relationes et personas ita se compenetrantes, ut unum relationis principium duobus personis competat hoc modo:

relatio paternitatis — relatio filiationis
persona Patris — persona Filii

relatio spirationis — relatio processionis
persona Patris et Filii — persona Spiritus Sancti.

II. **Ad Textum.** - Obiectiones procedunt vel contra numerationem determinatam, utpote per se contrariam divinae immensitati; vel contra talem numerationem, quae scilicet ponat *tres*. Ex prima ratione procedit *Obi. 1.*; ex altera, reliquae. Et quidem diversimode: potest enim numerus iste

impugnari vel a parte relationum, quae sunt plures (obi. 2.); vel a parte principiorum processionum, quae plura esse deberent (obi. 3, 4, 5). Quas ultimas obiectiones patet redire in difficultates iam enodatas in ultimo articulo Quaestionis primae, ubi de absoluto numero processionum agebatur.

1. Obi. Haec obiectio doctrinam praeoccupat de notionibus in divinis; de qua infra fusior sermo erit. Interim adverte, aliam esse *proprietatem*, aliam *relationem propriam*. Nam dari potest quaedam proprietas, quae tamen non sit relatio: v. gr., in Patre *ingenitum* esse, proprium est ipsi; et tamen per hoc nulla relatio in eo exprimitur; sicut in Spiritu Sancto non esse fecundum ad tertiam processionem, non est relativum sed proprium.

2. Obi. Responsio desumitur ex ipsa doctrina quae continetur in formula a nobis supra tradita: Spiritus Sanctus procedit *cum* similitudine, sed non formaliter *per* similitudinem. Iamvero per similitudinem communicatur natura tanquam per generationem intellectualem. Quare natura quoad processionem materialiter cum utraque convenit, formaliter cum prima tantum.

3. Obi. "*Quia eius perfectio est per modum compositionis*". Nempe quaecumque ad materiam pertinent, per scalam ascendentem multiplicant perfectiones. Quae autem pertinent ad spiritualem substantiam, per scalam ascendentem rarificant operationes. Homo proin, utpote positus in supremo gradu materialitatis et in infimo spiritualitatis, duplici veluti ex fonte plures operationes habet. In Deo vero, summo spiritu, non habentur nisi duae operationes, intellectus et voluntatis, quae complent vitam internam, quarum utraque est perfecta, ac proin nonnisi unica esse potest.

4. Obi. Sicuti supra vidimus, ponere in Verbo fecunditatem ad aliud Verbum, est ponere duos intellectus vel imperfectum Verbum; ita quoque ponere Spiritum Sanctum fecundum ad novum Spiritum, est ponere duplicem amorem, vel imperfectam spirationem. Quare perfectio vera quae huic infinitae operationi ab ipsa multiplicatione videretur accedere, suppletur per genuinam intelligentiam divinae aeternitatis, ratione cuius, unica et perfecta actio spirandi, sicuti non habuit initium, ita caret et fine.

5. *Obi.* Ex hac obiectione habes, mensuratum aliud in Deo poni non posse, nisi relationes. Quare re vera concedi potest, tres esse res relativas, tria entia relativa, quo sensu Anselmum loquentem audivimus; nam Pater et Filius non sunt solum ab invicem distincti quatenus ab invicem procedunt; sed etiam quatenus sunt Pater et Filius. Secus in hoc termino "*realis relatio*" haberetur cavillatio; nam distinctio quae poneretur per relationem, destrueretur per eiusdem realitatem.

Sed contra est. Recole hic omnes Scripturarum Patrumque auctoritates quibus superius Trinitatem personarum divinarum demonstravimus.

In Corpore. Argumentum duas praecipuas habet partes. In priore S. Thomas principium demonstrat a quo quaestionis solutio petenda est. In altera iuxta idem principium demonstrat, tres in Deo personas esse praedicandas. Quae quidem demonstratio de Patre et Filio nullam difficultatem parit; sed aliquantulum subtilior fit discursus, ubi probandum est, spirationem et processionem, licet duas novas relationes ponant, non tamen duas novas constituere personas, nec nullam novam; sed unam, procedentem scilicet, quia spiratio, utpote nullam contradictionem ad paternitatem nec ad filiationem involvens, utrique communiter convenit. Discursum Angelicus solum absolvit quoad hypotheses minus absurdas. Si vis omnes possibilitates plenius exhaurire, habes (praeter exposita n. 3.) sequentem discussionem, brevitatis causa signis algebraicis illustratam.

Sint igitur duae processiones, producentes quatuor relationes:

I		II	
Pater	Filius	Spirans	Procedens
A	B	C	D

De quibus variae institui possunt hypotheses.

I. Hyp.: A, B, C, D, = personae *quatuor.* — Falsum, quia ponit inter C et A ac B oppositionem, quae omni caret fundamento; insuper nexum tollit quo geminae processiones vitaliter colligantur.

II. Hyp.: A, B, C, D, = *duae* personae. Hoc autem triplici modo intelligi potest:

1) A = C et D; vel B = C et D. — Repugnat, non minus enim sibi opponuntur C et D, quam A et B; unde in hac hypothesi nonnisi una persona superesset.

2) A = C, B = D. — Falsum, nam tollit duplicem processionem; unde Scripturis contradicit.

3) A = D, B = C. — Iterum falsum, nam in primo membro ponit circulationem, contradictionem manifestam.

III. Hyp: A, B, C, D = *tres* personae. Quod rursus tripliciter intelligi potest:

1) A et B = D, quod totum subvertit.

2) A et B = C, quod catholicam veritatem exprimit.

3) A = C; B extra alteram processionem activam manente, quemmadmodum haeresis photiana autumat; quod fundamento caret, oppositionem gratuito supponit inter B et C, ac tollit aequalitatem inter A et B.

Facile perspicies, quasnam ex his hypothesibus S. Th. explicite sive saltem implicite tangat.

Reliqua patent.

ARTICULUS III.

UTRUM TERMINI NUMERALES PONANT ALIQUID IN DIVINIS.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Praesens quaestio, utrum termini numerales ponant aliquid in divinis, valet non solum de divinis personis, sed de quibuscumque quibus applicatur: v. gr., quando dicimus Deum unum, essentiam unam, distinctiones plures; duas, tres personas, et ita porro.

Quaeritur scilicet, utrum id quod per unum, tres, plures dicitur, sit aliquid distinctum ab illo de quo dicitur.

Momentum autem huius quaestionis magis apparet, si consideremus, unitatem in quovis creato addere aliquid, quatenus superaddit essentiae illud quod eidem nonnisi per accidens competit, sicut et ipsum esse [1].

2) Iam vero sicuti unitati respondet indivisio, ita numero

[1] Observa inde nexum qui inest inter hanc quaestionem et aliam quae movetur de personalitate. Idem enim est fundamentum utriusque; quatenus, quotiescumque intellectualis aliqua natura in statu indiviso existit, persona vocatur. Cf. dicenda de unitate Christi in tractatu de Verbo Incarnato.

respondet divisio. Quare de numero iudicandum est secundum divisionem a qua est. - Est autem divisio duplex: *a*) alia *simpliciter* - quae est secundum essentiam vel secundum materiam vel formam, et haec facit compositum vel aggregatum; - *b*) alia vero quae est *secundum quid*, et quae innititur proprietatibus rei. Hae autem proprietates in creatis sunt vel reales, accidentales, vel mere rationis - sicuti de relationibus dictum est. In Deo vero relationes, fundamentum divisionis, sunt proprietates, quia non sunt secundum essentiam; et non sunt accidentales neque rationis, sed substantiales. - Quare divisio in divinis media est inter divisionem simpliciter, et secundum quid.

3) Numerus autem dupliciter dicitur, quemadmodum et *unum*. Unum enim est vel *transcendentale,* quod re convertitur cum ente de quo praedicatur, ponens super illud rationem indivisionis; vel *quantitativum*, scil. *principium numeri,* sive mensurati per illud. Principii numeri genus est quantitas; differentia vero, indivisum vel indistinctum.

Quum igitur numerus, quicumque sit, in Deo nihil imperfecti ponere possit, nequit in Deo concipi nisi numerus transcendentalis, sive numerus differentialis indivisionis transcendentalis.

4) Iam vero *a*) *Avicenna* putavit, *unum* utroque sensu intellectum ponere aliquid in ente realiter, positive, ad modum esse accidentis, quo res in intellectu suo clauditur. *b*) *Aristoteles* autem et *Averroës* distinguunt inter utrumque. Concedunt *unum* quod est in specie quantitatis, ponere realiter aliquid in eo de quo affirmatur; *unum* vero transcendentale nihil dicunt ponere supra ens, nisi *negationem divisionis.*

Haec altera sententia vera est. *Multitudo* proin est affirmatio tum divisionis totius, tum indivisionis in singulis quibus componitur.

Quum igitur multitudo se habeat ad multa eo modo quo unum ad ens, sequitur, multitudinem nihil superaddere singulis quibus componitur, nisi affirmationem plurium et negationem divisionis singulorum.

5) Habemus ergo in apprehensione mentis ordinem sequentem: Ens, divisionem, unum, multitudinem. Quare unum

ingreditur definitionem multitudinis et non e converso; idem dic de divisione relate ad unum et ad multitudinem.

6) Quando ergo affirmatur: *unum* et *numerum* in divinis nihil faciunt nisi removere, hoc dupliciter intelligi potest: 1) removent multitudinem et unum quae sunt in specie quantitatis; vel 2) praedicata in sensu transcendentali, non important per se nisi remotionem divisionis in singulis numeratis. Prior sensus verus est, at insufficiens; alter, qui est Magistri, admittitur sed completur.

7) Porro adverte, formulam: « tres sunt in Deo personae », tripliciter intelligi posse. *a*) Deus aliquomodo numeratur per tres personas, quae sunt tres, quia ex tribus illis totum divinitatis exsurgit; - qui conceptus non solum valde imperfectus, sed et falsus esset dicendus. - *b*) in Deo sunt personae singulae indistinctae, quae ad invicem relatae tres inveniuntur, atque, cum in eadem divina essentia sint, in Deo esse dicuntur; - qui conceptus verior, licet nondum adaequatus. - *c*) Deus est tres personae et tres personae sunt Deus, quae simplicissima intellectio optima est: Iam vero ex hoc ultimo loquendi modo non magis sequitur, ex numero *trium* in Deo aliquid poni supra essentiam, quam in unaquaque personarum *unum* supra illud quod sunt. Quum igitur numerus *trium* exurgat ex transcendentali *uno* ter repetito, oportet ut ipse transcendentalis sit.

8) Alio tamen adhuc sensu transcendentalis est, quatenus *tria* ponunt aliquod unum indivisum excludens omnem ampliorem numericam extensionem. Qui sensus utique verus est, sed non satis directe tangit argumentum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat, praedicationem numeralem transcendentalem, utpote communissimam, transcendere omne genus.

2. Obi. Non attendit ad duplicem respectum numeri: transcendentalem et quantitativum. Sicuti essentialis respectus relationis est *ad aliquid,* non *in aliquo,* scil., accidentalis; ita numeri respectus essentialis est transcendentalis non autem quantitativus sive principium numeri; quare numerus Deo convenit quoad essentialem respectum, qui nullam imperfectionem involvit; non quoad alterum, imperfectione permixtum.

3. *Obi.* Vera esset obiectio, si sola definitio *unius* esset remotio pluralitatis, et sola definitio *pluralitatis*, remotio unius. Sed si remotio *pluralitatis* est consequens indivisionis, et remotio *unius* consequens divisionis, nulla circulatio.

Sed contra est. Argumenta huc adducta ultra vim propriam urgentur. Remanent utique, sed ponendo aliquid quod cum ipso removendo pugnat. (Cf. verba D. Th. in fine). Et re quidem vera: sicut albedo excludit nigredinem, quia habet qualitatem albedinis, et non quia est *non nigredo*; ita unum excludit multum, non quia est *non multum*, sed quia est indivisum.

Corroboratur doctrina huius articuli, sicut et praecedentium per sequentia verba Conc. Toletan. XI: « Non recedit « a numero, nec capitur numero. In relatione enim persona- « rum numerus cernitur, in unitate autem essentiae, quid « enumeratum sit non comprehenditur. Ergo hoc solo nume- « rum insinuant quod ad invicem sunt: et in hoc numero « carent, quod in se sunt ». Nec aliter concilium Constantinop. VI: « Sancta Trinitas numerabilis personalibus et sub- « sistentiis, et sancta unitas extra omnem numerum est; et « haec quidem indivisibilem habet divisionem, et inconfusam « gerit coniunctionem ». Egregie Bernardus noster: « Tri- « nitas est Deus. Quid ergo? destruimus quod dictum est de « unitate quia inducimus Trinitatem? non: sed statuimus « unitatem... Quid sibi vult ipse, ut ita loquar, absque numero « numerus? Si tria, quomodo non numerus? si unum, ubi « numerus? Sed habeo, inquis, quod numerem, et quid non « numerum: substantia una est, personae tres sunt ».

In Corpore. Argumentum tribus partibus constat: praeparatoria, negativa et positiva. Praemissa duplici opinione opposita, S. Thomas in prima parte praeparatoria duo praemittit, a quibus solutio quaestionis est repetenda: 1) omnem pluralitatem consequi aliquam divisionem; 2) duplicem autem dari divisionem: *a*) materialem, quae a quantitate repetitur; *b*) formalem, seu transcendentalem, quae repetitur a formis.

Quibus praemissis, iam in parte negativa S. Th. variarum sententiarum criticam instituit. Duplicem sententiam reiicit, quae utraque procedit a divisione, seu a numero, quae est species quantitatis; quarum altera affirmat simpliciter, in Deo

numerum praedicari per modum removentis; altera, distinguens numerum et imperfectionem quantitatis, affirmat, in Deo numerum aliquid ponere, sed non in genere quantitatis.

In tertia parte positiva Angelicus propriam mentem aperit, quae ad hoc reducitur. Termini numerales in Deo dicuntur secundum divisionem vel indivisionem non quantitativam sed formalem transcendentalem. Quorum discrimen in hoc consistit: numerus quantitativus enti de quo praedicatur, superaddit ens; numerus transcendentalis nihil super ens addit nisi indivisum: i. e. unum transcendentale dicit ens indivisum, multitudo transcendentalis quae numerantur distincta, dicit singula in se indivisa. Unde sequitur, veram solutionem esse aliquo modo inter duas enumeratas extremas mediam: scil. numerus in divinis ponit illud vel illa de quibus dicitur, addita solum ratione indivisionis. Discrepat ergo sententia S. Th. a sententia Magistri, quatenus Magister considerat negationem, S. Th. autem simul affirmationem ponit et negationem. Quare quodcumque in sententia Lombardi verum est, in hac Angelici servatur; completur autem per considerationem affirmationis, quae tanquam ipsius negationis fundamentum est.

Observa nihilominus, significationem praedicamenti numeralis ab adiunctis ad sensum mere negativum trahi posse. Ita martyres unum Deum proclamantes, per vocem *unum* pluralitatem deorum excludere voluisse, optimo iure S. Ambrosius, aliique passim affirmant.

ARTICULUS IV.

UTRUM HOC NOMEN, PERSONA, POSSIT ESSE COMMUNE TRIBUS PERSONIS.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Distinctionem inter nomina communia et propria notissimam supponimus. *Proprium* est illud quod uni convenit, unum definit, vel unum demonstrat; *commune,* quod convenit pluribus, pluresque demonstrat. — Proprium igitur est necessario nomen individuale et intentionale, non solum in confuso sed in speciali determinato. — Sed quid ulterius de nomine communi?

2) Nomen commune in varias classes distingui solet, secundum illud a quo commune audit. Iamvero, inspecta scala intentionum, habentur genera, species et individua. Nomina proin quae exprimunt rationem genericam, erunt nomina generica; rationem specificam, specifica; individualem rationem, individualia.

3) Sed hic sedulo adverte: aliud est individuum *vagum,* aliud individuum *hoc;* v. gr., aliud *aliquis* homo, aliud *hic* homo. Ratio proin individualitatis alia confusa est, et erit aliqua anima, aliquod corpus; alia determinata et erit haec anima, hoc corpus.

4) Iamvero idem est de ratione personalitatis, utpote quae nihil est nisi individualitas in intellectuali natura. Quum igitur in divinis personalitas per relationem constituatur, *aliqua relatio in natura divina subsistens* erit definitio personae in communi; *haec* relatio, definitio huius personae. Ecquis enim non videat, tres in hoc divinas personas convenire, quod sint *aliqua substantialis relatio?* Ergo et unum nomen commune illis conveniat oportet.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi:* Duplici vitio laborat. Confundit personam et hanc personam. Nam haec persona, non magis quam haec relatio, communis est. Confundit insuper communitatem rei et communitatem nominis.

2. Obi. Sicut vidimus in articulo praecedenti, *unum* pluribus convenire posse ratione indivisionis, ita *esse personam* ratione incommunicationis. Caeterum haec difficultas aeque valet de persona humana in communi praedicata.

3. Obi. Ratio propter quam in Deo non datur genus neque species, est plenitudo simplicis perfectionis. Iam vero haec simplicitas non impeditur per hoc quod plures in Deo relationes habeantur, quum idem sit singulis fundamentum et inter se realiter distinguantur, non solum numero sed formali relatione oppositionis, ac per consequens ipso principio distinctionis. Tunc enim communitas relationis in confuso, - accepto et non concesso quod in naturis sit genus vel species, - poneret in Deo aliquid universale, si unaquaeque relationum non existeret in eadem divina natura.

Sed contra est. Quod hoc articulo demonstratur, implicite

habes in Symbolo Athanasiano: « Alia persona Patris, alia « Filii, alia Spiritus Sancti ». Si ergo alia una persona ab altera, et nihilominus singulae personae nuncupantur; oportet ut praeter sensum proprium qui cum unaquaque persona identificatur, sit sensus communis qui communi iure de tribus simul praedicatur. In priori sensu dicitur persona Patris, quod idem sonat ac persona Pater; in altero sensu tres personae communiter vocantur, sicuti quando inter homines personae simul sumptae numerantur. Enumeratio enim, nisi mens aliter expresse intendat, iuxta commune significationis fieri solet; nec solet modo; sed, si rem urgere velis, repugnat nomen personae, uti huius determinatae, pluraliter praedicari; unde contraria mentis intentio, etiamsi adesset, rigorem sermonis offenderet.

In Corpore. Praemisso, uti indubitato, nomen personae in divinis communiter praedicari, quaerit S. Thomas quaenam communitas intelligenda sit.

Iam vero haec communitas erit vel rei, vel rationis. Prior excluditur, utpote tollens distinctionem personarum. Altera vero secundum varia subdistinctionis membra investigatur. Haec autem sunt: negatio communicabilitatis, intentio individualis, ipsa ratio individui vagi. Primum et secundum excluduntur, quia persona dicit rem, non solum negationem, neque intentionem.

Restat ergo ut tertia sententia explicetur. Quod S. Thomas duplici gressu obtinet. In primo ostendit, quid personae nomen commune seu individuum vagum habeat medii inter nomen genericum sive specificum et nomen singulare; scilicet quomodo *aliquis homo* praedicet plus quam *homo,* minus tamen quam *hic homo.* - In altero gradu S. Thomas confert inter se praedicationem individui vagi per formulam *aliquis homo*, et per formulam *aliqua persona.*

Quum enim ambo medium teneant inter individuum hoc vel hanc personam ex una parte, et naturam specificam vel genericam ex altera; quaeri potest, *a*) utrum eodem modo ambo se habeant realiter in medio; *b*) utrum formaliter respectum eumdem ad alterutrum terminum habeant.

a) Ad prius respondetur affirmando. Nam conveniunt

semper in *re:* nulla enim est persona humana, quae non sit aliquis homo; neque aliquis homo, qui non sit persona.

b) Ad alterum vero respondetur negando. Nam aliquis homo ponit in recto naturam, in obliquo individualitatem; persona e contra in recto ponit individualitatem, in obliquo naturam. Quare persona in sensu communi ad Deum relata ponit in recto aliquam relationem, in obliquo vero naturam.

Totum argumentum hoc schemate exprimitur.

- **Persona in divinis, nomen commune, dicit communitatem:**
  - I) non *rei:* = tolleretur distinctio realis personarum;
  - II) sed *rationis:*
    - non solum
      - 1) *negationem* communicabilitatis;
      - 2) *intentionem* individualitatis:
      - est enim nomen *rei;*
    - sed sicut *individuum vagum:* aliqua persona, sicut aliquis homo; non tamen omnino, nam:
      - 1) *aliquis homo* ponit
        - *a*) naturam in recto,
        - *b*) individuum in obliquo;
      - 2) *aliqua persona* ponit
        - *a*) individuum in recto,
        - *b*) naturam in obliquo.

Conclude ex dictis in hoc articulo: 1) Persona divina in sensu communi dicit aliquam relationem subsistentem. Quando ergo dico: tres sunt in Deo personae, tres praedico subsistentes relationes; quae utique habent singulae suam rationem propriam, at conveniunt in hoc quod dicunt aliquam huiusmodi rationem.

2) Licet Pater, Filius et Spiritus Sanctus sit Deus, non tamen conveniunt in communi *aliquo Deo*, quia *aliquis Deus*, quatenus ponit in recto naturam, non potest multiplicari, sicuti multiplicari potest relatio quae ponitur per *aliquam personam.*

3) Praeter tres subsistentes relationes non datur in Deo aliqua fundamentalis subsistentia communis, quae esset veluti quarta persona communis, imo quae potiori iure persona vocaretur, quum ad illam personae nomen in significatione sua primaria absolute applicari possit, cuius significatio-

nis respectum ideo S. Th. formalem vocat in ipsa divina persona [1].

Putamus proin, errare quosdam theologos, v. gr., Durandum [2], Caietanum [3], Suarez [4], quando in Deo distinguunt subsistentiam absolutam a tribus subsistentiis relativis. Quam maioris momenti quaestionem in XXXIX. huius tractatus reassumemus. Interim satis sit hanc sententiam, una cum Card. Franzelin [5], Vasquez [6], Petavio [7], aliisque per transennam reiecisse.

De Doctrina S. Anselmi.

In fine huius articuli iuvat breviter doctrinam S. Anselmi de divinis personis considerare. Maxime enim appropinquat ad mentem quam Augustini fuisse demonstravimus. Scilicet auctor *Monologii* advertens personas de humanis multiplicatas, multiplicare ipsas naturas, negat personas posse in proprio sensu de divinis multiplicari. Concedit tamen ob necessitatem, aliquam impropriam nominis translationem, imo rationem invenit, cur ad significandum trinum in divinis elementum nomen personae atque subsistentiae, in sensu utique Graecorum, usurpatum sit.

En integrum locum [8]: « Ecce, patet omni homini expedire, « ut credat in quamdam ineffabilem trinam unitatem et unam « trinitatem: unam quidem et unitatem, propter unam essen- « tiam; trinam vero et trinitatem, propter *tres, nescio quid.* « Licet enim possim dicere trinitatem, propter Patrem, et « Filium, et utriusque Spiritum, qui sunt tres, non tamen « possum proferre uno nomine, propter quid tres; velut si « dicerem propter tres personas; sicut si dicerem unitatem, « propter unam substantiam ». Sistamus. Verissimum aliquid sub his verbis continetur, modo substantia non in sensu ety-

[1] *Pot.* Q. IX, a. 4.
[2] III. Dist. I. q. 2, a 7.
[3] I. Q. XXXIX, a. 4; et alibi.
[4] *De Incarn.* t. I, disp. XI, sect. 3; *de Trin.* l. III, c. 4; l. IV, c. 11.
[5] Op. cit. th. XXIV, II.
[6] P. I, disp. 125.
[7] Op. cit. l. IV, c. 12.
[8] *Monol.* c. 78.

mologico sumatur. Proprius scilicet de divina unitate quam de trinitate praedicare valemus, tum quia unitatem melius intelligimus, tum quia in naturalibus rebus nobis cognitis, vocabula possidemus quae adaequatius unitatis conceptum exprimunt, qualis est in Deo praedicandus. Si tamen observas, in Deo unitatem esse a trinitate inseparabilem, iam haec ipsa vocabula, utpote trinitatem per se excludentia, deficere incipiunt.

Quidquid sit, pergit Anselmus in improprietate praedicationis personarum ostendenda. « Non enim putandae sunt « tres personae; quia omnes plures personae sic subsistunt « separatim ab invicem, ut tot necesse sit esse substantias, « quot sunt personae quod in pluribus hominibus, qui quot « personae, tot individuae sunt substantiae, cognoscitur. « Quare in summa essentia, sicut non sunt plures substantiae, « ita nec plures personae ». Scilicet in rigore univocae praedicationis Anselmus loquitur, non in usu traditionali, quem nullo modo recusare intendit. At videtur in significatione personae magis materiale quam formale attendisse. Formale est ipsa singularitas indivisa; materiale, haec indivisa natura. Iam vero non a parte τοῦ singularis per se, sed a parte naturae creatae, habet persona humana ut non possit nisi multiplicatis naturis multiplicari.

Pergit Anselmus. « Si quis itaque inde velit alicui loqui quid « plures, dicet esse Patrem, et Filium et utriusque Spiritum; « nisi forte, indigentia nominis *proprie* convenientis coactus, « elegerit aliquod ex illis nominibus, quae pluraliter in summa « essentia dici non possunt, ad significandum id quod congruo « nomine dici non potest: ut si dicat illam admirabilem Tri- « nitatem esse unam essentiam, vel naturam; et tres personas, « sive substantias ». Haec certo concordant re cum thesi S. Augustini. Interest tamen inter utriusque Doctoris loquendi modum. Augustinus enim considerat in nomine *persona* sensum prorsus absolutum; quare negat, illud proprie ad relativum exprimendum convenire per se; Anselmus autem considerat proprie in pluralitate personarum multiplicationem naturarum quae in Deo repugnat. - In sequentibus iam auctor *Monologii* plus concedere videtur quam ipse Hipponensis, inveniendo quippe in ipso nomine *persona* aliquam maiorem

aptitudinem antecedentem ut ad subsistentias divinas exprimendas prae aliis nominibus assumeretur: « Nam haec duo « nomina aptius eliguntur ad significandam pluralitatem in « summa essentia, quia persona non dicitur, nisi de individua « rationali natura [1], et substantia principaliter dicitur de indi- « viduis quae maxime in pluralitate subsistunt. Individua « namque maxime substant, id est, subiacent accidentibus; et « ideo magis proprie nomen substantiae suscipiunt. Unde iam « supra manifestum est, summam essentiam, quae nullis sub- « iacet accidentibus, proprie non posse dici substantiam; nisi « substantia ponatur pro essentia. Potest ergo hac necessitatis « ratione irreprehensibiliter illa summa et una trinitas, sive « trina unitas, dici una essentia, et tres personae, sive tres « substantiae (utique in Graecorum acceptione) » [2].

Post fuse superius exposita, non oportet ut iudicium de hac S. Anselmi doctrina feramus. Propter ultimas sententias magis placet quam doctrina S. Augustini. Uterque impropriam locutionem esse contendunt per necessitatem inductam: at Anselmus hanc vocabuli translationem ex ipsa vocabuli indole legitimat, dum S. Augustinus ex mera potius sermonis indigentia eamdem recipit.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum persona in divinis dicat relationem subsistentem, tot in Deo praedicandae sunt personae, quot tales dari relationes constat (a. 1). - Has autem amplius esse quam tres, repugnat. Per primam enim processionem personae duae constituuntur; per alteram autem, licet duae ulteriores relationes reales exurgant, non tamen nisi una tertia persona constituitur: quum, deficiente oppositione, relatio spirationis cum persona utraque Patris et Filii identificetur (a. 2).

2) Porro numerus in divinis, quum sit transcendentalis, non vero quantitativus, non ponit aliquid reale distinctum a subiecto de quo praedicatur. Non ideo tamen habet significationem mere negativam, utpote removens divisionem seu

[1] Habes hic brevissimam personae definitionem, quam superius vindicabamus.
[2] *P. L.* t. CLVIII, col. 221, sq.

indivisionem; sed ponit simul illud de quo removet alterutrum (a. 3.).

3) Pluraliter autem adhibita, persona in divinis, utpote nomen commune, praedicat communitatem, non rei utique, quae tolleret trinitatem, sed rationis; imo quum sit nomen rei, non solum mentalis conceptus, scilicet negans, aut intentionalis; praedicat communitatem rationis veluti individuum vagum, at significans - in quo differt ab *aliquo homine* - in recto individuum, in obliquo naturam (a. 4.).

QUAESTIO XXXI.

DE HIS QUAE AD UNITATEM VEL PLURALITATEM PERTINENT IN DIVINIS.

Ordo Quaestionis sequenti schemate illustratur:

De his quae pertinent
- I) ad *pluralitatem*:
  - 1) praedicatam simul per *Trinitatem* (1);
  - 2) praedicatam seiunctim per *alius, alius* (2);
- II) ad *unitatem*:
  - 1) per *solum*, dictum de nomine essentiali (3);
  - 2) » » » de termino personali (4).

ARTICULUS I.

UTRUM SIT TRINITAS IN DIVINIS.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Humani sermonis universalis lex est, ut omnia quae existunt, secundum veritatem possint, dummodo existere cognoscantur, exprimi et praedicari. Quare, si existat in Deo numerus relationum, pluralitas; si personarum, rursus pluralitas erit. Si autem haec pluralitas personarum limitem certum habeat, hoc ipsum rursus aliquo

vocabulo erit exprimendum. Sunt autem tres; tribus respondet trinitas: ergo in Deo trinitas praedicetur oportet.

2) Sed de hoc nullum dubium, nullaque difficultas. Quaestio autem movetur, quid formaliter per Trinitatem exprimatur; utrum essentia divina; an personae, an numerus personarum.

a) Si tenes essentiam divinam exprimi, consequens est, Deum esse Trinitatem, atque personas esse in Trinitate.

b) Si tenes personas, rursus consequens est, Trinitatem esse in Deo, et in unitate.

c) Si tenes numerum exprimi personarum, oppositum ad quaternitatem et singularitatem, videtur esse nomen abstractum; unde concrete Deus vel Trinitas posset dici trina, quod est inconveniens.

3) Cuius dubii solutio pendet tum a nominis etymologia, tum a propria realitate relationum.

Etymologia trinitatis exponi solet *trium unitas;* vel *tres in uno.* Si dicis: *trium unitas,* in recto ponis unitatem et in obliquo trinitatem personarum; si dicis: *tres in uno,* concipis in recto personas, in obliquo naturam. Iamvero hic secundus modus verior est [1]. Etenim si pluralitas desumitur a multiplici distinctione, trinitas desumitur a tribus distinctis; hi autem sunt personae; ergo in recto ponuntur tres personae.

4) Nihilominus in obliquo ponitur unitas. Sed hic iam sedulo adverte, hanc unitatem dupliciter posse considerari: vel *a*) secundum unitatem *transcendentalem,* quae numero cuivis completo competit; et sic cuivis collectioni trium contingit esse trinitatem; - vel secundum unitatem *realem* communis termini tribus, quatenus aliud est fundamentum triplicis numeri, aliud unionis; et ita maxime convenit Deo, utpote in quo tota substantia vel essentia divina est communis tribus, qui, ratione illius unum dicuntur, et proin non solum abstracte sed concretissime tres in uno, seu trinitas.

5) Quare quando dicitur Trinitas, in recto ponuntur tres distinctae personae, in obliquo una essentia divina. Unde rectissime Trinitas definitur: *Tres personae in una essentia.*

[1] Cf. fusius dicenda in *Sed contra est.*

Sensus tamen abstractus huius vocis, ratione multitudinis et quidem determinatae personarum, manet in oppositione ad solitudinem vel quaternitatem, uti supra vidimus.

6) Neque ideo, sicuti *Deitas est Deus, Trinitas est trina.* Nam *a*) praeterquam quod ex una parte habetur substantivum *Deus*, ex altera *trinus* adiectivum, unde ad paritatem in utraque formula deberet dici *Trinitas est tres* - quando *b*) dico: *Deitas est Deus,* solum pono: *Deitas* aequale vocabulum est *Deo;* quando dico: *Trinitas est trina*, dico: *esse trinam*, constituit proprietatem Trinitatis; et proin datur discrimen in praedicatione. Nam hoc interest inter praedicatum adiectivum et substantivum, quod substantivum mere ponit aequationem, adiectivum vero additionem vel multiplicationem. Paritas haberetur, si dicerem *Deus est divinus*, ea mente ac si per se *Deus* vel *Deitas* nondum contineret rationem *divini;* quod non minus falsum esset quam dicere *Trinitas est trina.*

Demum *c*) *trinus* est vocabulum significans qualitatem numericam, ac per consequens per se multiplicationem aliquam ponens; quod non valet de vocabulo *Deus.*

I. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ex dilemmate falso. Dari enim potest nomen quod significet simul substantiam et relationem; nec solum unam relationem, sed et omnes tres, ratione communitatis in art. 4. praecedentis Quaestionis demonstratae. Ita quia Trinitas praedicat tres in recto, non potest de unoquoque ex his tribus praedicari; quia praedicat relationes oppositas simul sumptas sub ratione numerica, non quidem praedicat *ad aliud*, sed constat praedicationibus *ad aliud*, dicit enim tres relationes subsistentes in una essentia.

2. Obi. Non distinguit inter unitatem quae est de essentia multitudinis vel collectionis, - et haec certe est minima, quum sit merus ordo unius ad alterum; et unitatem quae potest stare cum vera collectione distinctorum subiectorum, - et ea potest esse maxima: ipsa scilicet essentia eorumdem suppositorum. Iam vero ita est in Deo, in quo collectionis unitas, praeter eam quae a quavis collectione ratione ordinis inseparabilis est, derivatur ab ipsa singulari essentia communicata singulis. Cf. dicta n. 4.

3. Obi. Axioma Boëthii: « triplicitas est species, seu triplex « proportio inaequalitatis, » sic accipe, non quasi singula quibus triplex constat, deberent esse dissimilia, sed quod inaequaliter se habent ad simplex, ad duplex, ad quadruplex.

Unde ex ipsa etymologia hoc interest inter trinitatem (dummodo admittatur etymologia S. Th.) et triplicitatem, quod in trinitate habes unitatem, in triplicitate vero non, sed meram triplicationem. Cf. dicenda in *Sed contra est* et in *Corpore.*

4. Obi. Non considerat duplicem respectum qui continetur in nomine Trinitatis. Vide inde, quam bene nomen consonet cum expressione liturgica ab Ecclesia in Praefatione Missae SS. Trinitatis adhibita: « ut unum Deum in Trinitate, et « Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes per« sonas, neque substantiam separantes ».

5. Obi. Cf. dicta n. 6.

Sed contra est. Usus catholicus a saeculo iam secundo vocem Trinitatis tantopere sacravit, ut nonnisi proterve a quovis increpetur. Formulae enim *Trinitas Deus, Deus unus et trinus,* ab antiquissima aetate in Ecclesia catholica sunt usurpatae. Lutherus nihilominus, Calvinus, eorumque asseclae in hanc formulam, uti barbaram atque incautam, invehere non erubuerunt. Contra quos egregie docteque scripserunt, inter alios, Genebrardus, Bellarminus [1], Petavius [2]. Cf. declarationem Concilii Tolet. XI in Quaest. praec. citatam. Huc faciunt maxime controversiae illae, in quibus ex laeso numero sacrosancto Trinitatis contra novitates arguebatur. Recole dicta superius de erroribus Gilberti Porretani atque Roscellini. Huc quoque spectant omnia opera de Trinitate conscripta, praesertim illa in quibus haec Trinitatis intellectio iam ipsi titulo inscribitur, uti Boëthii liber *De Unitate Trinitatis.*

Caeterum calumnias querelasque Deformatorum, iam ipsi Sabelliani contra Trinitatis nomen perfido animo moverant. Ad rem Tertullianus adversus Praxeam: « His itaque paucis, « tam manifeste distinctio Trinitatis exponitur. Est enim ipse « qui pronuntiat, Spiritus; et Pater, ad quem pronuntiat; et

[1] C. I, *de Christ.* c. 17.
[2] Op. cit. l. VIII, c. 8 et 9.

« Filius, de quo pronuntiat. Sic et caetera quae nunc ad Pa-
« trem de Filio, vel ad Filium, nunc ad Filium a Patre, vel
« ad Patrem, nunc ad Spiritum pronuntiantur, unamquamque
« personam in sua proprietate constituunt [1]. Si te adhuc nu-
« merus scandalizat Trinitatis, quasi non connexae in unitate
« simplici, interrogo, quomodo unicus et singularis pluraliter
« loquitur? ». Et pergit, arguendo ex modo quo divinum creandi hominis consilium in Genesi describitur [2].

Si autem originem vocis consideras, trinitas exprimit in divinitate respectum collectivum trium personarum, unitas respectum unius naturae: « Nominum illorum, ait Petavius,
« quae διαίρεσιν id est *distinctionem*, et numerum in res di-
« vinas invehunt, primo loco iure censetur ipsa vox *Trinitas*,
« quae sane, et appellatione sua nihil nisi multitudinem in-
« dicat. Est enim Trinitas,... nihil aliud quam quod Graece
« dicitur ἡ τριὰς, quod est ternarius, vel ternio. Sed femi-
« ninum magis Latini consectati sunt, ut graeco nomini la-
« tinum ipso etiam genere esset simile. Quocirca bene hoc,
« diligenterque notandum est, Trinitatis vocem idem plane
« esse, quod graeca est ἡ τριὰς, et eamdem utrique constare
« rationem. Unde qui latini nominis vim et proprietatem nosse
« velit, intentus esse debet in graecum τῆς τριάδος. Est autem
« vox ista numeralis, et collectiva. Quare Trinitas formae
« erit eiusdem » [3]. Recte quidem. Inde hoc sensu dixit S. Leo Magnus: « Bene ergo ipsa difficultas loquendi cor nostrum
« ad intelligentiam trahit, et per infirmitatem nostram coe-
« lestis doctrina nos adiuvat, ut quia in deitate Patris et Filii
« et Spiritus Sancti nec singularitas est, nec diversitas cogi-
« tanda, vera unitas et vera trinitas possit quidem mente
« simul sentiri, sed non possit ore simul proferri » [4]. Idem invenitur apud Isidorum Hispalensem: « Trinitas in relativis
« personarum nominibus est; Deus non triplicatur, sed in sin-
« gularitate est » [5]; et alibi: « In personis discretio est: in di-
« vinitate nulla distinctio..... In relatione personarum Trinitas

[1] Vides, Tertullianum distinctionem personarum ex relationibus veluti ex fundamento derivare. Cf. et superius c. 10. *P. L.* t. II, col. 188.

[2] C. 11 et 12. Ibid. col. 191.

[3] Op. cit. c. 9, n. 1.

[4] *Adv. Eutych.*

[5] *Orig.* VII, c. 4.

« est; in substantia vero naturae unus est Deus » [1]. Ita quoque Lombardus [2].

Haec dicuntur verissime, si vocis etymon attenditur. At nomen Trinitas ab exordio ad altiorem significationem est evectum. Etenim interest inter has sententias: « trinitas est « personarum et non quaternitas in Deo »; et « Trinitas est « Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus ». Hoc altero sensu nomen etymologice numericum et abstractum, iam est substantiale, concretum, nihil aliud significans nisi veram divinitatem formaliter quatenus tres personae sunt unus Deus. In priori sensu trinitas respondet ex opposito unitati. In altero, maiori littera initiali signata, imo praefixo SS. ornata, trinitas exprimit sublime catholicae religionis Numen. Ita festum colitur SS. Trinitatis, [3] dum SS. Unitatis nec formula nec festum usurpatur. Hoc altiori sensu iam Augustinus loqui solebat: « Tres enim personas tenemus, et credimus, « id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unius potentiae, « unius substantiae, unius aeternitatis, unius voluntatis, unius « etiam deitatis, et totam Trinitatem unius Dei appellatione « veneramur » [4]. « Ipsa Trinitas unus Deus solus, Pater et Fi- « lius, et Spiritus Sanctus » [5]. Et ipse Athanasius Spiritum Sanctum non esse creaturam probat, « quia si talis esset, « non adiungeretur Trinitati. Tota enim haec unus est Deus ».

Hanc altiorem significationem consecrat vetus illa orandi formula: « Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis », de qua Calvinus: « Precatio vulgo trita est. Mihi non placet, ac « omnino barbariem sapit » [6]. Ad quae lepide simul ac solide Petavius: « Huic placeat necne, non multum interest. Probam « quidem, ac legitimam esse locutionem hanc, qua Trinitas « unus Deus dicitur, vetustatis usus arguit.... Quod autem ad « preces, invocationesque pertinet, quae ad Sanctissimam « Trinitatem, velut unum Deum diriguntur, non minus huic

[1] *De differ.* Lib. I.

[2] I. Dist. XXII.

[3] Perpende textus liturgicos huius festi, et videbis passim altissimum in eis sensum vocabuli Trinitatis.

[4] Serm. 2, append. serm.

[5] Ep. 66. — Cf. *de Trinit.* exordium, etc., etc.

[6] Epist. ad Polon. p. 687. tract. theol.

« antiquorum suffragatur auctoritas ». Et pergit, sensum ipsum locutionis ab obiectionibus calvinianis vindicando [1].

Ex hac acceptione nominis SS. Trinitatis factum est, ut respectum unitatis divinae naturae theologi in ipso Trinitatis nomine inveniri putarent. Audiatur S. Bonaventura: « Hoc « nomen Trinitas duplicem habet etymologiam: uno modo « Trinitas dicit *Unitas ter*, et sic nomen numerale cadit in « eo ut complementum, et sic dicitur secundum relationem, « sicut termini numerales: et unitas quam importat, est unitas « personalis, non essentialis, quia illa plurificatur. Alia etymo- « logia est *Unitas trium,* et tunc unitas non numeratur, sed « significatur ut communicabilis tribus: et quoniam haec unitas « est essentialis, ideo importat unitatem essentialem. *Et haec « quidem etymologia absque dubio habet veritatem* » [2]. Ad quam interpretationem S. Th. in resp. ad 1. accedit, licet in *Corpore* teneat significationem simpliciter numericam.

Conclusio sit: Etymologice consideratum nomen Trinitas ternarium numerum dicit. Applicatum autem Deo, usu non solum ad tres enumerandas simul personas est adhibitum, sed ad ipsam exprimendam divinitatem in tribus personis unum Deum. Inde, ludo quodam verborum, propter similitudinem formae quasi contractae, nomen Trinitas a *tribus* et *uno* etymologice conflatum est habitum; ingeniose quidem: imo vere, quantum ad theologicum nominis usum, at gratuito, quantum ad vocis originem. Putamus proin, hanc genesim usualem vocis *Trinitas* non fuisse satis a Petavio perspectam, ubi nimis vehementer adsignificationem unitatis ab ea removet [3].

Habes igitur hinc in Deo quadruplicem significationem nominis *Trinitatis*: 1) Determinatum numerum personarum, 2) tres personas divinas simul sumptas; 3) has tres personas in sua relatione ad unam naturam; 4) synthetice, SS. Trinitatem, tres personas unum Deum.

In Corpore. S. Thomas, iuxta Lombardum, primarium heic Trinitatis sensum unice dicit esse numericum seu collectivum. « Est unum nomen, ait Magister, quod de nulla per-

[1] Op. cit. l. VIII, l. 8.
[2] I. Dist. XXIV, a. 3, q. 2
[3] Op. cit., c. 9.

« sona singillatim dicitur, sed de omnibus simul, id est, Tri-
« nitas, quod non dicitur secundum substantiam: sed quasi
« (id est veluti) collectivam pluralitatem designat perso-
« narum » [1].

Quaeres. - Estne omnino vitanda vox *triplex* in Deo? - S. Thomas in resp. ad 3m. affirmat. Et sane quae ibi habet Aquinas, auctoritate S. Augustini fulciuntur [2]: « Nec quo-
« niam Trinitas est, ideo triplex putandus est; alioquin minor
« erit Pater solus quam Pater et Filius ». Et pariter Concil. Toletan. XI. ait: « Nec triplex, sed Trinitas, et dici et credi
« potest ». Unde mirum non est, theologos optimi nominis, uti Ruiz, [3] in hunc loquendi modum invehere. Aliunde tamen quum ipse Boëthius affirmet, relationem multiplicare Trinitatem, et quum triplicitas non sit nisi determinatus gradus multiplicitatis, non apparet cur haec vox absoluto modo a Trinitate removenda sit. Et re quidem vera in carmine tertio S. Gregorii Nazianzeni legitur: « Triplex enim deitas me
« luciferum oriri fecit »; quod Picus Mirandulanus imitatus cecinit: « Unum in triplici nomine numen habet ». Eodem modo Caesarius dixerat « triplicem Dominum » [4], et Paschasius Diaconus: « Catholica fides, trigeminam maiestatem sub
« unius divinitatis confessione veneratur » [5]. Quid igitur?

Distinguendus videtur, cum Petavio [6], in triplicitate respectus qui unice numerum exprimit, a respectu qui super numerum addit illud, quod Boëthius vocat proportionem inaequalitatis [7]. Sumendo igitur triplex in priori significatione, non videtur cur triplex in Deo persona dici non possit. Triplicem tamen Deum dici repugnat; non autem trinum. At, ne falsa forte intellectio inde oriatur, uti recte advertit Card. Satolli, « modo a theologis universe nomen illud prae-
« termittitur » [8].

[1] I. Dist. XXII. — Cf. Dist. XXIII, in fine.

[2] *De Trin.*, VI, 7.

[3] Disp. XXXVIII. *De Trinit.*, Sect. 3, §. 20.

[4] *Dial.* I, int. 1.

[5] *De Spir. S.*, l. I.

[6] Loc. cit., c. 9, n. 6.

[7] *De Arith.*, l. I, c. 3. In eamdem sententiam eunt S. Petrus Damiani, Hugo Victorinus, Lombardus, etc.

[8] Op. cit., p. 149.

Caeterum vix datur nomen, praesertim novum, quod, si a significatione intenta detorqueatur, non in falsa quaeque inducat. Ita si unitatem ad excludendas personas, aut trinitatem ad multiplicandas essentias intelligis, utraque vox damnanda erit. Si autem per unitatem, aliaque similia nomina singularitas naturae, per trinitatem determinata pluralitas in eadem subsistentium significatur, utraque vox non modo recta, sed et maxime opportuna. Quibus prae mente habitis, evanescunt obiectiones a Danaeo contra vocabulum Trinitatis, tanquam incautum congestae. Ad rem valde Petavius: « Hoc sane periculum est, cum apud ethnicos dum-« taxat aut imperitos hoc mysterium exponitur, quocumque « tandem modo ac quibuscumque verbis id exponatur, quippe « quod naturae sensum omnem et humani vim ingenii admi-« rabilitate superat, nec habet in rebus creatis ac mentis « solertia comprehensis simile quidquam. Quamobrem ut ab « omni parte tuta et munita sit illius professio, variis de eo « ac multiplicibus enuntiatis catholicae doctrinae consulitur; « quorum alia naturae unitati declarandae inserviunt, alia « proprietatum ac personarum differentiam continent. Ita fit, « ut adversus errores illos, qui ex alterutro genere cum sepa-« ratim ponitur, obrepere possunt, ex altero remedia ca-« piantur » [1].

Corollarium. - Quemadmodum, propter realem distinctionem quae inter tres divinas personas habetur, rectissime ac sanctissime Deus praedicatur Unus ac Trinus, Trinitas unus Deus; ita quoque singulae personae absque ullo simplicitatis divinae detrimento praedicantur una ex tribus, unus de SS. Trinitate. Imo huiusmodi formulae validissimae sunt ad exprimendum actum, qui nonnisi determinatae hypostasi proprie convenit, v. gr., theandricum in Verbo. Unde legitima valde dicenda est formula: « Unus de Trinitate passus est ». Quam formulam, a monachis Scythis Constantinopoli degentibus olim adhibitam, quum acriter hinc inde impeteretur, aliis eam uti monophysitismo infectam recto animo impugnantibus, aliis, ab Acoemetis scilicet monachis, nestoriano corde

[1] Op. cit., l. VIII, c. 8, n. 9.

eam respuentibus, Ioannes II, postquam iudicium distulerat Hormisdas, in gemina epistola ad Iustinianum imperatorem et ad Constantinopolitanos senatores missa, modo a naturali verborum sensu non deflectatur, adprobavit [1].

ARTICULUS II.

UTRUM FILIUS SIT ALIUS A PATRE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quemadmodum in articulo praecedenti vindicavimus vocabulum Trinitatis, utpote iure inductum ad exprimendum collective determinatum numerum personarum, cum adsignificatione, si minus etymologica, saltem theologica ac traditionali, unitatis naturae; ita heic vindicatur vocabulum quo exprimitur ipsa personalis distinctio, quae interest Patrem inter, et Filium, et Spiritum Sanctum. Hoc autem vocabulum est *alius*. Ad cuius termini legitimum usum ostendendum, oportet demonstrare primo et directe quid ponat, dein indirecte quid non ponat, discernendo illum ab aliis plus minusve consimilibus.

2) *Ponit* igitur *alius,* uti iam insinuatum est, distinctionem individualem, seu suppositi. Quae distinctio utique in creatis secum fert distinctionem substantialem, v. gr., quando dicitur alius Petrus a Paulo, cum duabus personis distinctis ponuntur etiam duae distinctae naturae; sed hoc consequens non est formale praedicationis *alius*. Quare in divinis, quum adsit realis distinctio inter personas, non solum potest, sed et debet praedicari Filius *alius* a Patre.

3) At hic observa, *alium* Patrem non dici posse nisi relate ad significationem personae quam Pater involvit, non ad significandam ipsam paternitatem; secus enim Patrem alium praedicans, iam ad minus duos Patres supponeret. Quod et de Filio ac Spiritu Sancto aeque valere patet.

4) Pariter dic de locutione *alius Deus,* quae caute est adhibenda, ne peccetur contra simplicitatem et singularitatem divinae essentiae. Etenim secundum rei veritatem non datur alius Deus ab alio Deo; licet in uno Deo detur alius

[1] Cf. DENZINGER, (op. cit., n. 142). De hac declaratione fusius agetur in tractatu *De Verbo Incarnato.*

et alius. Nihilominus, propter falsa numina ab errantibus agnita, dici potest alius Deus verus a falsis diis, alius Deus Christianorum a Deo Pantheistarum, etc.

5) Ex praemissis iam conclude quid praedicatio *alius* non ponat. Scilicet, quum formaliter exprimat distinctionem suppositi, non ponit distinctionem substantiae; unde differt ab omnibus praedicationibus quae hanc in se involvunt.

Quare *a*) Pater, licet alius a Filio, non tamen est *aliud*. Aliud enim, utpote minus determinatum - inde genus neutrum - in substantiam sive naturam redundat. Dari igitur possunt alius et alius, quin sint aliud et aliud: v. gr., in ipsa SS. Trinitate; et e converso aliud et aliud, quin detur alius et alius: v. gr., in Christo Domino, aliud divina, aliud humana natura, non autem alius et alius, ob unam Verbi incarnati personam.

b) Neque magis possunt divinae personae praedicari *diversae*, nec *alienae*. Etenim α) *diversum* ponit discrimen in substantia sive essentia; β) *alienum* autem praedicat dissimilitudinem quae ex hac diversitate oritur.

c) Imo neque *differentes* recte praedicantur, quia in sermone proprio differentia exprimit fundamentum diversitatis et alienationis, scilicet distinctionem formae. Nisi tamen in sensu latiori differentia sumatur uti synonymum distinctionis, quatenus et de supposito praedicatur.

6) Hanc doctrinam sequenti tabella contrahe:

De personis distinctio praedicari potest	1) quae mere *suppositum* afficit:	*a*) *alius* Pater a Filio, *b*) *distinctus* Pater a Filio;
	2) non autem quae in *substantiam* redundat:	*a*) non *aliud* a Filio, *b*) non *diversus* » » *c*) non *alienus* » » *d*) nec *differens*, nisi in sensu 1 (6).

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Adverte, *distinctionem* necessario in divinis esse admittendam: secus nulla relationum oppositio daretur; at nulla adest *diversitas*. Unde quaecumque diversa sunt, distincta sunt; non autem quaecumque distincta, diversa sunt. Neque ita distinctionem concipias, ac si poneret mere subsistentiae distinctionem; sed haec sufficit ut legitime praedicetur. Secus enim in Christo Domino natu-

ra humana a divina non posset dici distincta, quod falsissimum est.

2. Obi. Ne urgeantur hoc loco dicta, sedulo perpende, vocem *forma* ad divinas personas translatam dupliciter sumi posse. Alia enim forma substantialis, quae est unica et completa in tribus personis, nempe divina essentia; alia forma personalis, seu formalitas per quam concipimus singulas personas in sua distinctione constitui. - Secundum primam formam nullum discrimen, neque distinctio; secundum alteram distinctio; unde sumendo differentiam uti dictam de altera forma minus propria, differentia inter personas admitti debet vel potest. At ob amphibologiam ab hac formula abstinendum.

Sed contra est. Praeter lucidissimum textum S. Fulgentii ab Aquinate allatum, huc faciunt verba Symboli Athanas.: « Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti ». Ne autem ista vox *alia* differentiam in natura ponere videatur, immediate adiungitur: « Sed Patris et Filii et Spiritus Sancti « una est divinitas, etc. ». Huc quoque spectat declaratio Conc. Lateran. IV: « Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, « alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud; sed id quod est « Pater, est Filius et Spiritus Sanctus, idem omnino » [1].

Caeterum praesentis articuli doctrina diserte continetur in Scripturis, quoad distinctionem per vocem *alius* praedicandam in verbis Domini: « Rogabo Patrem, et *alium* Pa- « raclitum dabit vobis » [2], et quoad unitatem in verbis eiusdem: « Ego et Pater *unum* sumus » [3]. Imo in his duobus verbis *unum sumus* utrumque continetur. « Non enim, ait « Augustinus, dixit: unum *est,* quod Sabelliani dicunt, sed « unum *sumus* » [4]. Scilicet *unum,* quia non aliud et aliud; *sumus,* quia alius et alius. Unde S. Hilarius: « *Ego* et *Pater* « rerum nomina sunt; *unum* vero naturae professio est, quia « in eo quod est uterque non differat; *sumus* autem non « patitur unionem (id est singularitatis) [5] ».

[1] Cap. 2. *Damnamus.* — Cf. Denzinger (op. cit. n. 358).
[2] Ioann. xiv, 16.
[3] Ioann. x, 30.
[4] *De Trinit.* l. v, c. 9. — *P. L.* t. xlii, col. 918.
[5] *De Trinit.* l. vii. n. 25. — *P. L.* t. x, col. 221.

Et paulo inferius commentans verba Domini: « Qui videt « me, videt et Patrem » [1], eloquenter ait: « Hoc demutare « Antichristi est, hoc negare Iudaei est, hoc nescire Gentilis « est. Sed forte intelligentiae sensus in crimine sit. Sit in fide « nostra vitium, si in dictis Dei residet obscuritas. Nam nec « solitarium sermo significat (ergo alius et alius), et indiffe- « rentem tamen naturam professio docet (ergo non aliud et « aliud) » [2]. Et paucis interiectis axioma sternit.: « Patrem « et Filium singularem Deum praedicare sacrilegum est ». Utrumque rursus respectum reperiens affirmatum in verbis: « Pater qui in me manet, ipse facit opera » [3], ait: « Manere « in Filio Patrem, non est singularis atque unici; operari « vero per Filium Patrem, non est differentis aut exteri » [4]. Quam indifferentiam, - ob quam vidimus S. Augustinum recusare appellationem *triplicis,* loco *trini* aut *Trinitatis,* - proclamat diserte S. Ambrosius: « In Patre et Filio non est « discrepans, sed una divinitas.... Neque confusum est quod « unum est, neque multiplex esse potest, quod *indifferens* « est » [5].

Filium autem, licet alium a Patre, non tamen esse *alium Deum,* S. Hilarius pariter illustrat. Citatis variis locis Scripturarum quibus abutebantur Ariani ac Sabelliani, ac si unitas Dei quae in eis praedicatur, esset in detrimentum divinitatis Verbi aut verae Trinitatis, S. Doctor egregie ait: « Est Uni- « genitus Deus: neque consortem unigeniti nomen admittit, « sicuti non recipit innascibilis, in eo tantum quod est inna- « scibilis, participem; - est enim unus ab uno. Neque praeter « innascibilem Deum innascibilis Deus alius est, neque praeter « unigenitum Deum, unigenitus Deus quisquam est. Uterque « itaque unus et solus est, proprietate videlicet in unoquoque « et innascibilis et originis. Ac sic uterque Deus unus est; « cum inter unum et unum, id est, ex uno unum, divinitatis « aeternae non sit secunda natura » [6]. Et in sequentibus ar-

[1] Ioann. xiv, 9.
[2] Ibid. n. 38, col. 231.
[3] Ioann. xiv, 10.
[4] Ibid. n. 40, col. 233, Cf.
[5] *De Fide,* i, c. 2.
[6] *De Trinit.,* l. iv, n. 33. — Ibid. col. 120.

guit ex verbis: « Unxit te Deus, Deus tuus » [1], ut demonstret, alium et alium, utrumque unum Deum, praeter quam non datur, teste ipsa Scriptura [2], Deus alius [3].

In Corpore. In duas classes S. Thomas reducit praedicationes quae vitari debeant.

1) Ratione *unitatis* in eadem natura divina, contra Arium, vitanda sunt quaecumque negant *a*) *simplicitatem* (separando et dividendo), *b*) *aequalitatem* in eadem natura, *c*) *similitudinem* in circumsessione.

2) Ratione *distinctionis* personarum, contra Sabellium, vitanda sunt quaecumque negant *a*) *communicationem* (ponendo singulare), *b*) *numerum* personarum (praedicando unitatem, nisi fiat syncategorematice de personis singulis), *c*) ordinem naturae (ponendo confusionem), *d*) *consortium* (ponendo solitudinem).

De voce *alio*, iuxta doctrinam S. Augustini, reiicitur *aliud* propter Arianos; admittitur *alius* propter Sabellianos; secundum praenotata.

Quaeres I. - Estne discrimen inter « alius » et « aliud », ita intelligendum, ac si in forma neutra nihil possit pluraliter in Deo praedicari? - *Resp.* Usus utique in latino sermone ob praecavendos errores, huiusmodi locutiones devitat. At easdem per se non esse reprobandas absolute, iam ex ipso demonstratur, quod in graeco per formam neutram praedicantur tria πρόσωπα et in latino supposita. Insuper quemadmodum S. Anselmus potuit in Deo distinguere *tres res*, utique relativas, cur hae *tres res* non possent simpliciter vocari *tria*? Hoc modo aperte locutus est S. Ambrosius, vir sane tam perfectae fidei quam optimae linguae. « Ex quo ergo, - ita « ille - et quo ex eo, et quo diligunt ipsa duo, *tria* sunt, et « *illa tria* ideo unum, quia sic sunt ex uno illa duo, ut « tamen ab eo non sint separata; sed ex ipso sunt, quia non « a se; et in ipso, quia non separata; et ipsum ipsa quod « ipse, et ipsum ipse quod ipsa, et non ipsum qui ipse, et « non ipsa ipse, quae ipsa. Ista duo Deus est, et ipse *Deus*

[1] Psal. xliv, 8.
[2] Is. xliii, 10.
[3] Ibid. 34, 35, col. 121, sq.

« *tria est,* et unumquodque horum trium Deus est, et omnia « *illa tria* non dei, sed *Deus* est » [1].

Quaeres II. - Quid de usu vocis *alter?* Per se *alter* non differt ab *alio,* nisi quatenus *alter* potius usurpatur de numero gemino, dum *alius* dicitur de numero maiore. Unde nulla adest ratio hanc praedicationem a mysterio SS. Trinitatis excludendi, licet usu praedicatio per *alium* magis invaluerit, quia melius ternarium numerum complectitur. Hinc Boëthius ipsam vocem *alteritatis* adhibere non veretur: ait enim; « Principium pluralitatis alteritas est; praeter alte- « ritatem enim nec pluralitas quid sit, intelligi potest » [2].

Magnum proinde discrimen interest inter *alteritatem,* et *alterationem,* quasi sicuti inter *alium* et *alienum.* Alteratio quippe quidditatem respicit, non autem per se alteritas.

ARTICULUS III.

UTRUM DICTIO, SOLUS, SIT ADDENDA TERMINO ESSENTIALI IN DIVINIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quaeritur iam quasi de opposito, ac in praecedenti articulo. Unde sicuti ibi quae de *alio* quaerebantur, applicuimus ad Deum et ad personas, hic quoque videndum, quomodo praedicatio *solus* essentiali et personali termino possit coniungi. De priori in praesenti, de altero in sequenti articulo.

2) Qua ratione *solus* opponatur *alii,* iam apparet. Etenim si de essentia dicatur, quomodo consortium solus admittet? et si de subsistentia, rursus quomodo simul stabit solus cum alio? Si ergo utrumque de Deo praedicatur, alius et alius iuxta sermonis legem, modus praedicandi erit.

[1] *De dign. cond. hum.*, a. 2. — *P. L.* t. XVII, col. 1107. In hoc pulcherrimo libello S. Ambrosius totus incumbit, ut in homine SS. Trinitatis attendat imaginem, quam paulo superius hac egregia formula comprehendit: « Sicut Deus Pater, Deus « Filius, Deus Spiritus Sanctus est, non tamen tres dei sunt, sed unus Deus tres « habens personas; ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non « tamen tres animae in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates ». De cuius comparationis fundamento ac virtute, infra ex professo dicetur.

[2] *De Trinit.*, c. 1. — *P. L.* t. LXVI, col. 1249. Ibidem de differentia id habet: « Eos differentia comitatur, qui vel augent, vel minuunt, ut Ariani, qui gradibus « meritorum Trinitatem variantes, distrahunt atque in pluralitatem deducunt ».

3) Adverte insuper, in hoc articulo non induci praedicationis discrimen inter « *solus* » et « *solum* ». Nam *solus* et *solum* referuntur unice ad illud de quo dicuntur, quin habeant per se sicuti *alius,* vim pronominativam. Quare si termino substantiali unitur, excludit alteram substantiam; si vero personali, alteram personam. Quod si interdum sine ullo addito in forma masculina adhibeatur, subsistentem ponit sicut in *alius* in masculino.

4) Tota lex praedicationis categorematicae et syncategorematicae his paucis potest ad sua principia reduci [1].

Per se praedicatio adiectiva substantivum afficiens continet latentem propositionem; v. gr.: « murus albus » dicit « murus est albus ». - Quae praedicatio ut vera sit absolute, ei convenire debet de quo dicitur.

Porro ubi substantivum cum suo adiectivo efformat subiectum in propositione habente praedicatum, quum istud praedicatum refertur ad subiectum, quaestio moveri potest ad quamnam partem referri debeat, utrum ad substantivum, an ad adiectivum, an ad utrumque simul sumptum; vel utrum adiectivum immediate praedicatum afficiat, ita ut cum tali adiectivo illud de subiecto affirmetur.

A solutione huius quaestionis pendet dubium quod in praesenti et sequenti articulo agitatur: v. gr. habes propositionem: Solus Deus est aeternus. - Triplex sensus esse potest. Solus aeternus est Deus; solus est Deus aeternus; vel Deus est solus aeternus.

Iam vero sensus tertius unice in lege sermonis receptus est; quod hoc modo explicatur. In verbis: « Solus Deus est aeternus » duplex propositio continetur, nam de Deo duo praedicantur: solus et aeternus. - Quae duo praedicata in hac locutione se tali ordine habent ut diversus sensus iuxta ordinem oriatur. Etenim si prius coniungis *Deum* et *solum*, debes propter legem absolutam sumere *solum* in sensu categorematico absoluto, et incipis a falso; unde addens *ae-*

[1] Notam hic supponimus distinctionem inter vocabula *categorematica,* quae per se completam significationem habent, uti passim verba et nomina, et quae ab his derivant participia et adiectiva; et *syncategorematica,* quae indigent coniungi aliis ut eorum significatio determinetur, uti omnis, nullus, aliquis, et reliquae orationis partes; sunt autem vocabula quae de utroque habent, uti *solus.*

ternum non potes corrigere amplitudinem *solius* iam absolute positi, quia *aeternum* ad hoc nullam habet vim. E contra si prius coniungis *Deum* cum *aeterno*, habes aliquid verissimum: « Deus est aeternus »; quare non amplius absolute de Deo unice praedicatur, sed de Deo simul cum aeterno seu de Deo uti aeterno; unde syncategorematica praedicatio audit.

5) Interdum nulla mutatio alicuius praedicationis per attributum adiectum inducitur; sed quando praedicatio categorematica sine attributo est falsa, et per praedicationem syncategorematicam corrigi potest, corrigi censenda est. Exemplum prioris habes: « murus albus »; et « murus albus « est altus »; additio « est altus » non reddit syncategorematicam priorem « albi » praedicationem categorematicam. Exemplum posterioris: « falsi dii sunt plures ».

6) Caeterum animadverte, in hac formula: « solus Deus est aeternus », sensum esse quasi adverbialem, ita ut *solus* idem dicat ac *tantum*, quod potest afficere vel subiectum vel praedicatum, iuxta sensum qui intenditur. Cf. exempla a S. Thoma in resp. ad 2. allata.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit solitudinem proprie dictam seu absentiam consortii in eiusdem ordine naturae, cum solitudine improprie dicta. Per angelos et beatos tollitur haec, non autem illa.

2. Obi. Accipe ipsa Augustini verba: « Et quoniam ostendimus quomodo possit dici solus Pater, quia non nisi ipse « ibi Pater; consideranda est illa sententia qua dicitur, Deum « verum solum non esse Patrem solum, sed Patrem et Filium « et Spiritum Sanctum. Si quis enim interroget, Pater solus « utrum sit Deus: quomodo respondebitur non esse, nisi forte « ita dicamus: esse quidem Patrem Deum, sed non eum esse « solum Deum; esse autem solum Deum Patrem et Filium et « Spiritum Sanctum ». Et pergit inquirendo de vi locutionis: « Haec est autem vita, ut cognoscant te solum verum Deum »[1], de qua, excluso errore Ariano, quaerit quomodo in hoc solo vero Deo, non solum Pater, sed et Filius et Spiritus Sanctus cointelligantur.

[1] Ioann. xvii, 3.

3. Obi. Vitio laborat quoad utrumque disiunctionis membrum. Quoad prius, quia confundit sermonem specificum cum generico; quoad alterum, quia neglecta lege praedicationis per *solum*, sophistice a formalitate ad suppositum descendit.

Sed contra est. Quoad utramque partem doctrinae auctoritates adducuntur e Scripturis. Affirmantes, praeter locum heic citatum, plures habes superius p. 120, 121 et 149, 150; negantem: « Et qui misit me, mecum est, et non reliquit me solum » [1]. - In Hymno Angelico ita canitur: « Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, Iesu Christe, « cum S. Spiritu in gloria Dei Patris ». Et in Symbolo Missae: « Qui cum Patre et Filio simul adoratur ». - Confer et dicta in art. praec. de voce *solitario*.

In Corpore. Vide infra tabellam utriusque art. 3 et 4.

Reliqua patent.

ARTICULUS IV.

UTRUM DICTIO EXCLUSIVA POSSIT ADIUNGI TERMINO PERSONALI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quo facilior huius Quaestionis solutio evadat, ab initio praedicanda distingui debent in absoluta et personalia. Incipiamus a prioribus; et ut concrete magis res procedat, ponamus: *solus Pater est Deus,* vel: *solus Pater est aeternus*. Et primo quaeramus de sensu dicti: *solus Pater*. Duplicem potest habere sensum, secundum quod in Patre intelligitur duplex formalitas. Si consideras personalitatem, falsum dicis per *solum Patrem,* quia excludis alias personas; si consideras paternitatem, verum affirmas, quatenus non est nisi unus Pater. Unus sensus categorematicus est, alter syncategorematicus, quia decomponis, et tunc applicas *solum* ad unum terminum decompositionis.

Unde sumendo totam sententiam: *solus Pater est aeternus*, rursus nova distinctio fieri potest, secundum quod coniungis *aeterno solum,* vel *aeternum* simul *Patri* et *soli.*

a) Secundum priorem modum habebimus: Pater est solus aeternus, quod in masculino est falsum, quia excludit alias

[1] Ioann. viii, 29.

personas, ab hoc ut sint aeternae; sed in neutro: Pater est τὸ solum aeternum, scil. habet illam naturam quae sola aeterna est, verum dicitur.

b) Secundum alterum sensum: *solus Pater est aeternus*, rursus, quatenus in masculino non nisi persona Patris est aeterna, falsum est; quatenus vero in neutro Pater habet hoc quod solum aeternum est, nempe divinam naturam, verum est. Unde utrumque sumendo: *solus Pater est aeternus*... categorematice, habetur sensus falsus; syncategorematice autem: *ille, qui solus est Pater, est aeternus,* habetur sensus verissimus; at longe nimis petitus.

2) Personalia autem cum exclusione praedicari posse, liquet nimis; v. gr.: *solus Pater est generans;* modo praedicatio intelligatur syncategorematice secundum sensum in articulo praecedenti explicatum, ubi de formula: *solus Deus est aeternus.*

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Supponit gratuito, ab hac locutione excludi Filium et Spiritum Sanctum. Optime Augustinus: « Sed quid agimus de illo testimonio Domini? Patri enim di-« cebat, et Patrem nominaverat ad quem loquebatur, cum « ait: " Haec est vita aeterna, ut cognoscant te unum verum « Deum " [1]. Quod quidem Ariani sic solent accipere, quasi « non sit Filius verus Deus. Quibus exclusis, videndum est « an intelligere cogamur, cum dictum est Patri, " Ut cogno-« scant te unum verum Deum ", tanquam hoc insinuare vo-« luerit, quia et solus Pater Deus verus est, ne non intelli-« geremus, Deum, nisi ipsa tria simul, Patrem et Filium et « Spiritum Sanctum. Num ergo ex Domini testimonio, et Pa-« trem unum verum Deum dicimus, et Filium unum verum « Deum, et Spiritum Sanctum unum verum Deum, et simul « Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, id est simul ipsam « Trinitatem, non tres veros deos, sed unum verum Deum? « An quoniam addidit: " Et quem misisti Iesum Christum ", « subaudiendum est " unum verum Deum "; et ordo verbo-« rum est: Ut te et quem misisti I. Chr. cognoscant unum « verum Deum? Cur ergo tacuit de Spiritu Sancto? ». etc. [2].

[1] Ioann. xvii, 3.

[2] *De Trin.* l. vi, c. 9. - *P. L.* t. xlii, col. 930.

2. Obi. Pari vitio laborat.

3. Obi. Confundit habitudinem universalis et partis ad exclusivam dictionem, cum habitudine differentis suppositi. Haec excluditur, non illa.

4. Obi. Omittit callide verba quae sequuntur, quibus praedicatio ad absolutum aut saltem ad commune trahitur.

Sed contra est. Arguit recte ex sensu magis obvio.

In Corpore. Doctrinam huius *Corporis* necnon *Corporis* praecedentis, collata responsione ad 2. ibidem, hoc schemate expressam tene.

- **Praedicatio Solus**
  - 1) *categorematice*
    - *a*) applicata absolutis:
      - α) in sensu neutro - vera,
      - β) in sensu personali - falsa;
    - *b*) applicata relativis:
      - α) generice - falsa,
      - β) specifice - vera;
  - 2) *syncategorematice*
    - *a*) applicata absolutis, vera;
    - *b*) relativis:
      - α) sensu implicativo - vera, sed extra usum sermonis (1),
      - β) sensu exclusivo simpliciter:
        - α) excludens masculine - falsa,
        - β) neutraliter - vera, sed extra usum sermonis (2).

Sint igitur sequentes sententiae.

1) « *Solus Pater est Deus* ». Obvius sensus est reprobandus; duplex autem, at remotus, veritatem habet:

a) « Pater, qui solus Pater est, Deus est » (1).

b) « Extra Patrem non est aliud quod sit Deus » (2).

2) « *Pater est solus Deus* », rursus obvior sensus reiiciendus, alter legitimus, scil.: « Pater est Deus, qui Deus solus « est Deus » (falsus esset: qui Pater etc.).

3) « *Trinitas est solus Deus* ». Magis probanda formula, quia « solus Deus » magis excludit falsum sensum partis, utpote ab ipso verbo « Trinitas » exclusum; sensus igitur est potior: « Extra Trinitatem non est Deus ».

Reliqua patent [1].

[1] Vide appendicem ad hanc Quaestionem p. 376, typographicae dispositionis causa remissam.

Doctrina S. Bernardi de Unitate Trinitatis.

Placet ad modum epilogi huic Quaestioni adnectere sententias vere optimas quibus Mellifluus Doctor in libro *de Consideratione* in quaternitatem Gilberti invehens, altitudinem mysterii Unius ac Trini evolvit [1]. Vindicata simplicitate Dei perfectissima, id est non solum unitatis, sed et immutabilitatis quia « unus est etiam sibi », quod proprium est Dei solius, concludit: « Compara huic uni omne quod unum dici « potest, et unum non erit ». Et pergit, apicem unitatis in ipsa Trinitate demonstrans: « Trinitas est tamen Deus. Quid « ergo? Destruimus quod dictum est de unitate, quia indu- « cimus trinitatem? Non, sed statuimus unitatem. Dicimus « Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritus Sanctum, non « tamen tres deos, sed unum. Quid sibi vult iste (ut sic « loquar) absque numero numerus? Si tria, quomodo non « numerus? Si unum, ubi numerus? - Sed habeo, inquis, quid « numerem et quid non numerem. Substantia una est; per- « sonae tres sunt. Quid mirum, quid vel obscurum in hoc? - « Nihil, si personae seorsim a substantia cogitantur. Nunc « vero quum tres illae personae, illa substantia sint, et illa « una substantia tres illae personae: quis numerum negat? « nam vere tres sunt; quis numeret tamen? nam vere unum « sunt. Aut si tu facile explicatu id putas, dicendo tres, di- « cito, quid numerasti? Naturas? una est; essentias? una est; « substantias? una est; deitates? una est. - Non haec sed per- « sonas numero, inquis. - Quae non sint illa una natura, illa « una essentia, illa una substantia, illa una divinitas? Catho- « licus es, minime hoc dabis ». Et pergit magna sermonis virtute ostendens, quantopere identitati reali inter personas singulas et divinam essentiam sit insistendum, ne vera Trinitatis fides pereat. Unde argumentum hoc effato contrahit: « Dicamus tres, sed non ad praeiudicium unitatis; dicamus « unum, sed non ad confusionem trinitatis ». Et paucis in-

[1] Etsi prima verba iam superius retulimus, eadem iterare non pigeat, quum ad nexum sermonis plenius intelligendum pertineant.

teriectis de mysterii ratione inscrutabili, hanc mirabilem unitatem cum variis unitatis generibus confert, splendidam gradationem sternens:

« Quo eminentia huius singularis Unius fiat evidentior: « est unitas quae *collectiva* potest dici, cum verbi causa « multi lapides faciunt acervum unum; - est et unitas *con-* « *stitutiva*, cum multa membra unum corpus, vel multae « partes unum quodcumque totum constituunt; - est et *coniu-* « *gativa*, qua fit ut duo iam non duo sint, sed una caro; - « est et *nativa*, qua anima et caro unus nascitur homo; - est « unitas *potestativa*, qua homo virtutis non instabilis, non « dissimilis, sed unus sibimet semper nititur inveniri; - est « *consentanea*, cum per charitatem multorum hominum est « cor unum, et anima una est; - est et *votiva*, cum anima « votis omnibus adhaerens Deo unus spiritus est [1]; - est et « *dignativa* unitas, qua limus noster a Dei Verbo in unam « assumptus est personam ».

Quibus gradibus ascensis a mera unione collectiva ad ipsam hypostaticam unionem Christi Domini, pie exclamat: « Verum haec omnia quid ad illud summum, atque, ut ita « dicam, unice Unum, ubi unitatem consubstantialitas facit? « Huic Uni quodvis illorum si assimiles, erit quoquomodo « unum; si compares, nullo. Igitur inter omnia quae recte « unum dicuntur, arcem tenet Unitas Trinitatis, qua tres « personae una substantia sunt; secundo loco illa praecellit, « qua e converso tres substantiae una in Christo persona « sunt [2]. Porro haec et quaecumque alia dici una possunt, « summae illius unitatis incitatione, non comparatione, una « appellari vera sobriaque probat consideratio ».

Audi postremo quomodo appellationem Trinitatis vindicet: « Nec abducimur ab hac unitatis professione, assertione « trium, cum in hac Trinitate non recipiamus multiplicita- « tem, sicut nec solitudinem in unitate. Quamobrem cum dico « unum, non me Trinitatis tenebat numerus, qui essentiam « non multiplicat, non variat, non partitur. Rursus cum dico « tria, non me arguit intuitus unitatis, quae illa quaecumque

[1] Mirare pulchrum vitae monasticae seu religiosae conceptum.

[2] Tres substantias, non duas naturas dixit, ob numerorum utrimque paritatem.

« tria, seu illos tres, nec in confusionem cogit naturae, nec « in singularitate redigit » [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum trinitas exprimat determinate numerum divinarum personarum, sicuti in divinis tres sunt personae, ita quoque *Trinitas* praedicanda est; in qua Trinitate, si minus ex etymologia, saltem ex usu unitas communis essentiae in obliquo adsignificatur (a. 1).

2) Personae, autem, utpote ab invicem ratione subsistentiae distinctae, vocantur iure *alia* et *alia*, non autem aliud et aliud propter omnimodam cum singulari eadem natura identitatem, sine diversitate, nec differentia, nec alienatione (a. 2).

3) Porro dictio *exclusiva* termino *essentiali* applicata, legitima est in sensu syncategorematico, non autem in sensu categorematico, ne personarum pluralitas excludatur (a. 3).
4) Exclusiva autem dictio termino *personali* adiuncta pariter categorematice propter eamdem rationem falsa est, vera autem potest esse in sensu syncategorematico, si excludit neutraliter tantum; secus, si excludit masculine (a. 4).

QUAESTIO XXXII.

DE DIVINARUM PERSONARUM COGNITIONE.

DISSERTATIO PRAEVIA.

Quum de habitudine rationis humanae propriis relictae viribus ad dogma Sanctissimae Trinitatis hinc illinc nostra aetate acriter disputatum sit, Quaestioni huic XXXII. brevem dissertationem praemittendam duximus; in qua ex ordine quaeremus, quid in praesenti argumento ratio valeat, quid

[1] Edit. Lugd., 1662, t. IV, p. 21 sq.

non valeat. Ut autem ab ipso exordio ineunda via planior appareat, en schemate expressum ordinem quo incedere lubeat.

- **Quaeretur de cognoscenda SS. Trinitate, quid ratio**
  - *I) non possit:* (I Pars.)
    - A) nec ad *inficiendum* dogma (contra rationalistas passim);
    - B) nec ad illud proprie *demonstrandum,* quod ostendetur:
      - 1) *directe*, per rationes petitas
        - *a*) ex Scripturis,
        - *b*) ex Eccles. auctoritate,
        - *c*) ex traditione,
        - *d*) ex ipsa ratione;
      - 2) *indirecte*, per examen rationum suggestarum
        - *a*) a philosophis antiquis,
        - *b*) a modernioribus non catholicis,
        - *c*) ab ipsis catholicis;
  - *II) possit:* (II Pars.)
    - A) dogma credendum *proponere*,
    - B) *exponere*
      - 1) per analysim ipsius revelationis,
      - 2) per comparationes e natura depromptas,
      - 3) per suasibiles rationes;
    - C) *tueri* ab hostium impugnationibus.

I. PARS.

DISSERTATIONIS QUID HUMANA RATIO SIBI RELICTA IN COGNOSCENDA SS. TRINITATE NON POSSIT.

Uti ex inspecto praecedenti schemate apparet, inter utrumque excessum catholica doctrina incedit. Dum ex una parte pervicaciam impietatis innixa fidei certitudine depellit, credibilitatem mysterii non extrinsece modo, sed et intrinsece vindicans; ex altera, rationem ipsam mysterii proprie dicti tuetur, temeritatem illuminatae rationis continens. Sit igitur primo de utroque excessu, dein de media inter utrumque doctrina.

I. Contra SS. Trinitatis mysterium nihil efficaciter ex ratione adduci potest.

Inconcussa huius asserti veritas iam a primaevis christianae religionis defensoribus contra Celsum, Sabellium, Arium aliosque strenue defendebatur. Eodem iure modernos rationalistas apologistae coaevi, non impietatis modo sed et levitatis arguunt, quotiescumque isti ex praeiudicio hostili in sublimiora tanquam in absurda invehunt. De quibus Petram proterve offendentibus, valet nimis illud a Iacobo dictum: « Quaecumque ignorant, blasphemant ». Utinam non et sequens: « quaecumque autem naturaliter, tanquam muta « animalia, norunt, in his corrumpuntur » [1]. Quemadmodum et Paulus utrumque una sententia complectitur: « Animalis « homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei: stultitia enim « est illi, et non potest intelligere » [2].

Inter hos superbe ignaros, commiseratione magis quam zelo dignos, eminet aetate nostra Frid. Strauss, cuius, praeter superius iam allata, libet et sequentia verba afferre, tanquam argumentum simul audaciae ac petulantiae rebellis in Deum ingenii, si tamen ingenii. « Videretur ac si antiquis illis chri- « stianis, quo magis essent rerum naturalium imperiti, eo « maior ingenii vigor ad huiusmodi supernaturalia pronus « fuisset. Nam praesumptiones similes, sicuti tria est unum, « et unum est tria, cogitare, ad quae intellectus noster unde- « quaque iuvamen recusat, illis erant nugae, imo deliciae, « inter quas vivebant ac movebantur, de quibus per saecula « bella gerebant, collatis acuminis ac sophismatum armis, « tantaque animi contentione, quae nec a violentia nec ab « effuso sanguine abhorreret..... Nos moderni nullo amplius « zelo pro tali dogmate accendi neque parumper aestuare « valemus; imo in tali re nihil amplius cogitare possumus, « nisi aliud quid cogitando, quo idipsum pervertitur; cuius « loco melius quid agimus, inquirendo scilicet, quomodo « antiqui christiani paulatim in tam peregrinam doctrinam « devenerint. Hoc autem ad historiam ecclesiasticam pertinet,

[1] Iud. 10.
[2] I. Cor. ii, 14.

« quae simul nos docet, quomodo ab eadem moderni se chri-
« stiani receperint. Etenim licet exterius adhuc protrahatur,
« doctrina Trinitatis, et in coetibus recte de caetero cre-
« dentibus, primaevum vigorem vitalem amisit » [1]. Unde,
uti iam monuimus, idem ipse exclamare non veretur: « Wer
« das Symbolum *Quicumque* beschworen hat, der hat den
« Gesetzen des Denkens abgeschworen » [2].

Quot in una congerie ingenio firmo prorsus indigna! Igiturne de scientiis naturalibus illi antiqui non hoc saltem sciverint, tria non esse unum, nec unum tria? nugasne habuerint dogma de quo tam fuse, tam subtiliter Athanasius, Basilius, Augustinus, Aquinas, Bonaventura, aliaque summa illa lumina conscripsere? recta notio divinitatis non sat magni momenti fuerint, de qua acerrime per saecula certaretur [3]? semotis ac neglectis tot ingeniorum operibus, modernorum ratio per naturae leges partim melius cognitas tantopere de

[1] « Ist es doch, als hätten diese alten Christen, je unwissender sie in allen natür-
« lichen Dingen waren, um so mehr Denkkraft für dergleichen Übernatürlichkeiten
« zur Verfügung gehabt. Denn derartige Zumutungen, drei als eins und eins als
« drei zu denken, wobei unser Verstand uns geradezu seine Dienste versagt, waren
« ihnen eine Kleinigkeit, ja eine Liebhaberei, worin sie lebten und webten, worüber
« sie Jahrhunderte lang mit allen Waffen des Scharfsinns und der Sophistik, zugleich
« aber auch mit einer Leidenschaft, die von Iewalt und Blutvergiessen nicht zurück-
« scheute, streiten konnten. Noch ein Reformator ist es gewesen, der um einer Ketzerei
« in dieser Lehre willen einen verdienstvollen Arzt und Naturforscher, der nur die
« Schwachheit hatte, zugleich von der Theologie nicht lassen zu können, auf den
« Scheiterhaufen brachte. Wir Heutigen können uns für ein solches Dogma nicht
« mehr weder erhitzen, noch auch nur erwärmen; ja selbst denken können wir uns
« nur dann noch etwas dabei, wenn wir etwas anderes dabei denken, d. h. es
« umdeuten: statt dessen wir aber besser thun, uns deutlich zu machen, wie die
« alten Christen nach und nach zu einer so seltsamen Lehre gekommen sind. Doch
« dies gehört der Kirchengeschichte an, die uns zugleich zeigt, wie die neueren
« Christen wieder davon gekommen sind; denn, wird sie auch äusserlich noch mit-
« geführt, so hat doch die Dreieinigkeitslehre sogar in übrigens rechtgläubigen
« Kreisen ihre frühere Lebenskraft verloren ». (*Der alte und neue Glaube*, p. 11 sqq.).

[2] GLAUBENSLEHRE, t. I, p. 460.

[3] Quid inter tempora nostra sceptico frigore languida et maiores fidei ardentis aetates intersit, alte proclamant illae militum turmae, nobilissimis stipatae ducibus, quae olim ad Christi tumulum a Cornuum tyrannide vindicandum, in orientales plagas per ardua quaeque convolarunt; dum hodie, tot millies millibus militum arma in truci fallacique pace gestantibus, ter centum millia Armenorum Turcarum haeres inaudita strage placide trucidare potuit, quin christianae gentes nisi in semetipsas signa conferrent. Quid mirum? Quo magis in re publica sollicitudo de Dei iuribus decrescit, ut declamatorie iura hominis extollat, eo celerius ab antiquae virtutis altitudine decidat oportet. Porro quodnam ius Dei sanctius integritate fidei SS. Trinitatis?

divinis illustrata sit, ut antiquam fidem iam iure despiciat? - Quam ieiuna declamatio!

Conclusio autem quam heic defendimus, legitima a priori apparet. Impossibile sane est, fidem et rationem non perfecta harmonia inter se conspirare. Quid enim ratio, nisi scintilla divini luminis animo humano ab ipso Conditore insita? Quid autem fides, nisi radius eiusdem divinae claritatis superne mentibus nostris illapsus? Quum igitur idem sit splendor aeternus a quo utraque emanat, idemque utriusque emissor, quo modo iam inter se hostiliter, nisi per ignorantiam colluctare, dicerentur? Eo vel magis quod scopo fidei rationis scopus subest; quos enim haec in naturalibus ducit, illa ad supernaturalem finem sublimius et efficacius dirigit. Quemadmodum igitur Ecclesiae libertas civili ordini nullatenus obstat, quin et ipsum veluti arx summa firmat atque defendit; ita nedum rationi fides obsit, altissima eiusdem iura proclamat ac sarta tecta tuetur. Praeclare in epistola « *Officio sanctissimo* » de rebus Bavariae, Leo XIII: « Qua de re sine caussa civilia « imperia suspicionem et offensionem capiunt de libertate « Ecclesiae, quum demum vel civilis vel sacrae potestatis « idem sit principium, unice a Deo. Ideoque non possunt inter « se aut discrepare, aut impediri, aut elidi, cum neque Deus « constare sibi non possit, neque opera eius queant inter « se pugnare; quin etiam miro commendantur caussarum « rerumque concentu. Liquet praeterea Ecclesiam catholicam, « dum latius liberiusque, Auctoris sui iussis obtemperans, sua « signa fert in gentes, nequaquam in fines excurrere pote- « statis civilis, eiusque rationibus aliqua re obesse; sed tutari « eas et munire; ad eius vere similitudinem quod contingit « in fide christiana, quae tantum abest ut humanae rationis « luminibus obstruat, ut potius ipsi addat splendorem, vel « quod ab erroribus opinionum avertat, ad quos prolabi « humanum est, vel quod in spatium rerum intelligendarum « amplius et excelsius admittat ».

Id autem reipsa contigisse, historia controversiarum a primaevis Ecclesiae saeculis luculenter nos docet. Non enim pacifica fuit revelationis cum ethnica philosophia congressio, sed ab exordiis bellicosior, ut ita dicam, persecutionibus ipsis ab ethnica potestate illatis. Minus certe Ecclesiam Neronis

rabies vere bestialis, quam satanica prope Celsi tela impugnabant; nec gloriosa minus de scriptoribus paganis quam de palatinis tyrannis victoria. Audiatur rursus de hoc argumento Leo XIII paulo superius in eadem epistola disserens: « Sanctioribus hisce partibus plene perfecteque, si alias umquam, « satis factum est in primordiis religionis nostrae saeculisque « consequentibus, per eam, quae diu exorsit, maximam dimi- « cationem cum ethnicae superstitionis tyrannide, unde tam « amplam cohors sacerdotalis collegit gloriam, amplissi- « mamque sanctissimus ordo Patrum et Doctorum, quorum « sapientia et eloquentia in omnem memoriam et admiratio- « nem florebunt. Per ipsos nempe doctrina christiana subtilius « tractata, uberius explicata, pugnacissime defensa, eo magis « veritate et praestantia patuit sua, prorsus divina; contra « iacuit doctrina ethnicorum, vel indoctis redarguta et con- « tempta, ut quae nihil sibi consentanea, perabsurda, inepta. « Nequidquam vero connisi sunt adversarii, ut cursum eum « sapientiae catholicae tardarent et intercluderent; nequid- « quam graecae scholas philosophiae, platonicam imprimis « et aristoteleam, magnificentioribus sane verbis obiecerunt. « Nostri enim neque istud quidem certaminis genus decli- « nantes, ad philosophos ethnicos applicuerunt ingenia et « studia: quae quisque eorum professus esset, incredibili paene « diligentia scrutati, consideraverunt singula, expenderunt, « contulerunt; multa sunt ipsis reiecta aut emendata, non « pauca ex aequo probata et accepta: hoc etiam ab ipsis « apertum et prolatum est, ea quidem quae ipsa ratione et « intelligentia hominis falsa esse revincantur, ea tantummodo « adversari doctrinae christianae, adeo ut huic doctrinae qui « obsistere velit et refragari, idem suae ipsius necessario « obsistat et refragetur rationi. Istiusmodi purgatae sunt « pugnae a patribus illis nostris, atque illustres partae victo- « riae, easque non virtute modo armisque fidei partae, sed « auxiliis quoque humanae rationis: quae scilicet, lumen « praeferente sapientia caelesti, ex rerum ignoratione com- « plurium et quasi ex errorum silva veritatis iter pleno gradu « erat ingressa » [1].

[1] Editio Desclée, III, 34. 24.

Quae quum ita sint, commiserationem vere merentur quotquot hodiedum naturalium scientiarum progressione quasi tumentes, derideri posse existimant, quae illi veteres tam praeclaro duello ethnicâ sapientiâ splendidius longe fulgere demonstrarant. De quibus rursus egregie Leo XIII in allocutione « *Pergratus nobis* » de studio philosophiae divi Thomae: « Homines tunc veritatem melius intuentur et securius « assequuntur, si mentibus discendi cupidis divina fides, quasi « face, praeluxerit. Quod quidem qui aut infitiantur aut « omnino non intelligunt, eos dolendum est in re maxima « errare. Multos equidem esse videmus, qui veritates divinitus « traditas parvipendunt, vel prorsus reiiciunt, propterea quod « cum effatis humanarum scientiarum ac recentioribus pla- « citis eas componi non posse existimant; atque ipsam « Ecclesiae divinam potestatem acriter adoriuntur, quod eam « iuribus civili societati recens adsertis, principum maiestati « et populorum prosperitati inimicam arbitrantur. Quorum « causam errorum si quis paulo diligentius investigaverit, in « eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce « temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius « fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae deflo- « ruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum con- « ticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod « indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravi- « tate sententiarum et immanibus opinionum portentis infi- « ciuntur..... Scilicet, fidei christianae, ut plurimum debet, phi- « losophia, ita opem ferre, quantum potest, maxime studeat. « - Huic illa infensa nec fuit unquam, nec esse potest, fidei « enim et rationis parens atque auctor Deus sic utramque « temperavit ut societate et quadam cognatione, inter se con- « tinerentur » [1].

Optimo igitur iure *Concil. Vaticanum* docet: « Verum « etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter « fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem « Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo hu- « mano lumen rationis indiderit; Deus autem negare seipsum « non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis

[1] Editio Desclée, I, 140, 143.

« autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, « quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta « et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro « rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veri- « tati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse defi- « nimus » [1].

Et re quidem vera, quas contra SS. Trinitatis mysterium argumenta rationalistae congerunt, utroque vel saltem alterutro praedicto vitio laborare monstrantur.

Elenchi ignoratio in praecitatis verbis Strauss est manifesta, imo vulgaris; ac si totum SS. Trinitatis mysterium in hoc sit, ut tria praedicentur unum, et unum tria. Trita calumnia vix hodie tabernis digna. Effata autem philosophica a creatis rebus per experientiam deducta, quomodo ad divina modeste applicari debeant, ex ipsa rei natura apparet. Quare quotiescumque revelatio certa, - haec sane requiritur, - de universalitate talium axiomatum seu principiorum aliquid demendum esse ostendit, philosophiae nedum obsit, efficacissime potius inservit, sive complendo quae deficiebant, sive emendando quae erronee ultra veri limites incaute vel leviter progrediebantur.

Nec alio modo sese habere potest habitudo inter rationem et fidem, maxime ubi de ipsa Dei cognitione agitur. Deum quippe vires humanae mentis superare debere, cuivis de Deo non dicam pie, sed et sane sentienti constat. Etenim si nostra ratio virtute propria Deum comprehenderet, aut Deus ille non esset, aut ipsa mens nostra esset Deus. Iam vero si cognoscendus Deus vires rationis necessario praecellit, quomodo iam nulla extaret inter rationem et cognoscendum Deum aliqualis apparens oppositio? Res enim quae vires mentis exsuperat, dummodo non prorsus ignoretur, necesse est, ut cum ratione, si eidem monstretur, aliqualiter, licet solum specie colluctet. Hanc autem pugnam non esse nisi apparentem, commonent simul tum ipsa ratio, tum pius de Deo sensus.

Qui pietatis sensus plurimum valet ad ipsam veritatum fidei intelligentiam, illam sane initialem, quae cohibet ne ratio

[1] Sess. III, cap. 4, *De fide et ratione.*

rebellet. « Nisi credideritis, ait Scriptura, non intelligetis » [1]. Pariter, nisi saltem pie de Deo senseris, profunda eius mente recipere non valebis. Inde pessima athei conditio, ut de credibilitate mysteriorum iudicet, quum ipsam rationis vim in fundamento pervertat.

E contra hanc fidei celsitudinem non superbis, sed humilibus manifestari, ipse Christus proclamavit: « Confiteor tibi, « Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapien- « tibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis » [2]. Et Paulus, magnus ille crucis propalator, ait: « Verbum enim crucis « pereuntibus quidem stultitia est: iis autem, qui salvi fiunt, id « est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim, perdam sapien- « tiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. « Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius saeculi? « Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam « quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam « Deum: placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos « facere credentes. Quoniam Iudaei signa petunt, et Graeci « sapientiam quaerunt. Nos autem praedicamus Christum « crucifixum, Iudaeis quidem scandalum; Gentibus autem « stultitiam, ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis, Chri- « stum Dei virtutem et Dei sapientiam, etc. » [3].

Fides quippe credibilia reddit humanae menti quaecumque nativas eius vires superant. Quid enim fides, nisi lux quaedam maior, corroborans ipsam scintillam aeternae veritatis quam quisque homo in mente gerit? Unde sicut adveniens, mysteria sustentat atque radio suo collustrat; ita recedens, eadem intollerabilia reddit. Id nos monent ex una parte verba Domini ad Apostolos: « Adhuc multa habeo « vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem « venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem verita- « tem » [4]; et ex altera parte verba Pauli ad Timotheum: « Commendo tibi, fili Timothee.... ut milites.... bonam mili- « tiam, habens fidem et bonam conscientiam, quam quidem « repellentes, circa fidem naufragaverunt » [5]. Mala quippe

[1] Is. VII, 9.
[2] MATH. XI, 25.
[3] I. COR. I, 18, 25.
[4] IOANN., XVI, 12, 13.
[5] I. TIM., II, 18, 19.

conscientia Spiritum expellit, et pulsa luce tenebras inducit veritatem praefocantes.

Quare aurea prorsus sunt quae S. Anselmus in exordio operis de fide Trinitatis conscribit: « Sed prius quam de quae-« stione disseram, aliquid praemittam ad compescendam eo-« rum praesumptionem, qui nefanda temeritate audent dispu-« tare contra aliquid eorum, quae fides christiana confitetur, « quoniam id intellectu capere nequeunt: et potius insipienti « superbia iudicant nullatenus posse esse quod nequeunt in-« telligere, quam humili sapientia fateantur, esse multa posse, « quae ipsi non valeant comprehendere. Nullus quippe Chri-« stianus debet disputare quomodo quod catholica Ecclesia « corde quaerit et ore confitetur, non sit; sed semper eam-« dem fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam « vivendo, humiliter, quantum potest, quaerere rationem quo-« modo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat; si non « potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat « caput ad venerandum. Citius enim potest in se confidens « humana sapientia impingendo cornua sibi revellere, quam « vi nitendo petram hanc evellere. Solent enim quidam, cum « coeperint quasi cornua confidentis sibi scientiae producere, « nescientes quod si quis aestimat se scire aliquid, nondum « cognovit quemadmodum oporteat eum scire, antequam « habeant per soliditatem fidei alas spirituales, praesumendo « in ultimas de fide quaestiones assurgere. Unde fit, ut, dum « ad illa, quae prius fidei scalam exigunt, sicut scriptum est: « " Nisi credideritis, non intelligetis " [1], praepostere prius per « intellectum conantur ascendere, ad multimodos errores per « intellectus defectum cogantur descendere » [2].

Quam sapiens haec mentis sit disciplina, ostendit ipsa hominum doctissimorum caterva, qui, nedum per scientias naturales a fide removerentur, e contra, quo eruditiores, eo quoque catholico symbolo exstiterunt addictiores. Ab amico quondam ut fidei suae rationem redderet sollicitatus, respondisse fertur magnus ille Pasteur: « Quia rerum naturalium « non sum imperitus, fidem servavi rustici brittanici; si pe-« ritior essem, et brittanicae rusticae fidem haberem ».

[1] Is., VII, 5.

[2] C. II, lege hoc integrum caput. — *P. L.*, t. CLVIII, col. 263, sq.

Idipsum docet historia magnorum virorum, qui ab exordiis Ecclesiae nomina Christo dederunt. Num forte principia rationis abiuravit inclytus martyr Iustinus, quando in littore maris ab ignoto venerando sene inanitatem platonicae philosophiae edoctus, in altiorem Christi doctrinam se toto mentis ardore extendit? Num et B. Boëthius, acutus ille antiquorum interpres, Scholaeque antesignanus, rationem abdicavit, quando ab explicatis philosophicis argumentis ad contemplandam SS. Trinitatem reverenti se animo contulit?

Ubi adverte sapiens eiusdem scriptoris monitum: « Sed « ne tantum a nobis quaeri oportet, quantum humanae ra- « tionis intuitus ad divinitatis valet celsa conscendere: nam « caeteris quoque artibus idem quasi quidam finis est consti- « tutus, quousque potest via rationis ascendere » [1].

Et sane quot quaestiones de quibus isti superbi at ignari fidei contemptores, vix aliquid balbutire valent, si tamen valeant. Sententiam quippe Pascal: « Nous ne savons le tout « de rien », absque iniuria de multis in illos converteris: « Vous n'en savez rien du tout ». Quare pietatem magis movent huiusmodi viri ignorantia sua tumidi, quam rusticus homo, qui motum telluris circa solem ideo in ludibrium verteret, quod terram conspiciamus immobilem, solem autem suum ab Oriente in Occidentem quotidie gyrum instaurantem.

Ex hisce observa, quam caute adhibendum sit Tertulliani dictum: « Credibile est, quia ineptum est; certum est, quia « impossibile est ». Quae sententia excessum redolet, sicuti tot huius virulenti scriptoris effata; ideoque ab ea abstinendum, ne praeiudiciis nutriendis potius quam dissolvendis inserviat. Celsitudo utique mysterii, ubi de divinis agitur, iudicium est veritatis, quatenus, nisi vires mentis nostrae excederet, iam Dei maiestatem dedeceret. Inepta autem, sive impossibilia, nonnisi a perversa, sive moribus sive superbia, mente vocari possunt; in quo tamen rursus non immerito indirectum veritatis argumentum quis reperiet, quatenus, a qua tenebrae abhorrescunt, lux sit oportet.

[1] *De Trin.*, prooem. — *P. L.*, t. LXIV, col. 1249. — Cf. quae de hoc argumento scripsimus in tractatu *De Deo Uno*, t. I, p. 30 sqq.

II. Humana ratio nequit mysterium SS. Trinitatis propriis viribus detegere, nec superne revelatum apodicticis argumentis demonstrare.

Iam alter excessus depellendus est; ad quem aliter se habet catholica doctrina ac in tractatu de Deo vidimus. Ibi enim contra Traditionalistas ostendimus, per solas naturales humanae mentis vires existentiam Dei eiusdemque aliqualem cognitionem demonstrari posse, non quidem vi alicuius ideae innatae, qualem Ontologistae perperam inducunt, sed ab effectu ad causae existentiam perfectionesque rationali discursu assurgendo. Hic e regione eidem rationi vim denegamus tum *a*) ut per suam naturalem virtutem ad cognitionem mysterii SS. Trinitatis pervenire, tum *b*) ut illud, posita revelatione, cogentibus argumentis demonstrare valeat. Verbo: contendimus, mysterium SS. Trinitatis esse mysterium proprie dictum, et quidem summi gradus. Id autem obtinere conabimur directe et indirecte. 1) *Directe* quidem, investigando quid de hoc argumento doceant *a*) Scripturae, *b*) auctoritates ecclesiasticae, *c*) traditio catholica, *d*) ipsa genuina ratio. - 2) *Indirecte*, percurrendo critice quaecumque *a*) ex antiquis philosophis, *b*) ex modernioribus non catholicis, *c*) ex ipsis catholicis huic nostrae doctrinae opponuntur.

Antequam autem ad hanc brevem disquisitionem accedamus, iuvat notare, mysterium pati quinque gradus. *a*) Primum gradum tenent quaecumque sunt per se secreta, nec cognoscibilia nisi manifestentur. Ita intima cuiusvis cogitatio, intimusve cordis affectus, usquedum propalam fiat; ita eventus futuri, quousque a futuri conscio praedicantur, mysteria sunt; revelata tamen possunt intelligi. - *b*) In secundo gradu sunt ea quae per se, non quoad existentiam, sed quoad ipsum essendi modum, vires mentis nostrae exsuperant nunc, uti est, v. gr., cognitio substantiae spiritualis; quae tamen in statu gloriae in se cognoscentur. - *c*) Tertium gradum constituunt ea quae utrumque in se continent, scilicet ut quoad existentiam debeant revelari, et, etiamsi sint revelata, nequeant plene intelligi; qualia multa sunt prophetice mani-

festata, quorum certam et adaequatam significationem mens nostra in hocce stadio cognoscere nequit, cognoscet autem in futura gloria. - *d*) Quartum gradum occupant veritates de Deo, quae, licet possint per naturalem discursum in hac praesenti vita cognosci, nihilominus in se tantopere mentem exsuperant, ut neque in lumine patriae possint vere comprehendi: tales sunt ipsae divinae naturae perfectiones, quae quidem, quatenus mens nostra ad aliqualem earum intellectionem assurgere valet, non solent passim vocari mysteria; sunt autem in se abyssus inscrutabilis, cuius totam altitudinem, profunditatem, longitudinem, latitudinem, nec ipsa glorificata Christi anima undequaque comprehendit. - *e*) Quintum demum gradum tenent celsissimae de Dei contemplationes, quae non solum investigandae vim naturalem creati ingenii prorsus exsuperant; sed et revelatae, tum in via, tum in patria. Tale imprimis esse SS. Trinitatis mysterium, hic demonstrandum aggredimur.

Hanc scalam quinque graduum, qui in mysteriis distingui possunt, sequenti habes schemate expressam: reducuntur quippe sive ad cognitionem *existentiae (an)*, sive ad cognitionem *modi (quomodo)*, et hoc quidem sive in hoc stadio *viae*, sive imo in termino *patriae*. Cruce + signatur ratio in qua mysterium cuiusvis gradus consistit.

Scala graduum	*An*	*Quomodo*	
		In hoc stadio *viae*.	Imo in termino *patriae*
1. Gradus	+		
2. »		+	
3. »	+	+	
4.			+
5. »	+		+

I. Directe intentum probamus *a*) *testimoniis Scripturarum.* De Verbo Dei in Vet. Test. ait Isaias: « Generationem « eius quis enarrabit? » [1]. - Hanc celsitudinem ipse Christus confirmat: « Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem « quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare » [2]. Ne autem putes, Spiritum Sanctum aliquo modo ab hac beata cognitione excludi, ait S. Paulus: « Quae Dei sunt nemo « novit, nisi Spiritus Dei » [3]. Quae loca tam manifesta sunt, ut vix explicatione indigeant. Quo modo enim humanae rationi sibi relictae pateret cognitio, quam ipse Deus sibi propriissimam reservat, utpote cuivis intellectui, etiam angelico imperviam, nisi speciali luce a Deo ad hunc finem illustrato? Unde Apostolus, in immediate praecedentibus, scientiam fidei talibus verbis tribuit Spiritui divino directe eam revelanti, ut quamvis alium eam acquirendi modum excludat: « Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam vero non « huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruun- « tur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscon- « dita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam « nostram. Quam nemo principum huius saeculi cognovit: « si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae cruci- « fixissent. Sed sicut scriptum est: quod oculus non vidit, « nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae prae- « paravit Deus iis, qui diligunt illum; nobis autem revelavit « Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, « etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt « hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita et quae « Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei » [4]. Unde Ioannes diserte proclamat: « Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit » [5].

b) Quod inspirata testantur oracula, confirmavit *auctoritas Ecclesiae.* Iam Gregorius IX. proscripsit sententiam *Raymundi Lulli* contendentis, omnia religionis mysteria per rationem usque ad evidentiam probari posse. - Intumescente

[1] LIII, 8.
[2] MATTH. XI, 27.
[3] I. COR. II, 11.
[4] Ibid. 6-11.
[5] I, 18.

rationalistarum superbia, *Concilium Vaticanum* solemniter mysteriorum celsitudinem vindicavit: « Si quis dixerit, in « revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria « contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem « rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demon- « strari: A. S. » [1]. Iam vero si dantur vera mysteria, nemo infitiabitur, SS. Trinitatem primum inter ea locum obtinere. Unde ex schematibus constitutionum dogmaticarum eiusdem Concilii legebatur: « Mysteriorum, quae fide illuminati profi- « temur, omnium supremum ipse Deus est, unus in essentia, « trinus in personis » [2]. Idem fusius docet Concilium provinciale Coloniae Agrippinae, anno 1860. habitum, atque a Pio IX. fel. mem. approbatum: « Augustissimum hoc Trinitatis myste- « rium, quamvis SS. Patres, Ecclesiaeque Doctores similitu- « dinibus ad fidelium eruditionem illustrare conati sunt, tamen « uno quasi ore ineffabile et incomprehensibile esse procla- « mant. Et iure quidem merito. Etenim quum Dei invisibilia « per ea quae facta sunt, intellecta conspiciantur, e rebus « creatis ad personarum Trinitatem pertingendum nobis esset. « Id autem fieri nequit, quum actus ille, quo Deus creavit « mundum, utpote tribus personis communis, unitatem quidem « essentiae, non vero personarum trinitatem manifestet » [3]. Argumentum heic adductum ex ipso Angelico quasi ad verbum depromitur.

c) Nec aliter *traditio catholica* tenuit ac tenet. Etenim a primis Ecclesiae temporibus inquieta et indocilia orta sunt ingenia, quae contra dogma SS. Trinitatis rebellarunt, sive distinctionem veram, sive veram unitatem negantia, quia utrumque conciliare naturali rationis lumine non valebant. Contra quos haereticos Ecclesia simul et dogma et imperviam eius celsitudinem pari iure vindicavit. Ita contra Paulum Samosatenum Patres Synodi Antiochenae: « Decre- « vimus fidem scripto edere, quam a principio accepimus, et « traditam habemus ac custoditam in catholica sancta Eccle- « sia usque ad hodiernam diem secundum successionem ab « Apostolis ..... Quoniam Deus est ingenitus, unus, ... quem

[1] Sess. III, can. IV, 1.
[2] Dr. MARTIN. *Collect.* cit. p. 21.
[3] P. 1, tit. 1, cap. 9.

« nullus hominum vidit nec videre potest; cuius gloriam seu « magnitudinem sicuti est, digne veritate cogitare vel enar- « rare humanae naturae est impossibile (ἀνθρωπικῇ φύσει ἀνέ- « φικτον); notionem vero eius utcumque mediocrem revelante « Filio haberi nobis sufficiat oportet, sicut ipse dicit: " nemo « novit Patrem nisi Filius, et cui Filius revelaverit ". Hunc « autem Filium genitum, non praecognitione sed essentia « et hypostasi Deum, cum in Veteri et Novo Testamento « cognoverimus, confitemur et praedicamus. Qui autem con- « tradicit, credere se et confiteri Filium Dei non esse Deum « ante constitutionem mundi, dicitque duos praedicari deos, « si Filius Dei Deus praedicetur, hunc iudicamus alienum « ab ecclesiastica regula » [1].

Huic luculento testimonio satis sit nonnulla verba ex praecipuis Patribus excerpere. *S. Athanasius* scribit: « Quia « nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit « nisi Filius et cui Filius revelaverit, idcirco sancti, quibus « Filius revelavit, imaginem quamdam nobis ex visibilibus « tradiderunt, cum dicunt: splendor gloriae, et figura sub- « stantiae eius; et iterum: apud te fons vitae, in lumine tuo « videbimus lumen.... Haec autem exempla, licet levia sint et « admodum obscura ad id quod cupimus, exprimendum, potest « tamen ex illis cognosci aliquid quod sit supra humanam « naturam, nec Filii generationem nostrae esse similem.... « Cum Scriptura has habeat imagines, absurdum est et valde « impium, velle ex aliis de Domino notitiam quaerere, quae « nec scripta sunt, nec ad pietatem aliquem ordinem habent » [2]. Et alibi alloquens Arianos exclamat: « O stulti atque ad omnia « audaces et praecipites, quare non potius SS. Trinitatem « curiose scrutari desinitis, eamque esse duntaxat creditis, « magistrum Apostolorum in hac re imitati, cuius haec sunt « verba: " Credere enim oportet accedentem ad Deum " » [3].

Nec aliter *S. Cyrillus Alexandrinus:* quaerenti Hermiae de modo quo intelligi possit Patrem genuisse, reponit: « diffi- « cillima res est, Hermia, et propemodum inextricabilis, ac vel « disertissimo cuique dictu inaccessa, imo vero intellectu.

[1] Ep. ad Paul. Samos. — App. Dionys. Alex. p. 281.
[2] *De decret. Nic.* n. 12.
[3] Epist. I. ad Serap. n. 18.

« Quae enim mentem superant, mente comprehendi nequeunt, « neque dicendo explicare licet quae sunt oratione maiora. « Nam Patrem esse Deum, et ex sua substantia vere genuisse « nobis Filium, fides tradidit; Scriptura divinitus data obsi- « gnavit, ac verum esse docuit, Patrem et generationem « ubique nominando. Existimo autem id quod fide susceptum « est, non ulterius audaciori inquisitione scrutandum esse. « Nam quod quaeritur, fides iam non est amplius. Quemad- « modum enim " Spes non est spes, si cernatur: quod enim « quis cernit, cur speret? " iuxta sapientissimi Pauli vocem; « ita fides profecto quae inquiritur, et quae extra disquisi- « tionem posita non est, fides non erit, non secus ac de spe « dictum est. Etenim quod fide aestimatur, probatione utique « non indiget. Itaque sicut accedentem ad Deum, credere « oportet quod sit, non ultra inquirere: ita sentiendum et « existimandum est, cum Patrem esse Deum, tum genuisse: « quomodo autem, eruere, ceu incomprehensibile, relinquen- « dum. Nec enim ullum prorsus fore arbitror, qui derideat « eos qui rebus ultra mentem nostram positis cedendum esse « bene sapienterque statuerunt [1]. Omni autem mente superior « censebitur divinae generationis modus » [2]. - *S. Hilarius* quoque: « Haec veritas est sacramentum Dei, hoc imper- « spicabilis naturae nomen in Patre. Deus invisibilis, infi- « nitus, ad quem eloquendum sermo sileat, et investigandum « mens hebetetur, et complectendum intelligentia coarcte- « tur.... Soli Filio notus, quis Patrem nemo novit, nisi Filius.... « Et quia Patrem nemo novit nisi Filius, de Patre una cum « revelante Filio, qui solus testis fidelis est, sentiamus » [3]. - Simillima habet *S. Epiphanius* [4]. - Praeclare *S. Fulgentius:* « Quoties humanae conditionis infirmitas, semetipsam pro- « tinus cognitura, fines molitur aliquatenus suae paucitatis « excedere, atque caelestis illuminationis praegnata con- « ceptu conditoris sui ac redemptoris inquisitionem coeperit « parturire, sola, quantum arbitror, immutabilis illas sempi-

[1] Vide, quam opposita sit haec sententia S. Cyrilli Alexandrini impio asserto apostatae Mivart: homini scientiarum in Ecclesia catholica non dari locum!

[2] *De Trinit.*, Dial. 2. — *P. G.* t. LXXV, col. 757.

[3] *De Trinit.*, l. II, n. 6. — Cf. n. 9, 10. — Item in MATTH. c. XIV, n. 1.

[4] *Haeres.* LXXVI, ad c. 7. Aëtii.

« ternitas Trinitatis reperietur incomprehensibilitatis digna « miraculo, quae sic excedit omne quod cogitare vel sapere « possumus, sicut superat omne quod sumus » [1]. - Unde *S. Hieronymus* asserere non est veritus: « De mysterio Tri- « nitatis vera confessio est ignoratio scientiae » [2]. - Breviter ac pulchre *S. Bernardus:* « Quaerit quis, quomodo illud « quod catholicum esse dicimus (Trinitas scilicet unius Dei) « possit esse? Sufficiat ea tenere sic esse. Atque hoc non « rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei « persuasum. Sacramentum hoc magnum est, et quidem « venerandum, non scrutandum » [3]; ea scilicet mente, quae comprehendere velit, quod accipit. - Consule de hoc argumento auctoritates alias a Card. Franzelin allatas [4].

Ex hac celsitudinis agnitione laudabilis oritur modestia, quacum Patres illi sive doctores, qui subtilius de Trinitate investigare tentaverunt, veluti haesitantes ac semetipsos excusantes opus aggressi sunt. Audiatur Augustinus in exordio libri I. *de Trinitate.* Allatis testimoniis in quibus S. Paulus excellentiam inacessibilem praedicat divinae sapientiae [5], pergit: « Hoc cum dicitur quibusdam, irascuntur et sibi con- « tumeliose dici putant; et plerumque malunt credere, eôs « potius a quibus hoc audiunt, non habere quod dicant, quam « se capere non posse quod dixerint. Et aliquando afferimus « eis rationem, non quam petunt cum de Deo quaerunt; quia « nec ipsi valent eam sumere, nec nos fortasse vel apprehen- « dere vel proferre; sed qua demonstretur eis, quam sint « inhabiles, minimeque idonei percipiendi quod exigunt. Sed « quia non audiunt quod volunt, aut callide nos agere putant « ut nostram occultemus imperitiam, aut malitiose quod eis « invideamus peritiam; atque ita indignantes, perturbatique « discedunt » [6].

Quorum mentali statu ita descripto, iam exponit qua ratione theologus ad explicandum mysterium SS. Trinitatis vindicandumque accedere debeat. « Quapropter, adiuvante

[1] *Ad Trasimund.* l. II, c. 1. — Cf. ibid. c. 10.
[2] *Prooem.* ad l. XVIII. in Is.
[3] *De Consid.* l. V, c. 8. — Edit. Lugd. 1662, t. IV, col. 22.
[4] Op. cit. th. XVII. p. 247. sq.
[5] Coloss. II, 3; I. Cor. II, 23; III, 1, 2.
[6] C. 1, n. 3. — *P. L.* t. XLII, col. 842 sq.

« Domino Deo nostro suscipiemus, et eam ipsam quam flagi-
« tant, quantum possumus, reddere rationem, quod Trinitas
« sit unus et solus verus Deus, et quam recte Pater et Filius
« et Spiritus Sanctus unius eiusdemque substantiae vel essen-
« tiae dicatur, credatur, intelligatur; ut non quasi nostris
« excusationibus illudantur, sed reipsa experiantur, et esse
« illud summum bonum quod purgatissimis mentibus cer-
« nitur, et a se propterea cerni comprehendique non posse,
« quia humanae mentis acies invalida in tam excellenti luce
« non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur »[1]. Ergo rationem sibi relictam, fideque destitutam Augustinus impotentem praedicat. Quid iam de ratione quae hac superna illustratione gaudet?

α) Inquirit recte de fidei sensu: « Sed primum secundum
« auctoritatem Scripturarum Sanctarum, utrum ita se fides
« habeat, demonstrandum est ». - β) Satis iuvante Deo, incredulorum obiectiones solvit, ut bonae fidei mentes ad veritatem adducat: « Dein, si voluerit et adiuverit » (observa has locutiones ab Augustino multiplicari, ne nimis rationi humanae tribui videretur), « istis garrulis ratiocinatoribus,
« elatioribus quam capacioribus, atque ideo morbo pericu-
« losiore laborantibus, sic fortasse serviemus, ut inveniant
« aliquid unde dubitare non possint, et ob hoc in eo quod
« invenire nequiverint, de suis mentibus potius quam de ipsa
« veritate vel de nostris disputationibus conquerantur: atque
« ita, si quid eis erga Deum vel amoris est vel timoris, ad
« initium fidei et ordinem redeant, iam sentientes quam salu-
« briter in sancta Ecclesia medicina fidelium constituta sit,
« ut ad perceptionem incommutabilis veritatis imbecillem
« mentem observata pietas sanet, ne in opinionem noxiae falsi-
« tatis temeritas inordinata praecipitet. Nec pigebit autem me,
« sicubi haesito quaerere; nec pudebit, sicubi erro, discere »[2]. Sed de hoc argumenti respectu fusius in altera dissertationis parte.

Ne autem quis putet, Augustinum has ipsas subtiles inquisitiones e profundissimo ingenio depromptas uti demonstrativa prorsus argumenta habuisse, audiat quibus verbis in

[1] C. II, n. 4.
[2] Ibid. col. 822.

c. 6, l. I. *de Doctrina christiana* ineffabilitatem divinae Trinitatis proclamet. Perpulchra descriptione huius mysterii in cap. 5. praemissa, pergit: « Diximusne aliquid et sonuimus « aliquid dignum Deo? Imo vero nihil me aliud quam dicere « voluisse sentio: si autem dixi, non hoc est quod dicere « volui. Hoc unde scio, nisi quia Deus ineffabilis est; quod « autem a me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset. « Ac per hoc, ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia « et hoc cum dicitur, aliquid dicitur. Et fit nescio quae pugna « verborum, quoniam si illud est ineffabile, quod dici non « potest, non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest. « Quae pugna verborum silentio cavenda potius quam voce « pacanda est. Et tamen Deus, cum de illo nihil digne dici « possit, admisit humanae vocis obsequium, et verbis nostris « in laude sua gaudere nos voluit. Nam inde est et quod « dicitur Deus. Non enim revera in strepitu istarum duarum « syllabarum ipse cognoscitur; sed tamen omnes latinae lin- « guae scios, cum aures eorum sonus iste tetigerit, movet ad « cogitandam excellentissimam quamdam immortalemque « naturam » [1].

Ad mentem huius doctrinae trahenda esse quae Sanctus Anselmus per rationem de SS. Trinitate probare intendit, in primo articulo huius Quaestionis videbimus; ubi etiam de Richardo Victorino, de Henrico Gandavensi, nec non de Scoto breviter disseremus.

Quantopere S. Thomas celsitudinem mysterii SS. Trinitatis vindicet, ex dicendis ad textum apparebit. Cui consona est *traditio insequens scholasticorum*, teste imprimis Suaresio, qui scribit: « Dico primo: Seclusa omni revelatione divina, « impossibile est per evidentem demonstrationem cognoscere, « in Deo esse plures personas. Ita docent theologi omnes cum « D. Thoma; et videtur certum de fide, quia in Scriptura hoc « mysterium proponitur tanquam omnino abditum, quod sola « divina revelatione cognosci potuerit... Dico secundo: Absque « revelatione divina non solum demonstrari non potest Tri- « nitatis mysterium, verum nec cogitari potest tanquam pos- « sibile cum aliquo assensu probabili vel opinativo aut formi-

[1] *P. L.* t. XXXIV, col. 21.

« doloso. Hanc etiam assertionem videntur supponere theo-
« logi omnes: nam qui admittunt aliquam probabilitatem
« huius mysterii per naturalem discursum, loquuntur sup-
« posita aliqua revelatione » [1]. Quae altera conclusio primo intuitu forte asperior visa, non impedit quominus idem Suaresius suasibilitatem admittat rationum quae ad illustrandum mysterium solent afferri: « Dicendum est, ait, intellectum fide
« formatum, et per voluntatis affectionem applicatum, inve-
« nire posse rationes, quibus convenientiam huius mysterii
« ostendat..... Haec omnia manu ducunt aliquo modo intel-
« lectum, ut apprehendat mysterium tanquam credibile; sine
« causa autem afferuntur ad demonstrandum illud. [2].

Idem magni christiani poetae atque philosophi proclamarunt. Fortiter Dante Allighieri [3].

Matto è chi spera che nostra ragione
Possa trascorrer la infinita via,
Che tiene una sustanzia in tre persone.
State contenti, umana gente, al quia [3].

Belle Leibnitzius: « On peut dire des explications des
« mystères qui se débitent par ci par là, ce que la reine de
« Suède disait sur la couronne qu'elle avait quittée: *Non mi*
« *bisogna e non mi basta* » [4].

d) Idem evincit ipse *rationis humanae processus*, si cum essentia huius mysterii conferatur. Quum enim, praeter ipsam rei intuitionem, in demonstratione proprie dicta non sit nisi processus a posteriori aut processus a priori, si utrumque in casu necessario deficere constet, SS. Trinitas demonstrationem veri nominis superexcedere dicenda est. α) *Intuitionem* autem huius mysterii se habere ,nemo sanae mentis praesumpsit. Putant utique ontologistae aliquid huiusmodi quoad ideam Dei-unius esse admittendam. At hanc ipsam imaginationem, inter alias rationes, ideo quoque depulimus, quia talis innata Dei-unius intuitio secum ferret intuitionem Dei-trini.

[1] I. *De Trin.* l. I, c. 11, n. 5, et 10.
[2] Ibid. c. 12, n. 9, sq.
[3] *Purgat.* III, 34, 36.
[4] *Theodic.* I. — Cf. Hettinger (*Apol.* t. II, par. 1, p. 121, n. 2).

Porro β) *a priori* non posse probari SS. Trinitatem, iam inde solum patet, quod nec ipsa Dei existentia a priori demonstretur.

Tandem γ) *a posteriori*, scilicet ab effectu ad causam, inefficax discursus ostenditur, eo quod Deus opificium mundi non condidit per distinctum personarum ministerium, quibus singulis veluti partem exsequendam ad sui normam commisisset; sed Deus simul unus et trinus, opere simultaneo communi, creata de nihilo produxit. Quae argumenta mox in ipso primo articulo iuxta S. Thomae mentem fusius illustrabimus.

Obiicies. - Si ita est, quomodo possunt Patres de distinctis personis intelligere quod S. Paulus ait: « invisibilia ipsius « (Dei) a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta « conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas »[1]? Quae sit virtus Dei, - arguit hinc S. Athanasius, - « idem « (Paulus) iterum his verbis docet: " Christus, Dei virtus et « Dei sapientia ". Nec enim hoc in loco Patrem voluit signi- « ficare, ut soletis inter vos dictitare, aientes: Pater sua ipsius « est sempiterna virtus. Non ita sane est. Nec enim dixit, « ipse Deus est virtus, sed, eius est virtus. Nemini porro « dubium fuerit quin id, quod eius est, non idem sit quod « ipse: nec tamen hoc ipsum ab eo alienum, sed potius eius « proprium est. Verum legite quae postea sequuntur et con- « vertimini ad Dominum, - " Dominus autem Spiritus est »[2] - « illudque de Filio intelligi facile perspicietis »[3]. Iam vero si haec invisibilia non sunt solum perfectiones divinae communes, sed ipsae personales proprietates: quomodo discursus a mundi contemplatione ad cognoscendam SS. Trinitatem non valere dicitur? - Respondetur, huiusmodi verba interpretanda esse uti dicta per sermonem accomodatum, ac certe supposita revelatione. Quare virtute cogente per se carent; adiuncta tamen aliis argumentis, ad modum considerationum quae ad abundantiam sermonis, veluti ex intima concordia Scripturarum depromuntur, scopo oratoris sive scriptoris non-

[1] Rom. I, 20.
[2] II. Cor. III, 17.
[3] *Orat. I, contra Arian.* n. 11. — *P. G.* t. XXVI, col. 35.

nihil conferunt. Et sane ita rem intendisse S. Cyrillum, ex ipsius verbis apparet: « Scriptum est, nemo novit Patrem « nisi Filius, et cui Filius revelaverit. Si autem soli Filio « Pater cognoscitur, et per solum illum aliis revelatur, non « ergo per creaturam neque ex iis intellectis quae facta « sunt, Pater conspicitur; sed creatura quidem clamat suum « creatorem Deum Verbum; Verbum autem in se ipso « ostendit Patrem. Idcirco Philippo dicenti: " Ostende nobis « Patrem ", non ex creaturarum pulchritudine concludendo « eum intelligere iubet, sed seipsum ostendit dicens: " Qui « videt me, videt et Patrem » [1]. Quae verba, nisi intellecta in sensu accommodato, haeretica forent, quum solum Verbum creatorem universi praedicarent, ad exclusionem Patris. Revelationem autem eadem supponere, tam evidens est, ut ab ipsa revelatione argumentum et quidem unicum repetant [2].

Alias instantias in explicatione art. 1. solutas invenies.

Corollaria. - Ex dictis hucusque conclude:

1) Erraverunt *Eunomiani,* dum impie asserebant, se ita Deum nosse, sicuti semetipsos, imo semetipsis melius.

[1] *Thesaur.* t. IV. — *P. G,* t. LXXV, col. 37.

[2] Quidquid sit de excessu huiusmodi argumentationis, a fortiori supponit, uti extra dubium quodvis, Dei speciem per speciem universi, veluti per magnum praeconem proclamari, iuxta verba Psalmistae: « Caeli enarrant gloriam Dei ». Unde non sine quadam admiratione dicam, an potius tristitia, in fasciculo Martii ephemeridum *Bulletin de Littérature Ecclésiastique publié par l'institut catholique de Toulouse,* in sequentia verba incidi (iudicabat scriptor criticus, e tractatu nostro *De Deo Uno,* modum quo argumentum quintum S. Th. a gubernatione rerum deductum evolveramus): « A coup sûr, il y a profit à lire la prose éloquente de ces grands hommes. « Mais plus d'un lecteur préférerait qu'il lui fût démontré, *si possible,* que l'ordre du « monde est intentionnel, et non pas seulement résultant. Car cet ordre, nul ne le nie. « Mais ce qu'*on* évoque en doute, ce que du moins *on* regarde comme insuffisamment « établi par la dialectique classique, c'est que cet ordre ait été prévu et voulu par « une intelligence distincte des forces cosmiques, et qui, librement, le realise » (p. 95). Quo spectant verba *si possible,* nisi ut dubium iniiciant, idque apud catholicos, circa virtutem argumenti quod tanta unanimitate, non solum a christiane, sed a paganice sed sane sapientibus est agnitum, imo in Scripturis et per ecclesiasticam auctoritatem tam expresse proclamatum? Quinam sunt isti *on?* Deneget vir materialista ac atheus vim huius argumenti; num ideo « dialectica classica » virtute carere dicenda est? Quippe si impiorum consensum expectemus, usquedum alicuius veritatis ad religionem spectantis demonstrationem uti vere stringentem agnoscamus: omnia in periculum atque discrimen brevi intervallo vocabuntur. Huccine tendunt isti scriptores? Et sane, quem non convincit, v. gr., comparatio quam p. 151. ibidem attulimus, quanam ulteriori argumentatione convincetur, nisi quae ambitum huius argumenti excedat?

2) Erraverunt saec. XII. *Abaelardus,* contra quem S. Bernardus invexit [1], et saec. XIII. *Raymundus Lullus,* qui, in opusculo suo *De articulis fidei sacrosanctae et salutiferae legis christianae, sive libro Apostrophe,* a. c. VII. ad XII. ostendere conatur, SS. Trinitatis dogma, utpote rationis captum non excedens, naturali lumine cognosci et demonstrari posse. Cuius doctrinam, mysterio de medio tollentem, Gregorius IX. iure proscripsit.

3) Erraverunt pariter nostra aetate *Marcus Mastrofinius,* philosophus romanus, *Hermesius,* Monasteriensis ac Bonnensis theologiae professor, *Antonius Güntherus,* professor Vindobonensis, ipseque *Rosminius,* qui eadem rationali via SS. Trinitatem se demonstrare gloriabantur.

Quid de Claudiano Mamerto, de Hugone et Richardo, utroque Victorino, de S. Anselmo, de Scoto, de Henrico Gandavensi in hac re tenendum sit, in expositione art. 1. opportunius inquiretur, uti iam monuimus.

II. Supereminentiam SS. Trinitatis mysterii in praecedentibus directe probatam, iam *indirecte* evincit criticum examen ipsorum systematum seu argumentorum, quibus adversarii scopum obtinere voluerunt, imo obtentum dictitarunt.

Occurrendum quippe heic est doctrinae, quae in ipsis philosophis paganis, utpote Trinitati christianae fidei consona, reperiri affirmatur, vel a philosophis modernis sub alia forma traditur; tum ipsis explicationibus, quas catholici quidam theologi elucubrarunt. Sit igitur ista huius sectionis tripartitio.

A) *De doctrina antiquorum philosophorum,* scilicet 1) Platonis, 2) Philonis Iudaei, 3) Mercurii Trismegisti, et librorum Sybillinorum, 4) librorum Aryanorum et Avesticorum.

Ab esse ad posse valet illatio. Atqui, aiunt adversarii, in hac antiquorum doctrina, saltem quoad essentiam, dogma christianum SS. Trinitatis iam reperitur; ergo potest ratio, fide praesertim illuminata, idem dogma demonstrare.

1) *De doctrina Platonis* adducunt testimonia Augustini, qui, in l. VII. c. 9. *Confessionum* testatur, se in libris Platonicorum exordium evangelii S. Ioannis reperisse integrum;

[1] *De errore Abaelardi.*

et in l. X. c. 29. *De Civitate Dei*, ita Porphyrium alloquitur: « Praedicas Patrem et eius Filium... et horum medium, quem « putamus te dicere Spiritum Sanctum, et more vestro « appellas tres deos. Ubi, etsi verbis indisciplinatis utimini, « videtis tamen qualitercumque et quasi per quaedam tenuis « imaginationis adumbracula, quo nitendum sit; sed incar- « nationem incommutabilis Filii Dei, qua salvamur, ut ad « illa quae credimus, vel ex quantalacunque parte intelligi- « mus, venire possimus, non vultis agnoscere. Itaque videtis « utrumque, etsi de longinquo, etsi acie caligante, patriam in « qua manendum est; sed viam qua eundum est, non tenetis ».

Primo quidem contra ipsos adversarios haec Augustini verba valide retorquentur, tum quia S. Doctor platonicum conceptum vocat « tenuis imaginationis umbracula », per quae non videtur nisi « utcumque », « qualitercumque », de « longinquo », « acie caligante »; tum quia ipsam catholicam dogmatis expositionem nullatenus demonstrationem, sed « ex « quantulacumque parte » intelligentiam praedicat.

Antequam autem in ipsam Platonis mentem penitius inquiramus, iuvat prae oculis habere, quae de hac trinitate ab aliis tantopere exaltata moneat Petavius: « Longius sane « (scil. quam Anaxagoras) disputando Plato provectus, eius- « que discipuli, speciem quamdam trinitatis informarunt; « quo etiam nomine nostrorum aliqui supra modum illos « admirantur ac praedicant. Sed profecto maiore flagitio ac « dispendio veritatis, quam operae pretio, istud illorum « dogma prodiisse mihi videtur; neque ulla ex alia re gra- « vior christianae fidei noxa, et pernicies importata fuisse. « Ut perinde facere illos putem, qui Platonicos deosculan- « tur, quod larvam nescio quam personarum trium adumbra- « verint, ac si quis poëtas, et profanae superstitionis, idolo- « rumque buccinatores impense collaudet, quod in Iove, Nep- « tuno, ac turpiorum etiam deorum portentis, divinitatis « utcumque nomen, maiestatemque commendent. Etenim « quidquid haereseon opinionumque falsarum in primis illis « Ecclesiae temporibus emersit, ac praesertim ariana tota « perfidia, ex illa Platonicorum commento causam et origi- « nem accepit » [1].

[1] Op. cit., l. I, c. 1.

Iamvero ipsa platonica sententia per gradus parta esse videtur. Perdiu quippe philosophi de rerum causa suprema solliciti, nihil ultra aeternam materiam mundi induxerunt. Laus fuit, teste Aristotele, Anaxagorae et Hermotimi, supra universum mentem supremam assignasse: « Mentem vero, « ait, qui ut in animalium genere, sic in natura caussam esse « mundi dixit, et ordinis universi; hic tanquam vigilans, ac « sobrius supra nugantes reliquos visus est se extulisse. Has « igitur rationes palam attigisse scimus Anaxagoram; sed « ante ipsum Hermotimus Clazomenius idem dixisse perhi- « betur » [1].

Quam sententiam Plato non solum secutus est, sed et complevit, supra hanc mentem aliud quoddam principium excogitans, a quo et ipsa mens, uti genita procedat. Alcinous enim hoc primum principium, iuxta Platonis doctrinam, ita describit: « Nam pro sua voluntate semetipso cuncta reple- « vit; mundi animam excitans, ad seque convertens: cum « sit mentis eius principium: quam ut moderatur Pater, sic « naturam omnem in hoc mundo vicissim moderatur ». Ita oritur illa platonica trinitas: principium supremum, principium secundum a principio supremo, tertium demum, quod quidem obscurius descriptum, a plurisque mundi anima intelligitur. Praeter Timaeum, duo sunt loca in quibus Plato sententiam suam de trinitate et divina paternitate praecipue exponit. In epist. 2. ad Dionysium ita habet: « Dicendum est « igitur tibi nunc per aenigmata quaedam, ut si quid huic « tabellae vel mari vel terra contingat, qui eam legerit intel- « ligere non possit. Est autem ita. Circa omnium regem « cuncta sunt: ipsius gratia omnia, ipse pulchrorum omnium « causa; circa secundum, secunda; tertia circa tertium ». In quo loco diserte trinam successionem invenis expressam. In epistola sexta ad Hermiam Erastum et Coriscum magis divinae generationi insistit: « Etiam iureiurando, ut aequum « est, interposito, non sine eleganti studio, atque huius studii « sorore disciplina: testando Deum rerum omnium ducem

[1] Alii, uti Tullius (*De nat. Deor.*, l. 1), quem sequuntur Minutius Felix et Lactantius, hanc laudem Thaleti tribuunt; « Thales Milesius, ait, qui primus de talibus « rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum: Deum autem eam mentem, quae « ex aqua cuncta fingeret ».

« quae sunt, et quae futura sunt; ac ducis et principii Patrem « Dominum ». Haec quidem Plato ipse.

De mente autem magistri aliter et aliter Platonici.

a) Plotinus primum Deum vocat mentem potiorem, κρείττονα νοῦν; secundum mentem posteriorem, a priore genitam; tertium genitum a secundo, eisdem verbum, λόγον. Primus, qui et ταγαθόν, bonum ipsum, est Pater τοῦ αἰτοῦ, seu causae, principii, quae est νούς, ἰδέα, mens, demiurgus, a quo tertio loco anima. - « Numenius, teste Proclo, tres deos praedicans, « Patrem quidem appellat primum; factorem autem, secun- « dum; opus vero, tertium. Mundus enim ex illius opi- « nione, tertius est deus. Itaque duplex ab eo constituitur « artifex, primus et secundus deus: qui autem conditus « est tertius ». - Ipse autem Proclus, at certo perperam, aestimat hos tres deos Platonis nondum constituere principium primum, utpote quod non potuit, - in mente tanti philosophi, cuncta ad unitatem reducere soliti, - non esse unum.

Missis aliis interpretationibus,[1] ex dictis hucusque fas est concludere sequentia. Trinitas Platonis ex toto differt a dogmate catholico. *a*) Plato tenet tres deos; - catholicum dogma unum. - *b*) Dii Platonis sunt diversae naturae et inaequales, secundus a primo, tertius a secundo, gradatione descendente dignitatis; - in dogmate catholico tres personae unam habent communem naturam, secunda est a prima, tertia simul ab aliis duabus, in perfecta similitudine dignitatis. - *c*) Trinitas Platonis per gradus a summo principio ad ipsam creaturam corpoream descendit, quam per animam mundi deum tertium deificat; - Trinitas catholica processionibus non gradibus constituta, infinite omnem creaturam superexcedit, nec propior opificio est tertia quam prima persona. Verbo, quidquid in catholico dogmate mysterii medullam constituit, a conceptu platonico abest; e contra quidquid ad haereses fundamentales conducere potest, in eo reperitur. Conceptus enim Platonis viam sternit aequaliter ad Polytheismum, propter duplicem gradum in divinitate superiore; ad Arianismum et Macedonianismum propter inaequalitatem quam docet inter

[1] Op. cit. l. 1, c. 1.

patrem, mentem et animam [1]; ad Gnosticismum propter graduatas emanationes per quas a summo principio spirituali ad corporalia descendit; ad Pantheismum propter tertium deum, animam mundi. Quare tantopere abest, quominus iste conceptus extolli mereatur, ut potius sententiâ Anaxagorae inferior sit iudicandus. Hic enim opificio mundi nonnisi mentem, principium intelligens praeposuit. Plato vero insuper induxit mentem mentis, ipsumque opificium anima divina ditasse videtur.

Quare mirum non est, si tanta similitudo adsit inter Platonis systema et Marcionis. Hic enim, sicuti Plato, tres deos confitebatur: primum, supremum, ταγαθόν; secundum, opificem, demiurgum; tertium demum, medium inter ambos, - in quo utique a Platone recedebat, - diabolum.

Iulianus autem Apostata, a vera Ecclesiae Trinitate ad falsam Platonis trinitatem impie regressus, primum deum colebat ἕν, ταγαθὸν, unum, summum bonum; secundum solem intelligibilem, seu mentem lucidam, diis praesidentem; tertium demum a summo sensibilibus vitam ac salutem largientem.

Iuxta mentem Procli Platonem explicat Synesius, qui in primo carmine, nondum sane christianus, summum deum, ipsius trinitatis patrem, ita describit: « Ille quidem a se « ortum principium, - gubernator paterque omnium, - inge- « nitus, excelsa - super caeli cacumina indissolubili gloria « exultans, - Deus constanter sedet, - unitatum unitas sancta, - « monadumque monas prima. - Simplicitates summitatum qua « iunxit, et peperit - super substantiali partu. - Unde ipsa « prosiliens per primigeniam formam - unitas ineffabilem in « modum diffusa - trinam adepta est vim ».

b) Alii, magis insistentes sententiae Platonis in epist. 6. ad Hermiam expressae, duplex tantum principium, patrem scilicet et λόγον eius, sive verbum atque sermonem praedicant, uti Zeno, Cleanthes, aliique, de quibus loquuntur Iustinus, Tertullianus, Lactantius, Origenes, etc.; iuxta quam interpretationem neque de platonica trinitate quaestio superest.

Caeterum systema Platonis, quocumque modo intendatur,

[1] Inde iam antiqui Patres, uti S. Cyrillus Alex., Arianismum a Platonismo derivant *(Ctr. Iul. I.)*.

non esse videtur nisi mitigatio quaedam antiqui dualismi, ope emanatianismi. Recte Card. Zephyrinus Gonzalez: « Qui non « praeoccupato animo doctrinam Platonis expenderit, nullam « Trinitatem catholicam, sed purum Dualismum ethnicum, « ex Deo uno et materia aeterna constantem, ibi reperiet » [1].

c) Nec aliter iudicandus est *Neoplatonismus*, ducibus Plotino et Iamblicho, etsi primo intuitu propius ad christianam Trinitatem accedere videatur. Influxum autem magis immediatum exercuit in illos primi stadii Patres, qui, uti superius commemoravimus, minus caute, orthodoxa quidem mente at imperfecto dogmatico sermone, imo interdum intellectu, de distinctione Personarum in Deo Uno-Trino locuti sunt [2].

2) Quod de Platone dictum est, valet et de *Philone Iudaeo*, qui apud coaevos in tanta veneratione fuit, ut, testibus Isidoro Pelusiota et Photio Hellenistae, Iudaei Graecissantes de ipso dicere solerent: « aut Platonem tanquam alterum « Philonem loqui, aut Philonem tanquam alterum Platonem ». Unde et Augustinus de eo scribit: « Philo vir liberaliter eru- « ditissimus, unus eorum, cuius eloquium Graeci Platoni « aequare non dubitant » [3], granditate utique sententiarum, magis quam ipsa styli ratione, ut recte observat Petavius [4].

Nisi quod Philo doctrinam de patre et λόγῳ (nam ipse trinitatem non docet) non solum a Platone, sed et a libris sacris suae gentis, perperam sane intellectis, derivat. Λόγος scilicet apud Philonem est deus a patre genitus, genitori prorsus inferior atque subiectus; medius aliqualiter inter deum primum ac hominem. Ad huius λογοῦ imaginem homo factus in Genesi narratur, non ad imaginem Patris. « Nihil enim « mortale, ait, ad supremi et universorum parentis imaginem « fingi poterat, sed ad secundi dei, qui illius est λόγος, hoc « est ratio vel sermo. Oportebat enim rationalem hominis in « anima figuram a divina imprimi ratione. Si quidem deus

[1] *Elem. phil.* v, 3, p. 208.

[2] Cf. de hoc argumento inter alios Card. Franzelin (op. cit. th. xviii); — Card. Zigliara (*Propaed. ad sacram Theol.* l. iii, c. 21); — Stöckl (*Gesch. der Philos.* § 29, 30); — Card. Hergenröther (*Die Lehre von der göttl. Dreieinigk. nach dem H. Gregor v. Naz.*, p. 43); — Heinrich (op. cit. § 211); etc., etc.

[3] *Contr. Faust.*, l. xii, c. 39.

[4] Loc. cit. c. 2.

« ille λόγον antecedens rationalem omnem naturam antecellit. « Ad eius vero similitudinem, qui supra rationem optima in « specie eximiaque constituitur, genitum aliquid commodari « nefas erat ». Patrem prorsus invisibilem, λόγον autem, licet patre inferiorem, attamen ineffabilem praedicat. Scilicet Philo Platonem ad modum Zenonis aliorumque intelligens, quidquid in Scripturis de summo principio, deque eius manifestatione sive verbo invenit, ad normam platonici dogmatis traxit. Inde Ariani strictiori parentela cum Philone quam cum ipso Platone colligantur. Ad quae philosophice simul et theologice perversa placita alludens, recte observat Photius: « Nostrorum aliquos ea quae plurimum distant, et abhor- « rent, eniti ad religionis nostrae, quae nequaquam indigna, « sed sola sincera est ac vera, comprobationem per vim « applicare, eaque conciliare cum nostris, a quibus magis « differunt, quam a luce tenebrae » [1]. - De Philone lege Cardinalem Franzelin [2].

3) Superest ut de *Mercurio Trismegisto* (cui tribuitur opus Ποιμάνδρης [3]), de Zoroastro (cuius celebrantur *Oracula magica*), necnon de *Sibyllinis libris* verbulum faciamus. Brevissime quidem. Licet enim ab ipsis recentioribus *Oracula* sat magni habeantur, Zoroastro a peritis non assignantur; *Pimandres* autem primis temporibus christianis esse conflatum, docte ostendit Petavius [4]: quod pariter de Sibyllinis libris peritiores tenent. Unde etiamsi quae in his operibus occurrunt, propius ad christianum Trinitatis dogma accederent, nihil inde contra huius mysterii rationem valide deduci posset [5].

4) Nec magis attendenda sunt quae interdum in libris Aryanis et Avesticis collaudantur.

[1] Phot., cod. 170.

[2] Op. cit. th. xviii, p. 275.

[3] Huius est effatum: « Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem » (*Pimander*, dial. 4). De habitudine inter huiusmodi effata et scripta hermesiana, lege Petavium (op. cit., l. i, c. 2). - Cf. Möhler (*Patrol.* p, 954).

[4] « Sed opus utrumque suppositium et confictum mihi videtur, nec tantae vetu- « statis esse, quantam ei vulgo fere docti, indoctique omnes adscribunt. Ut de Magis « istis et Chaldaicis quisquiliis hoc loco taceam; certe qui Poemandrum sub Mercurii « Trismegisti nomine publicavit, non belle mimum suum peregit; nec sic latere potuit « ut attentos, minimeque stolidos lectores falleret; quin certa identidem adspersit » indicia, ex quibus de fraude non levis coniectura ducatur ». Ita Petavius (op. cit. l. i, c. 2, n. 3).

[5] Cf. Card. Franzelin, (op. cit., p. 279).

a) Aryanorum populorum Biblia *Veda* quadruplici constat hymnorum serie: *Rig-veda, Yagur* (Jadschur)-*veda, Saman-veda, Atharvan-veda;* quarum, saltem maiorem partem, antiquior Rig-veda, geminam partem complectitur: *Samhitâ*, hymnodicam, *Brâhmana* et *Sûtra*, historicam-liturgicam. Porro, doctrina in Rig-veda contenta non parvis ansam controversiis praebuit. Alii enim, quibus placet in mythologiam collocare primaevum humanae religionis stadium, in rigore verborum accipiunt quaecumque in his libris de multiplicitate deorum occurrunt, ita ut cultus ibidem expressus non sit monotheismus, sed, ut eum vocat Max Müller [1], henotheismus, sive cathenotheismus, scil. cultus unius dei ex aliis pluribus utpote praecellentioris electi. Alii cum eruditissimo professore Lovaniensi De Harlez [2], monotheismum ibi agnoscunt, at poëticis obvolutum figuris, quae temporis decursu primaevam unitatem deturparunt.

b) Haud abinde iudicium de Avesticis libris ferendum est. *Avesta* et *Zend-Avesta*, religionem sectatorum Zoroastri seu Zarathustrae exhibens, complectitur *Vendidâd, Vespered, Yaçna Yeshts, Nyayishs, Sirozah.* In his libris pariter exhibetur doctrina, quoad summam rei monotheistica, praesertim in parte antiquiori *Gâthâs;* at in *Vendidâd* dualismus insinuatur. Ad latus enim summi dei *Ormuzi* apparet *Anro-Mainyus*, spiritus quidem increatus, uti describitur, et Ormuzio inferior, malique conditor. Imo in *Yaçna* iam doctrina ad polytheismum naturalisticum inclinat. Ita ut, contra hypotesim rationalistarum, ex ipsa evolutione librorum Avesticorum appareat monotheismum fuisse horum populorum, sicuti Aryanorum, religionem primaevam, a qua in dualismum ac polytheismum, licet minus crassum, paulatim delapsi sunt [3]. Quare quaecumque in his vetustis libris reperiuntur, quae

[1] Cf. Card. Zigliara (*Propaed. in sacr. Theol.* l. III, c. 3, n. 3 η.).

[2] *Des origines du Zoroastrisme*, p. 263; *Avestà-traduit.* Introd. c. XI, §. 1, p. LXXXII.

[3] Motus quidem oppositus apud pantheistas modernos reperitur, vaga quidem loquendi ratio, quae a materia per occultas vires ad aliquid superius, indefinitum quasi fatidice supereminens ascenditur. Testis sit oratio, pomposa vacuitate mirabilis, quam in aperienda mundiali artium exhibitione Parisiensi, hisce diebus moderator Reipublicae gallicae, Dei expresse immemor, etsi catholicae nationis vicem agens, emphatice buccinavit. Christianus sane corde, id tantum ibi civitatis regens loqui audet, quod, secta ibidem domina veluti dictante, lubet.

ad aliquam internam processionem divinam appropinquare videntur, nihil habent, quod revera in SS. Trinitatis mysterium redundet.

Caeterum, quidquid sit de patre et λόγῳ a Platone, Philone, aliisque usque ad naturae diversitatem atque dignitatis distinctis, Spiritum Sanctum prorsus ignorarunt omnes. Nam quem aliquibus in locis Plato tertium nominat deum, nihil habet quo cum amoris aeterno pignore conferatur; qui autem mere dualismum, uti Philo, ponunt, neque de Flamine divino cogitarunt. Recte ergo S. Augustinus: « Commendatur etiam « fortasse Trinitas, et quod verum est, summi philosophi « gentium, quantum in eorum litteris indagatur, sine Spiritu « Sancto philosophati sunt: quamvis de Patre et Filio non « tacuerint: quod etiam Didymus in libro suo meminit, quem « scripsit de Spiritu Sancto ».

Vides proin, quantopere limites veritatis praetergressus sit Claudianus Mamertus, sequenti laude Platonem extollens: « Quo fit, ut mirari admodum digne nequeamus huius Pla- « tonis animum, qui tantis equidem saeculis ante puerperium « Virginis, ante praedicatam summae Trinitatis in gentibus « unitatem ineffabilem, tres in divinitate personas laudabili « ausu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio quaesivit, « invenit, prodidit: Patrem Deum, paternamque mentem, « artem, sive consilium; nec non et utriusque horum amorem « mutuum, unam, summam, aequiternam, indivisam divini- « tatem, non solum ita credi oportere docuit, sed ita esse « convincit ». In quo, ait strenue at iure Petavius, Claudianus « modum omnem pudoris ac veritatis excessit.... quae pro- « fecto nunquam scripsisset, si aut Platonem ipsum, aut Plato- « nicorum monumenta diligentius legisset » [1].

Nec minor exaggeratio est illud de Platone a Neoplatonico saec. III. ineuntis dictum, a Numenio Pythagorico: « Τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωϋσης ἀττικίζων? quid enim aliud « est Plato, quam Atticus quidam Moyses? » Scilicet Neoplatonici tum a Iudaeis, tum a Christianis de relatione Verbi ad Patrem melius edocti, ad hanc pleniorem intelligentiam scripta magistri naturali instinctu trahebant; unde per ipsos ipse Plato propius ad veritatem accedere visus est, quod

[1] Op. cit. l. 1, c. 2. in fine.

certe fuisset oppositum, si magister veritatem fuisset ingenii proprii virtute intuitus.

Caeterum dimittendum non est, - quod iam Patres de mysterio SS. Trinitatis cum Platonicis agentes commonebant, - ab Hebraeis ad Aegyptios, ab Aegyptiis per Pythagoram ad Platonem nonnihil de primaeva revelatione derivari potuisse; unde iam, licet per indirectam viam, assertioni Numenii aliqualis veritatis species accedit.

Hoc sensu Minutius Felix in *Octavio* scripsit: « Animadvertis, philosophos eadem disputare quae dicimus; non « quod nos simus eorum vestigia secuti, sed quod illi de « divinis praedictionibus Prophetarum umbram interpolatae « veritatis imitati sunt » [1]. Caute autem legendus est Huetius, quando ait: « Obscurum illud sanctissimae Trinitatis et recon« ditum mysterium, quasi per nubila et caliginem, sed vidisse « tamen rationis ope, magna sane res est et christianae veri« tatis certissimum argumentum » [2]. Haec enim et similia asserta, nisi cum sobrietate adhibeantur, fundamento carent, et probanda infirmant potius quam consolident.

Sed, si parce adhibenda est sententia Huetii, abhorrenda prorsus calumnia quam rationalistae vel neo-ethnici, uti Strauss et Havet [3], erudite fulcire conantur, doctrinam scilicet christianam nihil esse aliud quam conflatam synthesim ex libris aryanis et avesticis, ex veteri Hebraeorum Testamento, et ex philosophia graeca. Depellenda prorsus vetus iniuria Celsi, quam ita refert Origenes: « Sententiis qui« busdam, quas in ore semper habent fideles, alias opponit « ex philosophia depromptas; contenditque, quidquid pul« chrius tribuitur Christianis, id a philosophis melius et dilu« cidius dictum esse, ut ad philosophiam rapiat eos, qui « capti fuerant dogmatibus, quorum maiestas, pietasque primo « intuenti se re explicat » [4].

Quae consideratio nos logico nexu adducit, ut de *Iudaeorum Cabbala* verbulum faciamus. Theosophiam Cabbalae,

[1] Similia habentur apud Clementem Alex. (*Cohort. ad Gentes*, §. 6; *Stromat.* l. v, §. 10); S. Iustinum (*Apolog.* II, n. 44; *Apolog.* II, n. 10); Origenem (*Ctr. Celsum* l. IV, n. 81).

[2] *Quaest. Alnetanae*, l. 2, c. 3.

[3] Iuxta Havet, christianismus a Christo quidem nomen derivat, re autem non est nisi paganismus (*Le christianisme et ses origines*, t. I, p. 1, c. 7).

[4] *Ctr. Celsum.* l. v, n. 65.

idest traditionis occultae, quam a Moyse, vel ab Abrahamo, imo a Noë et usque ab Adamo quidam fabulose deducunt, aliter et aliter periti disiudicant. Probabilius istae geneologiae ac iudaicae fabulae, quas Apostolus iam monebat devitandas [1], nihil sapiunt nisi gnostici.

Sequens autem tabella exhibet emanationum iuxta Cabbalam brevissimum conspectum.

[1] Coloss. II. 18, sq. etc.

Appendix ad Quaestionem XXXI ad p. 340.

Doctrina articuli III. et IV. sequenti schemate illustrari potest quoad duplicem modum quo τὸ « *solus* », syncategorematice sumptum, de absolutis et de relativis praedicatur. Etenim utrimque possunt haberi in praedicato terminus absolutus et terminus relativus.

Solus	*Deus* est	*aeternus,* generans;	(art. III.)
	Pater est	*generans,* aeternus;	(art. IV.)

Sensus cui linea subducitur, est rectus; cum hoc tamen discrimine, quod in primo membro, ubi absolutum habeo in subiecto, quaecumque praedico absoluta, vera sunt; dum in altero membro, ubi relativum habeo in subiecto, solum illud relativum in praedicato recte affirmo, quod cum relativo determinato in subiecto convenit; secus tantopere falsum dicerem, ut neque ad verum sensum ullo modo sententia trahi posset. V. gr., si dicerem: « *solus Pater est genitus* », aliquid a veritate undequaque alienum praedicarem.

Ratio discriminis est manifesta. In prima enim propositione habetur utrimque eadem amplitudo generica, unde proportio inter subiectum et praedicatum abesse nequit; in altera autem, quum adsit specifica contractio, - relativa enim ad absoluta sunt veluti generica ad specifica, - tunc solum salvatur propositionis veritas, ubi utrimque ad eamdem rationem specificam, sive relativam, id est ad eamdem personam praedicatum et subiectum referuntur.

In art. IV. S. Th. hunc modum praedicandi per relativum utrimque non tetigit, quia si de eodem relativo praedicatur, veritas sententiae apparet nimis manifesta; sicut e contra nimis est apparens falsitas, si praedicatur de distinctis.

Primum infinitum absconditum,

אֵין סוֹף

a quo decem emanationes, attributa manifestantes,

סְפִירוֹת

et quidem secundum triplicem ordinem intellect., moral., physic.;
tres primae emanationes:

1.°) *corona* כֶּתֶר, esse

2.°) *sapientia* חָכְמָה — 3.° *intelligentia* בִּינָה

1ª classis; [1]

Ex his tribus aliae septem emanationes:

2.ª classis:

4.°) *gratia* (magnitudo) חֶסֶד

5.°) *iustitia* (fortitudo) דִּין

(גְּדוּלָה) גְּבוּרָה

quarum unitas est

6.°) *pulchritudo* תִּפְאֶרֶת

3.ª classis:

7.°) *victoria* נֶצַח

8.°) *gloria* תּוֹדָה

9.°) *fundamentum* יְסוֹד

quorum trium harmonia est

10°) *regnum* מַלְכוּת vel שְׁכִינָה

Quibus decem constituitur, velut exemplare supremum intelligibile,

mundus emanationis

אֲצִילוּת [2]

cui respondent tres mundi inferiores:

1°) *mundus creationis* mentium purarum: בְּרִיאָה

2.°) *mundus formationis* angelorum ministr. et hominum: יְצִירָה

3.°) *mundus fabricationis* seu materialis: עֲשִׂיָּה

[1] Cf. Gnosticorum βυθός et σιγή, ex quibus emanant ὁ νοῦς et ἀλήθεια
[2] Cf. Gnosticorum πλήρωμα.

B) Iam de philosophis *acatholicis modernioribus* apud quos trinitas aliqualiter reperitur, scilicet *Lessing* et *Hegel*.

1) *Lessing* hoc modo argumentatus est [1]: « Ab aeterno « debet Deus, utpote ens perfectissimum, perfectissimum, « idest, seipsum cogitare. Atqui Dei cogitare est cogitare « productivum. Productus igitur est Filius, Deus: Deus, qui- « dem, quum omnes eius perfectiones possideat; Filius, quum « repraesentatio posterior sit repraesentante. Imago est Dei, « at imago identica. Quum iam Patri et Filio cuncta sint com- « munia, perfectissima inter utrumque regnat harmonia; in « qua totum est quod est in Patre et quod in Filio, divinum « scilicet esse. Et ipsa Deus est. Est Spiritus. Haec harmonia « Deus non esset, nisi Pater et Filius essent Deus; neque ambo « Deus esse possent, nisi adesset haec harmonia; unde tres « simul sunt unum » [2].

At quis non videt, missis aliis, in hac demonstratione illud ipsum assumi ut evidens, quod praecise esset probandum: in Deo scilicet actum geminum quo seipsum cognoscit et amat, esse productivum seu fecundum. Hoc utique docet nos SS. Trinitatis mysterium, non autem probare valet humana ratio.

2) Licet deficiens quoad vim demonstrativam, Lessingii argumentum sat multum continet boni. Aliter longe dicendum de systemate *Hegel*, in quo Trinitatem christianam invenire, non insania est modo, sed summa blasphemia.

Hegeliana trinitas ad hoc reducitur. Deus est Idea logica a qua pantheistice tota rerum universitas deducitur. Haec autem Idea per triplex stadium seu motum sive conceptum logicum perfectionem suam attingit. Primus motus, sive con-

[1] Cf. HETTINGER. *Apol.* t. 2, p. 1 pag. 138, n. 1.

[2] *Das Christentum der Vernunft,* W. W. VII, p. 42, sq.; *Erziehung des Menschengeschlechtes*, §. 73. W. W. VI, p. 322, sq.: « Von Ewigkeit muss Gott, das vollkom- « menste Wesen, das Vollkommenste, d. i. sich selbst denken. Gottes Denken aber ist « productives Denken. Es ist daher das Product, der Sohn, Gott, — Gott, weil alle « seine Eigenschaften besitzend; Sohn, weil die Vorstellung später ist als das Vor- « stellende. Er ist ein Bild Gottes, aber ein identisches Bild. Da Vater und Sohn alles « gemein haben, herrscht zwischen ihnen die vollkommenste Harmonie. In dieser ist « alles, was im Vater ist, und was im Sohne, d. i. das göttliche Wesen; sie ist selbst « Gott. Es ist der Geist. Diese Harmonie wäre nicht Gott, wenn der Vater und « der Sohn nicht Gott wären, und beide könnten nicht Gott sein, wenn diese Har- « monie nicht wäre, d. i. alle drei sind Eins ».

ceptus logicus intra se revolutus, est Idea per abstractionem sumpta, *Deus in se;* secundus motus, sive conceptus logicus, est Idea ad extra evoluta, seu *Natura;* tertius motus, sive conceptus logicus, est Idea in se reversa, Deus sui conscientiam adeptus in homine, *ipse Homo.* Quare sicuti triplex hic conceptus ponit trinitatem, ita tertius motus ponit incarnationem; homo est simul Deus, et Deus incarnatus.

De qua absurda simul et autolatrica hallucinatione D.n Baur scribere non erubuit: « Quam alte prospiciat Idea trinitatis « iuxta hunc novum cogitandi modum, ex ipso iam eiusdem « principio liquet. Philosophia et theologia abhinc invicem « compenetrant in conclusione Deum esse unum-trinum..... « Quod profundi Ecclesiae Doctores antiqui ac medii aevi « iam suspicabantur, quin unquam in ultima sua ratione intel- « ligere valerent, - dum altissimum christianae revelationis « mysterium sibi uti obiectum meditationum praestatuebant, « ac unice in natura humanae mentis, quatenus est imago Dei, « analogiam eiusdem inveniri posse credebant, - relationem « scilicet Trinitatis nihil essentialiter esse aliud, nisi rela- « tionem in qua Deus uti spiritus se habet ad seipsum, - id « iam philosophia per consequens Ideae tanquam propriis- « simam suam veritatem agnovit atque firmavit. Limes, qui « hucusque interiacens, impediebat ingenium humanum, ubi « de sua essentiali identitate cum Deo uti spiritu absoluto « conscium fieri vellet, iam effractus est, atque inscrutabile « mysterium evanuit, quo se Dei essentia velabat, quum « omnibus Unus-trinus nonnisi inaccessibilis, incomprehen- « sibilis et quasi incogitabilis esse videretur » [1]. Digna sane

[1] *Christliche Lehre von der Dreieinigkeit,* t. 3, p. 889. « Welche hohe Bedeutung « die Idee der Dreieinigkeit auf diesem neuen Standpunkt (Hegel's) hat, ist schon « aus dem Princip desselben zu sehen. Philosophie und Theologie durchdringen sich « jetzt in dem Resultat, dass Gott der Dreieinige ist.... Was tiefsininge Kirchenlehrer « der alten und mittleren Zeit schon ahneten, aber nie in seinem letzten Grunde zu « begreifen vermochten, wenn sie das tiefste Geheimnis der christlichen Offenbarung « zum Gegenstande ihres Nachdenkens machten, und nur in dem Wesen des men- « schlichen Geistes, sofern er das Bild Gottes ist, eine Analogie dafür finden zu « Können glaubten, dass das Trinitätsverhältnis wesentlich nichts anderes ist, als das « Verhältnis, in welchem Gott als Geist zu sich selbst ist, hat jetzt die Philosophie « durch die Consequenz des Gedankens als ihre eigenste Wahrheit anerkannt und « festgestellt. Die Schranke, die dem menschlichen Geiste immer noch hemmend « dazwischen lag, wenn er seiner wesentlichen Identität mit Gott, als dem absoluten

pedantico pondere sententia pantheistici dei, sui tandem conscientiam adepti!

Contra nimiam hanc impietatis superbiam iure invehebat sequens concilii Vaticani schema: « Suae autem impietati in « sententiis ipsis Pantheistae superaddunt aliam in verbis, « quod monstra opinionum, quae confinxerunt, sanctissimis « nominibus mysteriorum christianae religionis obtegere con- « sueverunt, atque dum trinitatem, incarnationem, redem- « ptionem, resurrectionem nominant, id assequi student, ut « suis doctrinis aliquid christianum subesse, incautis persua- « deant, ac ipsa veneranda mysteria verae religionis ad per- « versissimos sensus detorqueant atque depravent » [1].

C) Iam ad *catholicos theologos*. Misso Abaelardo, de quo S. Bernardus belle dixit: « Ut Platonem facit christianum, « se probat ethnicum » [2]; de Raymundo Lullo, Marco Mastrofinio, Antonio Günthero, ac Rosminio.

1) *Raymundus Lullus* [3] arguit, processu evidenti, si ipsi credas, ex actu Dei immanente, procedente ex notione Dei uti bonitatis perfectissimae. Haec porro bonitas perfectissima supponit terminum producentem perfectissimum, perfectissimumque terminum productum; qui modus est per generationem. Ergo habemus « bonificativum », Patrem, et « bonificabile », Filium. Iam vero inter « bonificativum » et « bonificabile », inter Patrem scilicet et Filium, adsit oportet perfectissimum « bonificare »; quod « bonificare » active sumptum est commune utrique, terminative autem sumptum, ponit novum terminum, scilicet « bonificare », seu amare, seu amorem procedentem, Spiritum Sanctum. Ecquis non miretur argumenti evidentiam?

In qua elucubratione Lulli tria certe corripienda sunt

« Geist, sich bewusst werden wollte, ist durchbrochen und das undurchdringliche « Dunkel verschwunden, in welches das Wesen Gottes sich hüllte, wenn er vor « allem als der Dreieinige nur der Unerreichbare, Unbegreifliche, schlechthin « Undenkbare zu sein schien ».

[1] Cap. I. *Condemn. materialismi et pantheismi.* — Cf. Friedrich: *Docum. ad illustr. Conc. Vatic.* t. II, p. 4. Quam proterve moderni theosophi successivas incarnationes decantent, quis ignoret?

[2] *De errore Abaelardi.*

Cf. Vasquez (in I. P. disp. 33); — Suarez, (l. I, c. 11, n. 7, sqq.); — Franzelin (l. cit. p. 255 sq.).

vitia: *a*) Terminologia est barbara nimis, quin et inepta. - *b*) Vis argumentativa a priori nulla prorsus: nam Lullus non demonstrat, illud quod praecise esset probandum, bonitatem Dei perfectissimam esse talem, ut exigat actum ad intra vere fecundum, per duplicem veram processionem. - *c*) Ipse modus quo Lullus distinguit « bonificativum », « bonificabile », et « bonificare », nisi ita mitigetur, ut redeat ad geminam illam processionem per amorem et intellectum, non solum non est demonstrativus, sed neque catholicus. Et sane α) si « bonificabile » procedit uti Filius ratione ipsius perfectionis divinae bonitatis, oportet ut « bonificare » uti Filius quoque procedat, ne a perfectione deficiat. β) « Bonificabile » non habet, ut tale, unde Imago ac Verbum vocetur ac sit. γ) Neque perfectus est Deus nisi post « bonificare », unde nondum « bonificabile » nec ipsum « bonificativum » perfectum est. δ) Neque apparet ratio cur « bonificativum » et « bonificabile » tanquam unum principium « bonificent ». ε) Neque demum ratio, cur non possit « bonificativum » simpliciter et directe « bonificare » seipso, aut posito « bonificabili », hoc « bonificabile » rursus seipso « bonificare ». Sed quis confusa et permixta in hac terminologia discernere valeat?

2) Iam ad alterum theologum philosophum in Urbe ad finem elapsi saeculi et saeculo isto ineunte forte plus aequo celebrem. *Marcus Mastrofinius* in opere de Trinitate, cui titulus *Metaphysica sublimior*, tres putat se invenisse rationales vias, quibus Deus unus et trinus demonstretur. De singulis breviter.

a) *Prima demonstratio* petitur a *necessaria existentia Dei*. Ita contrahitur. Quidquid existit, habere debet sufficiens principium sive internum sive externum suae existentiae. In Deo autem repugnat principium externum: ergo internum adsit oportet. Iamvero hoc principium existentiae debet existere, et quidem modo determinato, distincto; ergo est hypostasis, primum principium, Pater. - Pariter existentia a principio promanans, debet esse distincta et determinata; ergo est altera hypostasis, Filius. - Porro in supremo spiritu requiritur principium actionis, et terminus eiusdem. Principium actionis est commune utrique Patri et Filio, principio et exi-

stentiae, terminus autem perfectissimus, ac proin aequalis, est Spiritus. Ergo in Deo datur Trinitas.

Resp. α) quoad primam partem argumenti, qua Pater et Filius deducuntur, Mastrofinius multipliciter peccat. α′) Non advertit, in ente necessario nullam dari posse distinctionem realem inter existentiam et principium eiusdem; unde fundamento prorsus argumentatio caret. β′) Dato quod existentia indigeat principio, quomodo demonstrabitur, hoc ipsum principium non alio principio indigere? Scilicet nisi in ipso ente necessario ab initio sistatur, nulla est amplius ratio sistendi, ac procedendum est in infinitum. γ′) Dato quod in primo hoc gradu sisti possit, respectus principii ad existentiam nullatenus est respectus quem theologia docet adesse inter Patrem et Filium. Etenim aut principium continet existentiam, aut eam non continet; si prius, gratuito distinguuntur; si alterum, non apparet, quomodo principium hanc existentiam gignat, et quidem ita, ut principium et existentia, inter se aequalia, cum una eadem re identificentur: nam quid esset illa res? Ex utroque scilicet, at imperfecto, constituitur ens perfectum existens.

β) Quoad alteram partem argumenti rursus non unum vitium est corripiendum. α′) Gratuito tanquam demonstratum assumitur, hoc principium actionis esse tale, ut terminum ad intra ponat. β′) Si iam quaeris de hac ipsa actione ad intra, haec duplex est, intellectus et amoris; ac ita, quum ante principium actionis iam duae hypostases adesse probatae sint, loco trinitatis, obtinetur quaternitas. γ′) Imo haec demonstratio impugnat demonstrationem catholicam, quatenus ad modum unius illud ipsum considerat, unde tanquam ex duplici processionis fonte trinitas oritur. δ′) Nec satis demonstratur, quomodo principium et existentia, semel ac veluti duae distinctae hypostases ponuntur, unum necessario efforment actionis principium. Et haec satis de prima argumentandi via [1].

b) *Secunda demonstratio* - nam talem rursus eam auctor iudicat - desumitur ex « *quantitate vis creatricis*, quam in « se Deus continet ». Reducitur autem ad haec. Vis creatrix

[1] Op. cit., l. III.

ponit in Deo infinitum tertii ordinis. Ergo in Deo est trinitas. Probatur maior. In vi creatrice divina habes 1) ipsam vim infinitam, quam exigit actus creandi: en primi ordinis infinitum; 2) vim creandi seriem specierum infinitam: en infinitum secundi ordinis; 3) vim creandi individua infinita in singulis speciebus: en infinitum tertii ordinis. Habetur ergo $1 \times \infty \times \infty \times \infty = \infty$ [1].

Responsione vix indiget tam absona elucubratio. Sint tamen sequentes animadversiones. α) Nonnisi per gravissimum errorem ad Deum transferuntur tres dimensiones quantitatis mathematicae, quae omnes sunt in Deo simplicissime; unde ipsa vis creandi, quia infinita, iam omne reliquum in se continet; neque potest vis creandi in obiectum exire, quin istud obiectum sit individuum ad determinatam speciem qualicumque modo pertinens; et proin, nisi creatrix vis cogitetur coacta vel caeca, a Deo ipso omnipotente ex infinitis possibilibus electum ut sit. β) Neque simpliciter concedendum est, Deum posse creare infinitam seriem specierum ac individuorum. Possibilia utique sunt singula infinita tum species, tum individua; seriem autem specierum vel individuorum creari infinitam actu, repugnat in terminis. γ) Sed utrumque concedatur philosopho romano, quid inde quoad SS. Trinitatem? Ergone Pater est vis creandi simpliciter? Ergone Filius vis creandi seriem infinitam specierum? Ergone Spiritus Sanctus vis creandi seriem infinitam individuorum? Quid iam, ut caetera omittam, de aequalitate divinarum personarum? deque earum infinita perfectione non solum simul sumptarum, sed uniuscuiusque in sua singularitate consideratae? quid de earum relatione ad invicem, etc.? Scilicet non sufficit in Deo aliqualem viam invenire, ut quis detectum ratione mysterium buccinet. Nisi hoc trinum cum catholico dogmate conveniat, non solum nihil est demonstratum, sed in re gravissima gravissime erratum.

c) Iam ad *demonstrationem tertiam* quam auctor per librum V. eiusdem operis evolvit « *ex manifestatione divinae gloriae* ». Paucis argumentum ad hoc contrahitur. Manifestatio gloriae nequit a Deo abesse, quia bonum; imo infinita,

[1] Op. cit., l. IV, n. 377.

quia bonum infinitum. Atqui ad hanc manifestationem tres requiruntur: manifestandus, manifestans, et ille cui fit manifestatio. Ergo in Deo sunt personae tres: Pater, qui manifestatur per Filium Spiritui Sancto.

De quo argumento, uti de primo actum est, per partes iudicium feramus. α) Quae dicuntur de Filio, imagine, manifestatione Patris, rectum quidem sensum habere possunt; at nullo modo sunt demonstrativa. Ratio enim humana sibi relicta probare nequit, talem imaginem esse ad intra terminum substantialem subsistentem. - β) Quod autem de Spiritu Sancto dicitur, non solum vi probativa caret, sed et contradicit dogmati catholico, imo repugnantiam continet. Etenim, si manifestatio gloriae requirit distinctionem personalem ad intra, logice praecedere deberet ille cui manifestatio esset facienda. Secus, saltem per instans logicum, scopo careret ipse manifestandus. Iam vero logice praecedente illo cui manifestatio fiat, non solum invertitur ordo Trinitatis, - quod certe non vult ille scriptor, imo contrarium, at confuso et inani circuitu intendit, - sed nec videtur ratio, cur tertius adhuc ponatur quum duo optime sufficere videantur: manifestans per se seipsum, et ille cui manifestatur. Et certe inde adducere Spiritum Sanctum, ne prolatio Filii careret eo qui eam cognosceret, ridiculum est, atque Deum illis aequat in arte peritis, qui, nisi quid valeant, coram plaudente ostentent, iam sibi frustra insudasse videntur.

Verbo, mirum est Mastrofinium nonnisi tres huiusmodi vias ad demonstrandam divinam Trinitatem invenisse. Ecce, si placet, duas alias ex summa *pulchritudine*, et ex summa *felicitate* deductas. Quum enim pulchritudo sit in entis splendore ac ordine; summa pulchritudo requirit summum ens, Patrem, cuius summus splendor, Filius, in summo ordine, in Spiritu eluceat. - Felicitas rursus est in fruitione boni, boni autem fruitio tria supponit: bonum, bono fruentem, et fruitionem. Quae tria si summa ponis, habes felicitatem Dei in Trinitate infinitam: bonum est Pater; bono fruens, Filius; fruitio ipsa, Spiritus.

Aut ita, imo melius. Felicitas consistit in mutuo expleto amore; infinita proin felicitas in infinite expleto amore mutuo infinito. Amor autem mutuus infinitus duos supponit sibi infi-

nite aequales. Hi autem, nisi alter sit ab altero, in Deo dualismum ponerent, duos scilicet deos. Ergo in Deo habentur Pater et Filius se invicem infinite diligentes, eiusque infiniti amoris pignus infinitum, Spiritum Sanctum. Haec ultima trilogia iam magis appropinquat ad verae Trinitatis conceptum. Sed demonstrativa virtute caret. Reliquae duae, etsi nugaces, praecellunt tamen triplicem argumentationem a Mastrofinio tantopere elatam [1].

3) Nec praestat via a *Günthero* eadem mente indicta. Scilicet Viennensis philosophus ex iis erat viris, qui suae aetati nimis tribuunt, veterumque despiciunt « inanes » conatus. Germanica quippe disciplina glorians, illa scilicet quae boreales nebulas inhabitat [2], veluti nova quadam revelatione at per rationis virtutem parta, mysteriorum saltem in se necessariorum iam velamen auferri dictitabat. « Revelationis theore- « ticae, ita ille, est tanquam hypothetica necessitas; h. e. pen- « det haec necessitas a gradu corruptionis posterorum Adam. « Aetas nostra novit, se non a fide ad scientiam, sed per « novam scientiam ad intelligentiam obiectorum antiquae fidei « pervenisse, atque ideo non patitur, ut eius scientia in suspi-

[1] Nec apud solum Mastrofininium huiusmodi argumentationes reperies. Placet modum afferre quo Peutinger *(Relig. Offenb. u. Kirche*, Salzb. 1785. p. 378. sq.) ratiocinationem suam inducit : « Das allererste, absolut vollkommenste Wesen kann « unmöglich anders von uns gedacht werden als in so fern es etwas Allerrealstes, « absolut Vollkommenstes, und also von Ewigkeit her, das ist, vor aller Zeiten « Anfang bewirkt - hervorbringt. Ein allerrealstes Wesen ohne etwas allerrealstes « zu bewirken, ist ein Unding, ist benso wenig denkbar, als eine Ursache ohne « Wirkung. Nun können wir aber ohne offenbaren Widerspuch mit uns selbst nur *ein* « absolut vollkommenes Wesen uns denken. Alles, was nicht Gott ist, ist beschränkt, « hat Mangel an Realitäten, ist nicht absolut reel. Das Bewirkte, absolut Vollkom- « mene kann daher nicht anders als in Gott subsistierend gedacht werden, es muss « selbst Gott, Gott von Gott sein ». In his triplex vitium apparet : 1) Quae bona in hac expositione habentur de supremi entis faecunditate ad intra, vera quidem sunt; at humanae rationi viribus suis relictae vix demonstrative patent; 2) modus exponendi hanc faecunditatem, quasi Deus deberet esse causa sui, falsus est ac alibi a nobis correptus; 3) demum quid de gemina faecunditatis via, quae SS. Trinitatem constituit ? (Cf. Schwetz. *Theol. dogm.* I p. 302).

[2] Dolendum valde, istas nebulas Galliam, maxime a bello anni 1870. invasisse, ac ipsum caeruleum caelum italicum. Si Germanorum mirabile eruditionis linguarumque studium imitari, res saluberrima; Hegelii Kantiive somnia somniare, catholicae disciplinae detrimentum. Absit tamen ut quorundam excessus omnes philosophos huius regionis afficiat : sicuti enim apud Germanos florent studia quae magis patientiae innituntur, ita nec desunt quae sano ingenio profundoque effluunt.

« cionem vocetur illa antiqua criminatione, per scientiam « perire meritum fidei.... Si S. Thomas interrogaret nos, ubi- « nam locum habere possit obedientia et inde meritum, in « tali fide excultae philosophiae, quando non est amplius in « libera potestate hominis admittere vel non admittere id « quod in sua radice intima demonstratur necessarium ;[1] ad « hanc interrogationem responderemus, essentiam obedientiae « utique requisitae ad meritum consistere in libera subiectione « voluntatis propriae sub voluntatem divinam. Imo tanta est « novae sententiae progressio et quasi intuitio, ut Angelico « non supersit nisi ut in extasim veluti raptus exclamet: « " Talem fidem, talem scientiam mea aetate non inveni in « Israël; intelligitur ratione quod in revelatione continetur; « creditur tamen factum revelationis ut factum historicum " ». Modestus quippe lector Vindobonensis testatur, se in suis meditationibus talia invenisse, quae hactenus imperfectam intelligentiam « evehunt ad altitudinem eam, quae desti- « nata est filiis fidei illis verbis: vobis datum est nosse « mysteria regni, caeteris autem in parabolis »[2]. Cur non addidit et illud Domini, eam intelligentiam sapientibus esse denegatam, revelatam autem parvulis? Et alibi eadem protervia Güntherus ait: « Magnum munus theologis nostrae « aetatis impositum est, ut antiquam crucem intellectus (Tri- « nitatem intellige) commutent in insigne honoris pro libero « spiritu, qui et ipse a Deo habet ius et autonomiam ad « inquisitionem et intelligentiam omnis veri, quod propositum sit »[3].

Missi sint errores qui his verbis contra analysim et pro-

[1] Nec satis a simili excessu sibi cavit Picus Mirandulanus, cuius sequens propositio de fide ab Innocentio VIII. damnata est: « Dico probabiliter, et, nisi esset « communis modus dicendi theologorum in oppositum, firmiter assererem: assero « tamen hoc dictum in se esse probabile, et est quod, sicut nullus opinatur, ita nullus « credit aliquid esse verum, praecise quia vult credere, id esse verum » —

Corollarium. « Non est in potestate libera hominis credere, articulum fidei » esse verum, quando placet, et credere eum esse falsum quando sibi placet ». — *Denzinger.* (op. cit. n. 619, 620).

[2] *Ianusköpfe,* p. II, p. 272-279; 334-340; 412.

[3] *Vorschule,* t. I, p. 121. Versionem Card. Franzelin adhibemus; textus germanicus longe vehementior: - das alte Kreuz des Verstandes aus einem Schandpfahle « in ein Ehrenzeichen des freien Geistes zu verwandeln..... ». Igitur, iuxta Güntherum, Trinitas, nisi ratio humana eam valeat perscrutari, crux mentis dicenda est,

cessum fidei supernaturalis subsunt, quos certe errores aetate sua in Israël non invenit Angelicus. Audivimus montem grandiloquo sonitu parietem. Inspiciatur tanto editus labore.... « ridiculus mus ».

Argumentum deducit Güntherus « ex cogitatione proprii « *Ego*, seu personalitatis spiritus nostri ». Et primo quaedam ad modum praeambuli praemittuntur. Creatus spiritus est imago Dei; ergo in creato spiritu perfecte intellecto potest cognosci Deus, et ex personalitate spiritus nostri personalis ratio ipsius Dei. Porro forma personalitatis nostrae est conscientia sui. Spiritus noster, utpote existens ab alio, ad conscientiam sui non pervenit nisi motus ab alio. Sed hoc a Deo semovendum est, quatenus, uti ens a *se*, non movetur ut fiat conscius sui, nisi a se.

Sistamus; quidquid veri in his habetur, iam ab antiquioribus erat apprime notum: spiritum scilicet nostrum esse imaginem Dei, ac per consequens meditationem nostri spiritus in cognitionem Dei inducere; dummodo imperfecta creaturae a Deo sedulo removeantur. At haec notissima Güntherus ab ipso exordio falsitate permiscet. Etenim *a*) a cognito spiritu nostro etiam perfecte, non potest concludi ad cognitum ipsum Deum uti in se est: imago enim non involvit aequalitatem. *b*) Formale personalitatis non est conscientia sui; sed distinctum in nobiliori natura. *c*) Ad conscientiam nostri acquirendam non necessario indigemus moveri ab alio, nisi illa intelligatur motio divina, sine qua nihil creatum quidquam agere valet.

Iam ad ipsum argumentum. In conscientia sui adipiscenda, sicuti in quavis veritate, tria distinguuntur: principium cognoscens, obiectum cognoscendum, aequatio cognitionis; id est: conscius efficiendus (thesis) seipsum sibi opponit (antithesis), ut seipsum sibi oppositum cognoscat (synthesis). Ita in divinis essentia, uti primum principium absolutum (thesis), per perfectam emanationem (antithesim) sese duplicat, ac se sibi duplicatam opponit secundum principium absolutum; quae duplicata substantia, per agnitam reciproce identitatem ponit

atque ignominiae palus! Et hoc quoque dictum Angelicus mirabundus deoscularetur?

tertiam substantiam, tertium principium absolutum (synthesim). Haec tria principia efformant unitatem non realem, nec numericam, sed formalem, organicam, propter summam aequalitatem, processionem ab invicem, ac, ope conscientiae, relationem ad invicem. Haec tessera doctrinae Güntheri passim.

Quanta in hac argumentatione corripienda sint, breviter videamus, scilicet *a*) quomodo deficiat a fide, *b*) quomodo ab ipsa arguendi virtute.

a) Contra fidem multipliciter et gravissime peccat processus Güntherianus. α) Catholica Ecclesia docet, in SS. Trinitatis mysterio unitatem substantiae seu essentiae esse in rigore sermonis intelligendam, scilicet numericam, realem; Güntherus eam intelligit mere formalem, organicam. Unde in SS. Trinitate quaecumque absolute dicuntur, singulariter dicuntur; e contra Güntherus ponit tres res absolutas; ponit aliud et aliud; duplicat, multiplicat, essentiam. – β) Catholica Ecclesia distinguit inter modum procedendi Filii et Spiritus Sancti, ita ut quaecumque ad intellectualem processionem pertinent, Filio tribuantur; Güntherus vero concipit potius unam processionem intellectualem duplici gradu completam [1]. - γ) Catholica Ecclesia docet, in SS. Trinitate tres dari personas; Güntherus, si sibi constaret, nonnisi unam in Deo personam ponere posset. Quum enim ipsam formam personalitatis collocet in conscientia sui, haec praecise conscientia sui in Deo per geminam emanationem producta ad modum nostrae unica sit oportet. - δ) Catholica Ecclesia docet, relationes quatuor in Deo efformare personarum Trinitatem; Güntherus a relatione personarum ad invicem repetit triplicis substantiae unitatem. - ε) Catholica Ecclesia tenet, in Deo Patrem esse perfectissimum, pariter et Filium et Spiritum Sanctum; in conceptu Güntheri Pater non fit perfectus nisi per antithesim et synthesim; Filius nonnisi per synthesim. Trinitas Güntheri est evolutio divini spiritus seipsum perficientis; Trinitas catholica est intrinseca vita Dei perfecti. - Unde ζ) catholica Ecclesia docet, tres personas esse in plenitudine *aequalitatis;* apud Güntherum, quum tres sint sub-

[1] Analogum vitium mox in expositione D. Schell reperiemus.

stantiae distinctae, nequeunt esse nisi *aequivalentes*. Ex quo ipse Güntherus falsissima deducit quoad ipsam mundi creationem, quam, inter alias rationes, ideo necessariam praedicat, ut conscientia aequalitatis, quae secus deesset, inter personas praedicari posset. Ergo tantum abest, quominus inter Patrem et Filium aequalitas adsit infinita, ut, nisi Filius per creationem compleret quod sibi de paternitate deest, suae maneret inferioritatis conscius [1].

b) Si iam, praeter philosophice absurda in supradictis contenta, praesertim triplicatam substantiam divinam, ipsam arguendi vim consideramus, α) fundamento caret totus processus. Per gradus quidem spiritus humanus ad conscientiam sui pervenit; at non ideo quia hi gradus sunt de essentia conscientiae sui; sed quia spiritus humanus est in inferiori ordine spiritualitatis. Unde si iam angelus fit sui conscius intuendo seipsum, quanto magis Deus. - β) Si in Deo ad conscientiam sui generandam haec momenta exiguntur distincta, vel singulae personae non efformant nisi unam conscientiam sui, et proin non datur nisi una persona; vel singulae per totidem momenta ad hanc conscientiam perveniant oportet, ita ut saltem in Deo sint non solum tres, sed ad minus septem, scilicet Pater et Filius et Spiritus, qui simul constituunt primam conscientiam sui, quae Patris est; tunc anthitesis et synthesis Filii; ac antithesis et synthesis Spiritus, ut ambo possint et ipsi conscii sui ac proinde vere personae praedicari. - γ) Nec satis. Si intellectûs vita habet in Deo hanc virtutem ut duplicem emanationem producat, nulla apparet ratio, cur non idem vitae voluntatis tribuatur; ita ut in Deo non solum sit Trinitas, sed ad minus quaternitas, scilicet Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tanquam unum principium amoris ab ipsis procedentis. - δ) Restat, in tota Güntheri elucubratione unum dici vere: scilicet dari in Deo processionem per intellectum, quatenus Deus seipsum intuens ponit; sed α′) hoc non potest ratione demonstrari, sed ad summum, praelucente fide, illustrari; β′) et heic maxime errat Güntherus, qui ponit emanationem *ut* per eam Deus ad sui cognitionem perveniat; dum iuxta catholicam veri-

[1] Lydia, 1852, p. 260, sq. *Thomas a scrupulis*, p. 177-181; *Iuste milieu* p. 358-362.

tatem, recta philosophia ponit processionem, *quia* Deus se cognoscit.

Noli autem existimare, Güntherum amore nimis in mentis propriae prolem veluti seductum, quin adverterit, in fidem offendisse. E contra, in hisce erroribus ipse personam egit apprime « consciam sui », « antithesim » contra scholasticam doctrinam sine ambagibus ponens, eamque ad veritatis « synthesim » attrahere toto nisu contendens.

Ad Augustinum provocat [1], quasi Hipponensis unitatem divinae essentiae in hoc ipso loco non diserte vindicaret. Imo nisi hanc unitatem ibidem strictissime intelligendam supponeret, quomodo unquam de legitimitate praedicationis in Deo per vocem « persona » esset sciscitatus?

Ad haec Leibnitii verba appellat: « Sunt ergo tres sub-« stantiae singulares, relatio una absoluta quae illas com-« plectitur » [2]. Certe si genuina esset citatio, nihil inde sequeretur, nisi Güntherum in errore antecessorem habuisse. At alia longe magni philosophi sententia: « Sunt ergo tres sub-« stantiae relativae: una absoluta quae illas complectitur » [3].

Negat, in Scripturis unitatem Dei substantialem, realem praedicari: « In novo Testamento, ait, Deus se revelavit ut « unum in tribus personis, quin simul declaraverit, utrum ea « unitas sensu formali an reali, et hic iterum utrum mathe-« matice an dynamice intelligenda sit » [4]. At quantopere haec allegatio a veritate recedat, superius sat superque est demonstratum.

Ut autem se exciperet a formula nimis aperta Praefationis SS. Trinitatis: « non in unius singularitate personae, « sed in unius Trinitate substantiae », recurrit ad sequentem exegesim vere mirabilem: « vox *unius* secundo loco non « eodem sensu accipienda est sicut priori loco, sed eupho-« niae causa dicitur unius substantiae pro eiusdem substan-« tiae, nam hic de ternaria seu triplicata substantia sermo « est » [5].

[1] *De Trin.* l. VII, c. 4.

[2] *Vorschule*, I, p. 119.

[3] *System. theol.* p. 13, ed. La Croix.

[4] Ibid. II, 390.

[5] Ulterius progreditur Dr. Knoodt, fidissimus Güntheri discipulus; hic enim non solum vim formulae eludit, sed eamdem in argumentum suae theseos transmutat:

Ex qua inquisitione abunde apparet, quanto iure Pius IX, in litteris ad Card. Geissel Archiep. Colon. 15. iulii ann. 1857. datis, de Güntheri systemate sequens iudicium tulerit: « Noscimus in iisdem libris non pauca legi, quae a catholica fide « atque sincera explicatione de unitate divinae substantiae « in tribus personis distinctis non minimum aberrant » [1].

Contra praecipuum Güntheri errorem legitur in cap. schematum Conc. Vatic.: « Haec beata Trinitas secundum sin« ceram catholicae fidei veritatem unus est Deus, propterea « quod essentia seu substantia tribus personis communis re « et numero una est. Pater enim ab aeterno Filium generat, « non aliam suae aequalem essentiam emanatione produ« cendo, sed ipsam suam simplicissimam essentiam commu« nicando; pariterque Spiritus Sanctus non multiplicatione « essentiae, sed eiusdem essentiae singularis communicatione « a Patre et Filio tanquam ab uno principio una spiratione « aeterna procedit. Haec igitur una numero essentia seu « natura veraciter est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, tres « simul personae et singillatim quaelibet earumdem: ita ut « personae inter se realiter distinctae sint, natura autem seu « essentia unum idemque sint ». Et canones huc spectantes « ita sonant: 1) « Si quis dixerit, sicut tres personas, ita et « tres essentias seu substantias in Deo esse: A. S. ». - 2) « Si « quis dixerit, divinam substantiam non numero sed specie « seu qualitate trium personarum unam eandemque esse: « A. S. ». - 3) « Si quis dixerit, Trinitatem unum Deum esse, « non propter unius substantiae singularitatem, sed propter « Dei trium substantiarum aequalitatem et personarum ad « se invicem relationem: A. S. ».

Qui error, anno 1794, per Bullam Pii VI. « *Auctorem fidei* » ad Pistorienses directam iam excludebatur, sicuti per tot ab

« in Praefatione non dicitur " in unius singularitate substantiae ", sed " in unius « Trinitate substantiae ", quibus verbis singularitas essentiae negatur, quia Trinitas « et proinde pluralitas (substantiae) affirmatur » (Epist. t. I, p. 145).

[1] Cf. decretum Congregationis indicis 17. Febr. 1857. Quoad Güntherianismum lege praecipue Roschowany (Rom. Pont. IV, p. 804 sqq.); Merten (*Grundriss der Metaphysic.* Trier. 1843); Clemens (*Die spekulative Theologie Günthers und die katholische Kirchenlehre,* Cöln. 1853); Kleutgen (*Theologie der Vorzeit*, t. I, pp. 223 sqq.; 435 sqq.); Kuhn (*Dreieinigkeit,* pp. 504 sqq.); Schwetz. (*Theol. dogm.*, t. I. p. 306 sqq.); Katschthaler (*Thesen.* I, pp. 5-36; *Theol. dogm.* I, p. 185 sqq.): Card. Franzelin (op. cit. th. XVIII,) etc., etc.

Arianismi exordiis catholica documenta. Pontifex enim conqueritur quod, « si non pravo animo, imprudentius certe haec « synodus de SS. Trinitate locuta sit, dum in tribus personis « Deum distingui affirmaret ». Fides enim catholica essentiam sic « unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul « profiteatur in se prorsus indistinctam ». Idem prorsus proclamavit anno 1555. Const. Pauli IV « *Cum quorumdam* » contra tritheistas Socinianos directa, et anno 1603. (a Clemente VIII.) confirmata, Deum docens esse « trinum in per« sonis et incomposita omnino indivisaque unitate substantiae « et unum unamet simplici divinitatis essentia » [1]. Et saeculo praecedente (anno 1439) concil. Florentinum in decreto pro Iacobitis, qui substantias cum personis in divinitate monophysitice multiplicabant, ita fidem Trinitatis declarat: « Hae « tres personae sunt unus Deus, et non tres dii: quia trium « est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas.... « omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio » [2].

Ex dictis hucusque manifeste apparet quantopere Güntherus in duplex vitium inciderit, a quo in proemio huius operis theologo praecavendum esse monebamus: urgendo quippe nimis in SS. Trinitate viam rationabilis demonstrationis, ex una parte mysterium gravissime deturpavit, ex altera rationem ipsam non leviter laesit. Quod enim demonstandum aggreditur, toto caelo a catholico dogmate differt, nec via qua incedit, virtutem probativam habet ullam.

Intentio nihilominus Vindobonensis philosophi recta fuit, unde S. Sedi se damnanti laudabiliter paruit. At, quum de pantheismo eradicando maxime esset sollicitus: « Nieder mit « dem Pantheismus! » ab ipsis hostibus volens nolens arma accepit, quibus incaute usus, seipsum magis quam errorem vulneravit. Quis enim attente Güntherum perlegens, non Hegelii atque Schellingii somnia mente recolat? Vir scilicet modernis scriptoribus addictior, progressione scientiarum elatior, quam gressu tellurem premebat, in veteres invehens, solido fundamento inscius et incautus defraudavit, voracemque lacum, in quem incideret prior, effodit. Utinam pii at imprudentis viri experientia, a simili casu deterreat, quot-

[1] Denzinger (op. cit. n. 880.).
[2] Ibid. n. 598.

quot audacius relicta antiquorum arce, specie apologetici zeli, modernos Ecclesiae hostes in proprium campum propriis armis nondum sat probatis debellandos insequuntur.

4) Günthero adnumerandus est ipse *Rosminius,* vir pariter, si mere pietatem vitae, innatamque ingenii vim perpendis, magna sane reverentia dignus [1]; at, si doctrinae integritatem scrutaris, in multis sane philosophicae veritatis, rectique dogmatis limites praetergressus.

Equidem, demonstrabilitatem SS. Trinitatis nimis urgebat. Unde inter propositiones eiusdem a SS. Leone XIII. damnatas propositio 25.ª ita sonat: « Revelato mysterio SS. Trinitatis, « potest ipsius existentia demonstrari argumentis mere spe- « culativis, negativis quidem et indirectis, huiusmodi tamen « ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revo- « cetur ». Modestior sane longe affirmatio prae pomposa declamatione Güntheri; at nihilominus nimia atque corripienda. Et re quidem vera Roveretani philosophi contemplatio intentum non obtinet; peccat enim per defectum, utpote quaedam Sabellianismi antiqui instauratio: SS. Trinitas enim penes eum, est triplex forma *realitatis, idealitatis* et *moralitatis* entis absoluti, inter quas, sicuti inter ens, verum et bonum, non adest nisi distinctio rationis.

II. PARS.

QUID HUMANA RATIO, REVELATIONE ADIUTA, IN COGNOSCENDA SS. TRINITATE POSSIT.

Breviter superest ut dicamus, quid, accepto superno revelationis lumine, ratio eidem subiecta in mysterio SS. Trinitatis cognoscendo possit.

I. Ratio potest dogma credendum proponere.

Tritum huc facit effatum Augustini: nisi rationales animas haberemus, neque credere possemus. A pari frustra esset

[1] Dolendum est, adversarios Rosminianismi, non raro in ipsum hominem plus aequo invehere; quo fructu, quaeso, nisi offensionis eorum, qui a parente et institutum et nomen accepere, ac iure utrumque grato corde servant?

[2] Cf. *L'Accad. Rom. di S. Tommaso d'Aquino,* t. IV.

revelatio, inanisque fides ac vacua, nisi posset homo proponere quid sit credendum necne. Idipsum vindicat *revelationis* vocabulum, supponit quippe velum aliqualiter saltem attolli, ac proin, quam obtegebat veritatem, qualicumque modo manifestari. Scopus pariter revelationis idem exigit. Quonam enim spectaret supernaturalis veri significatio a Deo humano generi facta, nisi talibus signis eadem fieret, ex quibus homo rationis ope aliquid de vero sibi propalato percipere valeret? Inde solebat Christus Dominus audientes interrogare, utrum necne intellexissent, tardioresque de ipsa obtusa mente increpare [1]. Iam vero id, sine quo frustra revelatio foret, ipsoque nomine quasi mentiretur, saltem exigit ut ratio credenda cum certitudine proponere possit.

Haec autem propositio duplicem gradum habet: alia enim externa, alia interna. 1) *Externa* propositio est, non ipsa quidem revelatio, quae supponitur; sed authentica eius ab Ecclesia per determinatas formulas fidelibus praesentatio. Quae quidem praesentatio habet a privilegio infallibilitatis, ut, si caput Ecclesiae vel tota Ecclesia aliquid credendum proponat, ab errore quovis immunis existat. Nihilominus, quoad elementum humanum, quum infallibilitas ab inspiratione discrepet, est, - saltem de lege communi, quae per historiam passim confirmatur, - fructus rationalis inquisitionis, ac proin praeclarus ipsius rationis veluti partus.

2) At esset frustra, nisi huic propositioni externae responderet, in mente cuiusvis audientis propositio *interna*, qua homo, quod per auditum percipit, sat intelligat, ut sciat quid proprio cordi credendum proponat. In quo mutuas mirabiliter partes agunt et fides in rationem et ratio in ipsam fidem. Perbelle Augustinus ad Consentium: « Si rationem a me vel « a quolibet doctore non irrationabiliter flagitas, ut quod « credis intelligas, corrige definitionem tuam, non ut fidem « respuas, sed ut ea, quae fidei firmitate iam tenes, etiam « rationis luce conspicias. Absit namque ut hoc in nobis Deus « oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores crea- « vit. Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipia- « mus, sive quaeramus, cum etiam credere non possemus,

[1] Matth. xiii, 51; xv, 16, 17.

« nisi rationales animas haberemus. Ut ergo in quibusdam « rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione « nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides « praecedat rationem, qua cor mundatur, ut magnae rationis « capiat et perferat lucem, hoc utique rationis est. Et ideo « rationabiliter dictum est per prophetam: " nisi credideritis, « non intelligetis ". Ubi procul dubio decrevit haec duo; « deditque consilium, quo prius credamus, ut id quod cre- « dimus, intelligere valeamus. Proinde ut fides rationem prae- « cedat, rationabiliter visum est.... [1] » Utique talis fides quae sit entis rationalis, aliqualiter saltem credenda percipientis.

II. Ratio fide illustrata potest dogma credendum exponere.

Hic non amplius stamus in stadio initiali. Iam per fidem homo revelationis templum ingressus, veritates ipsas sibi revelatas docilique corde susceptas, pleniori intelligentia agnoscere conatur. Quam altiorem dogmatis cognitionem S. Anselmus anhelans, admirabundus simul ac sitibundus exclamabat: « Non tento, Domine, penetrare altitudinem « tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum; sed « desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam « credit et amat cor meum. Neque enim quaero intelligere ut « credam, sed credo ut intelligam. Nam et hoc credo, quia « nisi credidero, non intelligam » [2]. Et alibi directe de mysterio SS. Trinitatis perscrutando ait: « Quibus sacra pagina « nos ad investigandam rationem invitat, ubi dicit: " Nisi « credideritis, non intelligetis " [3]. Aperte nos monet intentio- « nem ad intellectum extendere, cum docet qualiter ad illum « debeamus proficere. Denique quoniam inter fidem et spe- « ciem intellectum, quem in hac vita capimus, esse medium « intelligo, quanto aliquis ad illum proficit, tanto eum propin- « quare speciei, ad quam omnes anhelamus, existimo » [4].

[1] Ep. 120, n. 2-4. Vis huius responsi S Augustini crescit, si quis perpendat mentem qua eum Consentius interrogaverat. — Cf. Card. Franzelin (op. cit. th. xix, p. 285.).

[2] *Proslog.* c. 1. — *P. L.* t. clviii, col. 227.

[3] Is. vii, 9.

[4] *De fide Trin.* praef. — Ibid. col. 267.

« Hisce principiis, ait Card. Franzelin, tota genuina theo-
« logia, quatenus speculativa est, eiusque expolitio innititur.
« Quare sicut penes Patres, Gregorium Naz. et Nyssen., Basi-
« lium, Cyrillum, Alexandrinum, Augustinum, etc., ita penes
« Anselmum, Victorinos, Petrum Lombardum, Alexandrum,
« Albertum, Thomam, Bonaventuram, et caeteros omnes
« magistros Scholae tam aliorum dogmatum tractatio, quam
« nominatim doctrina de Trinitate (de qua nunc nobis agitur),
« non minima ex parte constituitur in inquisitione intellec-
« tus ex fide » [1].

Iam vero haec penitior inquisitio per triplex medium institui solet: 1) per ipsius revelationis analysim, 2) per comparationes a natura depromptas, 3) per suasibiles rationes. De quibus singulis breviter.

1) *Revelationis analysis* est speculationis theologicae fons praecipuus. Praeter enim ea quae ad simplicem fidei propositionem pertinent, multa ex ipso textu sacro collationis, scrutationis ope deduci possunt, quae iam altiorem dogmatis scientiam constituunt. Talia de SS. Trinitate in divinis paginis occurrunt permulta. Ipsa enim vocabula: Filius, Unigenitus, Verbum, Sapientia, Spiritus, Donum, etc., etc., quantam veritatis ubertatem in se contineant, ipsa Patrum et Doctorum scripta luculenter ostendunt. Quid iam de Verbi incarnatione, de Spiritus inhabitatione, de utriusque missione? de homine ipso ad Dei imaginem condito? Tanta est huius Scripturarum analysis non solum utilitas, sed ad solidam expositionem dogmatis necessitas, ut quidquid relatione sive mediata sive immediata ad huiusmodi deductionem careat, iam potius ad elucubrationem privatam pertinere, quam ad expositionem catholicam sit dicendum. Inde apud antiquos non aliter theologus vocabatur, quam Scripturarum peritus.

2) Praeter hanc paginae inspiratae analysim ecce tibi *comparationes a natura depromptae.* Hae autem dupliciter possunt considerari: vel *a*) ad creationis lumen admotae, vel *b*) simpliciter in seipsis.

a) Quum ipsa mysterii Trinitatis ratio difficultatem menti

[1] Op. cit. th. XIX. p. 285.

primo intuitu pariat ex duplici unius ac trini respectu, in promptu est fidei intellectum quaerenti, in ipsis naturae phoenomenis inspicere; non quidem ac si in eis imago perfecta huius duplicis respectus haberetur, sed quatenus saltem analogicas habitudines exhibent sive originis, sive dependentiae, a quibus mens facilius ad ipsum Trinitatis solem veluti roborata acie contuendum exsurgat. Ita iam symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum « lumen de lumine » appellat Verbum a Patre genitum, imaginem a lucis propagatione desumens. Quam imaginem inter alios Hilarius illustrat. « Quaero itaque nunc, ait iste S. Doctor, utrum divisio ac « separatio sit, cum ignis ex igne est. Aut numquid abscin- « ditur natura ne maneat, aut non sequitur natura ne insit, « cum accenso lumine ex lumine per quemdam quasi nati- « vitatis profectum naturae nulla defectio sit et tamen sit « lumen ex lumine? At numquid hoc non manet in eo, quod « ex sese sine defectione subsistit? Aut non hoc inest in eo, « unde non recisum est, sed cum unitate substantiae natu- « ralis exivit? Et quaero an non unum sint, cum lumen ex « lumine nec divisione separabile sit, nec genere naturae » [1]. Similes passim imagines reperies apud Patres tam Graecos quam Latinos. Tertullianus triplicem similitudinem in una sententia congerit: « Tertius a radice fructus ex frutice, et « tertius a fonte, rivus ex flumine; et tertius a sole, apex ex « radio » [2].

At dum analogias afferunt, simul contra eisdem proterve abutentes, easdem deficere ostendunt. Ita pulchre ait S. Cyrillus Alex.: « Pater Filium ex seipso coruscavit, sine ulla « parturitione, vel separatione: veluti sol splendorem ex se « emissum. Verum interest quod iste non per se consistit, « neque substantia ipse per sese perfectus est. Siquidem in « sole habet esse suum. At divinus ille foetus hoc unum de « exemplo trahit, quod e patre sine divisione, ac separatione « procedit, propriam habet extantiam neutiquam a Patre « seiunctam, sed in Patre et cum Patre intellectam et extan- « tem » [3]. Et S. Maximus Taurinensis: « Iterum quia lumen

[1] Op. cit., lib. VII.
[2] *Adv. Prax.*, c. 8.
[3] *Thesaur.* VI, - P. G. LXXV, col. 80.

« dicitur, ne forte eum velut radium solis aut splendorem « lucernae, alieno putares lucere fulgore, ait de ipso beatus « Ioannes Evangelista, cui arcanum Dei et videre, et reve- « lare concessum est, dicens. " Erat lumen verum ". Verum « lumen ait, ut scias illum non cuiuscumque, creaturalis, « deficientisque luminis esse fulgorem, sed a vera luce veri- « tatem esse, quod lumen est » [1].

Imo ipsa nomina *Filius* et *Verbum,* quid insinuant, nisi analogiam quam in creatis prolatio verbi, sive mentis interna locutio, atque generatio prolis cum divina processione Dei de Deo exhibent. Idem dic de aliis nominibus superius allatis [2].

b) Si iam istae analogiae ad creationis lumen admoventur, quatenus opus aliqualiter opificem repraesentare debet, distinguitur inter vestigium et imaginem: illud in quavis creatura, haec in sola creatura rationali reperitur [3]. Verbulum de utraque classe. α) Trinitatem aliquam ubiubi plus minusve inveniri, manifestum est. Omne enim est *unum, verum, bonum;* omne est in *numero, pondere, mensura* constitutum; omne ens habet *modum, speciem, ordinem,* scilicet quo constat, quo discernitur, quo permanet.

Hanc vestigii universalis legem S. Augustinus ita exponit: « Haec igitur omnia, quae arte divina facta sunt, et uni- « tatem quamdam in se ostendunt, et speciem, et ordinem. « Quidquid enim horum est, et unum aliquid est, sicut sunt « naturae corporum et ingenia animarum; et aliqua specie « formatur, sicut sunt figurae vel qualitates corporum, ac « doctrinae vel artes animarum; et ordinem aliquem petit aut « tenet, sicut sunt pondera vel collocationes corporum, atque « amores et delectationes animarum. Oportet igitur ut Crea- « torem, per ea quae facta sunt, intellectum conspicientes, « Trinitatem intelligamus, cuius in creatura, quomodo dignum « est, apparet vestigium. In illa enim Trinitate summa origo « est rerum omnium, et perfectissima pulchritudo, et beatis- « sima delectatio. Itaque illa tria, et ad se invicem determi-

[1] Hom. I. de Euseb. Vercell.

[2] Cf. dicenda inferius, ubi de singulis his nominibus erit agendum, necnon ubi de processione Spiritus Sancti a Patre simul et Filio.

[3] Cf. S. Thom. I, Q. XLV, a 7.

« nari videntur, et in se infinita sunt. » At deficientiam huius vestigii subito agnoscens, addit: « Sed hic in rebus corporeis, « non tantum est res una quantum tres simul, et plus ali- « quid sunt duae quam una res: caeterum in illa summa Tri- « nitate tantum est una quantum tres simul, nec plus aliquid « sunt duae quam una. Et in se infinita sunt. Ita et singula « sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omni- « bus, et omnia in omnibus, et unum omnia ». Et pio affectu concludit: « Qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum et « aenigmate, gaudeat cognoscens Deum, et sicut Deum ho- « noret, et gratias agat; qui autem non videt, tendat per « pietatem ad videndum, non per caecitatem ad calumnian- « dum. Quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas. Nec « confuse accipiendum est: " Ex quo omnia, per quem omnia, « in quo omnia ": nec diis multis, sed " ipsi gloria in saecula « saeculorum. Amen " » [1].

Et alibi: « Nulla natura est.... quae non in se habeat haec « tria, et per se gerat, primo ut sit, deinde ut haec vel illud « sit, tertio ut in eo, quod est, maneat, quantum potest. Pri- « mum illud causam ipsam naturae ostentat, ex qua sunt « omnia; alterum speciem, per quam fabricantur et quodam- « modo formantur omnia; tertium manentiam quandam, ut « ita dicam, in qua sunt omnia » [2].

Praeter analogias supra allatas, adde trinitatem quae in triplici fundamentali colore apparet, quam in fulgore iridis, in distinctione colorum unius lucis iam a S. Basilio [3] agnitam, Dante Aligherius magnifice de more celebravit.

Nella profonda e chiara sussistenza
Dell'alto lume, parvemi tre giri
Di tre colori e d'una continenza;
E l'un dall'altro come Iri da Iri,
Parea reflesso, e 'l terzo parea fuoco
Che quinci e quindi igualmente si spiri [4].

Adde tres dimensiones spatii cubatum corpus efformantes; tria temporis stadia, praeteritum, praesens, et futurum; tres

[1] *De Trin.*, l. VI, c. 10, num. ult. - P. L. t. XLII, col. 932. - Rom. XI, 36.
[2] *Ep.* 11, n. 3.
[3] Op. 38. ac 41, n. 5. l. — Cf. inter op. S. Gregorii Nyss. t. II p. 466.
[4] *Parad.* Cant. XXXIII, v. 115, sqq.

sonos principaliores concentum harmonicum constituentes; tres gradus ratiocinii.

β) At super haec vestigia eminet imago quam praecellens animo gerit creatura rationalis. Audiatur rursus S. Augustinus: « Est quaedam, ait, imago Trinitatis, ipsa mens, et « notitia eius, ac de se ipsa verbum eius et amor tertius, et « haec tria unum, atque una substantia; nec minor proles, « dum tantum se novit mens, quanta est; nec minor amor, « dum tantum se diligit, quantum novit et quantus est » [1]. Hanc eamdem imaginem multifariam evolvit S. Ambrosius.

Praeter virtutes per quas homo Deum in se reproducere tenetur, Mediolanensis Episcopus triplicem maxime invenit in homine imaginem SS. Trinitatis. 1) Anima totum corpus per omnipraesentiam operosam vivificat, movet et gubernat; 2) anima secundum modum suum est, vivit et sapit; 3) praesertim « est quoque et alia trinitas in ea, quae ad imaginem « sui conditoris perfectae quidem et summae Trinitatis, quae « ex Patre, et Filio et Spiritu Sancto condita est: et licet « unius illa naturae, tres tamen in se dignitates habet, id est « intellectum, voluntatem et memoriam ». Et aureum opusculum hac pia exhortatione claudit: « Quapropter, o dilec- « tissime, quisque diligentius attendat primae conditionis « suae excellentiam, et venerandam in seipso Sanctae Trini- « tatis imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divinae « ad quem creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, « dignitate meritorum habere contendat; ut quando appareat « qualis sit, tunc similis ei appareat [2], qui se mirabiliter ad « similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliusque « in secundo reformavit » [3].

A Patribus ad Scholae patronos haec doctrina pertransiit: S. Anselmum, S. Thomam, etc.; indeque ad recentiores theologos atque apologistas, inter quos citare iuvat Bossuetium [4], et Lacordaire [5].

« Habet igitur mens rationalis, ait *Monologii* auctor, cum

[1] *De Trin.*, l. IX, c. 12; XI, c. 11; l. XIV, c. 7. — Cf. *Civit. Dei*, l. XI, c. 26.
[2] I, IOANN., III, 2.
[3] *De dign. cond. hum.*, c. 2, 3. — *P. L.*, t. XVII, col. 1105, 1106, 1108.
[4] *Elévations sur les mystères*, II. serm., 4. élév.
[5] *Conférences de Notre-Dame.*

« se cogitando intelligit, secum imaginem suam ex se natam, « id est, cogitationem sui ad sui similitudinem, quasi sua « impressione formatam, quamvis ipsa se a sua imaginatione « nonnisi ratione sola separare possit, quia imago eius verbum « eius est.... Quis neget, summam sapientiam quum se dicendo « intelligit, gignere consubstantialem sibi similitudinem suam, « id est Verbum suum » [1].

Et Angelicus: « Cum increata Trinitas distinguatur secun- « dum processionem Verbi a dicente et Amoris ab utroque, « in quantum invenitur processio verbi secundum intellectum « et processio amoris secundum voluntatem, anima potest « dici imago Trinitatis increatae, per quandam repraesenta- « tionem speciei » [2]. De qua analogia, utpote fundamentali, S. Thomas per totam primam quaestionem huius tractatus agit; eamque pariter evolvit in Summa contra Gentes [3].

Obiicies. Si ex opificio, ope vestigiorum et imaginis, ipsa SS. Trinitas elucet, quomodo non poterit eadem per mundi contemplationem demonstrari? Atqui hoc superius est negatum. Ergo neque valor hisce rationibus analogicis est concedendus. - Resp. Aliud est ex opificio mundi a priori Deum unum et trinum demonstrare; aliud, Trinitatis revelatione posita, ac quasi praelucente, in creaturis vestigia et imaginem eiusdem reperire, non quasi, nec accepta fide demonstrativa, sed tanquam efficaciter suasiva atque illustrativa. Prius exclusimus; at hoc alterum cum catholica traditione vindicamus. Quin et inde derivatur altior illa doctrina de Exemplarismo divino, a A. P. Dubois nuperrime in vasto opere synthetico erudite illustrata [4].

3) *Porro suasibiles rationes* ad confirmandum, illustrandum, si minus demonstrandum legitime afferri posse, iam ex supradictis sequitur. Si enim humana natura, divinitatis imago, potentiali trinitate donatur, quo magis haec imago evolvitur, eo propinquius ad actum infinite vitalem, substantialiter foecundum divinitatis assurgitur. Aliqua ex hisce rationibus, ex bonitate, ex foecunditate, ex felicitate summi entis

[1] C. 33, cf. 39, 40, 41. — P. L. t. CLVIII, col. 188.
[2] I. Q. XCIII. a. 6.
[3] L. IV, c. 11 et c. 26.
[4] *De exemplarismo divino.*

deductas in ipsa expositione articuli primi investigabimus; ubi etiam easdem a vera demonstrativa virtute pro nostro mortali stadio, imo pro nostra finita mente deficere ostendemus.

At si nos latent rationes pro nobis cogentes, non ideo Deo non adsunt manifestae. E contra nihil Deo ipsa Trinitate evidentius. Quare praescindendo a vi demonstrativa, quam pro nobis habere nequeunt, non quia in se deficiunt, sed quia nos deficimus illis, possunt huiusmodi rationes, ubi manifestissime Scripturis innituntur, veluti cogentes adduci. Ita, v. gr., egit Cl. Klee, cuius argumentatio in se quidem est optima, licet eius stringens virtus nostro intellectui vix pateat [1]. Ita quoque, inter christianos poëtas comes de Stolberg [2]. Nec aliter antiqui Patres ac magistri Scholae.

[1] « Als absolutes Selbst, Leben, Geist, ist Gott dreipersönlich. Der unendlich « Persönliche ist nach dem dreifachen Momente des Seins, Erkennens und Wollens « dreifach personiert. Das absolute Selbst denkt auf die vollkommenste, somit sub- « stantiellste Weise sein Wesen, und ist so Vater, und die dem Vater wesensgleiche « Selbst-Erkenntnis oder Aussprache oder Wort ist der Sohn. Wäre das Wort nicht « substantial und dem Water consubstantial, so wäre es nicht das seinem Grunde « und Obiecte gleiche, nicht das vollkommenste. Erst durch das Denken Seiner ist « das absolute Selbst Vater, darum denkt es ihn nicht als Vater, sondern dadurch « dass es sich denkt, ist es Vater. Der höchst vollkommene, mithin substantiellste « Wechselwille des Vaters und des Sohnes, als des vollkommensten Gleichbildes « seines Wesens, ist der ebendeshalb beiden consubstantiale heilige Geist » (*Kath. Dogm.*, 1835, t. II, p. 109 sq.).

[2]

Von Ewigkeit war
Und wird sein, der da ist.
Von Ewigkeit schaute,
Wird schauen und schaut
Sein Wesen der Vater;
Seinem Schauen entströmte,
Wird entströmen, entströmt
Der ewige Sohn.
Von Ewigkeit scholl
Wird schallen und schallt
Des Vaters Gedanke: das Wort,
Der ewige Sohn.
Von Ewigkeit glühte
Wird glühen und glüht
Die Liebe des Vaters zum Sohne,
Die Liebe des Sohnes zum Vater;
Und beiden entstrahlte,
Wird entstrahlen, entstrahlt,
Der heilige Geist.

(*Geschichte der Religion Iesu*, I. Th. v. B.).

III. Ratio revelatione illustrata potest dogma SS. Trinitatis vindicare.

Haec ultima conclusio patet ex praemissis. Etenim quum vero non possit contradicere nisi falsum, falsum autem non possit sub revelatione contineri, nulla veritas naturali lumine cognita cum revelato dogmate pugnare potest. « Ex quo « evidenter colligitur, ait S. Thomas, quaecumque argumenta « contra fidei documenta ponantur, haec ex principiis naturae « inditis, per se notis, non recte procedere. Unde nec demon- « strandi vim habent, sed vel sunt rationes probabiles, vel « sophisticae; et sic ad ea solvenda locus relinquitur » [1].

Hic autem perpende discrimen: aliud est, ostendere possibilitatem veritatis, quae uti revelata accipitur et creditur; aliud, eiusdem non impossibilitatem vindicare. Prius aliquid amplius ponit quam hoc alterum. Quum enim, posito revelationis facto, ad adversarium spectet hoc ipsum factum cogentibus rationibus impetere, fidem tuenti sufficit ut ostendat, has rationes non esse cogentes, quin directe ipsam dogmatis quod colit, possibilitatem ostendere teneatur. Ita gladium gladio depellendo, iam antiquitus contra Celsum, Sabellianos, Arianos pugnarunt Origenes, Athanasius, Augustinus.

Quando igitur moderniores increduli, priorum sat debiles instauratores, Bayle, Strauss, Schleiermacher aliique, ex principiis sive logicis, sive methaphysicis catholicam Trinitatem impugnant, conatus eorum vanus ostenditur ac irritus, si ipsa necessaria consequentia his argumentis deesse probatur.

Egregie S. Thomas: « Si quid in dictis philosophorum « inveniatur contrarium fidei, hoc non est philosophiae, sed « magis philosophiae abusus ex defectu rationis. Et ideo pos- « sibile est ex principiis philosophiae huiusmodi errorem refel- « lere, vel ostendendo omnino esse impossibile, vel non esse « necessarium. Sicut enim ea quae fidei sunt, non possunt de- « monstrative probari, ita quaedam contraria his non possunt « demonstrative ostendi esse falsa, sed potest ostendi ea non « esse necessaria. Sic igitur in sacra doctrina philosophia « possumus tripliciter uti: primo ad demonstrandum ea, quae « sunt praeambula fidei; secundo ad notificandum per ali-

[1] *Ctr. Gent.* l. 1, c. 7.

« quas similitudines ea quae sunt fidei; tertio ad resistendum « his quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo ea esse « falsa, sive ostendendo non esse necessaria » [1].

Adde tertium, scilicet ea quae opponuntur, non opponi dogmati vero, sed quali ab ipsis impugnatoribus fingitur, utrum ob ignorantiam, an ob malitiam, Deus iudicet. Inter haec, tritam illam contradictionem ut tria sint unum et unum tria, iure Cardin. Franzelin vocat « foenum socinianum, « quod Rationalistae nostra aetate iterum ruminare pergunt » [2]. Idem dic de altero effato superius pariter soluto. Iuvat tamen quam ibi defendimus sententiam, et heic ex Leibnitio confirmare: « Omnium opinor partium theologi, ait, si discesseris « a solis fanaticis, saltem conveniunt, nullum fidei articulum « involvere posse contradictionem.... Unde sequitur, nimiam « esse facilitatem quorumdam scriptorum concedentium, sanc- « tam Trinitatem repugnare grandi isti principio, quod affert, « quae sunt eadem uni tertio, eadem etiam esse inter se, « h. e., si A = B et C = B, necesse esse ut A et C sint quo- « que eadem inter se. Hoc namque principium immediate « consequitur ex principio contradictionis, estque totius logicae « basis ac fundamentum; id si cessat, ratiocinandi cum cer- « titudine via nulla superest. Itaque cum dicitur quod Pater « sit Deus, quod Filius sit Deus, et quod Spiritus Sanctus sit « Deus, et quod tamen unus tantum sit Deus, quamvis hae « tres personae inter se diversae sint, iudicandum est, hanc « vocem *Deus* non eamdem utrobique et in initio et in fine « significationem obtinere, et certe iam substantiam divinam, « iam unam Deitatis personam significat » [3].

Videant proin ipsi Rationalistae, qui seipsos Luciferos superbe dictitant, ne ignoratione vel perversione elenchi, dum malitiae velamine veritatem obtegere nituntur, lucis potius obnubilatores evadant quam vindices.

Et haec de hoc argumento satis sint. Reliqua complebuntur in expositione art. I. ipsius Quaestionis XXXII, ad quam illustrandam iam accedimus.

[1] *In Boët. Trin.*, Prooem. Q. II, a. 3. — Cf. I. Q. I, a. 8.

[2] Op. cit. th. XX, n. II, 2.

[3] *Diss. de Conform. fidei cum ratione* n. 22, t. I, p. 81; *Remarques sur le livre d'un antitrinitaire anglais*, ibid. p. 24, 25.

Ordo Quaestionis. Duplici parte haec Quaestio constat. In priori S. Thomas quaerit, *an* rationis lumine SS. Trinitatis personae innotescere possint (art. 1). In altera quaerit, *quomodo* innotescant. Ubi rursus sciscitatur *a*) de ipsa doctrina: α) de notione in se (art. 2); β) de numero notionum (art. 4); *b*) - de certitudine huius doctrinae (art. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM TRINITAS DIVINARUM PERSONARUM POSSIT PER NATURALEM RATIONEM COGNOSCI.

I. **De ipsa Quaestione.** - Praeter exposita superius, quaedam de vera notione mysteriorum praemittenda sunt. *a*) *Lato sensu* omnia quae ad fidem pertinent, mysterium continent, quatenus, uti sub velamine, non apparent; licet formaliter pro nunnullis fidei veritatibus, hoc velamen non in re obiectiva, sed in revelatione ipsa consistat.

b) *Strictiori sensu* mysteria sunt ea quae absque revelatione ratio cognoscere non poterat, quatenus ad existentiam eorum certo demonstrandam nequibat pervenire; quae tamen modo revelata sint, possunt certa via intelligi. Talis est, v. gr., doctrina de angelis.

c) *Strictissimo sensu* mysteria sunt ea, quae neque revelata quoad rem, possunt quoad modum intelligi; vel, uti aiunt theologi, superant vires rationis quoad ideam quidditatis vel notitiam apprehensionis, (quod est commune cum *b*), et insuper quoad iudicium veritatis et cognitionem consensionis, in quo propriissima mysterii ratio est.

Tale est imprimis mysterium SS. Trinitatis.

2) Quod si quaeratur, quomodo ad tale mysterium se habeant ratio et scientia, multipliciter respondetur.

a) *Ratio* debet esse disposita ad omne revelatum a Deo recipiendum. - Sed hoc non sufficit. Ut enim possit, saltem confuso modo et subobscure, scire, praeter factum revelationis, quid reveletur et quid admittat, debet aliqualem habere intelligentiam illius veritatis quae revelatur. Insuper, si ex tali qualicumque intelligentia difficultas exsurgat, quatenus illud quod revelatur, naturalibus veritatibus repugnare

videtur; ratio tenetur, omne superbum iudicium cohibere et adhaerere vero revelato non evidenter repugnanti; quod sufficiens praebet ipsi fundamentum, ut fidem rationi superaedificet.

b) *Scientia* vero se habet aliter theologica, alia naturalis.

α') *Scientia theologica.* 1) Ex fontibus revelatis desumit omnia quae de mysterio revelantur; 2) Componit ea tum inter se, tum cum aliis veritatibus; 3) ulterius inquirit sobrie de modo rei; 4) cum adversariis, qui canonem auctoritatis habent, arguit ex fonte communi; 5) cum illis qui non admittunt Scripturas, non probat quidem veritàtem mysterii, neque directe ostendit positivam possibilitatem; sed solvit obiectiones, ostendendo nullam dari repugnantiam evidentem; et quaerit tum in naturalibus veritatibus et scientiis, tum simul apud philosophos suasiones congruentes, probabiles, atque auctoritates.

β') *Scientia profana* nedum possit ex suo proprio fundo dogma fidei oppugnandum aggredi, e contra illud recipere tenetur tanquam superius lumen, inferiores partes campi scientifici collustrans; unde si in suis propriis affirmationibus, licet quam universalissime receptis, aliquid repererit quod certo repugnet cuidam parti mysterii certo revelati, suum errorem corrigere imperfectumque conceptum secundum analogiam fidei complere tenetur.

Quod si tamen aliqua deductio theologica non immediate ex revelatione desumpta per scientiam probetur erronea, fieri potest ut scientifica probatio in aliquo corrigat systema theologicum; at quo propius assertio theologica fundamento dogmatis innititur, eo maior in argumentis ex scientia obiectis requiritur certitudo ac vis, ut disciplinam theologicam moderari valeant.

II. **Ad Textum.** – S. Thomas arguit *a*) ex facto apud ethnicos etiam constante (obi. 1); *b*) ex ipsis rationibus afferri solitis, adducta auctoritate theologica (obi. 2); *c*) ex absurdo quod oppositum secum ferret (obi. 3).

Post exposita in dissertatione praevia, nonnisi pauca notanda supersunt.

1. Obi. Ex allatis verbis *Glossae* vides, quantopere insi-

stendum sit sensui mystico et typico, etiam numerorum quae in Scripturis continentur [1]. Est enim permagna *Glossae* auctoritas.

2. Obi. De mente Richardi in fine articuli.

Obi. 3. Quaeri potest de sensu verborum: « *videtur superfluum* ». Sint haec pauca. Quidquid revelet Deus, certum est, *factum* revelationis captivans intellectum non esse superfluum. Sed *res ipsa revelata,* ut non sit superflua *in se,* oportet ut saltem aliqualiter, licet in confuso, nobis innotescat. Ut non sit superflua *relate ab alia*, oportet ut nexum aliqualem cum aliis habeat. De quo non semper a priori iudicare valemus; sed accepta revelatione, inquirere tenemur de nexu quem habent revelata cum aliis veritatibus sive revelatis sive mere naturalibus; gaudere insuper, quotiescumque nobis aliquam veritatem naturalem per lumen revelatum illustrare contigit: nam haec relatio cum revelatis totam naturam ad supernaturalem dignitatem veluti initialiter provehit.

Sed contra est. Cf. auctoritates permultas superius ex Scripturis, Conciliis ac Doctoribus allatas. Ne autem impotentia rationis ipsi obiecto utpote cum ratione pugnanti tribuatur, iuvat textibus ac argumentis ibidem adductis sequentem adiungere Gregorii Nysseni sententiam, quam Cardinalis Satolli iure vocat gravissimam [2]: « Ac ne aliquis obstrepat, « quod illud etiam, quod a nobis pro confesso habetur, ratio- « nibus et argumentis roboretur; sciat is, sufficere nobis ad « nostri dogmatis probationem, quod venientem ad nos a « maioribus traditionem habemus, velut haereditatem quan- « dam, per successionem ab Apostolis, continuata per sequen- « tes saeculos serie transmissam [3]. At illi qui ad novitatem

[1] Numerorum quae in Scripturis occurrunt, mystica interpretatio duplici innititur fundamento, alteri naturali, alteri supernaturali: naturali, quia supponit ac tenet, in numeris ab ipsa rei natura aliquam contineri proportionem seu relationem, quae altius quiddam sub velamine significat; supernaturali, quia pie tenet, nihil in Scripturis esse leviter tractandum, ac proin numerum determinatum vix in narratione vel parabola occurrere, quin aliquid per eum insinuetur. Caute quidem procedat exegeta, ne numeri interpretationem suggerat mere subiectivam, arbitrariam, longius petitam. At omnem numeris in Scriptura symbolismum denegare, mentis esset sane levissimae.

[2] Op. cit. p. 166 sq.

[3] Hoc est ipsum argumentum ex ininterrupta traditione ad quod tam libenter quoque S. Irenaeus appellat.

« istam fidei dogmata convertunt, multis opus haberent ratio-
« num praesidiis, si vellent, non pulveris instar leves et agi-
« tabiles, sed graves et animo constantes homines ad suam
« sententiam adducere. Quamdiu vero rudis nec ratione ulla
« perpolita, aut argumento prolata, prodibit eorum opinio;
« ecquis ita fatuus ac pecudi similis erit, ut Evangelistarum,
« et Apostolorum et ceterorum, qui in Ecclesiis postea flo-
« ruerunt, imbecilliorem putet esse doctrinam, quam nuga-
« cem istam loquacitatem omnis funditus demonstrationis
« expertem? » [1].

In Corpore. Adverte: aliud est dicere, nullam creaturam nobis directe apparere ut effectum Dei trini; aliud, eam non exhibere in se vestigium Trinitatis; quia licet tota SS. Trinitas operetur ad extra, tamen, qui operatur est Deus trinus, communicans effectibus iuxta gradus a se intentos aliquam similitudinem suorum attributorum atque perfectionum, imo suae subsistentiae.

Scilicet veritas catholica stat in medio. Non considerat Trinitatem ad modum accidentalis perfectionis, dominii, ut ita dicam, mere interioris, a qua Deus uti creator abstrahit; neque tamen formaliter Deum uti trinum mundi opificium condidisse tenet. At affirmat, non solum Creatorem mundi esse Deum, qui, nisi trinus, esse nequit; sed et geminam ad intra processionem esse veluti praeambulum ipsius creationis aeternum, quatenus Pater omnia creat per Verbum in Spiritu. Ita psalmista: « Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris « eius omnis virtus eorum » [2]. Ita Ioannes: « Omnia per ipsum « (Verbum) facta sunt, et sine ipso factum est nihil » [3]. Ita Augustinus: « Opera ad extra sunt indivisa: servato tamen « ordine et discrimine personarum. Quia enim Pater a seipso « essentiam habet, ideo etiam a se agit. Filius a Patre, Spi- « ritus Sanctus ab utroque agit et operatur ».

Resp. ad 1m. Confirmatur ex Averroë, philosophos antiquos non vidisse SS. Trinitatem. Arguit enim philosophus ille contra catholicos ac si perperam antiquorum intellectam doctrinam in dogma SS. Trinitatis convertissent. De ratione

[1] *Contr. Ennom.*, l. IV. — *P. G.* t. XLV, col. 654.
[2] XXXIII, 6.
[3] I, 3.

autem ob quam aliqui ex Patribus platonica libentius ad veritatem revelatam trahant, in fine huius Quaestionis verbulum adiungemus.

Resp. ad 2m. De insufficientia triplicis argumenti heic allati pauca sint. 1) Si intimius consideremus *verbum nobis internum,* tria praecipua animadvertenda occurrunt: *a*) istud verbum est actus facultatis in potentia; *b*) distinctus a facultate nostra; *c*) ita tamen ut in illa subsistat. Actualitatem videmus in Deo ponendam esse ab aeterno, unde iam tenemus in divino Verbo unum elementum. Distinctionem autem et unionem, - distinctionem quoad relationem et modum procedendi, et unionem quoad dignitatem substantialem, - ratio sibi relicta non potuisset simul conservare et componere. Quare, videns in Deo repugnare accidens, aliquid scilicet quod non est substantiale, necnon repugnare aliquam substantiam distinctam ab unica essentia, ratio conclusisset, Verbum Dei internum, sicut debet esse aeternum, ita esse debere substantiae eiusdem cum proferente illud.

Unde ratio prona esset in concludendum: quum Dicentis ac Verbi eadem sit omnino substantia, non dari inter utrumque distinctionem realem subsistentialem, sed tantum rationis, secundum operationis terminum.

Apparet igitur quomodo mysterium ipsum consistens in unione utriusque, nempe unitatis essentialis et trinitatis personalis, ratio neque ex analysi nostri modi cognoscendi invenire potuisset.

Negari tamen nequit adhuc ulterius hanc comparationem protrahi posse. Nam quando animam concipis seipsam per intellectus operationem cognoscentem, ex una parte habes substantiam animae, ex alia parte eamdem aliquomodo per facultatem circa seipsam operantem; quare terminus intellectionis non videtur esse solum accidens, sed et ipsa facultas cum accidente. Sed rursus hoc nihil solvit. Imo ex hoc modo considerandi exsurgit aliqua nova ratio disparitatis. Nam, praeterquam quod nostra operatio supponit distincta, substantiam dico et facultatem, dum in Deo processio ponit distinctos, Patrem nempe et Filium; nulla relatio realis oritur inter essentiam et facultatem ex hoc quod facultas intelligit; licet in facultate intellectio sit relatio realis ad essentiam intellectam.

2) Argumentum *ex bonitate communicativa* hoc magno vitio laborat, quod supponit iam in plenitudine intimae vitae absolutum illum qui propter infinitam bonitatem qua in hac plenitudine gaudet, dicitur velle se communicare. Quod unice valet de communicatione ad extra. Nam communicatio interna absolvit potius quam absolutam supponat bonitatem divinam [1]. Unde in hac ratione, si urgeretur, periculum foret ne creatio praedicaretur necessaria.

3) Alterum argumentum *ex solitudine* petitum rursus peccat per hoc quod incipere videtur a Deo iam plenitudine τοῦ esse absoluti ac relativi perfecto, quum ipsa potius SS. Trinitas sit plenitudo τοῦ esse divini sub respectu relativi. - Rursus in hoc argumento ne verbum quidem habetur de modo quo personae obtinentur. Nam ex hoc solo quod aliquis vult non esse solus, non sibi facit circumstantes vel consortes amicos. - Tandem perperam ab imperfectione solitudinis in creaturis ad solitudinem Dei concluditur. Nam si Deus infinitus est, in seipso omne illud invenit unde beatus sit. Quare haec argumentatio, uti praecedens, ansam praebet obiectioni, ac si Deus indigeret creaturis. Nam quidquid de consortio divinarum personarum dicatur, plenitudo beatitudinis petenda est potius ab infinita perfectione essentiae, quam ab exclusa per personarum consortium solitudine; licet et hoc consortium infinitae beatitudinis sit fons, cuius tamen ubertas ab infinita essentia scaturit.

Ex principiis heic a S. Thoma expositis habes, quanta sit systematum theologicorum ad exponenda dogmata auctoritas. Ut aliquod systema possit haberi tanquam certum, oportet non solum ut cuncta revelata harmonice inter se componat, quin contradicat naturali veritati certo demonstratae; sed insuper ut nullum aliud systema detur, quod tam bene exigentiis revelationis faciat satis. - Quod si varia sint, et ex una parte aeque cum revelatione componantur, illud est praeferendum, quod ex naturalibus rationibus magis suadetur; si ex altera parte cum naturalibus principiis aeque concordent, illud praeferendum, quod tutius dogmata servat:

[1] Cautissime tamen de his loquendum, ne SS. Trinitas concipiatur tanquam interna evolutio Dei a nondum perfecto in perfectum, qui conceptus abiret in excessum oppositum.

tandem si alterum melius componat revelata, alterum melius salvet naturalia, caeteris paribus eligendum est prius.

Resp. ad 3m. En schemate doctrinam huius responsionis expressam.

Revelatio SS. Trinitatis necessaria est ad recte sentiendum	1) de *creatione* rerum:	*a*) doctrina generationis *Verbi* excludit:	α) pantheismum,	« Fiat lux ».
			β) gnosticismum;	
		b) doctrina processionis *Sp. S.* excludit:	α) materialismum.	« Vidit, quod esset bona ».
			β) naturalismum;	
	2) principalius de *salute* humani generis:	*a*) Verbum incarnatum;		
		b) Spiritus Sanctus, donum sanctificans.		

S. Bonaventura doctrinam quam S. Thomas in hoc articulo exponit, ita breviter comprehendit. « Pluralitas personarum « cum unitate essentiae est proprium divinae naturae solius, « cuius simile nec reperitur in creatura, nec potest reperiri, « nec rationabiliter cogitari: ideo nullo modo Trinitas per- « sonarum est cognoscibilis per creaturam, rationabiliter « ascendendo a creatura in Deum. Sed licet non habeat « omnino simile, habet tamen aliquo modo quod creditur « simile in creatura. Unde dico quod Philosophi nunquam « cognoverunt per rationem personarum Trinitatem, nec plu- « ralitatem, nisi haberent aliquem habitum fidei, sicut habent « aliqui haeretici. Unde qui dicunt hanc Trinitatem, aut « locuti sunt non intelligentes, aut fidei radio illustrati. Est « alia Trinitas appropriatorum, scilicet veritas, unitas, et « bonitas; et haec cognoverunt, quia habent simile » [1]. Et in parte II. eiusdem Distinctionis S. Doctor imaginis rationem quam relate ad Deum unum et trinum anima humana in se gerit, fuse ac eloquenter evolvit.

[1] I. Sent. Dist. III, part. I, a. 1. q. 4.

Appendix I. — De Doctrina aliquorum Scriptorum qui nimis in hac re rationi tribuere videntur.

Superest ut, ex promissis, quaeramus de nonnullis auctoribus, quibus quoad praesens argumentum tribui solet aliqualis excessus: scilicet de Claudiano Mamerto, de S. Anselmo, de Richardo ac Hugone Victorino, de Scoto, de Henrico Gandavensi.

1) *Claudianus Mamertus,* presbyter Viennensis, auctor hymni « Pange lingua gloriosi praelium certaminis », vir ingenii acumine simul ac facundia apud coaevos ac posteros iure celeberrimus, scripsit *de Statu Animae* libros tres, in quibus mysterium Trinitatis per rationem demonstrabile celebrasse traditur. Quam calumniam Cl. auctor *Studii Solesmensis* conatur depellere, asserens, se in pervoluto Mamerti opere integro nihil huiusmodi, neque censura dignum reperisse [1]. Quid ergo? Veritas in medio nobis stare videtur. Nullibi scilicet Claudianus directe intendit Trinitatem rationali via stricte demonstrare. At de Platone loquens, huius philosophi scripta de trino Deo talibus extollit laudibus, ut, si quis verborum tenorem urgere voluerit, implicite haec demonstrabilitas in his contineri non immerito dixerit. Ultimam sententiam huius loci superius allati, ubi de Platonicis agebamus, heic sufficiat retulisse: « Non solum ita credi oportere docuit « (Plato), sed ita esse convicit » [2]. Atqui si Plato ante acceptum revelationis lumen Trinitatem rationali discursu « quae- « sivit, invenit, prodidit »; quanto magis mens revelatione illuminata hoc mysterium poterit demonstrativa via illustrare? Certe hoc Mamerti dictum non solum, quod supra ostendimus, historicam veritatem offendit; sed ipsa modi carentia gravissimae calumniae ansam praebet.

Utique in cap. XXVI. libr. I. extollit magnopere imaginem Trinitatis quam homo in se gerit, sed nonne idem prius fecerat Augustinus, fecerant Ambrosius, aliique? « Ad istam « qua unus Deus est summus, tu homo factus es, ad Trini- « tatem, cum dictum, est: " Faciamus hominem ad imaginem

[1] Op. cit. p. 131.
[2] Lib. II, c. 7, n. 3.

« et similitudinem nostram " [1]. Introspice te de te ipsa, o « humana anima, et te ad me nitere. Vide mentem tuam, « vide verbum tuum, vide voluntatem tuam » [2]. Lege hoc integrum caput, iure inter pulcherrima adnumerandum quae a quovis sunt unquam de hoc argumento conscripta.

Rursus, l. II. c. 6, vestigium Trinitatis invenit in mensura, pondere et numero, quo constant universa: « Permanat ergo « a summo quod Deus est, per medium quod anima, ad imum « quod est corpus, unitae specimen Trinitatis, corporibus « signa sua imprimens, animabus etiam notitiam tribuens: « illa formans visibiliter, has intelligibiliter. Cum ergo nihil « substantia nisi absentia capiat, et nihil nisi tribus, sicut « supra disseruimus, unum fiat, quando tanta est unitas in « corpore, hoc est in vestigio Trinitatis, quanta est in anima, « hoc est in imagine Trinitatis; et item cum tanta sit in ima- « gine, quanta est in ipsa Trinitate ». Quae non modo a recto tramite non recedunt, sed et eloquenter ope gradationis a vestigio ad similitudinem, a similitudine ad ipsum exemplar assurgunt.

2) *Sanctus Anselmus* audaciora Augustini et Mamerti Claudiani non solum reassumpsit, sed quasi rationali disquisitione de Trinitate superare conatus est. Et certe praefationem *Monologii* ita exorditur: « Quidam fratres saepe me « studioseque precati sunt, ut quaedam quae illis de medi- « tanda divinitatis essentia et quibusdam aliis huic medita- « tioni cohaerentibus, usitato sermone colloquendo protule- « ram, sub quodam eis meditationis exemplo describerem. « Cuius scilicet scribendae meditationis magis secundum suam « voluntatem quam secundum rei facilitatem aut meam pos- « sibilitatem, hanc mihi formam praestatuerunt: quatenus « auctoritate Scripturae penitus nihil in ea persuaderetur, « sed quidquid per singulas investigationes finis assereret, « id ita esse, plano stylo et vulgaribus argumentis, simpli- « cique disputatione et rationis necessitas breviter cogeret, « et veritatis claritas patenter ostenderet ». Quae verba certe in rigore terminorum sumpta demostrabilitatem SS. Trini-

[1] Gen. I, 26.

[2] Est ipsissima trilogia quam S. Ambrosius evolvit in cap. II libelli *De dignitate conditionis humanae*. — P. L. XVII. col. 1107.

tatis supponunt. Ast qui hoc exordium scripsit, idem est qui in prologo *Proslogii* et prooemio *De Fide Trinitatis* humanae mentis imbecillitatem fideique necessitatem ad intellectionem rerum fidei ploclamavit [1]. Insuper in his verbis Anselmus potius exhibet, quid fratres a se exigant, quam non ipse quid se praestare posse confidat.

Scilicet ex quatacumque rationis virtute Anselmus in *Monologio* ad demonstrandum SS. Trinitatis mysterium arguere videatur, diserte exprimit, se supponere fidem; unde, si quid nimii in aliquibus locis rationi tribuit, quod omnino non negabimus, id certe non valet de ratione sibi relicta, sed habitu fidei pie adiuta; quare trahi debet ad normam demonstrationum secundi ordinis de quibus S. Thomas in hoc articulo, in resp. ad 2. loquitur.

Caeterum adverte sensus varios qui formulae « *fides quaerens intellectum* » subesse possunt. Vera est sententia hoc triplici sensu: *a*) Fidei pius assensus multum iuvat et quasi praeambulum requiritur ad rectam credendorum intelligentiam, iuxta illud Scripturae: « nisi credideritis non intelligetis ». Cuius veritatis testes appellem quotquot ab haeresi ad confessionem catholicam conversi, nonnisi errore abiurato, aufugisse senserunt nebularum reliquias, quibus eorum mens, etsi iam in veritatem prona, quasi circumvelata impediebatur ac discipulorum more in Emaus pergentium, adhuc tenebatur. *b*) Fides ope scientifici discursus pleniorem dogmatum intelligentiam quaerit, in quantum id sinit praesens caliginosae vitae stadium. Quae rursus sententia, nisi esset verissima, frustra Doctores Ecclesiae, frustra theologi sacro studio a tot saeculis insudassent ac iugiter insudarent. *c*) Fides peregrinatur in hac terra quaerens ad patriae plenum intellectum pervenire. Quae pariter assertio optima est ac pia. Ex his autem tribus sensibus secundus menti S. Anselmi magis respondet, ac veluti tessera a discipulis eius iure celebratur.

Falsa autem foret sententia, si per eam quis affirmare vellet, vel *a*) ante fidem, nullam prorsus credendorum intelligentiam haberi posse, - qui esset defectus in termino a quo; vel *b*) fidei lumen tantopere mentem illustrare, ut admoto

[1] Confer dicenda de doctrina S. Anselmi in appendice ad art. 1. Q. XXXIV.

fidei speculo perfectam dogmatum intelligentiam ratio acquirere possit, – qui excessus esset in termino ad quem.

3) *Richardus Victorinus* eodem prorsus modo quo S. Anselmus est ad normam traditionis catholicae trahendus. Verba eius ita sonant: « Erit itaque intentionis nostrae in « hoc opere, ad ea quae credimus non modo probabiles, « verum etiam necessarias rationes adducere, et fidei nostrae « documenta, veritatis enodatione et explanatione condire. « Credo namque sine dubio, quoniam ad quorumlibet et expla- « nationem quae necesse est esse, non modo probabilia, imo « etiam necessaria argumenta non deesse, quamvis illa inte- « rim contigat nostram industriam latere » [1].

Quousque ipse credat, SS. Trinitatem per rationem demonstrari posse, alibi declarat: « Supra rationem sunt, quae per « revelationem discimus, vel sola auctoritate probamus.... « Deum in una substantia personaliter trinum, et in tribus « personis substantialiter unum nec ullus sensus corporeus « docet, *nec aliqua humana ratio plane persuadet;* sed hoc « utique alii per revelationem discunt, alii autem sola aucto- « ritate convincunt, et credunt.... Et omnino in eorum inve- « stigatione, discussione, assertione, nihil facit ratio humana, « nisi fuerit fidei admixtione subnixa » [2].

Richardi ergo sententia ad sequentia redigitur: *a*) SS. Trinitatis mysterium, utpote sensum et humanam rationem excedens, non potest plane persuaderi. *b*) Potest nihilominus, accepto revelationis lumine, efficaciter illustrari, et quasi convinci. *c*) In se autem, quum spectet ad ens necessarium, potest rationibus vere necessariis demonstrari, licet humanae rationi in hoc stadio imperviis. Quae sane doctrina non solum vera sed et pulcherrima dicenda est.

4) Nec differt doctrina alterius *Victorini Hugonis,* licet forte urgeat verba, quasi eadem certitudine ratio demonstrare possit Deum esse trinum, qua eum unum esse probat.

« Nunc diximus quomodo ratio vera probat quod Deus « unus est, et quae ad unitatem deitatis spectant vera esse « considerat. Deinde etiam arguit et commendat quod non

[1] L. I, *De Trin.*, c. 4.
[2] *De Contempl.*, l. IV, c. 2, 3.

« solum unus, sed et trinus Deus est » [1]. Quomodo? non directe, nec a priori; sed indirecte, a posteriori; per analysim scilicet imaginis et vestigiorum quae Deus, etiam ut trinus, in opere suo reliquit. Duplicem scilicet gradum Hugo in Dei operibus distinguit: « Sunt in his simulacra quaedam, « quasi de longe significantia, et habentia similitudinem pro « parte. Quaedam vero expressa imagine, et perfecta aemula- « tione consignata, claram demonstrationem efficiunt » [2]. Similitudinem hanc egregie exponit: « Vidit enim (rationalis crea- « tura) quod ex ipsa nascitur sapientia quae est in ipsa; et « diligit ipsa sapientiam suam, et procedit amor ex ipsa; et « sapientia sua quo amat eam genitam de se, et in se ma- « nentem non dividit a se. Et apparent tria quidem in uno: « mens, sapientia et amor: et est mens et sapientia de mente; « et de mente et sapientia amor; et surgit trinitas quaedam, « et unitas non recedit, et sunt simul trinitas et unitas se- « cundum potestatem ac imaginis virtutem; etc. » [3]. Hoc autem non habere vim absolute probativam, sed suasivam, postea addit. « Ecce demonstravimus vestigium aliquod Trinitatis « summae, quantum valet ratio humana de modico quod « suum est, et datum est illi et est in illa, et modicum est « ad perfectum totum » [4]. Vestigium autem a nullo opere divino abest, quia « ad omnem effectum concurrunt tria haec, « quorum si quid defuerit, nihil absolvitur; et si adsint, « pariter omnia consummantur. Haec sunt potentia, scientia et voluntas » [5].

5) *Scotus* a S. Thoma in hoc discrepare videtur, quod plus tribuit efficaciae vestigiis SS. Trinitatis ad eamdem rationali via demonstrandam [6]; unde de eo ait Toletus [7]: « Scotus putat, posse ostendi naturali ratione Trinitatem; « tamen profecto (haec sententia) est falsissima, et apud me « non bene sonat ». Caeterum cave, ne nimis urgeas argumentum exinde deductum quod creatio est operatio tribus

[1] *De Sacram.* l. I, p. III, c. 19. — *P. L.* t. CLXXVI, col. 224.
[2] Ibid. c. 21. — col. 225.
[3] Ibid.
[4] Ibid. c. 28; — col. 230.
[5] Ibid.
[6] I. Sent., dist. III, Q. V.
[7] Super artic. praesent. — Haec parumper durius dicta videntur.

personis communis; ac si in mundi opificio Deus, a Trinitate veluti abstrahens, ad modum unius personae in agendo se haberet. Melius placet criterium ab Augustino superius (in *Corpore*) allatum.

6) *Henricus Gandavensis,* Doctor Solemnis, unus e principibus Scholae, peculiarem hac in re sententiam protulit. Putavit enim ille, theologis optimis lumen quoddam speciale caelitus infundi, quo adiuti, non solum facilius dogmatum nexum ac ambitum percipiant, sed et penitus penetrent, rationibusque cogentibus credenda explanent, quippe sibi veluti per quemdam intuitum plane manifestatum.

Utinam sane ita foret! Quot controversiae evanescerent; quantus scholarum zelus, osculo pacis vicissim accepto, in communes fidei hostes converti posset!

APPENDIX II.

De doctrina Cl. Schell.

Theologis qui in analysi conceptus SS. Trinitatis non solum nimias partes rationi tribuerunt, sed ob philosophicum praeiudicium in minus rectam huius dogmatis expositionem declinarunt, adnumerandus superest Cl. Dr. Schell. SS. Trinitatis mysterium, si ipsi credas, non est nisi expressio simul et confirmatio definitionis Dei « *entis causae sui* ». Quomodo *causa?* quomodo *sui?* per SS. Trinitatem. In tractatu nostro *De Deo Uno* [1] fuse egimus de philosophico fundamento; iam de eius corroboratione et explanatione ope mysterii SS. Trinitatis. Eamdem servabimus in iudicio libertatem, at in verbis clarissimo viro sane debitam benevolentiam et modum.

« Trinitarii actus et processiones, ait Dr. Schell, sunt auto-« causalitas (die Selbstbegründung) unius Dei in essentia et « existentia, in cognitione et voluntate. Trinitas et aseitas « simul uti unum sunt ponenda; Trinitas-Unitas (die Dreiei-« nigkeit) forma est τοῦ absoluti esse ex seipso et per seip-« sum (Aus-und Durch-sich-selber-seins); Trinitas est a reve-« latione explicata aseitas Dei viventis » [2].

[1] T. I.

[2] « Die trinitarischen Acte und Hervorgänge sind die Selbstbegründung des

Non ideo tamen Dr. Schell putat, SS. Trinitatem per solam rationem sibi relictam demonstrari posse: « Etiam concesso « principio, quod spiritus vi sui conceptus necessario sit « cognitio et voluntas, nullo modo philosophice demonstrari « potest cognitionem et voluntatem vi sui conceptus neces- « sario per internas productiones perfici debere, atque etiam « absolutum actum cognoscendi et volendi, etsi simplicem, « per oppositionem internarum productionum compleri. Imo « ex considerata simplicitate et activitate entis absoluti, ratio « sibi relicta adduceretur ad negandam in Deo productio- « nem internam, quum in Deum multiplicationem et oppo- « sitionem activitatis et passivitatis inducere videatur » [1].

At hic loquitur de relatione Trinitatis ad duplicem spiritus facultatem; alibi tantopere identificat definitionem Dei uti « causae sui » cum ipsa interna vita Trinitatis, ut maxime intimus appareat inter utramque nexus, ac proin per demonstratum « Gottesbegriff », iam ipsa « Trinitätslehre » demonstretur.

Quam SS. Trinitatis doctrinam, sane suam, Cl. auctor non ultimam valore candide celebrat: « Vix unquam, ait, theo- « logus perfectionem aequalem, activamque subsistentiam « (Selbständigkeit) dictae processionis passivae in Deo tam « fortiter vindicavit, et tam funditus demonstravit, quam in « doctrina Trinitatis theologiae meae dogmaticae actum est, « ad mysterium scientifica via illustrandum » [2].

Absit ut acutum denegemus ingenium, facundiamve grandiloquam quibus Cl. Lector permultis in locis huius exposi-

« einen Gottes in Wesen und Dasein, Erkenntnis und Willen. Trinität und Aseität « sind in eins zu setzen; die Dreieinigkeit ist die Form des absoluten Aus-und « Durch-sich-selber-seins; die Trinität ist die von der Offenbarung erklärte Aseität « des lebendigen Gottes ». *Dogm. kath.*, II, p. 21.

[1] « Allein auch unter Voraussetzung des Grundsatzes, dass der Geist seinem « Begriffe zufolge Erkenntnis und Wille sei, lässt sich doch keineswegs philo- « sophisch beweisen, dass die Erkenntnis und der Wille begriffsnotwendig durch « innere Productionen vollzogen werden müssen und dass auch die absolute Erkennt- « nis-und Willensthat unbeschadet ihrer Einfachheit sich durch den Gegensatz von « inneren Productionen vollziehe. Die Rücksicht auf die Einfachheit und Activität « des absoluten Wesen würde die sich selbst überlassene Vernunft dazu verleiten, « jede innere Production in Gott zu verneinen, da sie Vervielfältigung und den « Gegensatz von Aktivität und Passivität in Gott hineinzutragen scheint ». Ibid., p. 24.

[2] *Gott. und Geist*, I, p. 148.

tionis alta catholici mysterii scrutatur. Cuius quippe mens optima, fides robusta, ardens pietas. At de ipsa veritate, non de veritatis amore heic sumus solliciti. Unde quum, ipso fatente, Deus « causa sui » fundamentalis sit conceptus totam SS. Trinitatem continens, quid mirum si tota eius doctrina ab hoc falso principio veluti infecta deficiat? Praecipua saltem ex his vitiis heic tangere iuvat; vitia, dico, non quidem aperte ab ipso auctore intenta; at, velit nolit, in principiis eius logice contenta.

Medulla systematis schelliani, seu conceptus « Dei causae « sui », in SS. Trinitate ad hoc reducitur. Licet non possit in Deo concipi actus qui non sit seipsum causans, neque esse praecedens actum, non ideo in Deo se causante repugnat distinctio inter essentiam et existentiam, inter ordinem idealem et ordinem realem. Inde duplicem habes processionis viam respondentem divino intellectui et voluntati, quae tamen duplex via nequit ab invicem separari, sicuti nequit altera facultas ab altera seiungi. Magis autem logice intellectus praecedit voluntatem, quam voluntas intellectum, quia idealis necessitas sive logica veritas est internum fundamentum realis subsistentiae atque ethicae libertatis. « Sub respectu idealis sive logici ordinis, intellectio « quoad conceptum praecedit voluntatem, essentia existen- « tiam, ratio factum; at sub respectu realitatis atque energiae « existentiae, voluntas est indispensabilis virtus activa (That- « kraft), vi cuius τὸ solum intelligere aliquid in realitate « significat; intellectio, essentia, contentum, non perveniunt « ad esse perfectum, nisi per vim voluntatis, qua seipsum « causat, vel a Deo causatur. Ideale non est esse reale, nisi « quatenus est voluntas, vel per voluntatem: veritas est in « spiritu, et ipsa spiritus per virtutem voluntatis " » [1].

[1] « Im Hinblick auf die ideale oder logische Ordnung geht die Erkenntnis dem « Willen begrifflich voran, das Wesen dem Dasein, der Grund der That; allein unter « dem Gesichtspunkte der Realität und Energie des Daseins ist der Wille die unent- « behrliche Thatkraft, vermöge deren das Erkennen allein etwas in Wirklichkeit « bedeutet; das Erkennen, das Wesen, der Inhalt wird erst zum vollkommenen Sein « durch die Willensmacht, mit welcher es sich verwirklicht oder von Gott verwirk- « licht wird. Das Ideale ist nur real als Wille oder durch einen Willen: die Wahr- « heit ist im Geiste und selbst Geist vermöge der Willenskraft ». *Kath. Dogm.*, II, p. 27, 28.

Audi iam ex his, quomodo Dr. Schell utramque processionem concipiat. Vertimus latine, in quantum sinit eius terminologia apprime germanica.

1) Processionem Filii a Patre ita describit: « Esse Dei est « aseitas, id est auto-causalitas (Sebstbegründung) τοῦ esse « perfecti. Si ergo ens divinum est principium *quo* radicale « processionum et originum in Deo, hoc significat, causali- « tatem sui infinitae perfectionis esse rationem intimam ori- « ginum in Deo. In quantum hoc esse est actus intellectionis, « auto-causalitas logica, est ratio immanens generationis et « editionis Verbi, oppositionis Patris et Filii, veritatis dicentis « et veritatis dictae. Uti actus intellectionis, uti identitas « intellectionis infinite perfectae cum veritate, sese mani- « festat divinitas, idest ens causa sui, in aeterna processione « Verbi a Patre, et in relativa oppositionem involvente exi- « stentia utriusque personae. Esse et intelligere in Deo « identica sunt. Dei existere et esse est actus intellectionis, « unde requirit intimam intellectionis rationem, logicam « necessitatem et veritatem, quae illud ad intra intelligi- « bile ac comprehensibile reddit, tanquam spirituale lumen « et perfectam comprehensionem manifestat. Deus constat « logica necessitate et perfecta comprehensione logicae ne- « cessitatis veritatis primordialis: quatenus ergo cogitando « hanc necessitatem exprimit atque in divina auto-causa- « litate est causans, vocatur Pater; quatenus hanc logi- « cam necessitatem cogitans, cum perfecta comprehensione « atque intuitu eius internae veritatis ex ea procedit, et « per eam in aeterna existentia causatur, existit uti Filius. « Oppositio et existentia Patris et Filii obtinetur per in- « tellectualem auto-productionem Dei propter logicam ne- « cessitatem atque intimam veritatem suae aeternae exi- « stentiae in perfectione infinita. Deus Pater est veritas « causans, τὸ cogitare, specie tenus esse uti ratio, τὸ « praecedens; Deus Filius est veritas causata, esse divi- « num ex intima necessitate procedens et genitum. Ve- « ritas causat Dei esse atque est ipsa esse Dei; inquan- « tum Dei esse causat, subsistit in Patre per hanc ipsam « generationem; in quantum Dei esse per logicam verita- « tem et necessitatem sui esse causatur, subsistit ut Filius,

« cum plena huius necessitatis comprehensione a Patre pro-
« cedens » [1].

2) Processionem Spiritus Sancti Hermannus Schell sequentibus verbis illustrat.

« Amor veritatis facit *idealem* perfectionem cum infinita
« energia atque intima sanctitate factum esse *reale*. Nulla
« prostat ratio, cur iste amor nonnisi proprius esset Patris,
« qui logicam necessitatem divinitatis exprimit; et non etiam
« Filii, in quo cum eius perfecta comprehensione et consensu
« exprimitur. Hic est amor veritatis qui perfectionem iuxta
« ideale suum esse aeternum, esse exposcentem, cum infinita
« virtute activa actuat in oppositione scilicet spiratoris et
« procedentis Spiritus Sancti.

« Solum in hac productione τὸ esse et trinitas personalis
« Dei cogitatur in perfectione actuali; prima quoque pro-

[1] « Gottes Wesen ist die Aseität, die Selbstbegründung des vollkommenen Seins.
« Wenn also das göttliche Wesen das principium quo radicale der Hervorbringungen
« und Hervorgänge in Gott ist, so bedeutet dies: die Selbstbegründung der unend-
« lichen Vollkommenheit sei der innere Grund der Ursprünge in Gott. Insofern
« dieses Wesen Erkenntnisthat, logische Selbstbegründung ist, ist es der immanente
« Grund der Zeugung und Geburt des Wortes, des Gegensatzes von Vater und Sohn,
« von sprechender Wahrheit und gesprochener Wahrheit. Als Erkenntnisthat, als
« Identität der unendlich vollkommenen Erkenntnis mit der Wahrheit offenbart sich
« die Gottheit, d. h. das selbstbegründete Wesen in dem ewigen Ausgang des Wortes
« vom Vater, und in der bezüglichen und gegensätzlichen Existenz dieser beiden
« Personen. Sein und Erkennen sind in Gott identisch. Gottes Dasein und Wesen ist
« Erkenntnisthat, hat also auch einen inneren Erkenntnisgrund, eine logische Not-
« wendigkeit und Wahrheit, welche es innerlich verständlich und begreiflich macht,
« als geistiges Licht und vollkommene Einsichtigkeit offenbart. Gott besteht aus
« logischer Notwendigkelt und aus vollkommener Einsicht in die logische Notwen-
« digkeit der Urwahrheit: insofern er diese Notwendigkeit denkend ausspricht und
« das Begründende in der göttlichen Selbstbegründung ist, heist er Vater; insofern
« er diese logische Notwendigkeit denkend mit vollkommener Einsicht und um ihrer
« inneren Wahrheit willen aus ihr hervorgeht und durch sie in ewiger Existenz
« begründet wird, besteht er als Sohn. Der Gegensatz und die Existenz von Vater
« und Sohn ergiebt sich aus der denkenden Selbstverwirklichung Gottes um der
« logischen Notwendigkeit und inneren Wahrheit seiner ewigen Existenz in unend-
« licher Vollkommenheit. Gott Vater ist die begründende Wahrheit, das dem Sein
« als Grund scheinbar vorangehende Denken; Gott Sohn ist die begründete Wahrheit,
« das aus innerer Notwendigkeit hervorgehende und gezeugte göttliche Dasein. Die
« Wahrheit begründet Gottes Dasein und ist selbst Gottes Wesen; insofern sie Gottes
« Dasein begründet, subsistiert sie im Vater eben durch diese Zeugung; insofern
« Gottes Dasein durch die logische Wahrheit und Notwendigkeit seines Wesens
« begründet wird, subsistiert es als Sohn, mit voller Einsicht in diese Notwendigkeit
« ausgehend vom Vater ». Op. cit. p. 31, 32.

« ductio, quae per se agitur in ordine intellectionis ideali, « mere fit productio realis per suam necessariam relatio- « nem ad processionem in ea intime fundatam, in divina « voluntate. Rem ita se habere, duas primas personas non « esse tanquam geminam personalitatem per se cogita- « biles, nisi spiratio S. Spiritus, per virtutem aeternae actua- « tionis voluntatis, ex ea procedat, confirmat veritatem « huius conceptionis..... Sicuti intellectio voluntati ideale « suum contentum et quasi fundum praebet, ita ab ea « recipit realem vim activam, energiam, atque existentiam, « etiam pro sua coactivitate propria; nam omnis coactivitas « spiritus, etiam intellectio, est activitas voluntatis, in quan- « tum est activitas et energia; sicuti aliunde semper est « activitas intellectualis, in quantum idealem habet fundum « et contentum.

« Quibus ex omnibus sequitur, realitatem primi processus « vitalis per hoc solum intelligibilem reddi, quod non modo « uti oppositio idealis ordinis intellectualis, sed insimul uti « energica virtus voluntatis, tanquam perficiens et perse- « verans vis veritatis, id est tanquam spirator agnoscitur. « Intellectio quae non est simul vis voluntatis (Willenskraft), « non est vivens actus spiritus, sed abstractus, idealis, non « existens: vivens concreta intellectio, utpote actus spiritus « et complementum vitale, est essentialiter virtus voluntatis, « actuatio veritatis in vivente conscientia ex amore veri- « tatis et spiritualis perfectionis. Tum cogitatio veritatem « dicens, tum cogitatio in qua veritas exprimitur, realis actus « intellectionis nonnisi sunt per inhabitantem virtutem volun- « tatis et vim amoris, qua veritatem tum dicentem tum « expressam complectuntur et actuant. Pater et Filius sunt « aeterna realitas, non solum logica idealitas, quatenus sunt « virtus spiritualis, spirati et principium Spiritus Sancti. « Quare inintelligibile est, Patrem solum et non etiam Filium « esse spirationis principium [1]; hoc nihil significaret aliud, nisi « ipsi energiam, qua voluntas producit, existentiam realem « (die Willensmächtige Energie des realen Daseins) in perso- « nali proprietate denegare. Ex virtute voluntatis, qua Pater

[1] Optime quidem in se; at ratio allata ultra scopum tendit.

« et Filius, veritas dicens et expressa, atque idealis neces-
« sitas, sunt vi agentes, Spiritus Sanctus procedit » [1].

Et paulo inferius: « Divinitas - si possibile esset ab acti-
« vitate et productione voluntatis abstrahere - neque posset
« existere uti gemina personalitas in oppositione veritatis
« dicentis et expressae; oppositio esset imperfectibilis tan-
« quam realis distinctio personarum, sine completione secun-

[1] « Die Liebe zur Wahrheit ist es, welche die ideale Vollkommenheit mit unend-
« licher Energie und innerer Heiligkeit zur realen Thatsache macht. Es besteht
« kein Grund, warum diese Liebe nur dem Vater eignen soll, welcher die logische
« Notwendigkeit der Gottheit ausspricht, und nicht ebenso dem Sohne, in welchem
« sie mit dessen vollkommenen Einsicht und Zustimmung ausgesprochen ist. Diese
« Liebe zur Wahrheit ist es aber, welche die ihrem idealen Wesen nach ewiges
« Dasein fordernde Vollkommenheit mit unendlicher Thatkraft verwirklicht - Gegen-
« satz des Spirators und des hervorgehenden hl. Geistes.

« Erst in dieser Production ist des Wesen und die Dreipersönlichkeit Gottes in
« aktueller Vollendung gedacht; auch die erste Production, welche an sich in der
« idealen Erkenntnissphäre stattfindet, ist eine reale Production kraft ihrer notwen-
« digen Beziehung zn dem von ihr inerlich begründeten Hervorgang im göttlichen
« Willen. Dass dem so ist, dass die beidem esten Personen nicht als reale Zweiper-
« sönlichkeit für sich denkbar sind, wenn nicht die Spiration des hl. Geistes infolge
« der ewigen Willensbethätigung aus ihr hervorginge, ist eine Bestätigung für die
« Richtigkeit dieser Auffassung:... Wie die Erkenntnis dem Willem seinen idealen
« Inhalt und Grund giebt, so empfängt sie von ihm die reale Thatkraft, Energie
« und Wirklichkeit, auch für ihre eigene Bethätigung; denn alle Bethätigung des
« Geistes, auch die Erkenntnis, ist Willensthätigkeit, insorfern sie Thätigkeit
« und Energie ist, wie sie anderenseits immer Erkenntnisthätigkeit ist, insofern
« sie einer idealen Grund und Inhalt hat.

« Aus alledem ergiebt sich, dass die Realität des erster Lebensprocesses in Gott
« erst dadurch begrifflich gegeben ist, dass er nicht bloss als Gegensatz der idealen
« Erkenntnissphäre, sondern zugleich als energische Willensmacht, als vollbringende
« und festhaltende Kraft der Wahrheit, d. i. als Spirator erkannt wird. Erkenntnis,
« welche nicht zugleich Willenskraft ist, ist keine lebendige Geistesthat, sondern
« abstract, ideal, unwirklich; die lebendige konkrete Erkenntnis ist eben als Geistes-
« that und Lebensvollzug wesentlich Willensmacht, Verwirklichung der Wahrheit
« im lebendigen Bewusstsein aus Liebe zur Wahrheit und geistigen Vollkommenheit.
« Sowohl der die Wahrheit aussprechende Gedanke, als der Gedanke, in dem die
« Wahrheit ausgesprochen wird, sind reale Erkenntnisthat nur vermöge der inne-
« wohnenden Willenskraft und Liebesmacht, mit welcher sie die Wahrheit sprechend
« und gesprochen umfassen und verwirklichen.

« Vater und Sohn sind ewige Realität, nicht bloss logische Idealität, als willens-
« kräftige Geistesmacht, als Spiration und Princip de hl. Geistes. Es ist daher undenk-
« bar, dass nur der Vater, nicht ebenso der Sohn Princip der Spiration sei; es würde
« dies nichts anderes bedeuten, als ihm die willensmächtige Energie des *realen*
« Daseins in seiner persönlichen Eigentümlichkeit abzusprechen. Aus der Willens-
« macht, mit welcher Vater und Sohn, die sprechende und ausgesprochene Wahrheit
« und ideale Notwendigkeit, thatkräftig sind, geht der hl. Geist hervor ». Ibid.
pag. 33-35.

« dae oppositionis in energica activitate voluntatis, cuius prior « est ipsum fundamentum et contentum.... etc. » [1].

Ex hoc conceptu utriusque spirationis doctrinam de relationibus hoc modo evolvit: « Actus absolutus et relativus, « esse absolutum et mutuo-relativum (das beziehungslose und « wechselbezügliche) divinitatis, cum lege simplicitatis τοῦ « perfectissimi componi debet. Ratio et contentum divini « actus causalis sui in suo absoluto ad extra et mutuo-rela- « tivo ad intra, non potest esse nisi causalitas sui in puro « esse, sive in perfectione infinita .. Causalitas sui in infinitate « plenitudinis voluntatis, vi logicae necessitatis et veritatis for- « maliter perficitur per mutuam relationem veritatis expres- « sae, paternitatis et filiationis. Causalitas sui cum infinita vi « voluntatis ex necessitate sancta ut verum et perfectum « realiter sint, perficitur in mutua relatione voluntatis ex « sancta necessitate producentis et ex sancta necessitate « procedentis Unde iuxta duas origines et duas catego- « rias τοῦ esse et τοῦ existere, idealis contenti et realis « actus, dantur in Deo duae mutuae relationes, sive qua- « tuor relationes simplices: activa et passiva generatio et « spiratio » [2].

Hoc autem passive in divinis processionibus nihil de pas-

[1] Op. cit. p. 37. « Die Gottheit könnte, wenn es möglich wäre, von der Willensthä- « tigkeit und Willensproduction abzusehen, auch nicht als reale Zweipersönlichkeit « im Gegensatz von sprechender und gesprochener Wahrheit bestehen; der erste « Gegensatz wäre als realer Personenunterschied unvollziehbar ohne den Vollzug « des zweiten Gegensatzes in der energischen Willensthat, deren Grundlage und « Inhalt er selber ist ».

[2] P. 58. « Der absolute und relative Act, das beziehungslose und wechselbezüg- « liche Sein der Gottheit muss nach dem Gesetze der Einfachheit des Vollkommen- « sten in Eins gesetzt werden. Der Grund und Inhalt der göttlichen Wesensthat in « ihrer äusseren Beziehungslosigkeit und inneren Wechselbeziehung kann nur die « Selbstbegründung in dem Sein schlechthin oder unendlicher Vollkommenheit sein.... « Die Selbstbegründung in der Unendlichkeit der Wesensfülle kraft der logischen « Notwendigkeit und Wahrheit vollzieht sich formell durch die Wechselbeziehung « der erzeugenden und der ausgesprochenen Wahrheit, der Vaterschaft und der Sohn- « schaft. Die Selbstbegründung mit unendlicher Willenskraft aus der hl. Notwendig- « keit, dass das Wahre und Vollkommene wirklich sei, vollzieht sich in der Wechselbe- « ziehung des aus hl. Notwendigkeit hervorbringenden u. des mit hl. Notwendigkeit « hervorgebrachten Willens. Es giebt den zwei Ursprüngen und den zwei Kategorien « von Wesen und Dasein, idealem Inhalt und realer That entsprechend, zwei Wechsel- « beziehungen oder vier Einzelbeziehungen in Gott: die aktive und passive Genera- « tion und Spiration ».

sivitate ullomodo, habere Cl. auctor alibi exponit, ita ut alter active procedere faciat, alter active procedat [1].

Neque ullam prioritatem principio activo relate ad terminum, Patri relate ad Filium concedit, ordinemque logicum, qualem passim theologi in SS. Trinitate vindicant, reiicit tanquam destructivum aeternitatis atque aequalitatis in Trinitate, tanquam relativa in absoluta commutantem [2].

Porro personalitatis conceptum in Deo per aseitatem Trinitate Dr. Schell ita exponit: « Tres hypostases sive personae « in Deo sunt essentialiter relativae », non « per se et ad se « esse », sed « ab invicem et ad invicem esse (ein Füreinan- « dersein) », sive per activam productionem. Non igitur sunt unum τὸ Ego in hoc sensu, quasi singulatim sumpta tria Ego repraesentarent, quae simul in communionem unius Ego convenirent. Potius sunt Ego in relatione ad invicem et propter invicem, unice et prorsus in hac oppositione; at pro nobis et pro omni re quae non est ipsis oppositio personalis, non sunt nisi unum inseparatum Ego, quod oppositionem duplicis substantialis relationis mutuae in se abscondit. Unus-Trinus non necessarie loquitur per *Nos*: tam bene dicit *Ego*; nos illum alloquimur per *Tu*.... Et concludit: « Unitas personali- « tatis absolutae existit vi Trinitatis relativarum persona- « rum » [3]. Et superius dixerat: « Tres personae divinitatis

[1] Op. cit. p. 23.

[2] I. p. 141 etc., *Gott und Geist.*

[3] *Dogm. cath.* II, p. 62 sq. « Die drei Hypostasen oder Personen in Gott sind « wesentlich relativ, nicht ein " per se et ad se esse ", sondern ein " ab invicem et « ad invicem esse ": ein Füreinandersein, sei es durch active Hervorbringung oder « durch Ursprung. Sie sind daher nicht in dem Sinne ein Ich, dass sie in ihrer « Gesammtheit drei Ich darstellten und zusammen eine Gemeinschaft von drei Ich « bildeten. Sie sind vielmehr Ich in Beziehung zueinander und füreinander, nur und « ganz in diesem Gegensatz: hingegen sind sie für uns und alles, was nicht ihr « persönlicher Gegensatz ist, nur ein ungeteiltes Ich, das in sich den Gegensatz von « zwei substantiellen Wechselbeziehungen birgt. Der Dreieinige spricht nicht not- « wendig als Wir, ebensogut als Ich; wir reden ihn mit Du an.... Die Einheit der « absoluten Persönlichkeit besteht kraft der Dreiheit der relativen Personen. » « Die drei Personen der Gottheit sind ein Selbstbewusstsein, ein Gedanke, ein Wille « und eine That der ewignotwendigen Selbstwirklichkeit und der freien Weltbegrün- « dung. Es ist in Gott nicht eine Dreizahl von Ich, d. i. von für sich seienden, « sondern ein dreieiniges Ich, ein dreieiniges Selbstbewusstsein, eine dreieinige « Willensgesinnung..... Die absolute Persönlichkeit des vollkommenen Geistes ist « demnach durch den Gegensatz vermittelt: die Dreipersönlichkeit ist die Form der « absoluten Persönlichkeit ». p. 19.

« sunt una conscientia sui, una cogitatio, una voluntas, una « actio aeternae necessariae auto-existentiae et liberae crea- « tionis mundi. Non datur in Deo triplex τὸ Ego, hoc est, τὸ « esse ad se (Fürsichsein), sed singulare Ego unum-trinum, « singularis una-trina conscientia sui, singularis unus-trinus « voluntatis affectus ». Et: « Absoluta personalitas spiritus « perfecti obtinetur per oppositionem producentis et producti: « trina personalitas est forma absolutae personalitatis » [1].

Missis aliis aspectibus huius doctrinae, infra melius tangendis, iam sistamus, ac hucusque relata ad normam catholici dogmatis ponderemus.

Sane plura nec minima in hac doctrina corripienda videntur.

Et primo quidem mirum valde, theologum tantopere simplicitati divini entis atque actui puro divino addictum, nihilominus in Deo distinguere ordinem idealem et ordinem realem, essentiam et existentiam, quatenus ordo idealis, essentia, est dominium τοῦ intelligere, ordo realis, existentia, dominium τοῦ velle. Iam vero haec distinctio in Deo nullum habet fundamentum, cui possit duplex divina superstrui realis processio. Unde in systemate schelliano habetur quidem specietenus processio duplex, at prior est idealis, altera realis. In quo tantum reperitur vitium, ut, nisi a catholico viro procederet, hanc processionis Verbi a Patre expositionem haereticam prorsus iudicarem. Neque instes dicendo, processionem Verbi a Patre ab ordine ideali in ordinem realem prodire per ipsam alteram processionem Spiritus Sancti. Hoc nihil salvat, nihilque addit, nisi nova falsa, ne dicam absurda.

Et certo hoc non impedit quin Verbum, uti Verbum, non sit reale, sed tantum ideale. Si autem uti spirans, quum spirare ad voluntatem pertineat, et proin ad ordinem realem, esto, at tunc Verbum, uti spirans, logice praecedit in ordine reali seipsum Verbum dictum. Unde in ordine quidem ideali processio Verbi praecedit processionem spiritus; in ordine vero reali processio Spiritus, uti fundamentum realitatis, praecedit logice realitatem Verbi, uti Verbi. Ergo Verbum, uti Verbum, est a se uti spirante, et pervertitur totum.

Nec satis. Deme processioni Verbi, ut talis, rationem τοῦ

[1] Op. cit. p. 19.

realis, quodnam erit fundamentum eius concausalitatis in spiratione? Possum utique, saltem aliqualiter, concipere activitatem principii veritatis dicentis in spiratione; non autem veritatis dictae, quum haec logice nondum sit. Dico aliqualiter, nam si ipsa veritas dicens, sive Pater, nondum est nisi in ordine ideali, quomodo per spirationem poterit ponere Spiratum? Nisi iam logice saltem aliquid sit, quomodo concipietur ut agens? Si autem τὸ existere in Deo est causatum a τῷ velle, ergo ipse Pater, quatenus non potest concipi volens nisi sit, habet ab ipsa voluntate ut sit, et voluntatis actus est initium Trinitatis.

Scilicet praeter falsa et incohaerentia, quae secum fert conceptus Dei « causa sui », alia proveniunt ex ingenioso quidem, at funditus arbitrario conatu hunc conceptum non solum harmonice cum dogmate Trinitatis componendi, sed per ipsum quasi apodictice idem dogma demonstrandi.

Caeterum quodnam est fundamentum logicae necessitatis, qua Deus, dum cogitat et vult, seipsum causat? Ait Clarissimus Auctor: « Logica vel idealis necessitas Dei est actus τοῦ « aeterni absoluti intelligere; sancta necessitas atque virtus « sui causans, per quam infinita perfectio necessitatis idealis « est aeterna causatio sui, realis virtus agens et res existens, « ethica et metaphysica necessitas: haec est in sensu proprio « significatio τοῦ velle absoluti » [1]. Talia centies repetita, vocabulis modo brevioribus, modo longioribus, apud Schell reperies. Quae forte de summo principio, sub variis aspectibus considerato, cum moderamine intelligi possent. At uti fundamentum verae Trinitatis, qualem secum trahit duplex realis processio, nequaquam. Nihil in mente remanet nisi una processio, eaque magis logica quam realis; unde conceptus exsurgit personalitatis unius propriae, in qua utique, propter varios respectus, aliqualiter personalitas trina reperiri potest, at improprii nominis; et totum reducitur ad quemdam Sabellianismum mitigatum.

[1] Op. cit. p. 25. « Die logische oder ideale Notwendigkeit Gottes ist die That des « ewigen absoluten Gedankens; die hl. Notwendigkeit und selbstmächtige Kraft, mit « welcher die unendliche Vollkommenheit der idealen Notwendigkeit ewige Selbst- « verwirklichung, reale Thatkraft und Thatsache, ethische und metaphysische Not- « wendigkeit ist, das ist im eigentlichen Sinne die Bedeutung des absoluten Willens ».

Et certo « *Trinitätslehre* » Dr. Schell nihil aliud est nisi expositio τοῦ « *Gottesbegriff* », ita ut posita, uti fundamento rationali via detecto, veritate definitionis « Ens causa sui », Trinitas sequatur, propter utramque spiritus facultatem, distinctionemque inter ordinem logicum et realem. Unde ipse Schell fatetur, rationem mysterii non esse in hac gemina divinitatis in seipsam veluti replicatione, si minus evolutione; sed in distinctione personali inter terminos eiusdem. Hanc autem, quum ipse valde parum explicet, totam eius quasi demonstrationem argumentum rationali via quaesitum et perfectum non iniuria vocabis; ac proinde, sicuti in exordio dicebamus, haec doctrina pertinet ad excessum qui in hoc articulo corripitur.

Longe aliter procedit expositio S. Thomae aliorumque passim theologorum boni nominis. Utique tenent, Deum, spiritum purum, esse τὸ intelligere et τὸ velle in actu simplicissimo. At simul fatentur, ex hac ipsa simplicitate actus puri, mentem nostram nullas processiones deducere potuisse, nisi fide illustratam, imo nisi fide illustratam in eas negandas fuisse pronam. Unde mysterium reponunt apprime in ipsis processionibus, ex quibus gemina via logice oriuntur relationes atque personae.

Quare iuxta catholicae scholae doctrinam ab ipso logico initio processionum divinarum plena realitas adest, sine ullo transitu ab ordine ideali ad ordinem realem, ac ita vera realitas utriusque processionis, ac proin cum duplici processione reali, vera personarum distinctio realis non modo salvatur sed et evincitur. In schelliana doctrina e contra non est nisi apparens duplex processio realis, nec distinctio realis manifesta saltem inter personam Patris et Filii. Etenim, quum prima processio per se ad ordinem idealem pertineat et nonnisi per alteram personam acquirat significationem realem, non videtur cur haec processio per voluntatis actum aliquid aliud ponat in ordine reali praeter id ipsum quod in ordine ideali per processionem intellectualem prodierat. Et ita non habetur nisi una processio cum duplici stadio, priore ideali, altero reali. Nec obiicias, distinctionem inter Patrem et Filium impedire, ne unica tantum sit processio. Nam hoc quidem verum est in systemate traditionali, in

quo per se, formaliter prior processio non minus ad ordinem realem pertinet quam processio altera. Non autem habet fundamentum, si prior sit formaliter in ordine ideali. Persona enim vere distincta tunc solum est, quando ab ordine ideali ad realem ordinem devenitur. Insuper quum persona procedens, iuxta Dr. Schell, nihil uti procedens de passivitate habere possit [1], quomodo in ordine ideali active procederet?

Imo nec vere realis erit haec altera processio. Nam si processio intellectualis non est realis, neque processio per voluntatem erit. Unde vel una dicatur processio, et haec poterit concipi uti realis, ab eo qui negaverit in Deo distinctionem inter intellectum et voluntatem, tanquam foecunditatis ad intra principium; vel duplex praedicetur, scilicet sive gemina idealis, sive gemina realis.

A principio reali utriusque processionis fluit quoque realitas personarum, non solum uti relativum sonant, sed uti essentiam adsignificant. Haec realitas in systemate Cl. Professoris minus apparet; personam scilicet mere uti relativum considerat, ac proin inseparabilitatem formalem ab invicem nimis exaggerat. Ita, v. gr., Filium esse co-principium Spiritus Sancti inde quoque demonstrat, quod persona est relativum, correlativum secum trahens inseparabiliter. Quod si verum esset formaliter, quomodo iam non Pater et Spiritus Sanctus cum Filio incarnati essent dicendi? Scilicet aliud est, Filium non separari a Patre, nec Spiritum a spirante; aliud, utrumque esse uti unum spirationis principium. Prius per respectum relativi personalitatis demonstrari potest, non autem alterum.

Conclusio huius appendicis sit sequens. Quemadmodum Cl. Dr. Schell optimum praestitisset in suo « *Gottesbegriff* », si in Deo actu puro stetisset, intellectione scilicet ac volitione aeterna, immutabili, infinita; ita quoque in sua « *Trinitätslehre* », si mere necessitatem Trinitatis intrinsecam propugnasset. Ulterius huc illuc progressus, in utroque, sicuti per definitionem « *causa sui* » a philosophiae recta via declinavit, ita per expositionem dogmatis SS. Trinitatis ad normam huius effati, a tuta theologiae doctrina deflexit.

[1] Et haec affirmatio excessu laborat. Utique in Filio nihil est negativi, potentialitatis, imperfecti, at vere est genitus: imo perfectio eius notionalis est gigni, sicuti Patris est gignere.

ARTICULUS II.

UTRUM SINT PONENDAE NOTIONES IN DIVINIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Etsi nobis in opificio mundi desint effectus formales unius alteriusve personae divinae, per quos ad *notionem* illius naturaliter perveniamus, sicuti per pulchritudinem, extensionem et durationem rerum ad perfectionem, immensitatem et aeternitatem Dei devenimus; non ideo negandum, in personis divinis esse proprietates quasdam vel notiones [1], per quas admoto lumine revelationis nobis ut distinctae apparent.

2) Unde sicuti in absolutis ad essentiam pertinentibus attributa quibus Deus innotescit, per abstracta praedicamus, ita notionibus aptamus nomina abstracta.

Aliter tamen et aliter attributa abstracta ab attributis concretis et notiones abstractae a personis distinguuntur.

In absolutis enim quando simul abstracta et concreta praedicamus, per abstracta exprimimus simplicitatem, per concreta subsistentiam. In personalibus vero per concreta utique subsistentiam praedicamus, v. gr., *Patrem;* at per abstracta non simplicitatem sed distinctionem; quatenus nulla notio est, quae non intendat exprimere illud, quo una persona ab alia distinguitur.

3) Notio autem varias distinctiones patitur.

a) Secundum quod est distincta ab una ex aliis personis vel ab ambabus, est simplex *notio* vel *proprietas*. V. gr., spiratio activa, communis Patri et Filio, non est proprietas, sed simplex notio, quia facit quidem innotescere Spiritus Sancti principium, qui est Pater et Filius, ac proin Patrem et Filium; non autem, quum utrique conveniat, proprium alterutrius personae designat; proprietas autem est paternitas.

b) Secundum quod notio constituit aliquam personam in sua propria distincta subsistentia, vel illi simpliciter competit iam logice subsistenti, est alia *personalis*, alia *personae*.

[1] Observa, notionem hic non sumi in sensu subiectivo cognitionis habitae, sed obiectivo cognitionis parientis.

Ita paternitas, filiatio et processio vel spiratio passiva sunt notiones personales; processio activa est notio personarum.

Unde quando in *Corpore* S. Th. videtur indifferenter dicere notionem et proprietatem, intelligendus est secundum hanc distinctionem quam ipse in sequenti articulo adducet.

4) Quaestio iam subtilior moveri potest de distinctione inter personam et notionem, utrum sit realis an rationis. - Respondemus iuxta Aquinatem, eam esse rationis cum fundamento in re. Quare sicut attributa ab essentia et inter se ratione ratiocinata distinguuntur, et relationes ab essentia; ita de notionibus dicendum est, sive ad essentiam, sive ad personas subsistentes, sive inter se referantur; modo nullam ad invicem oppositionem immediatam vel mediatam includant. Immediatam, si sunt extremae unius processionis: v. gr., paternitas et filiatio; mediatam, si sunt quidem in oppositis, at non quoad communem actionem: v. gr., paternitas et processio. Si autem sunt in distinctis subsistentiis, ita tamen ut communem actionem significent, possunt quidem, quoad subsistentiam in qua sunt, realiter distingui, at, quoad formalem actum quem ponunt, unum sunt. Quare, licet realis adsit distinctio inter Patrem et Filium, spiratio in Patre et in Filio, quatenus dicit commune principium Spiritus Sancti, realiter non distinguitur. Quatenus vero Filius manet Filius dum spirat, sicut Pater manet Pater, ita, ratione duplicis subsistentiae, manet in utriusque spiratione distinctio realis, at nonnisi cautissime insinuanda.

5) Investigemus iam distinctionem quae interest inter spirationem et paternitatem in Patre relate ad Filium et ad Spiritum Sanctum. In varias theologi sententias abierunt.

a) *Durandus*, considerans realiter distingui terminos *ad quem*, Filium et Spiritum Sanctum, dixit realiter distinguendos esse terminos *a quo*. Et videtur haec ratio augeri posse ex modo arguendi S. Th. in *Corpore*; nam ibidem probare intendit quod, si nulla esset distinctio inter paternitatem et spirationem in Patre, revera Spiritus a Filio non distingueretur; unde si mere rationis distinctio in Patre ponitur, nonne mere rationis erit in Filio et Spiritu Sancto? - Respondeo, in divinis duo ad realem distinctionem requiri: *a*) relationum oppositionem et *b*) subsistentiam in relatione; quare quum

inter paternitatem et spirationem non sit relationum oppositio, non potest dari realis distinctio. - Inter Filium tamen et Spiritum datur, quia per spirationem Filius unum est cum Patre.

b) *Okkam* e converso tenet, unum esse omnino in Patre paternitatem et spirationem; unde concludit, non dari in Deo nisi relationes tres.

c) *Caietanus* realem distinctionem negans, tenet solummodo distinctionem *virtualem,* quia « perinde se habent ac « si essent duae ».

d) *S. Thomas,* uti ex *Corpore* praesenti et sequenti articulo apparet, tenet non esse realem distinctionem, quia non est oppositio nec diversa subsistentia, sed *formalem,* quatenus aliud et aliud est utriusque fundamentum. Unde utraque est principium actionis productricis, cuius terminus est propter oppositionem distinctus, et propter subsistentiam realiter distinctus; unde, licet detur in terminis *ad quos duplex subsistentia, nihilominus in termino a quo* nonnisi una adest. Completur haec sententia ex subsistentia quae est et manet in Filio spirante. Licet enim in ordine ad Spiritum Sanctum spiratio sit una, duo tamen sunt spirantes; ac proin secundum spirationem, duae res quae spirant. Unde, licet in Patre spiratio non sit realiter distincta a paternitate; quum nihilominus spiratio in Filio sit subsistens, spiratio utrique communis habet, sed non formaliter, aliquid reale quod in unoquoque non est.

I. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Contra *notiones* arguit, sicuti supra contra *personam* actum est. Unde eodem modo quo supra solvitur.

2. Obi. Dupliciter deficit: *a*) quoad absoluta, quae possunt de notionibus praedicari, quae scilicet non habent ordinem ad actum, sive adiective sive substantive; *b*) quoad personalia, quae pariter substantive de notionibus praedicari possunt.

Obiectio nihilominus inde habet aliquam speciem, quod de notionibus non valet eadem praedicandi lex, quae de proprietatibus absolutis. Cuius difficultatis solutio petenda est ex principio formali, ratione cuius notiones distinguuntur.

Etenim modus praedicandi numquam talis esse potest, qui hoc principium destruat. Quum igitur formalis ratio notionis sit modus se habendi alicuius personae per quem nobis innotescit: quotiescumque aliqua proprietas quidditativa praedicatur, quae non sit propria alterius personae, vel quae exprimat substantialem identitatem cum essentia, salvatur ratio formalis notionis. - Actus vero sive essentiales sive personales, et insuper proprietates quidditativae aliarum personarum, eam destruunt.

3. *Obi.* quae movit Praepositivum, et qui eum sequuntur Gregorius Arim. et Gabriël Biel, confundit rem et modum quo innotescit, quo varios respectus praebet et quo ob controversias de ea praedicari posse oportet. Vide doctrinam *Corporis*.

Sed contra est. Ante Damascenum iam Graeci Patres notiones in Deo agnoverant. Ita S. Basilius de distinctione suppositorum ab invicem tractans, ait: « Quis autem is fuerit, « propriis illis notionibus designat.... Increatum, omnium com- « prehensionem excedens, aut si quid aliud est huiusmodi, « ad proprietatis determinationem non usurpabimus: sed haec « solum inquiremus, per quae singularum personarum intel- « lectus liquido et sine commixtione a communi considera- « tione separetur » [1].

Optime S. Cyrillus Alex.: « Quod enim vis et ratio nomi- « num quodammodo confusionem amovet, ac stabilem in se « veluti sedem quaerit, tribuit utrique ut immutabiliter sit « talis. Pater enim Pater est, ac non Filius, quoniam genuit: « Filius autem rursus est Filius et non Pater, quoniam geni- « tus est. Age enim, si placet, paulisper intellectu et cogita- « tione removentes a Patre, Patris nomen, atque a Filio, Filii « appellationem, perpendamus, quaeso, quo pacto singillatim « alterutrius persona significetur. An Deum forte dicendo, « aut vitam, aut corruptionis expertem, aut invisibilem, aut « regem? Atqui non satis hinc discerni poterit id quod signi- « ficatur. Quod enim de utroque verum est, quomodo clare « demonstret id quod alteri peculiariter inest? Singulariter « autem et vere Pater significatur, ex eo quod genuisse intel-

[1] Ep. 43.

« ligitur; singulariter autem et vere Filius, ex eo quod intel-
« ligitur esse genitus. Proprium igitur est alterutri quod suum
« ac singulare est, tametsi alia indistincte de utroque dicuntur
« Illa enim inter naturales dignitates numerantur, hae vero
« non item; sed, hunc quidem genitorem, illum autem geni-
« tum significant » [1].

Inter latinos Patres Augustinus maxime notiones sive proprietates induxisse videtur, qui de Patre ait: « Alia notio est « qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus » [2]. Nomina autem huiusmodi abstracta nova fingere, iam Gregorius Nazianz. licitum declarabat: « Liceat enim perspicuitatis causa nova « nomina fingere » [3].

In Corpore. Processus lucidus. Praemissam sententiam Praepositivi [4], cum ratione cui innitebatur, S. Thomas per gradus confutandam aggreditur. Cuius argumentatio ad hunc syllogismum reducitur. Legitima est praedicatio absolutorum in Deo per abstracta et concreta, ob defectum simplicitatis cognitionis nostrae. Atqui non minus militant rationes, ut quoad relativa idem fiat. Ergo. - Probatur minor duplici ex ratione: *a*) ut possit responderi instantiae haereticorum: essentia dicit *quid;* personae, *quae;* notio, *quo; b*) ut possit duplex describi respectus quo Pater se habet ad Filium et ad Spiritum, qui duplex respectus si confunderetur, iam ex reciprocitate tolleretur distinctio inter Filium et Spiritum.

Instat Praepositivus, non quidem contra primam rationem, a qua minus habet quod timeat; sed contra secundam. Scilicet in ratione hac altera S. Thomas ita arguere videtur, ac si identificatio notionis utriusque a parte principii, tolleret distinctionem a parte terminorum. Hanc deductionem Praepositivus impugnat per exemplum a creaturis allatum. - Reponit S. Thomas, negando paritatem, et quidem propter duo: 1) quia in omnibus creaturis ad Creatorem adest relatio eius-

[1] *De SS. Trin.,* Dial. I, in fine. - *P. G.* t. LXXV, col. 712. Vides, si verba urgeantur, Cyrillum notionem intelligere non solum personarum, sed personales.

[2] *De Trin.*, l. V, c. 6. — *P. L.* t. XLII, col. 915.

[3] Or. 39.

[4] Praepositivus, natione Longobardus, in Universitate Parisiensi, saec. XIII. ineunte, magna cum laude docuit, ibidem munere Cancellarii perfunctus. Eius Summa theologica hucusque inedita latet.

dem speciei, in Filio autem et Spiritu ad Patrem relatio alterius speciei; 2) quia in Deo relatio ad creaturas non est realis; in Patre autem ad Filium et Spiritum Sanctum relatio realis debet poni respondens relationi reali tum Filii, tum Spiritus Sancti ad Patrem.

In fine ad verba: oportet intelligi duas *relationes reales* in Patre, adverte Angelicum non dicere directe duas relationes reales distinctas, hoc enim implicaret realem distinctionem inter utramque, unde ab ipso S. Thoma negatur in resp. ad 3.) articuli sequentis.

Ad 2m. Observa heic definitionem notionis.

Adiecta tabella ostendit quomodo iuxta Caietanum (hoc loco) applices praesenti doctrinae axioma philosophicum: « nullum relativum dicitur bis » [1].

Nullum relativum dicitur bis: dist.:	1) ad correlativa solo numero distincta,	nego;
	2) ad correlativa diversarum rationum, subdist:	*a*) partialium, nego (filius ad patrem et ad matrem);
		b) non partialium, conc. (Pater ad Filium et ad Spiritum Sanctum).

Vides, quam caute S. Thomas iuxta 2) *a*) dixerit: « Ergo « impossibile est quod una relatio terminetur ad extrema « omnino diversa ».

ARTICULUS III.

UTRUM SINT QUINQUE NOTIONES.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Solutio huius articuli pendet a definitione ipsius notionis. Iam vero hanc definitionem S. Th. superius in resp. ad 2. tradidit, et in initio huius *Corporis* iterat, quasi eisdem verbis quando ait: Notio est *id quod est propria ratio cognoscendi divinam personam.* Unde quodcumque inservit ad manifestandam personam, aliquid de no-

[1] Arist. V, - Metaph., c. xv, de « ad aliquid ».

tione habet. Nec tamen sufficit. Nam oportet insuper ut manifestetur secundum illam dignitatem quae formaliter per vocem personae exprimitur. Ex qua utraque conditione simul requisita sequitur, nonnisi quinque dari notiones: innascibilitatem, paternitatem, filiationem, spirationem, processionem.

2) Unde *improductibilitas* in Spiritu Sancto, quum non manifestet formaliter dignitatem ipsius, non habetur tanquam notio. Ad quod melius intelligendum, inquiramus ulterius in illam productionem quae de Spiritu S. negatur. Esset nempe productio alicuius quartae personae. Iam vero negatio talis productionis non competit solum Spiritui, sed et Patri et Filio. Quod si intelligatur tanquam formaliter negatio foecunditatis cuiusvis, identificatur utique cum termino ultimae processionis, quae per spirationem passivam exprimitur; sed est conceptus mere negativus, ex quo non oritur formalis notio [1].

3) At forte quaeres, cur non sit notio Patris et Filii *inspirabilitas,* sicuti Patris est innascibilitas?

Resp.: quia inspirabilitati deest formalis ratio propter quam innascibilitas praedicatur. Nimirum illud quod formaliter per hanc Patris notionem intendimus praedicare, est Patrem esse principium Filii, in capite processionum; iuxta quem modum Augustinus iam dixerat, Patrem esse totius Trinitatis principium [2]. Iam vero sub hoc respectu innascibilitas est aliquod singulare, ad cuius modum sine ratione in Filio inspirabilitas praedicatur. Eodem enim iure innascibilitas in Spiritu S. praedicaretur. Adde ex Caietano, unionem *Patris et ingeniti* ponere aliquid singulare in Deo, quod nulli hominum competit: Adam ipse enim fuit Dei. Demum, ex S. Hilario, conceptum innascibilitatis in Patre iuvare ad intelligendam unitatem divinae essentiae.

4) Observa demum, licet in definitione a S. Thoma tradita ingrediatur vox *propria,* non ideo confundendam esse notionem cum proprietate. Strictiori tamen sensu verum est, illud solum notionem alicuius singularis personae constituere, quod illi cum alia non est commune.

[1] Cf. Caietanum, hoc loco.

[2] Cf. inferius dicenda, ubi de Principio.

5) Ex his omnibus collige, usum determinasse aliquomodo rigorem praedicationis notionalis; quare, uti pulcherrime in articulo sequenti S. Th. habet, ea omnia quae, si negarentur, secum traherent negationem partialem revelationis vel corruptionem eiusdem, tenenda sunt uti saltem fidei proxima; reliqua vero quae non ita se habent, licet contraria communi locutioni Patrum et theologorum, non tamen fidem in discrimen immediatum inducunt; sed sunt periculosa, tum quia malam interpretationem patiuntur, tum quia fluctuationibus doctrinae ansam sine fructu praebent.

II. **Ad Textum.** - Tres primae obiectiones contendunt, numerum notionum esse minuendum; aliae, augendum.

1. Obi. Abstrahit a modo singulari quo Pater innotescit uti ille *qui a nullo;* inde quinta notio quatuor relationibus superaddita.

2. Obi. Non attendit, abesse paritatem, quia *trinus* respicit ipsas subsistentias ut formaliter distinctas; dum *quinus* non diceret nisi modum quo hae subsistentiae innotescunt, qui modi, ad invicem relati, non per se subsistentias distinguunt.

3. Obi. Procedit a dilemmate falso. Etenim inter differre re, et posse de invicem praedicari, datur medium; scilicet non differre re, at ita ratione quoad ipsum modum significandi distingui, ut qui unum de alio praedicaret, legem ob quam inducuntur, destrueret. Scilicet sicuti quando dico « attributum scientiae » contraho scientiam, ut attributum formaliter significet; ita per seipsam, ex ipsa ratione ob quam inducta est, notio dicit ipsam rationem qua persona innotescit.

4. Obi. Praeterit alteram conditionem ad notionem requisitam.

5. Obi. Deficit in paritate.

In Corpore. Duplici parte argumentum constat. In priori, praemissa notionis definitione, S. Th. investigat directe numerum notionum; in altera confert notiones in genere cum relationibus, cum proprietatibus, cum notionibus personalibus. Totum habes hoc schemate expressum.

Notiones, utpote rationes propriae cognoscendi divinam personam

- I) sunt numero quinque, respondentes triplici quaesito:
  - 1) qui a nullo: innascibilitas (1 pers.);
  - 2) a quo alius:
    - *a*) paternitas (1),
    - *b*) spiratio (1 et 2);
  - 3) qui ab alio, idque dupliciter:
    - *a*) ab alio unico: filiatio (2),
    - *b*) ab aliis: processio (3);
- II) differunt autem
  - 1) a quatuor relationibus - deest innascibilitas,
  - 2) a quatuor proprietatibus - deficit spiratio (1 et 2.).
  - 3) a tribus notionibus personalibus (deficiunt enim notiones personarum):
    - *a*) innascibilitas - ob 1) a),
    - *b*) spiratio - ob 1) a), et 3) a) b).

Sequens tabella notiones simul distribuit iuxta personas quas manifestant, et numerum quae singulis personis competit.

	qui a nullo	a quo alius	qui ab alio, vel ab aliis.
Pater (3)	innascibilitas	paternitas, spiratio	
Verbum (2)		spiratio	filiatio
Spiritus (1)			processio

Accipe rursus schemate expressum modum quo S. Th. alibi [1] notiones a relationibus et proprietatibus distinguit.

Notio, proprietas, et relatio differunt:

- I) quantum ad rationem *significationis:*
  - 1) relatio dicit *ad*;
  - 2) proprietas dicit *cui soli;*
  - 3) notio dicit *principium innotescendi.*
- II) quantum ad *ordinem intelligendi:*
  - 1) prima est relatio, utpote per quam distinctio;
  - 2) secunda est notio, utpote manifestans;
  - 3) tertia proprietas, utpote modo singulari manifestans.
- III) quantum ad *numerum:*
  - 1) notiones sunt quinque:
    - *a*) tres personales:
      - α) Paternitas,
      - β) Filiatio,
      - γ) Processio;
    - *b*) duae personarum:
      - α) innascibilitas,
      - β) spiratio.
  - 2) proprietates quatuor: innascibilitas, paternitas, filiatio, processio; (spiratio nonnisi secundum quid);
  - 3) relationes quatuor: paternitas, filiatio; spiratio, processio; (innascibilitas nonnisi reductive)

[1] I. Dist. XXVI. q. 2. a. 3.

Numerum autem quinque notionum sufficere, ibidem hoc modo demonstrat.

- **Ad notionem constituendam requiruntur tria:**
  - I) ut sit quid *originis* et quidem,
    - A) affirmative:
      - 1) principium (a quo alius)
      - 2) a principio (qui ab alio)
        - *a*) in communi non manifestat (III)
        - *b*) in speciali:
          - α) per modum naturae [1]:
            - α′) paternitas,
            - β′) filiatio;
          - β) per modum amoris:
            - α′) spiratio,
            - β′) processio.
    - B) negative:
      - 1) negando principium (act.) — non pertinet ad dignitatem (II);
      - 2) negando a principio (pass.)
        - *a*) in speciali, nequit manifestare (III),
        - *b*) in generali: innascibilitas.
  - II) quid *dignitatis* - Cf. B) 1).
  - III) quid *speciale* - Cf. A) a), et B) 2) a).

Utiliter conferes hanc expositionem cum doctrina S. Bonaventurae [2].

Disserens Seraphicus de habitudine notionum, proprietatum et relationum ad invicem, ostendit subtiliter quomodo nomen notionis sit in plus, unde quinque numerantur; alia autem duo mutuo et aequaliter se excedant, unde numero sunt aequali, scilicet quatuor. Et addit « Non tamen oportet « facere vim. Nam omnis relatio distinguit aliquo modo ab « alio, et ita est aliquo modo proprietas. Similiter omne quod « distinguit aliquo modo importat relationem; igitur omnis « relatio proprietas, et omnis proprietas relatio. Sed omnis « notio est proprietas vel relatio; igitur omnis notio est pro- « prietas, et similiter relatio ». Quod omnino convenit cum doctrina S. Thomae, quatenus et in inascibilitate dicit esse relationem reductive, et in spiratione proprietatem secundum quid. Et rursus, quum eodem modo mutuo per unum se excedant, proprietas et relatio, in tribus conveniant oportet: scilicet in paternitate, in filiatione et in processione. Iam vero

[1] Adverte, S. Thomam hic adhibere terminologiam a S. Bonaventura passim admissam. — Cf. dicta superius in prima Quaestione huius tractatus (p. 79, sqq.).

[2] I. Dist. XXVI, a. 1, q. 4.

hae sunt praecise notiones personales. Habemus igitur sequens schema hanc trium nominum habitudinem illustrans.

notiones 5	notio personae	notiones personales			notio personae
propretates 4	innascibilitas	paternitas	filiatio	processio	
relationes 4		paternitas	filiatio	4 processio	3 spiratio

Ulterius S. Bonaventura de numero proprietatum disserens, triplicem significationem huius vocis apud theologos distinguit, iuxta quam tres praecedunt sententiae. Alii, proprietatem intelligentes in sensu manifestationis cuiuscumque Dei per creaturarum analogias, dixerunt dari infinitas; alii, attendentes tres personas manifestandas, contraxerunt ad tres; alii, rationes quibus hae personae manifestantur, dixerunt esse quinque, scilicet sumendo proprietatem in sensu synonymo notionis.

Habetur igitur in divinis haec scala praedicationis:

Unus *Deus.*
Duae *processiones:* generatio, spiratio.
Tres *personae:* Pater, Filius, Spiritus.

Quatuor *relationes:* { paternitas et filiatio, spiratio et processio.

Quatuor *proprietates:* { innascibilitas ac paternitas, filiatio, processio.

Quinque *notiones:*
- tres personales: { paternitas, filiatio, processio;
- duae personarum: { innascibilitas, spiratio.

Relationes autem possunt se habere ad invicem:

I) Ut oppositae:
- 1) *immediate*, scil. termini extremi unius processionis: { *a*) paternitas et filiatio, *b*) spiratio et processio;
- 2) *mediate*, scil. existentes in distinctis subsistentibus, quin referantur ad eundem actum: { *a*) paternitas et processio, *b*) filiatio et processio.

II) Ut non oppositae:
- 1) *directe*, ratione actionis communis, licet adsint in distinctis subsistentibus: — spiratio communis Patri et Filio;
- 2) *indirecte*, ratione eiusdem subsistentiae in qua sunt: — *a)* paternitas et spiratio in Patre, *b)* filiatio et processio in Filio.

Resp. ad 3. hoc schemate exhibetur.

Inter duas assertiones deest paritas; etenim
- 1) *Potentia Dei est sapientia Dei*, distinguo: — *a)* materialitèr, i. e, res potentiae est res sapientiae: concedo. *b)* formaliter, i, e, attributum sapientiae est attributum potentiae: nego.
- 2) *Paternitas est spiratio*, nego simpliciter, nam; — ipsa notio habet de se ut sumi debeat in sensu formali *b)*, nec possit sumi sensu materiali *a)*, qui in priori sententia concedebatur.

N. B. De significatione *Ingeniti* in Quaestione sequenti.

ARTICULUS IV.

UTRUM LICEAT CONTRARIUM OPINARI DE NOTIONIBUS.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Doctrina de notionibus dupliciter potest considerari: *a)* quatenus radicatur in certissimis veritatibus a Deo de Trinitate revelatis; *b)* quatenus ex his veritatibus humano studio procedit. Et quidem hoc alterum dupliciter: vel α) in quantum studium humanum, quae prius nondum indubitanter cognoscebantur sive firmabantur, iam certo nexu stabilivit; vel β) in quantum subtilius circa varios aspectus hinc et illinc inquirit.

2) His significationibus praemissis, apparet, licere in contrarium opinari quoad *b)* β); non autem quoad *a)* nec quoad *b)* α). Sed neque hoc pari ratione. Nam quod in *a)* continetur, semper et a rudioribus quoque in Ecclesia tenendum fuit et est. Quoad autem continetur in *b)* α) per progressum temporis soliditate crevit, et iam ad excultiorem doctrinam pertinet. Unde possunt dari veritates de quibus fas olim fuit dubitare, quin hodie dubium sinatur; insuper dubitare poterit

rudior, ubi theologus mentis haesitationem cohibere tenebitur.

3) At quoad elementum *b*) β), per se dubium, imo contraria opinio non interdicitur; modo tamen a recepta per traditionem doctrina nonnisi ex solida ratione, et quidem cum debita reverentia recedatur. Ita Scotum de inspirabilitate, cur non posset Filii vocari notio, cunctanter quaesivisse constat. Ita Vasquez, quae adducuntur ad innascibilitatem inter notiones servandam, non sibi prorsus concludentia videri testatus est.

4) Collige ex his, quod, si quis theologus contenderet *a*) *spirationem* non esse veram notionem, quia communis duabus personis; *b*) *innascibilitatem* non esse personalem, quia non refertur ad personam ut talem; tandem *c*) *improductionem* in Spiritu non minus esse perfectionem quam innascibilitatem, quatenus in divinis complementum non minus dicit perfectionis quam initium: certe ille diversimode impugnaret doctrinam de numero notionum receptam, quin tamen erroris in dogmate foret arguendus.

II. **Ad Textum.** - Obiectiones negligunt distinctiones superius expositas inter varios gradus certitudinis tum obiectivae, tum subiectivae.

Sed contra est. Corroboratur doctrina praesentis articuli per praxim Ecclesiae, quae tum in expositione dogmatis magnam libertatem theologis relinquit quoad conclusiones minus certas; tum fidei professionem exigit eamdem in rebus certis atque definitis. Inde ante proclamationem Immaculatae Conceptionis B. M. V. per longum tempus licitum fuit de hoc privilegio Deiparae reverentiale dubium movere; ita in ipso Concilio Vaticano praesules, aliunde zelo conspicui, citra fidei suspicionem Infallibilitatis Romani Pontificis non solum opportunam definitionem, sed et ipsam praerogativam impugnare potuerunt [1].

Recole et huc, quae supra a S. Bernardo deprompsimus circa litem dogmaticam cum Gilberto Porretano in Rhemensi concilio feliciter solutam.

[1] Inter priores citare placet fortissimum Germaniae Praesulem de Ketteler, ardentissimum Galliae Dupanloup; quas in hac re partes tenuerit perdoctus Héfélé, ex historia constat.

In Corpore. En schema huius argumenti.

- **Ad fidem aliquid pertinet**
  - I) *directe:* principaliter divinitus tradita:
    - *a*) negans, si
    - *b*) pertinax
    - } haereticus;
  - II) *indirecte:* ea ex quibus negatis sequitur haeresis:
    - *a*) ante
      - α) considerationem
      - β) determinationem (sine pertinacia)
      - } non haereticus;
    - *b*) post utrumque, cum pertinacia } haereticus (inde progressio fidei).

Corollarium ex hac Angelici doctrina fluit: magni scilicet faciendam esse mentis libertatem theologis apprime necessariam, ut dogmatis penitior decursu temporum perscrutatio, pulso omni angusto typo, quin et faecunda stimulante scholarum aemulatione, iuxta legem providae progressionis magis ac magis evolvatur. Huc spectat tritum illud Augustini: « In « necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas ». Aurea sane verba, tanto ingenio dignissima, cuivis theologicae cathedrae alte insculpenda!

Porro si cautius a dictamine traditionis recedendum est, in his quae ad contemplationem proprie attinent - utpote a tot praeclaris ingeniis miro acumine iam maxima ex parte in formam mirabilem extructa, - maior relinquatur libertas oportet in rebus eruditionis, ubi potius de fontibus auctoritatis perscrutandis agitur. Nullum quippe peritum latet, in his vastissimum superesse investigationibus campum; eoque pluris modernae scientiae laborem esse faciendum, quo perfectiora quotidie fiunt investigationis instrumenta. At et hic summopere commendandum, ut aequa lance iura traditionis et scientiae criticae ponderentur; imo ipsa traditio uti criticae investigationis elementum debito gradu teneatur. Cavendum quoque ab abusu tum processus negativi, tum inductionis hypotheticae; cui utrique vitio non pauci eruditi, et apud catholicos, in distructionem magis quam in aedificationem, praeter logici nexus dictamina, nimis indulgere conspiciuntur.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum ad Dei cognitionem mens nostra a posteriori per operum Dei contemplationem perveniat; haec autem opera sint opus commune trium personarum: non solum mens sibi relicta non potest certo ad Trinitatis cognitionem pervenire, sed argumenta imbellia urgendo tum rationi, tum fidei deroget oportet. (a. 1.)

2) Admoto autem revelationis lumine, mens ratiónes agnoscit quibus divinae personae innotescunt; quas rationes per abstracta praedicare cogit. Hae notiones dicunt *quo,* dum persona dicit *qui,* et essentia *quod.* (a. 2.)

3) Sunt autem hae notiones quinque numero iuxta rationes « qui a nullo, a quo alius, qui ab alio », quarum notionum tres Patrem manifestant: innascibilitas, paternitas, spiratio; duae Filium: filiatio et spiratio; una Spiritum Sanctum: processio. Quatuor autem sunt relationes (deficit innascibilitas); item quatuor proprietates (deficit spiratio). Notiones autem ipsae aliae sunt personales (paternitas, filiatio, processio), aliae personarum (innascibilitas, spiratio). (a. 3.)

4) Haec notionum doctrina, in quantum innittitur ipsis fidei fundamentis, aut veritatibus quae sine fidei detrimento negari non possunt, certo tenenda est. (a. 4.)

II MEMBRUM.

DE DIVINIS PERSONIS IN SPECIALI

Iam accedamus ad contemplandas divinas personas in speciali. Quod in hoc Membro II, idque per sex Quaestiones praestabitur, iuxta ordinem in tabella totius tractationis superius expositum (p. 2). Sit igitur primo de persona Patris.

Placet tamen huic tractationi, quae maxime circa nomina divinarum personarum versatur, prudens ac pium monitum praemittere S. Gregorii Nyssseni, de SS. Trinitate contra Eunomium agentis: « Si interpretatio quae fit per nomina « et verba complectitur quodammodo significatione quod « subiicitur; quod autem infinitum est non potest com- « prehendi; nullus merito inscitiam nostram culpaverit, quod « de non audendis non audacter loquamur. Quonam enim « nomine quod incomprehensibile est, complectar? Qua voce « enuntiabo quod nulla voce exprimi ant enuntiari potest? « Quoniam igitur Numen melius est omnique nominali signi- « ficatione excelsius, quae orationem omnem et cognitionem « superant, silentio colere et adorare didicimus. Et si in hanc « piam cautionem sive reverentiam sermonis insultat, ille « qui sapit eximie supra id quod sapere oportet » (Eunonium intellige) « .... et hoc profert ad nostrae inscitiae reprehen- « sionem, quod continuo ab erroris discipulis protenditur, hoc « nempe: *Vos adoratis quod nescitis,*[1] si essentiam eius quod « adoratur ignoratis: non secundum prophetae consilium « opprobrium insipientium metuemus, neque propter contem « ptum ipsorum contra ea quae nulla voce possunt expri- « mi, audacter loquemur »[2]. Scilicet nomina personalia quae

[1] Ioann. iv, 22.

[2] *Ctr. Eunom.* l. iii P. G. t. xlv col. 602.

iam perscrutanda aggredimur, recte quidem personas distinguunt, non autem quas nominant, comprehendunt. Quare etsi deficiunt, nullo modo spernenda; nec quia verum dicunt, tanquam totum dicentia sunt exaltanda. Scilicet arcana Dei, qualia Paulus in raptu cominus introspexit, non patent humano eloquio, quia res ipsa eloquenda humanam mentem latet.

Nihilominus nomina sunt, imo personalia; et quatenus nominant, qualemcunque mysterii expositionem multum illustrant.

I. - DE PERSONA PATRIS.

QUAESTIO XXXIII.

Ordo Quaestionis. - Triplex nomen praecipue occurrit quo Pater appellari solet. Vocatur enim *Principium, Pater* et *Ingenitus*. De quibus hoc ordine singillatim, et quidem unico articulo de Principio et de Ingenito; duplici autem de Patre, quum divina paternitas, praeter significationem propriam, personalem, habeat et respectum communem, essentialem. Unde quatuor articulis Quaestio praesens circumscribitur.

A. - DE PRINCIPIO.

ARTICULUS I.

UTRUM PATRI COMPETAT ESSE PRINCIPIUM.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Ut haec Quaestio facilius solvatur et textus Aquinatis pleniorem sensum prae se ferat, tria iuvat ab exordio considerare: *a*) quid formaliter intelligatur per principium; - *b*) quotupliciter Deus principium dici possit; - *c*) quodnam sit principalitatis Patris ad intra fundamentum.

2) Per *principium* formaliter intelligitur illud a quo est aliud. Proin principium duo ponit; *a*) distincta, saltem duo; et

b) ordinem unius ab alio. Iamvero quum ordo multipliciter dici possit, multiplex ratio principii est. Et praesertim distinguitur ordo localis, partialis, originalis, et causalis. - Ratione prioris, punctum est principium lineae; ratione secundi, totum est principium dimidii; ratione tertii, sol est principium luminis; ratione quarti, vapor est principium motus.

Unde apparet, latius patere principium quam causam, nisi sumatur alia causa late dicta [1], alia stricte dicta. - Quare etsi causa stricte dicta ponat effectionem et dependentiam; principium non dicit nisi distinctionem et originem ordinis [2]. Liquet igitur, secundum tertium sensum, originis, Patrem esse principium Filii.

3) Porro *quadruplex* inveniri potest ratio principii in divinis. - *a*) Primo quidem *ad intra* ratione *creationis,* Deus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, est principium omnium rerum, causaque; et omnia creata effectus sunt divinae potentiae.

b) *Ad intra* omnis processio ponit principium et terminum ad quem. Unde in Deo non solum Pater est principium Filii, sed et *c*) Pater et Filius sunt co-principium Spiritus Sancti.

d) Tandem sicuti in creatis principium primum dicitur principium totius generis in quo est, licet sui ipsius non sit principium, v. gr., Adam principium generis humani; ita, sensu longe altiori, cum exclusione principii a quo sit ipse, quum nullum supra ac ordinem habeat nec habere possit, Pater vocari potest principium Deitatis, uti loquitur Augustinus, vel secundum expressionem concilii Toletani XI: Fons est et origo totius Trinitatis.

4) Ex his quae n. 2. dicta sunt, iam intelligitur, originem Filii a Patre esse in Patre fundamentum principatus. Quare si in principio consideras mere « τὸ a quo alius procedit », identificatur cum « paternitate »; si consideras « τὸ non ab alio », quatenus est principium primum, identificatur, at forma affirmativa, cum « innascibilitate ».

5) Adverte insuper, Patrem optime dici « auctorem » Filii, sicut et Filius cum Patre auctor Spiritus Sancti nun-

[1] Hoc sensu non raro locutos esse Patres graecos, in comperto est.

[2] Cf. quae de hoc argumento diximus in tractatu *De Deo uno*, ubi examen criticum instituimus definitionis: « Deus ens causa sui ».

cupatur. Auctor enim desumitur ab activa productione, quae aliquid amplius ponit quam merum principium, et ideo etiam apud homines ad designandos parentes invaluit. Non tamen involvit, sicut causa stricte dicta, imperfectum ratione effectionis et subordinationis ac dependentiae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit causam in sensu proprio et in sensu improprio. In sensu proprio repugnat de Patre ad intra usurpari; in sensu improprio non quidem repugnat, sed apud Latinos ad vitandam falsam intellectionem non in usu venit [1]. - (Cf. de hoc argumento S. Th. in prooemio opusc. contra errores Graecorum).

2. Obi. Pariter non distinguit sensum absolute tolerabilem et sensum usu receptum.

3. Obi. Confundit etymon cum practica significatione.

Sed contra est. Ex hoc textu apparet, S. Thomam considerare in Patre principium singulare. Etenim iuxta hunc sensum Augustini, nullo modo de Filio principium praedicari potest.

Totam doctrinam huius articuli egregie habes sequentibus Augustini verbis expressam: « Dicitur ergo relative Pater, « idemque relative dicitur principium, et si quid forte aliud. « Sed Pater ad Filium dicitur, principium vero ad omnia « quae ab ipso sunt. Et principium dicitur Filius. Sed num- « quid Patris principium? Creatorem se quippe ostendere « voluit, cum se dixit esse principium, sicut Pater princi- « pium est creaturae, eo quod ab ipso sunt omnia..... Et « ideo cum dicimus et Patrem principium et Filium princi- « pium; non duo principia creaturae dicimus. Si autem quid- « quid se manet et gignit aliquid vel operatur, principium « est ei rei quam gignit; non possumus negare etiam recte

[1] Invenitur tamen. Ita Augustinus: « Deus omnium quae sunt, causa est. Quod autem rerum omnium causa est, etiam sapientiae suae causa est; nec unquam Deus « sine sapientia sua. Igitur sempiternae suae sapientiae causa est sempiterna; nec « tempore prior est sua sapientia » *. Quam autem discrepet hic loquendi modus a formula « Deus causa sui » alibi impugnata, patet. Item, de verbo disputare nolens, concedit alibi Patrem eatenus dici posse auctorem Filii, quatenus « ille genuit, « genitus est iste ». (*Ctr. Max.* II, c. 14, n. 6. — *P. L.* t. XLII, col. 773).

* Lib. Qq. LXXXIII, Q. 16. — *P. L.* t. XL, col. 15.

« Spiritum Sanctum dici principium.... Unum ergo princi-
« pium ad creaturam dicitur Deus, non duo vel tria principia.
« Ad se autem invicem in Trinitate, si gignens ad id quod
« gignit principium est, Pater ad Filium principium est, quia
« gignit eum. Utrum autem et ad Spiritum Sanctum prin-
« cipium sit Pater, quoniam dictum est, de Patre procedit,
« non parva quaestio est. Quia si ita est, non iam princi-
« pium ei tantum rei erit quam gignit aut facit, sed etiam
« ei quam dat.... Si quod datur, principium habet eum a
« quo datur, fatendum est Patrem et Filium principium
« esse Spiritus Sancti, non duo principia: sed sicut Pater et
« Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus Creator
« et unus Dominus; sic relative ad Spiritum Sanctum unum
« principium, ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus
« Sanctus unum principium, sicut unus Creator et unus
« Dominus » [1].

In Corpore. Ad sensum strictiorem in *Sed contra est* expositum, intellige doctrinam huius *Corporis.*

Ad 2m. Ad rectam intelligentiam effati heic allati adverte, hanc legem de nominibus communibus supponere, modum convenientiorem creaturae qui per nomen specialius exprimitur, non continere in se aliquam perfectionem quae Deo optime convenit, et quae in nomine communi non tam bene adsignificatur. Exemplum habes ex ipsa generatione, quae, licet modus specialis processionis, melius tamen de Filio praedicatur quam communior processio.

En locus integer Hilarii: « Si igitur donantis auctoritate
« Pater maior est, numquid per doni confessionem minor
« Filius est? Maior itaque donans est; se minor iam non
« est, cui unum esse donatur. Si non hoc donatur Iesu, ut
« confitendus sit in gloria Dei Patris, minor Patre est. Si autem
« in ea gloria donatur ei esse, qua Pater est: habes et in
« donantis auctoritate, quia maior est, et in donati confes-
« sione, quia unum est » [2]. In quo vides, Hilarium, Graecos secutum, verba Domini: « Pater maior me est », secundum divinam formaliter in Christo personam intellexisse, non

[1] *De Trinit.*, l. v, c. 13, 14. — *P. L.* t. XLII, col. 920, sq. — Cf. dicenda in Q. XXXVI, art. 4.

[2] *De Trinit.*, l. IX, n. 54. — *P. L.* t. X, col. 325.

secundum assumptam naturam, quemadmodum ea Latini passim interpretari solent.

Ad 3m. Observa, aliam esse prioritatem temporis sive realem; aliam rationis sive nominalem. - Repugnat sane, Patrem esse Filio priorem realiter; nihilominus prima persona praedicari non solum potest, sed et debet.

Conclude ex hoc toto argumento, Patrem sextupliciter principium vocari posse: 1) Relate ad opificium creationis, quatenus simpliciter cum Filio et Spiritu Sancto est unum principium. - 2) Relate ad idem opificium, quatenus per appropriationem creatio peculari modo Patri tribuitur. - 3) Relate ad idem opificium cum hac appropriatione, ac simul cum adsignificatione rationis cui haec appropriatio innititur, iuxta verba Ioannis, omnia per Verbum, hoc est a Patre per Verbum facta esse. - 4) Ad intra, quatenus Pater simul cum Filio ad modum unius principii dat Spiritum Sanctum. - 5) Ad intra, quatenus Pater gignit Filium. - 6) Ad intra quatenus uti Filium gignens, est principium totius Deitatis, fons et origo totius Trinitatis, quemadmodum loquuntur Augustinus [1], Pseudo-Dionysius [2] et Conc. Tolet. XI [3].

In sensu ultimo completur gradatio, et tota ratio huius appellationis invenitur. Quare, principiatio si vox esset in usu, diceret in Patre simul proprietatem, relationem et notionem personalem.

Corollarium I. Sicuti Graeci non abhorrebant a vocabulo « αἰτία » (causa) de Patre, ita nec a vocabulo « αἰτιατόν » (causatum) de Filio; at uti dictum, in latiori ambitu, qui respondet termino nostro « principium ». Pariter sicuti Pater est ipsis ἀρχή, relate ad Filium, ita principium non a principio est ἄναρχος. Nihilominus ad excludendum omnem effectionem et initium quodvis ordinis temporalis sive realis, et Filium ἄναρχον proclamant. Audiatur S. Gregorius Nyssenus: « Cum « vox ἀρχῆς in magna sit significationum habitu interdum τοῦ

[1] « Totius divinitatis, vel si melius dicitur, deitatis principium est Deus » (*De Trinit.*, l. IV, c. 29. — *P. L.* t. XLII, col. 908.)

[2] *De div. Nomin.* II.

[3] « Ipse (Pater) a nullo originem ducit, ex quo et Filius nativitatem, et Spi- « ritus processionem accepit: fons ergo ipse et origo est totius divinitatis ». (Denzinger. — op. cit. n. 222.)

« ἀνάρχου apellationem non abhorrere ab unigenito Filio. Nam « quando in voce ἀνάρχου nihil intelligitur aliud, nisi quod ex « nullo penitus principio habet ut subsistat, hoc ipsum solius « Patris esse confitemur. Cum autem de reliquis principii signi- « ficatis inquisitio fit, quoniam et creationis principium est et « temporis et ordinis; etiam in iis unigenitum Filium omni « principio superiorem esse testamur, ut supra omne crea- « tionis principium et temporis notionem et ordinis consecu- « tionem illum esse credamus, per quem omnia facta sunt. Ita- « que quem ratione subsistentiae non expertem esse principii « putamus, in reliquis omnibus carere principio fatemur » [1]. Vides proin, quam efficaciter Patres refellerint querelam Arianorum: « ob id insectamur quod diximus: principium habet « Filius: Deus autem caret principio » [2]. Est quidem Filius a principio, sed genitus, non factus; aeternus ac Deus. Imo idem Gregorius divinitatem Filii ex hoc ipso demonstrat, quod sine ulla successione temporali est a principio sine principio [3].

Corollarium II. Quaemadmodum Filius est simul a principio quin inde detrimentum accipiant eius non effectio et aeterna subsistentia divina, ita quoque Pater est principium quin inde excludatur a dignitate principii Filius et Spiritus Sanctus. Aliter tamen et aliter.

1) Filius, qui seipsum appellavit: « Principium qui et lo- « quor vobis [4], » quadruplici sensu hoc nomen possidet. *a*) Ad intra, quia cum Patre est unicum commune principium spirationis a qua procedit Spiritus Sanctus. - *b*) Ad extra, quatenus cum Patre et Filio est universi Creator. - *c*) Sensu mixto, quatenus Pater omnia fecit per Verbum ac ita Verbum est quasi principium omnium a Deo procedentium. - *d*) Demum ratione Incarnationis, quatenus Christus, Homo - Deus, est principium salutis, caput Ecclesiae, princeps praedestinatorum. Unde et ab Isaia appellatur: « Pater futuri saeculi, prin- « ceps pacis » [5].

[1] *Ctr. Eunom.* I. — *P. G.* t. XLV, col. 396.
[2] Ep. Arii ad Eusebium Nicom.
[3] Ibid. col. 301.
[4] IOANN., VIII, 25.
[5] Is., IX, 6.

2) Spiritui Sancto principium dupliciter competit. *a*) In ordine naturae, quatenus est Deus Creator; - *b*) in ordine gratiae, quatenus ipsi tribuitur peculiari modo sanctificatio animarum, quas sui infusione inhabitat Deoque veluti templa sacrat [1].

Appendix de distinctione inter principium quod et principium quo.

Distinguere solent philosophi in actione producente, principium quod et principium quo. Principium *quod* est ipsum active procedere faciens. Principium *quo* est virtus a qua est processionis actio. Omnes conveniunt, in SS. Trinitate Patrem esse principium *quod* Filii; Patrem et Filium principium *quod* Spiritus Sancti. At de principio *quo* maior movetur quaestio.

Aureolus quaestionem ex toto seponit. Durandus principium *quo* invenit in divina essentia, uti foecunda concipienda ante ipsum intellectionis et amoris actum; sed hoc non sufficit. Quodnam enim erit in hac sententia fundamentum distinctionis utriusque processionis? Sit igitur natura principium *quo remotum*, non autem *proximum*. De quo principio proximo aliter et aliter theologi. S. Bonaventura et Dionysius Carthusianus illud reponunt in relatione seu proprietate personali, v. gr., in ipsa paternitate. Scotus in ipso actu generationis et spirationis, in quantum cogitantur uti formaliter distincti ab actu intelligendi et volendi tanquam fructus utriusque. Thomistae demum in essentia formaliter quatenus est actus intelligendi et volendi, cum relatione oppositionis, quam uterque secum fert. Quem actum cum sua relatione immediate logice sequitur ipsa persona tanquam principium maxime et immediate proximum. Huic sententiae subscribimus.

[1] Vides inde gradationem. Principium esse Patri competit sextupliciter, Filio quadrupliciter, Spiritui Sancto dupliciter.

Accipe schema hanc totam doctrinam complectens:

- **Principium**
  - I) **quod**
    - a) Pater ad Filium;
    - *b*) Pater et Filius ad Spiritum S.:
    - } maxime, immediate proximum.
  - II) **quo**
    - *a*) *remotum* (natura);
    - *b*) *proximum*
      - α) non ipsa relatio,
      - β) nec ipse gignendi et spirandi actus,
      - γ) sed foecunditas intellectus et voluntatis, cum adsignificatione relationis oppositae.

De correlatione inter *Principium* et *Ingenitum*, vide dicenda in fine articuli 4. huius Quaestionis.

B. - DE PATRE.

ARTICULUS II.

UTRUM HOC NOMEN PATER, SIT NOMEN PROPRIE DIVINAE PERSONAE.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Sicuti principium dicitur ad intra et ad extra; ita paternitas dicitur de Patre ad Filium et de Deo ad creaturam. Quaerendum ergo nobis est de ratione utriusque et de relatione unius ad alteram. - De priori hic, de altera in articulo sequenti.

2) Quaestio praesens duplex est: *a*) utrum nomen Pater sit nomen personale; *b*) utrum sit nomen proprium uni personae. Ad utramque affirmando respondetur. Etenim *a*) licet apud nos sit nomen relativum, in Deo, in quo relationes sunt subsistentes, est simul personale. Quare praecise significat eam personam quae est subsistens Paternitas.

b) Proprium autem esse nomen, iam probatur ex eo quod desumitur a relatione quae propria est. Quare sicuti paternitas ad omnia creata soli Deo competit, ita paternitas ad personam divinam soli Patri.

Porro adverte momentum praesentis doctrinae. Dogma enim SS. Trinitatis non potest defendi contra utrimque illud oppugnantes nisi Patris nomen in presso sensu uti proprium

personae teneatur. Sabellius enim docebat, Deum nonnisi muneris ratione vocari Patrem; Arius autem autumabat Deum non esse nisi improprie Patrem, quum Filium non haberet sibi in divinitate aequalem. Sola doctrina christiana utrumque haereticum confutat, distinctionem realem praedicans inter Patrem et Filium, ita tamen ut vere Pater sit, qui Filium sibi consubstantialem Deum de Deo gignit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Abstrahit a subsistentia divinae relationis, in qua totum est.

2. Obi. Non considerat maiorem perfectionem quae in « patre » prae « generante » exprimitur.

3. Obi. Arguit ac si ratio verbi in Deo eadem esset ac in nobis.

4. Obi. Confundit prioritatem quantum ad rem significatam (unde vera ratio nominis proprii), cum prioritate quantum ad modum significandi.

Sed contra est. Elegit S. Thomas ex psalmis sententiam in qua magis explicite paternitas Dei exprimitur; quae licet de Christo dicatur, non minus ad personam divinam referenda est. Unde duo dogmata ex hoc loco validissime probantur: alterum de paternitate interna, alterum de unione hypostatica in Verbo.

Patrem esse vere et proprie primae personae nomen, ex aliis Scripturae documentis apparet, et apud Ecclesiae Doctores in confesso habetur. In V. T. legitur: « Ipse invocabit « me, Pater meus es tu » [1]. Et Christus Dominus ait: « Pater.... « manifestavi nomen tuum hominibus.... Et notum feci eis « nomen tuum et notum faciam; ut dilectio, qua dilexisti me, « in ipsis sit, et ego in eis » [2]. Ac si diceret, revelationem Patris esse conditionem praerequisitam ut amorem Patris et Filii, Spiritum Sanctum ab utroque missum in se recipere possint.

Nec solum in hac ultima solemniori oratione Christus ad Patrem suum appellat. Quin imo passim eum hoc nomine tum orando invocat [3], tum docendo designat; ita ut nulla

[1] Ps. LXXXVIII, 27.

[2] IOANN., XVII, 1, 6, 26.

[3] Cf. orationem Domini antequam Lazarum e vivis suscitavit. IOANN., XI, 21.

ratio huius constantis appellationis dari possit, quam proprietas huius nominis ex proprietate ipsius aeternae divinae generationis. Quod indirecte confirmatur ex constanti appellatione Filii quam Christus de semetipso usurpat, etiam quando Patrem simpliciter vocat Deum, uti in colloquio nocturno cum Nicodemo: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum « unigenitum daret » [1]. Iam vero quomodo Filium unigenitum haberet, qui Pater non esset? Unde et ipse Filium suum alloquitur ac mundo ostendit.[2]

Proprietatem huius nominis S. Cyrillus Alex. ita commendat: « Hoc enim (Patris scilicet) dignitatis, Dei nomen « substantialis significativum est proprietatis. Deum enim si « dixeris, rerum omnium Dominum ostendisti: Patrem vero « si appellaveris, proprietatem attigisti. Deus dicitur et Domi- « nus, quatenus mundum creavit; Pater appellatur, quia « Filium aeternum sibi consubstantialem et Deum genuit » [3].

Alias auctoritates hic acervare, operae pretium non est. Centena loca Patrum essent adducenda. Confer interim quae supra iam attulimus, ubi, v. gr., de processione egimus; necnon quae infra recurrent, ubi sermo erit de proprietate nominis Filii.

In Corpore. Doctrina huius articuli sequitur immediate ex notione paternitatis, quam demonstravimus esse notionem non solum personae, sed et personalem.

Ad 1.m Adverte sedulo, quod, licet in creatis, pater saepissime exprimat personam, nihilominus per se non exprimit nisi relationem; non solum quia *pater* non idem est quod *hic pater,* sed etiam quia in *hoc patre* relatio ipsa non est subsistens, sed accidentalis. In Deo autem non datur Pater et hic Pater; et Pater est ipsa relatio subsistens.

Ad 2.m Sicuti generatio exprimit actum, ita in unaquaque persona terminis huius generationis exprimitur formalitas actionis et passionis. Haec in Patre est generans, in Filio genitus. Quod si iidem termini considerentur in suo pleno esse perfecto, vocantur Pater et Filius in concreto; relatio substantialis inter ambos manens vocatur paternitas et filiatio.

[1] Ioann., iii, 16.
[2] Matth., iii, 17.
[3] *In Ioannem.* l. xi, c. 7. — *P. G.* t. lxxiv, col. 500.

Ad 4.m Si formae distinctio esset formalis ratio paternitatis, recte procederet obiectio; sed paternitatis formalis ratio est similitudo in eadem communicata natura; quae similitudo si insuper in eadem sit *numero* natura, perfectissima est.

Ad textum allatum adverte interpretationem D. Thomae. Verba: « ad Patrem Domini mei I.-Ch. » debent intendi secundum naturam divinam, quia non est nisi unus Dom. I.-Ch., scilicet Filius Dei. Unde omnis paternitas praedicatur esse ab illa aeterna Verbi processione per paternitatem Patris. Quod additur « in caelo et in terra », iam potest intelligi in caelo quoad Verbum, in terra quoad adoptionem; rursus in caelo quoad spiritus coelestes, in terra quoad homines. Prior sensus forte profundior.

Scholion. Idem nomen est *Pater* et *Genitor;* unde licet directe in Scripturis hoc alterum nomen non occurrat, indirecte tamen adest quotiescumque Filius dicitur genitus vel Unigenitus. Si *Pater* magis exprimit generationem perfectam; *Genitor* magis insinuat iugem huius processionis actum simplicem et aeternum: « Ego *hodie* genui te ». Recte igitur Liturgia hoc quoque nomine utitur: « Genitori, Genitoque, laus et iubilatio ».

ARTICULUS III.

UTRUM PATER DICATUR PER PRIUS PERSONALITER.

L. **De ipsa Quaestione.** - 1) Non solum in hoc articulo considerantur, sicut in ultima obiectione, paternitas Patris in sua relatione cum paternitate humana; sed paternitas divina interna, relate ad paternitatem ad extra seu externam.

Factum autem multipliciter constat. Dicit Christus: « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum « meum et Deum vestrum » [1]. Patrem nos orare docet [2]; Patris nos imitari perfectionem iubet [3]. Insuper quum Filius sit primogenitus fratrum [4], per Christum habemus Patrem

[1] Ioann., xx, 17.
[2] Matth., vi, 9.
[3] Matth., v, 48.
[4] Rom., viii, 29.

Deum [1]. Imo tota creatura ad Patrem in Scripturis refertur [2]. Quaeritur proin de prioritate.

2) Iam vero duplex est prioritas: alia temporalis, alia logica. Si prioritatem temporalem consideras, dubium non est, quominus paternitas ad intra prior sit intelligenda; quippe quae ab aeterno existit ac necessario; dum paternitas ad extra non existit nisi ab initio creationis, idque contingenter [3]. Maiorem difficultatem movet quaestio de prioritate logica; non quidem de prioritate exemplari, qualis est inter Christum et nos ad Patrem: haec enim logice prior est in Christo quam in Sanctis Vet. Test., prior in Virgine Immaculata prae omnibus aliis beatis; sed de prioritate logica quoad modum significandi.

3) Cuius quaestionis solutio si mere petatur a praehabito ultimo responso, plana est. Nam si perfectio ipsa paternitatis facit esse prius, evidenter per prius dicitur de Verbo interno, quam de rebus creatis. - At si perpendatur, logice prius illud esse quod nobis prius innotescit, videtur aliter potius solvenda: prius enim cognoscimus, Deum esse auctorem omnium rerum, quam esse Patrem et Filium.

Resp. a) Aliud est quaerere, quid sit prius quoad modum significandi; et aliud, quoad rem significatam.

b) Rursus, aliud est scire Deum esse auctorem rerum creatarum; aliud, hanc relationem vocari posse paternitatem. - Certum est, solas Scripturas nos hanc appellationem docere; insuper omnia quae ad elevationem et ad adoptionem filiorum pertinent, ratio nullo modo cognoscere potest, sed a sola fide per revelationem accipit.

Unde si quaeritur ratio huius appellationis Patris in Scripturis Creatori datae, desumi videtur non a mero naturali conceptu effectionis, sed altius a paternitate interna, cuius creatio ad extra est veluti quaedam extensio et imitatio. Recte igitur etiam quoad modum significandi per prius dicitur paternitas personalis quam essentialis [4].

[1] Ioann., xx, 17.

[2] Is., lxiii, 16.

[3] Utique a parte termini; nam in principio, utpote immutabili, nihil esse potest, quod non sit aeternum.

[4] Adverte: aliud est, Iovem appellari mythologice patrem deorum, aut tellurem pantheistice matrem hominum; aliud, deistice Deum creationis dici Patrem.

4) Porro licet paternitas ad extra ratione creationis se extendat ad omnia opera divina, duplex tamen habetur respectus ad creaturam sibi relictam et ad creaturam per gratiam elevatam.

a) Naturalia a Patre Deo creari dicuntur, quatenus continent in se imitationem aliquam divinorum attributorum; secundum vero quod attributa essentialia ostendunt, vel etiam ipsas proprietates personales plus minusve clare exprimunt, dicuntur esse vestigia vel imago Dei.

b) Supernaturalia dona paternitatem divinam speciali titulo manifestant, quia tendunt ad participationem vitae divinae, ac proin consistunt in quadam nova filiatione per adoptionem in filios, iuxta verba Scripturae: « dedit eis potestatem « filios Dei fieri » [1], « ut per haec efficiamini divinae consortis « naturae » [2], « quod si filii, et haeredes, haeredes quidem « Dei, cohaeredes autem Christi » [3]. Hoc consortium divinae naturae, quod S. Thomas esse quoddam divinum appellat [4], communicatur nobis per gratiam elevantem, hoc est per infusionem spiritus charitatis in animam iustorum [5]. Haec autem elevatio est in adoptionem, nam iste Spiritus testimonium reddit in nobis quod sumus filii Dei, clamans in nobis Abba, Pater [6]. Utraque autem gratia, sive uterque gratiae respectus sese evolvit in vita futura, ubi elevatio culmen suum attingit, ipsum sinum Dei, et adoptio « in gaudium Domini », veluti in haereditatem intrat [7].

5) Gradus igitur sive respectus paternitatis divinae ad extra sunt duplicis generis; in ordine naturali et in ordine supernaturali.

a) Primum genus continet duos gradus, vestigium et imaginem. *b*) Alterum genus continet duos respectus et duplex stadium, respectum elevationis, et respectum adop-

[1] Ioann., i, 12.
[2] II. Petr., i, 4.
[3] Rom., viii, 17.
[4] II. *Dist.*, xxvi, Q. 1, a. 5.
[5] Rom., v, 5.
[6] Rom., viii, 15.
[7] Matth., xxi, 23. De hac supernaturalis ordinis paternitate eloquentissime disseruit hoc ipso anno in cathedra famosa N. D. Lutetiae Parisiorum Cl. P. Etourneau, Carême 1900. *Notion évangélique de la Providence. - L'idée évangélique de la Providence paternelle de Dieu dans l'ordre surnaturel.* Cf. inter alias *Confér.* 5.

tionis in stadio viae, glorificationem ex utraque in stadio patriae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non sumit commune utrimque in eodem sensu. Cf. resp.

2. Obi. Confundit sensum univocum cum aequivoco. Prior, in quo esset vis, negatur, ac proin corruit difficultas.

3. Obi. Solvitur ex praecedenti distinctione.

Sed contra est. Ratio quae heic affertur, agit de prioritate reali, non formali. In Deo una prioritas est principium alterius, et duae rationes in unam conspirant; in creatis vero optime fieri potest ut tempore prius, sit logice posterius.

Confirmatur egregia huius articuli doctrina per legem appropriationis, secundum quam opus creationis speciali titulo Patri tribuitur, iuxta formulam Symboli: « Credo in Deum « Patrem omnipotentem ». Quo magis enim paternitas Dei ad extra radicatur in paternitate ad intra, eo magis apparet ratio huius appropriationis ad extra.

In Corpore. Vides quod, licet possit distingui inter similitudinem gratiae et adoptionem filiorum, nihilominus hic duplex respectus entitative et temporaliter unus est. Elevatio quippe est principium destinationis. Relate ad ultimam similitudinem gloriae, manet elevatio uti fundamentum gloriae, sed destinatio transit in possessionem, in qua dotes quae latenter in gratia continebantur, sese per gloriam expandunt [1].

Ad 1.m Vis solutionis in hoc est. Ut vere dicantur proprium et commune ad invicem, oportet ut adsit idem respectus; et tunc valet lex sermonis, qua per prius intelligitur commune. Quando vero respectus diversificatur, quaerendum est de prioritate inter ipsos respectus. In casu, proprium dicitur ad intra, commune ad extra; videndum proin, utrum prioritatem involvat.

Quare rectissime S. Th. solvit obiectionem per hoc, quod generatio ipsa interna Verbi est principium productionis creaturarum. Quae locutio duplicem et verissimum sensum habet.

[1] Unde alibi, de distinctione gratiarum agens, S. Thomas affirmat, non aliam esse numero gratiam gloriae a gratia per quam nunc iustificamur: « sicut enim « charitas viae non evacuatur, sed perficitur in patria: ita etiam et de lumine gra- « tiae est dicendum ». I.-II. Q. CXI, art. 3. ad 2m.

a) Primo quidem, Verbum esse principium omnis foecunditatis divinae, quatenus Deus non posset creare, nisi generasset Filium et cum ipso Spiritum spirasset. *b*) Secundo Verbum procedere uti imaginem Patris, uti ideam aeternam, continentem in se infinitam imitabilitatem, quae est principium omnium rerum. Iuxta utrumque sensum, magis autem iuxta alterum, S. Ioannes in exordio Evangelii sui ait: « Per ipsum « omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum « est, in ipso vita erat ».

Ad 2. et 3.m Adverte, unigenitum et primogenitum in se aliquo modo differre: nam primum excludit alios, inter quos alterum videtur ponere ordinem [1]. Nihilominus quum in primogenito hic ordo non diserte affirmetur, potest unigenitus vocari primogenitus, uti in Scripturis de filio Mariae occurrit [2].

Quod si primogenitus dicitur Verbum, strictu sensu potest sumi de natura humana; lato quoque sensu de natura divina, secundum quam analogice et nos filii sumus Dei. Fratres enim sumus univoce secundum Christum-Hominem, analogice secundum Christum-Deum. Sed de nomine *Primogenito* infra ex professo agemus.

Corollarium. - Quemadmodum SS. Trinitas, in Antiquo Testamento adumbrata tantum, in Novo aperte revelata est, ita quoque paternitatis habitus Dei ad creaturas in eodem expressius est manifestatus. Sub Lege enim Vetere timor dominabatur, quippe erat ipsa Lex timoris, spiritum servitutis gignens; sed adveniente Filio, ecce hic spiritus cedit in spiritum adoptionis et filiationis. Exclamatio proin in quam prorumpit anima christiana, iam quasi minus est reverentiae quam amoris; edocta sane ab ipso Christo, qui orationem suam in monte exorsus est per verbum « Pater noster », id est, « Pater meus et vester; Pater, vobis uti fratribus meis, « deinceps communis ». Unde sine excessu dici potest, hanc primam invocationem Orationis Dominicae fuisse veluti novam

[1] Hanc oppositionem urget S. Cyrill. Alex. (*De Trin.* x. — *P. G.* t. LXXV, col. 1160).

[2] Leg. de hoc nomine Primogeniti, S. Cyrill. Alex. (*Thesaur.* Ass. XXV. — Ibid. col. 401, sqq.).

revelationem, qua Christus implicite discrimen proclamavit quod novam Legem amoris ab antiqua timoris Lege discerneret. Quod utique discrimen urget veritatem, quam S. Thomas in praesenti articulo contemplatur.

Hanc totam doctrinam S. Paulus complectitur his verbis: « Ubi venit plenituto temporis, misit Deus Filium suum factum « ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redi- « meret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem « estis filii, misit Deus Spiritum Filii in corda vestra claman- « tem, Abba, Pater. Itaque iam non est servus, sed filius; quod « si filius, et haeres per Deum » [1].

C. - DE INGENITO.

ARTICULUS IV.

UTRUM ESSE INGENITUM SIT PATRI PROPRIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam de tertio nomine quod Patri veluti proprium tribui solet, de *Ingenito.* Antequam autem de hac appellatione disseramus, iuvat cum S. Cyrillo Alexandrino varias significationes huius vocis distinguere. « Si « Ariani, ait ille, nos aggrediantur, interrogantes utrum unum « sit *Ingenitum* an duo, ut, cum unum certe esse dixerimus, « ad Patrem id referentes, Filium inter creaturas collocemus: « ita respondere oportet, frivolam et ineptam interrogationem « esse: varias enim significationes habet *Ingenitum* » [2].

Et re vera, ut ibidem observat, ingenitum dicitur *a*) quod factum non est, at est factibile: v. gr., statua ex cera; *b*) quod nec factum est, nec factibile: v. gr., triangulus quadrangulus; *c*) quod est, nec tamen factum est: v. gr., Deus. Hic autem tertius sensus duplicem in se veluti gradum continet: α) quod simpliciter est et non factum est: et de Deo ob aeternam essentiam praedicatur; β) quod neque ab alio procedit: et non amplius de Deo indistinctum dicitur, sed de

[1] Gal iv, 4-7; - cf. Rom. viii, 14-17, ubi eadem prorsus doctrina, at ordine parumper diverso recurrit.

[2] *Thesaur.* Ass. I. — *P. G.*, t. lxxv, col. 23.

Patre, qui solum ex tribus personis non est ab alio. In praesenti articulo agitur de ingenito in hoc ultimo sensu *c*) β).

2) Porro his praemissis, ut esse *Ingenitum* Patri nomen proprium sit, oportet, iuxta doctrinam superius expositam de notionibus, *a*) ut sit aliqua perfectio et non mera negatio, seu privatio; *b*) ut non sit commune alteri personae; *c*) nec toti Trinitati sive divinae essentiae conveniat.

Ratione primi movetur duplex quaestio. Prior est, utrum ingenitum sit nomen relativum an substantiale; altera, utrum sit negatio, an privatio. De utraque quaestione pauca sint.

3) Ariani, ut negarent Filium consubstantialem Patri, docebant ingenitum esse diversum a genito; ingenitum autem dici secundum substantiam, ac proin geniti substantiam differre a substantia ingeniti; genitum ergo non esse Deum [1]. Contra catholica doctrina cum S. Thoma docet, ingenitum esse nomen relativum, at per modum negationis, quae in divinis aequivalet affirmationi efficacissimae. Vide dicenda inferius ubi de S. Augustino.

4) Unde iam solutio alterius quaesiti praeoccupata est. Nimirum negatio alia est materialis, sive quoad terminum qui adhibetur: et sic certe ingeniti proprietas est negativa; - alia formalis, quando aliquid negatur quoad rem: sic autem nullomodo est negativa in Patre, nam quoad rem ponit summam perfectionem et principium primum. Spiritus Sanctus e contra utroque sensu negativo ingenitus dici potest, quia revera per hanc appellationem negatur de illo modus procedendi Filii, quippe per quem Filius habet ut sit secunda persona SS. Trinitatis et ipsius Spiritus Sancti coprincipium.

5) Igitur ingeniti ratio in Patre non est negatio, sed, licet in forma materialiter negativa, summa affirmatio. Potestne saltem vocari privatio? Potest quidem, modo talis intelligatur, quae nullam imperfectionem involvat, quatenus scilicet non competit Patri aliqua relatio quae competit saltem alicui subsistenti in divina essentia, scilicet Filio, si sumitur in stricto sensu processionis per generationem; vel etiam utrique Filio et Spiritui Sancto, si sumitur in sensu processionis

[1] Inde S. Cyrillus Alex. in *Thesauro* tantopere insistit in negando, ingenitum dici secundum substantiam. Lege Ass. II. et III. (Loc. cit., col. 27-35).

in genere ab alio. Hoc altero sensu, non autem priori, dicit proprietatem singularem, seu personalem Patris.

6) Ex dictis liquet, quomodo in pleno termini sensu ingenitum esse non sit commune Spiritui Sancto et Patri; nam negatur in Patre talis processio per generationem, cum qua stat principium ad alias personas; quod nullomodo competit Spiritui Sancto. - Vel adhuc magis obvie, negatur non solum generatio in quantum est generatio, sed etiam in quantum est processio. - Cur autem dicatur ingenitus et non improcessibilis, habes ex responsione ad obiectionem quintam.

7) Pariter ex dictis apparet, ingenitum non esse commune toti Trinitati. Ingeniti enim sensus non solum est quod non sit ab alio, - sic enim competit essentiae divinae; sed quod sit principium ingenitum generationis, - quod non competit pleno et stricto sensu nisi ad intra, ratione Patris.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad legem sermonis, qua maxime in se positiva interdum ope vocabuli negativi, ex ipsa inopia linguae sive ex genesi conceptus, praedicantur.

2. Obi. Dilemma habet aliquam veritatem a parte prioris membri; licet in hoc deficiat, propter dicta in obi. 1; in altero autem membro peccat, quatenus falso supponit, omnem privationem involvere imperfectionem.

3. Obi. Haec Arianorum obiectio confundit sensum improprium et proprium τοῦ ingeniti; in sensu autem proprio non attendit ad relativum, quod in ipsa negatione involvitur.

4. Obi. Omnia pervertit, ac si eodem modo se haberent pluralitas procedentium, et pluralitas principiorum etiam primorum.

5. Obi. Perperam supponit, eamdem esse de ingenito et de improcessibili rationem, quod dupliciter falsum est: tum quia prior processio habet nomen speciale; tum quia ordine praecedit alteram.

Sed contra est. Tantopere nomen *Ingenitus* ab antiquo tribuitur Patri, ut et haeretici hoc nomine maxime abusi sint ad aequalem dignitatem Filii et Spiritus Sancti impugnandam. Nec mirum. Etenim a paganis iam philosophis summo rerum principio esse ingenitum tribuebatur. Ita Timaeus Locrensis, a quo hoc nomen primo inductum testatur

Theodoretus [1], ait: « unum principium omnium est ingenitum; « nam si genitum fuisset, non iam esset principium, sed illud « potius unde esset ortum ». Similia reperiuntur apud Parmenidem Eleatem, Platonem, Plutarchum [2].

Iam vero interpretationibus falsis haereticorum ansam praebere potuit ipsa duplex forma vocabuli ἀγέννητος et ἀγένητος. Nam hoc alterum, (a γένομαι quod dicit gignere in sensu latiori efficiendi) latine vertebatur *infectus*, *inoperatus;* prius, (a γεννάω quod dicit gignere in sensu propriae generationis) vertebatur latine *ingenitus, innatus, ab origine liber*. Quare ἀγένητος facilius ducebat ad Arianismum quam ἀγέννητος [3].

Ingenitum autem Patrem proclamant Doctores tam Graeci quam Latini, idque tanquam proprium ipsius. Iam ipse Ignatius Martyr scribit: « Medicus est noster solus verus Deus, « qui est ingenitus, et inaccessus, universorum Dominus et « Unigeni Pater et genitor. Habemus medicum et Dominum « nostrum Deum Iesum Christum, qui est ante saecula Filius « unigenitus et Verbum, etc. » [4]. Optime Ioannes Damascenus: « Etenim Pater causae, sui principii expers, et inge- « nitus. Non enim est ab aliquo. A seipso enim habet esse. « Nec eorum quae habet, quodnam ab altero habet. Sed ipse « potius principium est et causa omnibus ut sint, et ut natu- « raliter certo modo sint » [5].

[1] Lib. II. *ctr. Graec.*

[2] Cf. Petavius (Op. cit., lib. v, c. 1.).

[3] Lucidissime S. Ioannes Damascenus: « Sciendum enim est, τὸ ἀγένητον, quando « per unicum ν scribitur, significare id quod est increatum, sive non factum; « ἀγέννητον vero cum duplici νν, demonstrare id quod non est genitum. Iam secundum « priorem notionem, substantia differt a substantia. Nam alia est substantia increata, « sive infecta, quae ἀγένητος cum unico ν dicitur; alia quae γενητὴ vocatur, hoc « est facta et creata. At secundum posteriorem notionem substantia non discrepat a « substantia. Quippe in omni animalium specie prima condita natura ἀγέννητος, id « est, non genita dicitur, sed non ἀγένητος, infecta. Siquidem ab opifice creata sunt, « verbo ipsius ad ortum deducta; non tamen genita sunt; cum nullum ante alterum « existeret a quo gignerentur ». (*De fide,* lib. I, c. 9). Et auctor Homeliae XCIX. de Adamo: « Cedo differentiam Adami ab iis, qui ex ipso procreati sunt. Igitur Adamus « et γενητὸς est, id est factus, et ingenitus: γενητὸς quidem quia factus est: inge- « nitus vero, quatenus non est genitus ». Inter op. Chryst., l. v, ed. Sav., p. 650.

[4] *Ep. ad Ephes.* 7. versio longior. — *P. G.* V. col. 737. — Textus epistolae brevior, quem authenticum prae altero tenemus, ita habet: « Medicus autem unus est, et « carnalis et spiritualis, factus et non factus (γενητὸς καὶ ἀγένητος) in homine exi- « stens Deus,... Iesus Christus Dominus noster ». — Ibid. col. 649, sq.

[5] *De fide,* I.

Ita in Concilio Toletano XI. legitur: « Patrem quidem non « genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur ». Et de Spiritu Sancto: « Hic etiam Spiritus Sanctus nec ingenitus « nec genitus creditur, ne aut si ingenitum dixerimus, duos « patres dicamus, aut si genitum, duos filios praedicare « monstremur » [1]. — Simile invenitur in Symbolo Papae Damasi. — S. Athanasius in epist. ad Serapionem doctrinam Concil. Nicaeni his verbis refert: « Spiritus S. non est inge- « nitus, quia imprincipiatum esse et ingenitum soli Deo Patri « catholica Ecclesia congregata apud Nicaeam recte et fide- « liter attribuit, et de solo Patre hoc esse credendum et prae- « dicandum toti mundo sub anathemate mandavit ». In quibus verbis propugnatur haec ipsa *Ingeniti* explicatio quam hoc articulo S. Thomas vindicat. — Symbolum Athanasianum pariter praedicat: « Pater a nullo est factus, nec geni- « tus ». In quo habes duplicem significationem ἀγένητος et ἀγέννητος. — Ecclesia ipsa catholica in festo SS. Trinitatis canit: « Te Deum Patrem ingenitum, etc. ».

Item in Symbolo pro ordinandis episcopis legitur: « Ita « credo et confiteor, ut Patrem ingenitum, Filium unigeni- « tum, Spiritum Sanctum nec genitum nec ingenitum, sed a « Patre et Filio procedentem veraciter praedicem ».

Hanc trilogiam: ingenitus, genitus (seu unigenitus), nec genitus nec unigenitus, *S. Anselmus* egregie illustrat in c. 56. *Monologii:* « Sed videtur tamen amor idem, nec omnino secun- « dum communis locutionis usum dici posse ingenitus; nec « ita proprie sicut Verbum, genitus. Solemus enim saepe « dicere aliquid gigni ex ea re de qua existit: ut cum dici- « mus, splendorem aut calorem gigni ab igne, seu aliquem « effectum ex causa sua. Secundum hanc igitur rationem, « amor a summo Spiritu exiens, non omnino asseri potest « ingenitus; ita vero proprie, sicut Verbum, dici genitus non « potest; quia Verbum verissimam esse prolem, et verissi- « mum filium; amorem vero nullatenus filium aut prolem « esse, manifestum est. Potest itaque, imo debet dici solus « ille, cuius Verbum est, genitor et ingenitus; quia solus est « Pater et parens, et nullo modo ab alio est; solum autem

[1] DENZINGER (op. cit. 222, 224).

« Verbum genitum, qui solum filius et proles est; solus vero « amor utriusque, nec genitus, nec ingenitus, quia nec filius « est, nec proles est, nec omnino non est ab alio » [1]. Quae verba, quantopere cum doctrina S. Thomae concordent, ex *Corpore* et ex resp. ad 2. maxime apparet.

In Corpore. En argumenti schema.

In Deo habetur principium:
- 1) de principio - Filius a Patre;
- 2) *non de principio, seu primum, quod vocatur,*
  - *a*) quatenus habet relationem ad eos qui sunt ab eo:
    - α) paternitas,
    - β) spiratio;
  - *b*) quatenus ipsum *non est ab alio:* innascibilitas, seu esse *ingenitum.*

Quare, iuxta Aquinatem, *Ingenitum*, uti nomen proprium Patris, dicit principium primum, quatenus ipsum non est ab alio.

Ad 1.m Vide, quomodo Angelicus sibi constet. In *Corpore* appellationem *Ingeniti* contraxit ad primum principium uti non ab alio. Si iam huic notioni addis vel *a*) a quo alii, vel *b*) quod caput aliorum, affirmas utique verissimum, sed magis trahis *ingenitum* ad standum simul pro *paternitate* et *spiratione.* Igitur sufficit *ingenito* significatio primi principii, uti non ab alio; modo animadvertatur, hac forma negativa exprimi rem maxime positivam.

Observa autem: aliud est, quod ingenitum *significet* utrumque: relationem negativam et fontalem plenitudinem; aliud, quod ratione proprietatis *contineat* in se simul principium. Unde per hanc distinctionem utique pertenuem, vitatur inconveniens contradictionis, quum in resp. ad 2.m S. Th. ad illud adsignificatum recurrat, ut rationem ingeniti a Spiritu Sancto excludat.

Ad 2.m Verba « *ut sic intelligatur* », etc. ita intellige: Esse ingenitum, est tamquam ratio specificans in genere principii personalis, quatenus in genere principii sunt Pater ad Filium et Spiritum Sanctum, et Filius ad Spiritum Sanctum; quorum tamen unum est ingenitum, alterum genitum. Ex hac responsione corroboratur explicatio ad 1m.

[1] *P. L.* t. CLVIII, col. 303, sq.

Schemate sequenti potest haec responsio illustrari.

Ingenitus	1) *negative*:	*a*) si mere negat esse genitum,	nomen commune Patri et Spiritui;
		b) Si insuper negat esse spiratum (non procedens quovis modo),	nomen proprium Patri;
	2) *privative*:	*a*) non ad aliquid quod ipsum natum est habere,	non convenit nec Patri, nec Spiritui (dicit enim imperfectum);
		b) sed ad aliquid, quod natum est haberi, non solum a quibusdam, sed ab aliquo sui generis,	*proprium Patri*, si haec privatio intenditur in genere *principii* personalis (ingenitus a quo alius).

Quaeres, utrum per prius Pater dicatur Ingenitus an Pater. — *Resp.* Non agitur de prioritate temporis. - De prioritate logica, distinguendum est. Ordo subiectivus cognitionis nostrae prius ponit in Deo paternitatem, ordo vero obiectivus in Deo alius est; secundum quem ita potius se tenent appellationes. Primo loco venit ingenitum esse sub ratione principii sine principio; tunc esse principium per generationem seu esse Patrem; tunc reduplicative, sive formaliter ingenitum esse, sub ratione negationis principii a principio per modum geniti.

Corollarium I. - *Ingenitum*, uti nomen proprium Patri, non substantialiter intelligitur, sed relative. Id egregie ostendit S. Augustinus, in loco celebri, quem etsi longiorem, hic transcribere non pigeat: « Cum vero ingenitus dicitur Pater, « non quid sit, sed quid non sit dicitur. Cum autem relati- « vum negatur, non secundum substantiam negatur, quia « ipsum relativum non secundum substantiam dicitur. Hoc « exemplis planum faciendum est. Ac primum videndum est, « hoc significari cum dicitur genitus, quod significatur cum « dicitur filius. Idem enim filius quia genitus; et quia filius, « utique genitus. Quod ergo dicitur ingenitus, hoc ostenditur, « quod non sit filius. Sed genitus et ingenitus commode « dicuntur; filius autem latine dicitur, sed infilius ut dicatur, « non admittit loquendi consuetudo. Nihil tamen intellectui « demitur, si dicatur non filius; quemadmodum etiam si dica- « tur non genitus, pro eo quod dicitur ingenitus, nihil aliud

« dicitur.... Non ergo iam dicamus ingenitum, sed pro eo dica-
« mus non genitum, quod tantum valet. Num ergo aliud dici-
« mus quam non filium? Negativa porro ista particula non
« id efficit, ut quod sine illa relative dicitur, etiam praepo-
« sita substantialiter dicatur; sed ita tantum negatur, quod
« sine illa aiebatur, sicut in caeteris praedicamentis. Velut
« cum dicimus: homo est, substantiam designamus. Qui ergo
« dicit: non homo est, non aliud genus praedicamenti enun-
« tiat, sed tantum illud negat. Sicut ergo secundum substan-
« tiam aio: homo est; sic secundum substantiam nego, cum
« dico: non homo est. Et cum quaeritur quantus sit, et aio,
« quadrupedalis est, id est, quatuor pedum, secundum quan-
« titatem aio; qui dicit: non quadrupedalis est, secundum
« quantitatem negat... Et omnino nullum praedicamenti genus
« est, secundum quod aliquid aiere volumus, nisi ut secundum
« idipsum praedicamentum negare convincamur, si praepo-
« nere negativam particulam voluerimus. Quae cum ita sint,
« si substantialiter aierem, dicendo: filius; substantialiter
« negarem, dicendo: non filius. Quia vero relative aio, cum
« dico: filius est, ad patrem enim refero; relative nego, si
« dicam: non filius est, ad parentem enim eamdem nega-
« tionem refero, volens ostendere quod ei parens non sit.
« At si quantum valet quod dicitur filius, tantumdem valet
« quod dicitur genitus, sicuti praelocuti sumus; tantumdem
« ergo valet quod dicitur non genitus, quantum valet quod
« dicitur non filius. Relative autem negamus, dicendo: non
« filius; relative ergo negamus, dicendo: non genitus. Inge-
« nitus porro quid est, nisi non genitus? Non ergo receditur
« a relativo praedicamento, cum ingenitus dicitur » [1].

Haec quidem subtiliter et verissime dicuntur. Liceat tamen monere, non idem esse, si negando « homo », dicam « est non « homo », vel « non est homo ». Dicendo enim « non est homo » nego in ordine praedicamenti substantialis; minus autem si dicam « est non homo ». Unde potest in Deo dari sensus verbi « ingenitus », qui non pertineat negative ad relativam praedicationem « genitus ». Et re quidem vera, uti exponit fuse Petavius [2], *ingenitus* potest sumi in triplici sensu: 1) ut exclu-

[1] *De Trin.*, l. v, c. 6, in fine, et c. 7. — *P. L.* t. XLII, col. 915, sq.
[2] Loc. cit.

dat effectionem, sumendo vocabulum graecum ἀγένητος cum unico ν; 2) ut excludat filiationem proprie dictam, ἀγέννεητος cum duplici νν; 3) ut excludat principium. Sensus ab Augustino intentus est secundus; at si confero hunc sensum cum tertio, abstrahendo a mysterio SS. Trinitatis, habebo quidem negationem *geniti*, et nihilominus absolute praedicabo de Deo *ingenitus*.

A fortiori absolutum praedicabo, si intendo per *ingenitum* a Deo removere effectionem et esse a principio; scilicet in primo ac tertio sensu. Sed et tunc, - et inde stat veritas sententiae S. Augustini - praedicabo quidem absolutum, at per modum negationis relativi. Etenim in SS. Trinitate *ingenitus* praedicat per negationem relativi cui respondet absolutum.

Ad illustrandam hanc doctrinam, iuvat in ipsis nominibus relativis sequenti uti distinctione.

Nomina relativa sunt:	1) relativa *secundum esse*, quando ponunt relativas proprietates in recto:	Pater, Dominus;
	2) *secundum dici*, quando ponunt rem in recto, relationem in obliquo:	principium, causa.

Unde de ipso vocabulo *principium* aliter et aliter est praedicandum.

Principium dicitur:	*a*) essentialiter:	Deus est principium creaturarum:	relativum secundum dici;
	b) personaliter:	Pater est principium Verbi:	relativum secundum esse.

Quare, quum vocabulum *ingenitus* in se contineat rationem absoluti et relativi quae in principio continetur, potest et ipsum nomen essentialiter et personaliter intelligi. Praevalet tamen magis nomen personale, quia principium in *ingenito* inclusum magis contrahitur ad processionem ad intra, quam principium per se sine addito praedicatum; nisi *ingenitus* sumatur ἀγένητος cum unico ν: quo in sensu se habet aequaliter ad utrumque, haud secus ac principium.

Corollarium II. - Quemadmodum vidimus, Filium et Spiritum Sanctum, licet minus proprie, principium vocari posse,

imo ad extra a divina paternitate non excludi; ita quoque, sumendo *ingenitum* in sensu *non facti* (ἀγένητον) et Filio et Spiritui Sancto convenit, quum sit qualitas essentialis, ac proin tribus personis communis. Inde in Symbolo Filius vocatur *genitus, non factus;* quae additio magni momenti erat contra Arianos, qui ex ipsa ratione *geniti* ad rationem *facti* impie concludebant. Sed in usu theologico nomen *ingeniti* contrahitur ad Patrem, in sensu magis presso, qui per duo νν exprimitur. Non ideo tamen in Patre ab appellatione *ingeniti* seiungenda est significatio *non facti*. Unde, licet haec duo sibi opponantur: *ingenitus* et *genitus*, oppositio non sequitur ex toto. Ingenitus quippe dicit: nec factum nec genitum; genitus vero, solum genitum, non autem factum.

Corollarium III. - Relatio quam involvit in se nomen *ingeniti*, - iuxta dicta in utroque corollario praecedente, - non solum referenda est ad creationis opificium ad extra, quod Deum habet auctorem, sed maxime ad terminum generationis ad intra. Haec quippe principalius intenditur, ac reddit nomen *Ingeniti* vere proprium Patri; illa adsignificatur utique, quia a Patre abesse nequit; sed si sola esset, non determinaret Patrem, nisi per modum appropriationis. Unde cum cautela legendum est quod S. Cyrillus Alexandrinus in assertione prima *Thesauri* scribit: « Patris nomen notitiam Filii « necessario secum inducit. Nomina enim huiusmodi sese « mutuo declarant. *Ingeniti* vero nomen ex eo, quod Deus « factus non est, nos in eorum, quae facta sunt, recordatio- « nem vicissim adducit. Necessaria autem est iis, qui recta « fide praediti esse velint, sanctae Trinitatis cognitio. Si ergo « is, qui Patrem nominat, respicit Filium, per quem Pater « est; qui vero ingenitum sive increatum appellat, creata « videt, quibus merito increatus opponitur: certe multo satius « est Patris appellationem inde sumi, unde Filii cognitio « gignatur, quam inde, unde creaturarum notitia inducatur, « quae ad cognitionem Trinitatis nihil plane conducit. Et « quidem qui Patrem dicit, ex eo quod est, nominat Deum: « qui vero ingenitum, ab eo, quod non est: est enim Pater « Filii, creatus vero non est » [1]. Scilicet Cyrillus nimis con-

[1] *P. G.* t. LXXV. col. 26.

trahit nomen ἀγένητον ad sensum non facti, et non satis considerat ἀγέννητον, non genitum.

Corollarium IV. - Pariter cum discretione legenda sunt, quae apud eumdem S. Cyrillum sequuntur: melius Patrem vocari Patrem quam Ingenitum, quia hoc est nomen negativum, illud positivum: « Quod autem potius ex eo, quod « est, quam quod non est, Dei appellatio sit sumenda, inde « cuivis perspicuum erit. Si quis enim illam ineffabilem « incomprehensibilemque naturam vocet Deum; ab eo, quod « est, recte nominat, et cum Deum dixit, illam naturam « significavit. Si quis vero ab eo, quod non est, cum nomi- « nare voluerit, innocentem vel indepravatum eum appel- « lans, eo quod nihil mali vel pravi in ea sit; vere quidem « dixerit, sed non omnino Deum significabit. Sunt enim « etiam inter homines nonnulli mali et pravitatis expertes. « Eiusmodi vero etiam sanctos angelos esse credimus. Ve- « rius itaque magisque proprie ab iis, quae est, quam ab « iis, quae non est, significabitur » [1]. Haec quidem vera sunt sumendo ἀγένητον, - uti Cyrillus facit, - et non ἀγέν- νητον; licet et ἀγένητον, propter singularitatem praedicationis, - non enim nisi de Deo dici potest, - in maximam positivam perfectionem redundet. Si autem sumatur ἀγέννητος, et quidem in sensu principii primi non a principio, licet forma vocis ob penuriam linguae et genesim conceptus negativa sit, res tamen significata summum gradum rei positivae occupat.

Corollarium V. - Intimus nexus correlationis est inter *Principium* et *Ingenitum*. Inde Doctores praesertim Graeci multiplicabant vocabula quibus utrumque aspectum significarent. Patrem certatim appellabant ἀναίτιον, sine principio [2]; αὐτόθεον, Deum, utique personam, a se [3]; πρῶτον θεόν, Deum primum sive principem [4]; ἀρχήν, principium, rationem ultimam [5]; ἑνότητα, maxime unum, sive unitatem ultimam [6];

[1] *P. G.* t. LXXV, col. 26, 27.
[2] S. GREG. NAZ. (*Arc. carm.* l. V, 34).
[3] ORIGENES (*In Ioann.* t. 2. n. 2).
[4] Ibid. (*Ctr. Cels.* l. VI, n. 47, 64).
[5] S. ATHANASIUS (*De Syn.* n. 50).
[6] S. IRENAEUS (*Ctr. Haeres*, l. IV, c. 20).

atque hanc personalem praerogativam Patris dicebant ἀγεννησίαν [1], ἀναρχίαν [2].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Pater recte vocatur *Principium* non solum cum Filio et Spiritu Sancto ad extra relate ad creationem a se conditam, sed relate ad easdem personas ad intra, quatenus hae ab ipso procedunt, non quidem uti a causa efficiente, sed uti a quo originem ducunt. (a. 1.)

2) Iam vero quum paternitas discernat primam personam SS. Trinitatis, imo cum ea subsistentiae ratione identificetur, *Pater* est nomen proprium primae personae SS. Trinitatis. (a. 2.) Imo nomen *Pater* personaliter sumptum, ad intra, dicitur per prius relate ad paternitatem ad extra ratione creationis; tum quia aeternitate eam praecedit, tum quia propter perfectissimam similitudinem, omnes participatas similitudines quoad rem significatam antecedit. (a. 3.)

3) Esse autem *Ingenitum* proprium est Patri, non quatenus mere negative aut privative praedicat, (utique sine imperfectione) - ita enim commune nomen dici potest cum Spiritu Sancto; sed quatenus negative excludit omnem rationem processionis ab alio, et positive adiungit rationem principii a quo alius. (a. 4.)

II) - DE PERSONA FILII.

En ordinem huius tractationis:

Filio tribuuntur tria nomina:

- A) *Filius* (Cf. dicta de Patre cui respondet);
- B) *Verbum*, de quo quaeritur: (Q. XXXIV)
  - 1) an sit personale (a. 1);
  - 2) an proprium (a. 2);
  - 3) an cum respectu ad creaturas (a. 3);
- C) *Imago*, de quo quaeritur: (Q. XXXV)
  - 1) an sit personale (a. 1);
  - 2) an sit proprium (a. 2).

[1] S. Greg. Naz. (or. 21); etc.

[2] S. Iustinus M. (*Apol.* II, n. 6. x; *Apol.* I, n. 49). Cf. Schwetz (op. cit. p. 319, sq).

A. - DE FILIO.

Supervacaneum duxit S. Thomas ulterius de nomine *Filii* investigare, quum locutus de Patre, iam per correlationem de Filio egerit. Sint nihilominus de hoc nomine quaedam specialius dicta.

Proprium esse nomen *Filius* secundae personae SS. Trinitatis, centenis testimoniis affirmant Scripturae, atque catholica traditio. Iam in Vet. Test. Filius Dei Christus a Davide praecinitur « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego « hodie genui te » [1]. In Nov. Test. ipse Christus se Dei Filium, et quidem Unigenitum passim nominat: « Sic Deus dilexit « mundum, ut Filium suum unigenitum daret » [2]; de Deo uti Patre loqui solet: « In domo Patris mei mansiones multae « sunt » [3]. Filium inter Patrem et Spiritum collocat in eodem ordine divinitatis formula baptismatis: « Baptizantes eos in « nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti » [4]. Pater vicissim Filium suum appellat atque commendat: « Hic est Filius « meus dilectus, ipsum audite » [5]. Apostoli huic filiationi divinae sui Domini insistunt. Petrus, a Patre edoctus, Christum proclamat Filium Dei vivi [6]. Ioannes Christum Unigenitum Dei in exordio Evangelii sui celebrat: « Vidimus glo- « riam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre.... Deum nemo « vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse « enarravit » [7]. Eamdem doctrinam in epistolis instantissime inculcat. « Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quo- « niam Iesus est Filius Dei? » [8]. Nec hunc Filium modo quodam methaphorico Filium esse intelligendum sed stricto, idem testatur: « Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit « nobis sensum ut cognoscamus verum Deum et simus in « vero Filio eius. Hic est verus Deus, et vita aeterna » [9].

[1] Ps. II, 7; Cf. ps. CIX, 3.
[2] IOANN., III, 16, etc., etc.
[3] IOANN., XIV, 2, etc. etc.
[4] MATTH., XXVIII, 19.
[5] MATTH., III, 17; — LUC., IX, 35.
[6] MATTH., XVI, 16.
[7] IOANN., I. 14, 18.
[8] I. ep. IOANN., V, 5.
[9] Ibid., V, 20.

Paulus cum Petro ac Ioanne perfecte conspirat. « Qui etiam « proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tra- « didit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis « donavit? » [1]. Idemque Christum, in Vet. Test. promissum, in exordio epistolae ad Hebraeos, disertis testimoniis demonstrat esse verum Filium Dei [2].

Auctoritates ex Ecclesiae oraculis Patrumque traditione heic afferre, post superius iam toties allata superfluum foret [3].

Constat igitur apertissime et multifariam, *Filium* esse proprium nomen secundae personae SS. Trinitatis; imo ex omnibus nominibus huic personae tributis, *Filius* uti magis usitatus et quasi maxime obvius eminet. Inde in crucis signo atque in doxologia prae aliis usurpari solet, non minus quam in ipsa formula baptismi et in re sacramentaria ac liturgica passim.

Non ideo tamen negari debet, alias significationes minus proprias huic nomini *Filius Dei* competere posse. Imo, si ipsa Dei paternitas potest intelligi communis tribus SS. Trinitatis personis, requiritur ad extra terminus ad quem haec paternitas referatur. Haec autem, ob ipsam nominis dignitatem, nequit inveniri nisi in creatura luce intellectuali praedita, ratione cuius non sit merum vestigium sed et imago vel similitudo deitatis. Unde si iam hanc creaturam consideramus in duplici ordine naturae et gratiae, nec non in sua relatione cum Filio Dei incarnato, apparet nomen *Filius Dei* sextupliciter intelligi posse, iuxta tabellam sequentem:

- **Filius Dei dicitur**
  - I) *improprie*:
    - 1) in ordine *naturae*:
      - *a*) homo,
      - *b*) angelus;
    - 2) in ordine *gratiae*:
      - *a*) angelus,
      - *b*) homo
        - α) simpliciter uti elevatus,
        - β) uti frater Christi primogeniti;
  - II) *proprie*:
    - 1) ante Incarnationem: Verbum Patris;
    - 2) ab Incarnatione: Christus.

[1] Rom., VIII, 32.

[2] « Novissime diebus istis (Deus) locutus est nobis in Filio.... Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? » etc. (I, 2, 5).

[3] Recole auctoritates acervatim collectas tum in expositione primae Quaestionis (XXVII), tum in dissertatione exegetico-historica.

Corollarium I. - Appellatio « *Filius* » tot auctoritatibus sancita, habenda est uti vere propria. Quare per excessum peccaverunt Pistorienses illi tantopere nomen « *Verbum* » extollentes, ut iam alterius nominis *Filii* dignitatem offenderent. Quorum proterviam iure optimo Pius VI, in Bulla *Auctorem fidei,* his verbis reprobavit: « Duo speciatim notanda « censemus, quae de augustissimo SS. Trinitatis mysterio, si « non pravo animo, imprudentius certe Synodo exciderunt, « quae facile rudes praesertim et incautos, in fraudem impel- « lere valeant.... Quod de ipsismet tribus divinis personis « tradit, eas secundum earum proprietates personales et « incommunicabiles, exactius loquendo exprimi seu appellari « Patrem, Verbum et Spiritum Sanctum, quasi minus propria « et exacta foret appellatio *Filii*, tot Scripturae locis conse- « crata, voce ipsa Patris e caelis et e nube delapsa, tum « formula baptismatis a Christo praescripta, tum et praeclara « illa confessione qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est « pronuntiatus; ac non potius retinendum esset, quod eductus « ab Augustino, Angelicus Praeceptor vicissim ipse docuit, « in nomine Verbi eamdem proprietatem importari, quae in « nomine Filii, dicente nimirum Augustino: Eo dicitur Ver- « bum, quo Filius » [1].

Propriam esse quam maxime appellationem Filii, usus quoque theologicus demonstrat, quo proprietatem primae personae appellat paternitatem, non dictionem; quatenus ipsam quidem dictionem exprimit paternitas, at termino magis obvio, ac proin, sicut in Scripturis, locutioni faciliori magis aptato.

Corollarium II. - Licet nomen *Filius* proprium sit, maximeque congruum ad terminum primae processionis in divinis exprimendum, nihilominus epuratio mentis requiritur, ut a naturali generatione ad divinam foecunditatem digne transferatur. Inde contra haereticos Patres perfectionem omnimodam generationis divinae super quamvis generationem extollunt. Ita S. Gregorius Nyssenus contra Eumonium agens, descripta evolutione generationis humanae, pergit. « At in « divina generatione neque naturae ministerio, neque tem-

[1] Denzinger (op. cit., n. 1460).

« poris revolutione ad eius quod generatur, complementum, « neque aliis, quae in terrestri generatione cernuntur, opus « est, neque in ullas humiles abiectasque cogitationes incidit, « quisquis omni sensu carnali exutus, ad divinorum contem- « plationem accedit, sed quaerit aliquam intelligentiam, maie- « stati rei significatae consentaneam » [1].

S. Augustinus crassam Arianorum obiectionem non modo indignabundus depellit, sed et victoriosissime retorquet: « Quod cum auditis (Deum generare sibi similem), quale cor « habeatis ignoro, qui putatis nos sic Filium dicere natum « esse de Patre, quomodo nascuntur de corporibus cor- « pora... ». « Caro de carne nascitur, filius carnis de substan- « tia carnis nascitur. Corruptionem de medio tollite, passiones « carnales a lumine mentis abiicite, et invisibilia Dei, per « ea quae facta sunt, intellecta conspicite [2]. Credite Cratorem « qui dedit carni carnem gignere, qui dedit parentibus veros « carnis filios de carnis substantia generare, ac sic filios cum « parentibus unius esse substantiae, multo magis potuisse « verum gignere Filium de sua substantia, et unam cum « vero Filio habere substantiam, manente incorruptione « spirituali, longissime hinc aliena corruptione carnali [3] ». Inde Ecclesia pulcherrime proclamat Deum de Deo, Lumen de Lumine, hoc spiritualissimo modo divinitus genitum.

Porro si penitius quaeras, quid magis semovendum sit, tria videntur maxime esse tum a parte generantis, tum a parte geniti. 1) A parte generantis: *a*) commixtio duplicis principii, *b*) passio excitans, *c*) deperditio in actu. — 2) A parte geniti:

[1] Lib. I, — *P. G.*, t. LXXV, col. 444, 445. — Idem docet S. Cyrillus Álex. a quo elegantem comparationem depromere lubet: « Quod si quis existimat, nullam esse « generationem passione carentem, tunc etiam cum de creatione sermo fuerit, easdem « cogitationes mente revolvet: namque ut in generatione decisio et fluxus sic in « creatione cura, labor, sudor, instrumenta, materia praeexistens, frustratus suc- « cessus, et alia huiusmodi quae creationes comitantur. Si vero Deo sufficit vo- « luntas, ad rerum omnium creationem, statimque ac voluit, quae non erant, fecit « existere, admittat adversarius, generationem quoque Dei, passione omni vacasse. « Nam sicuti haud ea qua homines solent ratione creavit, sic dissimili quoque modo « genuit ».

[2] *De Trin.* c. 9. — *P. G.* t. LXXV, col. 1157. — Similia apud alios Patres graecos reperiuntur. Cf., v. gr., S. Gregorii Naz. carmen de Filio. *P. G.* t. XXXVII, col. 402. sq.

[3] *Ctr. Maxim.* l. II, c. 14, n. 2, 3. — *P. L.* t. XLII, col. 771, seq.

a) multiplicatio naturae, *b*) posterioritas temporalis, *c*) evolutio successiva [1].

B. - DE VERBO.

QUAESTIO XXXIV.

Ordo Quaestionis lucidus. Primo quaerit S. Thomas, utrum Verbum sit personale nomen, necne. Quodsi personale sit, quaerit secundo, utrum ita sit personale, ut Filio proprium. Demum, quemadmodum superius de paternitate egit, sciscitatur de habitudine Verbi ad creaturas.

ARTICULUS I.

UTRUM VERBUM IN DIVINIS SIT NOMEN PERSONALE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ut hoc nomen *Verbum* possit esse nomen personale, quum formalitas relativi interna ipsi non insit nisi secundum sensum strictum, oportet ut dicatur non solum metaphorice sed sensu proprio. - Insuper oportet ut non conveniat cum omnibus personis divinis. - Tandem requiritur ut non sit ad extra, tunc enim esset absolutum.

Unde plures quaestiones magni momenti hoc in articulo solvendae sunt, quarum praesertim duae principaliores: 1) Quonam sensu dicatur Verbum in Deo; 2) quomodo illud Verbum distinguatur ab illis quae sunt aliis personis communia.

2) *Prima quaestio* his paucis comprehendi potest. Verbum apud nos dicitur proprie et metaphorice: *a*) *metaphorice* sumitur pro re quae est vel effectus vel signum verbi; *b*) *proprie* vero tripliciter: α) pro conceptu mentis, β) pro

[1] Hanc Filii Dei generationem simul altissimam et humanae generationi longe praecellentem, imo eo magis veram quo est praecellens magis, praelaudatus P. Etourneau O. Pr. eloquenter describit. (Op. cit. *Confér.* 5.). Verba nihilominus: « Il n'y a rien de plus puissant au monde, rien de plus vénérable, rien de plus « joyeux que cette parole-là (mon fils!): c'est le cri de la paternité humaine, c'est « le cri de la chair et du sang »; (ibid. p. 6) haec verba, inquam, oratorio excessu laborant. Spiritualis quippe paternitas, divinaque filiatio adoptiva, maioris virtutis sunt, dignitatis ac gaudii, — in praesenti maxime conditione lapsae naturae, — quam paternitas carnis ac sanguinis.

imaginatione interna vocis ad illum exprimendum; γ) pro voce exterius prolata. - Iamvero circa utrumque sensum quaedam notanda occurrunt.

a) Primo quidem quoad *metaphoricum* sensum adverte, prolatum verbum esse per se in ratione signorum, unde non requiritur ut sit verbum sonans. Quare Deus, in cuius quippe potentia res non minus habent vim significandi quam verba, potest loqui tam bene per facta quam per verba. Neque haec facta relate ad Deum magis metaphorice erunt verba, quam quaevis alia ad leges humani sermonis accommodata.

b) Quoad sensum *proprium* plura sunt attente perpendenda. α) Primus gradus conceptus mentalis, non solum ponit actum intelligendi, sed considerat illum secundum formalem conceptum, seu processum intellecti ab intelligente; unde est verbum mentis essentialiter relativum, distinctum ab intellectu a quo procedit. - β) Alter gradus medius inter internum et externum verbum, est unio logica inter utrumque, est initium productionis ad extra. - γ) Tertius demum partialiter omnino ad extra et externus, at ratione secundi manet adhuc cum primo connexus, unde habet non solum esse verbum, sed et verbum ipsius proferentis.

Porro, licet in hac operatione verbali duo termini ponantur extra fontalem conceptum, nihilominus in quovis conceptu intellectus creati triplex invenitur gradus. Est nempe actuatio facultatis, cogitatio inquisitionis, et intentio vel verbi prolatio; quae tria triplici gradui supraposito respondent. Ipsa autem verbi prolatio ponit intellectum non solum in actu, sed et in habitu intellectionis.

Dixi *intellectus creati*. Nam in increato aliter loquendum, propter tria: etenim intellectus increatus *a*) semper in actu est, non transiens de potentia in actum; *b*) non inquirit cogitando, sed intuetur contemplando; *c*) proin non essentialiter profert, seu dicit verbum.

Non ideo tamen nequit dicere verbum. Sed si eum id dicere constet, quum dicere super intelligere addat processionem, relationisque oppositionem inter dicentem et dictum sive verbum, processio haec intellectualis non erit essentialis sed personalis; quare personale erit τὸ esse dicens sive dicere, personale pariter τὸ esse dictum seu Verbum.

Ex quibus apparet, nonnisi primum sensum proprium verbi competere Deo; at de illo praedicari secundum plenitudinem sensus, involventem scilicet formaliter processionem vel originem verbi a proferente illud.

Quum igitur stricto sensui omnes alii sensus tanquam figurativi opponantur, sensus verbi imaginati et exterius prolati, non minus quam qualitercumque manifestati, Deo figurativi erunt. Quod sedulo considerandum est, ut responsio ad I^m^. recte intelligi valeat.

3) *Altera quaestio* de distinctione inter Verbum et omnia quae intellectualiter singulis personis competunt, iam ex dictis solvitur. In actu enim intelligendi aliud est elementum commune tribus personis, aliud singulare Patri. Commune est omne illud quod necessario fluit ex essentia divina, quae, tribus communis, non solum continet intellectum, sed et est infinita intellectio in actu. Quare Pater intelligit, Filius intelligit et Spiritus Sanctus intelligit essentiam divinam; insuper personae se invicem cognoscunt atque intelligunt.

Sed, uti vidimus, aliud est intelligere, aliud dicere; alia notitia, aliud verbum. - Dicere enim involvit actionem foecundam, ponentem terminum distinctum; et haec intellectio personalis est. Quare, sicuti directe constituit Patrem, ita correlative ponit Verbum. Ponitur autem secundum plenitudinem illius scientiae, quae profert Verbum. Unde quum proferens comprehendat essentiam et personas, Verbum ea omnia exprimit. Licet igitur Filius et Spiritus Sanctus non dicant, quatenus non producunt Verbum; dicuntur tamen a Patre proferente Verbum.

Sed hic oritur difficultas sane non spernenda. Nam quomodo Pater potest dicere Spiritum Sanctum, quum logice nondum sit iste, quia Verbum nascitur praecise per prolationem, et Spiritus est a Verbo? - Respondetur: *a*) dicitur quoad essentialia, quia essentia divina exprimitur; *b*) dicitur quoad personalia, quia in divinis non datur temporis successio. De qua difficultate, utpote principalioris momenti, fuse disseremus in fine Quaestionis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ex sensu metaphorico; non attendens, sensum metaphoricum supponere sensum proprium.

2. Obi. Arguit ex similitudine inter dicere seu verbum, ac intelligere et cogitare, seu intuitum et cogitationem. Non attendit ad relativum, quod continetur in primo, et non in aliis.

3. Obi. Arguit ab intelligere ad dicere, a dicere ad dici; praetermittens idem discrimen quod a parte relativi inter haec tria habetur.

4. Obi. Confundit sensum proprium cum metaphorico, atque ab hoc ad illum false arguit.

Sed contra est. Rabbi Moyses contendit, Verbum in Deo non dici personaliter, sed essentialiter. Cuius error directe confutatur per S. Ioannem, qui in Evangelio, in epistolis, in Apocalypsi passim Filium, Deum incarnatum, *Verbum* appellat. « Verbum erat apud Deum », etc. « Et Verbum caro factum « est » [1]. « Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, « quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de « Verbo vitae et annuntiamus vobis » [2]. « Et vocabitur nomen « eius Verbum Dei » [3].

Ita Concilia innumeris testimoniis Verbum personaliter adhibent. Audiatur Conc. Constantinop. V: « Unus Deus Pater « Verbi viventis, sapientiae subsistentis, et potentiae et cha- « racteris sempiterni, perfectus, perfecti genitor, Pater, Filii « unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo; cha- « racter et imago deitatis, verbum operativum.... etc. » [4]. Et alibi: « Si quis non confitetur Verbi Dei duas nativitates, etc. « A. S. » [5]; et « Si quis dixerit alium esse Deum Verbum qui « miracula fecit, et alium Christum qui passus est, etc.... non « unum eumdemque D. N. I. Chr. Dei Verbum incarnatum, « A. S. » [6]. Concilium quoque Tolet. XI. indiscrimatim Patris Filium Verbum Dei appellat [7].

Ex auctoritatibus Patrum satis sit S. Athanasium et S. Augustinum attulisse: Prior oppugnans Sabellianos, necnon Alogianos, qui Verbum (λόγον) prorsus negabant, indeque Evan-

[1] I. 1, 11.
[2] I. ep., 1, 1.
[3] Apoc., xix, 13.
[4] Exposit. fidei.
[5] Act., 1, c. 2.
[6] C. 8.
[7] Denzinger (op. cit. n. 203, 230).

gelium, epistolas, Apocalypsim Ioannis recusabant [1], ait: « Verbum enim illi tale adscribunt, quale homines in sua « mente concipiunt, et sapientiam talem, qualis ea quae nostri « animi est, attribuunt: ideoque unam personam Deum cum « Verbo asseverant, quemadmodum hominem unum dicimus « cum sua ratione verborumque in animo conceptu, nihilo plus « quam Iudaei sentientes, qui Evangelistam non recipiunt, « statim ab initio clamantem: " In principio erat Verbum "».

Et Augustinus contra Arianos disputans, ex eodem exordio ita arguit: « Ne vile aliquid putares, quale consuevisti « cogitare, cum verba humana soleres audire, audi quid co- « gites: " Deus erat Verbum ". Exeat nunc nescio quis infi- « delis Arianus, et dicat quia Verbum Dei factum est. Quo- « modo potest fieri ut Verbum Dei factum sit, quando Deus « per Verbum fecit omnia? Si et Verbum Dei ipsum factum « est, per quod aliud Verbum factum est? Si hoc dicis, quia « hoc est verbum Verbi, per quod factum est illud, ipsum « dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis verbum « Verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia. « Non enim per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt « omnia. Crede ergo Evangelistae » [2]. Et alibi ex eodem textu ostendens rationem personalem, id est, relativam in hoc nomine « Verbum », ait: « Et quod dictum est: " In principio « erat Verbum ", in Patre erat Verbum intelligitur: aut si « " in principio " sic dictum est, ac si diceretur: ante omnia; « quod sequitur: " Et Verbum erat apud Deum ", Verbum « quidem solus Filius accipitur, non simul Pater et Filius, « tanquam ambo unum Verbum: (sic enim Verbum, quo- « modo Imago, non autem Pater et Filius simul ambo imago, « sed Filius solus imago Patris, quemadmodum et Filius; non « autem ambo simul Filius). Quod vero adiungitur: " Et Ver- « bum erat apud Deum ", multum est ut sic intelligatur: « " Verbum, quod solus est Filius, erat apud Deum, quod « non solus est Pater, sed Pater et Filius, unus Deus ".... « Ut etiam quod consequenter scriptum est: " Et Deus erat « Verbum ", sic intelligatur: Verbum, quod non est Pater, « Deus erat simul cum Patre.... Sicut Verbum de Verbo dici

[1] Epiph. *Haer.* 51. - *P. G.* t. XII., col. 892.

[2] *In Ioann.* Tract. I. n. 10, 11. - *P. L.* t. XXXV, col. 1384.

« non potest, quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius: « nec imago de imagine, quia non simul ambo imago; nec « Filius de Filio, quia non simul ambo Filius, secundum quod « dicitur: " Ego et Pater unum sumus " » [1]. « Unum sumus » « enim dictum est; quod ille, hoc et ego, secundum essentiam, « non secundum relativum » [2].

Et in libro sequenti ostendit subtili discursu, quid quoad relativum inter Verbum et sapientiam intersit: « Pater igitur « et Filius simul una essentia, et una magnitudo, et una « veritas, et una sapientia. Sed non Pater et Filius simul « ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius. « Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dici- « tur; ita et Verbum ad eum cuius Verbum est refertur, cum « dicitur Verbum. Eo quippe Filius quo Verbum, et eo Ver- « bum quo Filius. Quoniam igitur Pater et Filius simul utique « non unus Filius, consequens est ut Pater et Filius, simul « non amborum unum Verbum quo sapientia; quia Verbum « non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cuius Ver- « bum est, sicut Filius ad Patrem; sapientia vero eo quo « essentia » [3]. Et pergit, distinguendo inter « sapientiam « natam », quae utique relative praedicatur, et est ipsum Verbum, seu Filius, seu Imago; et sapientiam simpliciter dictam, quae praedicatur absolute, sicuti essentia.

In Corpore. Argumentatio *Corporis* duplicem partem continet. In prima exponitur sensus quadruplex verbi. In altera, applicatur primus Deo, et probatur ex hoc sensu nomen *Verbum* esse personale proprium Filio.

At quis forte quaeret, in quonam sit argumentationis vis. Etenim discursus D. Th. cuidam posset apparere veluti expositio gratuita affirmans potius quam demonstrans. - Resp.: Vis est in ipso modo quo loquuntur Scripturae. Scripturae nempe ita Verbum in ipso Deo describunt, ut istud Verbum, haud secus ac Filius, sit distinctum realiter a Patre, ab eoque procedens; atqui hoc non potest convenire in Deo nisi secundum primum sensum; omnes enim alii sunt intrinsece imperfecti; atqui secundum illum sensum, est nomen relativum,

[1] Ioann. x, 3.

[2] *De Trin.*, vi, 2. - *P. L.* t. xlii, col. 925, sq.

[3] vii, 3. - Ibid. col. 936.

ac proin personale; ergo in Deo Verbum est nomen personale, Verbum proprie dictum, in sensu maxime rigoroso.

In articulo sequenti probabitur magis directe esse proprium Filii nomen.

Ad verba: « *Tertio vero ipsa imaginatio vocis* ». Quaeres, cur hoc tertium non potius secundo loco ponatur, sicuti in textibus Damasceni et in loco Augustini: nam medium est illud verbum inter internum et externum. Forte ideo S. Th. id tertio loco posuit, quia, licet ordine sit medium, tamen potior est inquisitio verbi quam prolatio, et proin non solum minus habet de verbo stricte dicto quam secundum, sed et secundum supponit, nisi proferenda vox nova quaeratur.

Ecce doctrinam huius articuli schemate expressam.

		Apud nos	*In Deo*
Verbum: dicitur	I) *proprie:*	1) *conceptus mentis,* 2) *imaginatio vocis,* 3) *vox* prolata:	secundum sensum 1), qui involvit processionis relationem; - sensus 2) in Deo repugnat; sensus 3) dicit processionem ad extra.
	II) *improprie:*	1) signum voluntatis, 2) effectus eiusdem voluntatis:	Ita de Deo verbum dicitur fieri non gigni; - continet et I) 3).

Ad 1m. Sicuti Ariani urgebant locutiones in quibus Pater dicitur Pater et Ingenitus, ad probandam differentiam substantialem inter Patrem et Filium; ita considerantes verbum internum, utpote manens in substantia, substantialiter differre non posse, voluerunt locutionem de Verbo impropriam esse. S. Th. non solum reponit ex *Corporis* doctrina, Verbum proprie intelligi; sed et ad hominem respondet, quod, etiamsi esset locutio metaphorica, adhuc supponeret sensum proprium.

Sed quis de valore huius argumentationis non otiose quaeret. Nam duo in ea reperiri vitia videntur. Etenim 1) metaphoricum verbum dicitur illud quod in *Corpore* inter propria assignabatur. - Resp.: Uti ibi notavimus, proprium verbum nobis est tripliciter; Deo vero nonnisi iuxta primum ex his tribus.

Rursus 2) hic maior difficultas: nonne sufficit, apud nos dari verbum quod proprie dicatur, ut id metaphorice ad

Deum applicare possimus? V. gr., cur non potest creatio, opus totius SS. Trinitatis, dici verbum Dei, quatenus exprimit mentem divinam; sicuti apud nos verbum dicitur, quod mentem nostram externe exprimit? Unde si valeat haec argumentatio, videtur sola creationis consideratio, quatenus est verbum externum, nos necessario conducere ad cognitionem verbi interni. - *Resp.:* Difficultas recte procederet, si verbum externum apud nos solum diceretur in quantum est manifestatio externa. Sed duo in eo habentur: quod dicitur verbum, et quod est externum, seu metaphoricum, quorum alterum conveniret etiam in creatione relate ad mentem Creatoris internam; manifestatio autem externa non potest ideo verbum dici, nisi quatenus nexum habet cum verbo interno. Et ideo nisi in nobis prius esset verbum internum, vox prolata exterius nunquam proprie verbum vocaretur. Liquet ergo, conclusionem S. Th. secundum rigorem valere. Nihilominus per se vix convinceret, quum non desint imagines metaphorarum quarum aliunde propria ratio desumitur. Unde prima responsio de proprietate huius vocabuli tanquam praecipua tenenda est.

Ad 2m. In hac responsione habes principium distinctionis inter essentialia et personalia quoad intellectum divinum. Tria ponuntur in nobis in quovis actu intelligendi: *a*) transitus in actum, *b*) conceptus mentalis, *c*) intellectionis status. - In Deo est actus purus aeternus et status infinitae intellectionis; - et haec duo sunt essentialia et proin communia tribus personis. - Insuper datur huius communis intellectionis aliqua unica prolatio per Verbum procedens, et haec est personalis.

Dico huius communis intellectionis: non enim ideo Pater est plus intelligens, quia dicit; sed quum intellectus Dei dicat, dicere autem sit personale, Pater ille est qui dicit. Unde quum notitia aequaliter ad tria supra numerata pertineat; debet illi aliquod addi ut personalis sit, sicut notitia genita. Idem de sapientia valet, sicut et de cogitatione, sumpta utique in sensu contemplationis; secus enim in Deo repugnat.

Ad 3m. Duplex quaestio hic movetur: alia de distinctione inter intelligere et dicere; - alia de modo quo per Verbum dicuntur Verbum et Spiritus Sanctus. De hac altera in fine

articuli tertii fusius. De priori hic quaedam. Dicere super intelligere addit formalitatem emanationis vel processionis; quare quum processio in divinis sit origo relationum, relationes vero constituant personas: dictio super intellectionem addit personale; proin intellectio est communis tribus personis, dictio propria.

Magni momenti est haec distinctio; quippe cui innititur *Corporis* argumentum. Etenim nisi verbum stricte dictum pro mentis conceptu haberet hanc formalem rationem emanationis, nullo argumento posset demonstrari Verbum personaliter differre a Patre; nisi forte quia idem est ac Filius.

Nihilominus locutio S. Anselmi [1] videtur procedere ex analogia pulcherrima quae interest inter prolationem nostri verbi externi et divini Verbi interni; de qua distintione in adiecta nota aliquid dicetur.

Etenim in *Corpore* vidimus, verbum tripliciter in sensu proprio dici: *a*) pro conceptu, *b*) pro imaginatione vocis, *c*) pro prolatione eiusdem. - Iam vero analogice in Patre habemus: *a*) intellectionem comprehensivam divinae essentiae; *b*) determinationem intuitivam et immediatam Verbi exprimentis eam; *c*) expressionem Verbi. - Prima intellectio communis est tribus personis; quae quum aliquid habeat de verbo sicut in nobis conceptus est verbum; aliqualiter dicunt omnes personae, quatenus comprehendunt essentiam divinam, seipsas et alias personas.

Nota. Solent Patres distinguere verbum mentale et verbum vocale: prius est λόγος ἐνδιάθετος, alterum λόγος προφορικός. Unde Verbum Patris, quatenus in sinu Patris permanet, vocatur λόγος ἐνδιάθετος; quatenus autem exterius prolatum arcana Patris manifestat, maxime in Incarnatione, appellatur λόγος προφορικός.

Quum autem utrumque verbum significet respectum secundae personae relate ad Patrem: scilicet verbum mentale, ratione immanentiae, consubstantialitatem; verbum prolatitium, ratione processionis apparentioris, distinctionem; Sabelliani agnoscebant λόγον ἐνδιάθετον, προφορικόν Ariani.

[1] De S. Anselmo in fine articuli fusius.

Patres autem iuxta controversiae opportunitatem, tum uno, tum altero vocabulo utebantur, cum aliqua propensione in λόγον προφορικόν, quia prolatum verbum est magis manifestum, et incarnato Filio melius appropiatum.

Ex quo iam vides, quam apte sit electum vocabulum *Verbum,* ad λόγον graecorum latine exprimendum. *Ratio* enim et *sermo* [1], apud antiquiores quoque in usu, nimis dicunt sive a parte λόγου ἐνδιαθέτου, sive a parte λόγου προφορικοῦ. Dum *verbum,* in medio iacens, utrumque respectum pariter exhibet.

De Doctrina S. Anselmi.

Exposita a capite 59. ad caput 61. *Monologii* circumsessionis doctrina [2], qua personae divinae sunt in se invicem, ac per consequens sunt singulae memoria, intelligentia et amor, quin inde ullum accedat distinctioni personarum detrimentum: Pater enim est utique intelligentia et amor, sed non intelligentia genita, nec amor procedens; Filius est utique memoria et amor, sed non est memoria gignens, nec amor ab alio; Spiritus est utique memoria et intelligentia, sed non memoria gignens, nec intelligentia genita; - S. Anselmus ex hac doctrina difficultatem sibi in cap. 62. obiicit: « Sed ne « forte repugnet huic assertioni quod intueor: nam dubium « esse non debet, quia Pater et Filius et eorum Spiritus, « unusquisque seipsum et alios ambos dicit; sicut se et alios « intelligit. Quod si ita est, quomodo non sunt in summa « essentia tot verba quot sunt dicentes, et quot sunt qui « dicuntur? Si enim plures homines unum aliquid cogitatione « dicant, tot eius videntur esse verba quot sunt cogitantes; « quia in singulorum cogitationibus verbum eius est. Item si « unus homo cogitat aliqua plura, tot verba sunt in mente cogi- « tantis quot sunt res cogitatae. Sed in hominis cogitatione, « cum cogitat aliquid quod extra eius mentem est, non « nascitur verbum cogitatae rei ex ipsa re, quia absens est

[1] *Sermonem* potius dicendum fuisse contenderunt, amore nimio elegantioris dictionis, Erasmus; ex invidia ac odio in Ecclesiam catholicam, Calvinus, Beza, aliique. — Cf. Petavium (Op. cit., l. VI, cap. 1).

[2] De hac doctrina infra ex professo agetur.

« a cogitationis intuitu; sed ex rei aliqua similitudine vel « imagine, quae est in cogitantis memoria, aut forte quae « tunc, cum cogitat, per corporeum sensum ex re praesenti « in mentem attrahitur. In summa vero essentia sic sibi « semper sunt praesentes Pater et Filius et eorum Spiritus; « est enim, sicut iam perspectum est, unusquisque non minus « in aliis quam in seipso; ut cum invicem se dicunt, sic « videatur idem ipse qui dicitur, gignere verbum suum, « quemadmodum cum a seipso dicitur. Quomodo ergo nihil « gignit Filius, aut eius Patrisque Spiritus; si unusquisque « eorum verbum gignit suum, cum a seipso dicitur vel ab « alio? Quot autem verba probari possunt de summa nasci « substantia, tot eam necesse est, secundum superiorem con- « sideratione m, filios gignere, et tot emittere spiritus » [1].

Responsioni Anselmus longius caput 63. devovet, quod integrum heic referre nimium foret. Paucis doctrina hisce continetur. Utique in SS. Trinitate et Filius dicit et Spiritus Sanctus dicit. Non ideo tamen cum Patre sunt tres dicentes. Istud enim dicere Filii et Spiritus Sancti ad essentialia pertinet, unde multiplicari nequit. Quemadmodum ergo tres sunt qui sunt Deus, nec tamen tres dii; ita tres quidem sunt qui dicunt, sed non tamen tres dicentes. Insuper licet tres dicant, non sunt plura quae dicuntur. Dicitur enim a singulis eadem ipsa divina natura, quae a singulis perfecta contemplatione videtur. Et pergit Anselmus singularitatem divini Verbi vindicans: « Licet igitur unusquisque seipsum, et omnes invicem « se dicant, impossibile tamen est in summa essentia esse « verbum aliud praeter illud, de quo iam constat quod sic « nascitur ex eo cuius est verbum, ut et vera eius dici possit « imago et vere Filius eius sit ». Nec modo non est ibi nisi unum Verbum, sed hoc Verbum non est nisi Verbum Patris. « In quo mirum quiddam et inexplicabile video. Ecce enim « cum manifestum sit, unumquemque, scilicet Patrem et « Filium et Patris Filiique Spiritum, pariter se et ambos « alios dicere, et unum solum ibi esse Verbum; nullatenus « tamen ipsum Verbum videtur posse dici Verbum omnium « trium, sed tantum unius eorum. Constat enim ipsum esse

[1] *P. L.* t. CLVIII, col. 207, 208.

« imaginem et Filium eius cuius est Verbum: patet quia « nec imago, nec Filius suimet, aut a se procedentis Spiritus « congrue dici potest. Nam nec ex seipso, nec ex procedente « a se, nascitur; nec seipsum, aut procedentem a se existendo « imitatur. Seipsum quippe non imitatur, nec a se trahit « existendi similitudinem; quia imitatio et similitudo non est « in uno solo, sed in pluribus; illum vero non imitatur, nec « ad eius similitudinem existit, quia iste non habet ab illo « esse, sed ille ab isto. Restat igitur, hoc solum Verbum illius « solius esse, de quo nascendo habet esse, et ad cuius omni- « modam similitudinem existit » [1].

Ex citatis apparet, S. Anselmum et S. Thomam in praesenti argumento [2] quoad rem convenire; discrepare autem dupliciter quoad modum loquendi et arguendi. *a*) Quoad modum *loquendi*, nam S. Anselmus concedit, Filium et Spiritum Sanctum dicere ad intra; quod S. Thomas potius negat. Scilicet S. Anselmus non tantopere contrahit τὸ *dicere* ad actionem personalem. - *b*) Quoad modum *arguendi:* S. Thomas enim directe, per ipsam significationem relativi, ex *dicere* seu ex verbo demonstrat rationem personalem ac singularitatem Verbi; dum Sanctus Anselmus, in hoc sibi constans, idem potius obtinet per viam indirectam, identificando scilicet Verbum cum imagine et Filio, quorum ratio relativa est manifestior. Caeterum obiecta difficultas tam magna Anselmo visa est, ut reponsum potius indirectum quo eam solvit, non ipsi satisfaciat. Unde in capite sequenti (64.) ineffabilitatem Trinitatis talibus verbis proclamat, quae apertius manifestant, quid in hac re rationali via demonstrari, quid non demonstrari possit. Ultima verba praecedentis capitis erant: « Cum pariter unusquisque seipsum, et omnes invicem se « dicant, non tamen sunt ibi plura verba, sed unum; et ipsum « non singularum, aut omnium simul, sed unius tantum ». Et pergit: « Videtur mihi huius tam sublimis rei secretum « transcendere omnem intellectus aciem humani; et idcirco « conatum explicandi qualiter hoc sit, continendum puto. « Sufficere namque debere existimo rem incomprehensi-

[1] *P. L.* t. CLVIII, col. 209.

[2] Cf. dicenda in fine art. 3, ubi penitius investigabimus ex quorum cognitione Verbum procedat a Patre.

« bilem indaganti, si ad hoc ratiocinando pervenerit, ut eam « certissime esse cognoscat, etiamsi penetrare nequeat intel- « lectu, quomodo ita sit: nec idcirco minus his adhibendam « fidei certitudinem, quae probationibus necessariis, nulla « alia repugnante ratione asseruntur; si suae naturalis alti- « tudinis incomprehensibilitate explicari non patiantur. Quid « autem tam incomprehensibile, tam ineffabile, quam id quod « supra omnia est? Quapropter si ea, quae de summa essentia « hactenus disputata sunt, necessariis rationibus sunt asserta, « quamvis sic intellectu penetrari non possint, ut et verbis « valeant explicari: nullatenus tamen certitudinis eorum « nutat soliditas. Nam si superior consideratio rationabiliter « comprehendit incomprehensibile esse, quomodo eadem « summa sapientia sciat ea quae facit, de quibus tam multa « nos scire necesse est: quis explicet quomodo sciat aut dicat « seipsam, de qua aut nihil, aut vix aliquid ab homine sciri « possibile est? Ergo si non eo quod seipsum dicit, generat « Pater, et generatur Filius, " generationem eius quis enar- « rabit? " » [1]. Et progreditur longius in cap. 65. discernens, quid certo de Dei existentia, quid per similitudines de modo quo Deus existit, hucusque disputavit.

ARTICULUS II.

UTRUM VERBUM SIT NOMEN PROPRIUM FILII.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam pressius ostendendum est, relativum nomen quod per Verbum exprimitur, proprium esse eiusdem personae quae vocatur Filius. Quod intentum duplici via obtineri potest: *a*) *via indirecta,* ostendendo ex Scripturis, eumdem esse qui dicitur Verbum et Filius; v. gr., quando habemus: « Verbum caro factum est », et « hic est « Filius meus »; *b*) *via directa,* ostendendo, eadem relatione constitui Verbum ut Filium; relationes enim constituunt personas. Haec altera via a S. Th. in *Corpore* eligitur.

2) Iam vero ut relatio eadem sit, oportet unam esse actionem. Vidimus autem terminum actionis intellectivae

[1] Is. LIII, 6. - Ibid. col. 210

processionis, quae vocatur et generatio, esse Filium. - Idem autem est Verbum per eamdem intellectualem processionem emanationis via prolatum. Ergo Verbum et Filius idem sunt.

3) Non ideo tamen eadem est omnino formalis perfectio per utrumque vocabulum expressa. Etenim sicuti multas in Deo absolutas perfectiones exprimere quaerimus; ita in unaquaque proprietate vel notiones multas inquirere et exprimere licet. In filiatione autem, iuxta S. Th. *ad Tertium* praesertim quadruplex habetur: - *a*) connaturalitas per *Filium*, *b*) aeternitas per *Splendorem*, *c*) aequalitas per *Imaginem*, *d*) spiritualitas vel immaterialitas per *Verbum* exprimuntur. Posset adhuc in Verbi appellatione considerari immanentia vel connaturalitas in eadem numerica natura. Nam si uniantur haec duo: connaturalitas in eadem numero natura, aeternitas et aequalitas ratione huius communis naturae iam exprimuntur.

4) At si Verbum proprium est nomen Filii, non ideo non potest aliqua ratione ad alios extendi, ad Spiritum Sanctum scilicet, et imo ad mundum. Et sane si consideras in Verbo mere elementum formale manifestationis alterius et non formalem emanationem intellectualem: non solum quodvis opus Dei ad extra, sed quivis missus potest dici Verbum; unde Spiritus Sanctus, quatenus missus a Filio manifestat voluntates eius, potest figurative vocari verbum Filii. Et ita, v. gr., quando Spiritus Sanctus in die Pentecostes super Apostolos effundebatur, erat manifestatio impletiva verbi quod Christus discipulis annuntiaverat dicens de Paracleto: « mittam eum « ad vos » [1].

Adde, Spiritum Sanctum per Scripturas tanquam verbum Verbi esse locutum. « Dicendum, inquit S. Th., quod verbum « Dei quandoque dicitur etiam sermo divinitus inspiratus, et « prolatus; et de hoc verbo hic Basilius intelligit dicens, Spi- « ritum Sanctum esse verbum vel eloquium Filii effective, « in quantum Sancti ab eo inspirati, de Filio sunt locuti, « secundum quod dicitur Ioann. XVI. de Spiritu Sancto: « " Quaecumque audiet, loquetur ". Et quod hic sit intellectus « Basilii patet ex eo quod subdit: " Ex quo eloquium Filii

[1] Ioann., xvi, 7.

« per Apostolum dicit: gladium spiritus sumite, quod est « verbum Dei ". Ipsum enim verbum fidei a sanctis prolatum, « gladius Spiritus manifeste dicitur » [1].

5) Imo verbum potest latiori sensu intelligi de opificio externo, in quantum *a*) est effectus Verbi per quod Deus omnia fecit; *b*) in quantum perfectionibus manifestat Verbum per quod est. Qui sensus prior, si ad intra transfertur, aliam rationem exhibet propter quam Spiritus Sanctus possit vocari Verbum Verbi, iuxta sententiam S. Basilii: « Sicut « Filius se habet ad Patrem, eodem modo Spiritus Sanctus se « habet ad Filium. Et propter hoc dicitur quod Verbum Pa- « tris est Filius, Verbum autem Filii, Spiritus » [2]. Scilicet sumitur hic verbum in sensu minus proprio termini processionis, quatenus producentem personam manifestat. Caeterum huiusmodi locutiones Patrum summi pretii esse ad processionem Spiritus Sancti a Filio haud secus ac a Patre vindicandam, abunde patet.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Negligit acquisita superius de substantialitate Verbi divini.

2. Obi. Non distinguit inter verum et falsum prolationis modum.

3. Obi. Negligit dicta n. 3.

4. Obi. Confundit τὸ intelligere, quod, uti essentiale, singulis personis convenit; et τὸ dicere, quod, uti notionale, est proprium Patris.

5. Obi. Non attendit ad sensus in 4. et 5. expositos.

Sed contra est. Cf. auctoritates in articulo praecedenti, in prima Quaestione et in dissertatione ipsi adnexa adductas.

Huc maxime faciunt testimonia ex quibus ad invicem relatis identitas apparet inter Filium et Verbum, tanquam eamdem prorsus personam. Prae aliis satis sit adducere sententiam S. Ioannis: « Et *Verbum* caro factum, ... et vidimus gloriam eius, gloriam quasi *Unigeniti a Patre* » [3]. Huc faciunt directe considerationes quibus Patres excellentiam

[1] *Opusc. ctr. err. Graec.* c. 12.
[2] Serm. III, *de Spiritu Sancto.*
[3] JOANN., I. 14.

nominis Verbi extollunt [1]. Audiatur S. Basilius: « Cum de « unigenito loqueretur, Verbum ipsum dixit .... Cur Verbum? « ut perspicuum sit, ipsum processisse ex mente. Cur Ver- « bum? quia citra passionem genitus est. Cur Verbum? quia « imago est genitoris, totum in se ipso genitorem ostendens, « nihil inde separans, et per se ipsum perfectum existens; « quemadmodum et Verbum nostrum totius nostrae cogita- « tionis refert imaginem » [2].

De *Corporis* argumento nihil dicendum superest.

Ad 4m. Ex hac obiectione habes rursus, quantopere insistendum sit modo concipiendi SS. Trinitatem, iuxta quem intellectus divinus foecundus sit Pater generans vel dicens Filium: ad quem proin pertinere nequit ille ipse actus a quo est. Unde quum ille actus sit unicus, quia unicus divinus intellectus atque perfectus, non superest locus quaerendi, quare Filius non dicat Verbum: idem enim est ac quaerere, cur non sit Pater.

Corollarium. Ex doctrina huius articuli apparet, quam absurde Gnostici quidam inter Filium et Verbum distinxerint. Ita Valentinus, vix gnosticus, sequentem fingebat originem Verbi: Ex βυθῷ et σιγῇ, gemino principio summo, quod Protarchen, Patrem et Deum Ingenitum appellabat, oriuntur νοῦς et ἀλήθεια, veluti ex tacita cogitatione Ingeniti Unigenitus aequalis; ex unigenito procedit λόγος, seu Verbum, a quo Verbo mittitur Christus. Igitur iuxta Valentinum, Ingenitus est in summo gradu, Unigenitus in secundo, Verbum in tertio, in quarto Christus. Quare facile erat, at subdolum, Arianis negotium, specie catholicae veritatis, in Valentinianam Verbi prolationem invehere. Quos constanter Patres refellunt, distinguentes inter prolationem Verbi, qualem exhibet fides revelata, et qualem Gnosticus ille somniabat. « Quid, obsecro, ait Cyrillus Alex., de Joanne statues, qui « Filium vocat Verbum, atque hanc maxime propriam appel- « lationem ei tribuit, quaeque essentiam ipsius significatis- « sime exprimat » [3]. Et in sequentibus fuse demonstrat, Filium esse verum Verbum Patris.

[1] Cf. dicenda in fine Quaest. XXXV.

[2] Homil. in illud: « In principio erat » n. 3.

[3] *Thesaur.*, Ass. XIII. - *P. G.* t. LXXV, col. 313. sq.

ARTICULUS III.

UTRUM VERBUM IMPORTET RESPECTUM AD CREATA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Subtilis quaestio, determinare respectum quem Verbum habet ad creata. Quaeritur nimirum, utrum iste sit respectus aliquis formalis ad Verbum pertinens; an solum, ut ita dicam, materialis, communis Patri et Spiritui Sancto. Si prius tenes, videtur creatio fuisse necessaria, sicuti et Verbum ipsum; vel ipsum Verbum in tempore dicendum. Si alterum affirmas, quinam valor remanet illi locutioni Ioannis: « Omnia per ipsum facta sunt » ?

2) Solutio huius quaestionis pendet a modo, quo Verbum procedit a Patre et quo creatura procedit a Deo.

a) Quoad primum. Si Verbum solummodo procederet a Patre per intellectionem Patris et essentiae divinae, certe Verbum non haberet formaliter nisi respectum ad illum; sed quum procedat quoque ab intellectione omnium possibilium, uti fuse infra demonstrabitur, habet relationem ad illa, et proin ad ea quae de possibilitate ad esse transierunt.

Sed hucusque videretur esse respectus communis Filio et Spiritui, nam et ipse Spiritus participat essentiam divinam, quae est intellectio Dei et omnis creaturae. — *Resp.* materialiter quidem conveniunt, et ideo aliquis respectus in Spiritu Sancto poni debet, etiam quoad cognitionem. - Sed formaliter ratio est diversa. Nam praecise Verbum procedit ab illa intellectione divina formaliter tali, unde ad creata illam dicit formalem relationem quae non solum expressiva est, sed et operativa.

b) Nunc quoad modum quo creata exeunt a Deo. Licet SS. Trinitas tota operetur ad extra, tamen actiones immanentes ad intra sunt fundamentum creationis. Etenim Deus Verbum suum dicens cognoscit omnia factibilia, et spirans Spiritum, amat ea quae ut facienda eligit. - Quare sicuti operationes ad intra praerequiruntur, dictio autem Verbi prima est: apparet, quo iure Ioannes dixerit, omnia per ipsum esse facta. Nam omnia facta sunt per scientiam operatricem Dei,

cuius terminus aeterna foecunditate est Verbum internum, simul speculum Dei ac mundi, medium aliquo modo inter fontalem Dei intellectionem et liberam mundi productionem.

3) Ex his iam liquet, quomodo alio et alio veluti respectu Verbum et Spiritus ad creaturas referantur. Spiritus ut amor divinus, procedens simul ab amore Dei et ab amore ad creaturas, determinat eligenda ut fiant; Verbum autem est simul prolatum et efficax. Quatenus est prolatum, essentialem relationem ad creata possibilia habet; quatenus efficax, libere ad opus exit.

Apparet igitur quomodo, licet aeterna et essentialis sit generatio Verbi, libera tamen et in tempore exsurgat relatio ad creationem. Essentialis autem in Verbo est relatio ad possibilia, utpote in ipsa essentia divina essentialiter contenta.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit abstrahendo a natura personae.

2. Obi. Dupliciter peccat: *a*) quia arguit a Verbo, ac si idem diceretur per Verbum ac per Creatorem; *b*) nimis generaliter affirmat, omnia nomina relationem Dei ad creaturam importantia, ex tempore dici.

3. Obi. Non attendit ad causalitatem divinae scientiae.

4. Obi. Confundit formalem rationem Verbi, scilicet unius prolati, cum formali ratione idearum, scilicet multiplicium exemplarium.

5. Obi. Falso paritatem supponit inter entia et non entia quoad relationem ad scientiam Dei. Dist.: quoad scientiam uti cognoscitivam, conc. (modo non entia sint possibilia); quoad scientiam uti operationem, nego.

Sed contra est. « *Quae per Verbum facta sunt operativa potentia* ». Sicut Deus ad extra creat quasi proferendo verbum efficax, exprimens ideam praehabitam; ita ad intra dicit Verbum internum exprimens et spirans iuxta praeintellectionem divinam. Unde externum verbum est quodammodo resonantia verbi interni.

In Corpore. Duplex est principium solutionis: *a*) Deus dicit Verbum unicum; *b*) exprimens omnem intellectionem divinam. Unde Deus unico Verbo omnia cognita, creata quoque, exprimit. (Confer dissertatiunculam in fine articuli).

Adverte sedulo subtilem argumentationis processum. Scientia Dei est simul expressiva et operativa; quatenus nihil a rebus accipit, imo, ut vidimus supra, Pater nihil a Verbo nec a S. Spiritu accipit. Quaeritur igitur, utrum Patris scientia sit iam operativa; an potius per Verbum habeat esse operativum. S. Thomas, ex modo loquendi in *Corpore,* videretur primo intuitu hoc alterum tenere; dicit enim, Verbum Dei eius quod in Deo Patre est, esse expressivum tantum, creaturarum vero et expressivum esse et operativum.

At, locutione melius perpensa, apparet sensus alius. Nam si contendis, non esse operativum in Patre, quia S. Th. dicit esse expressivum tantum, cognitionem quoque expressivam creaturarum in Patre negas, quod aperte falsum est.

Unde sensus illius *est* non importat tanquam cognitum, sed tanquam quidditative existens. Ideo enim scientia quae Dei est, non potest esse operativa, quia Deus ab aeterno a se est. Nihilominus quum dictio ad intra praecedat omnem dictionem ad extra, Verbum Dei est quasi principium divinae operationis proximum.

Ad 1m. Cave, ne nimis restrictive hoc responsum intelligas: tolleres enim omne illud quod de Verbo singulariter prae Spiritu Sancto affirmatur; nam eodem iure possum dicere: Spiritus Sanctus est Spiritus Deus, ergo est spiratus Creator.

Ad 2m. Relationes quae oriuntur ex actu immanente cum respectu ad creaturas, mediae sunt aliquomodo inter actus immanentes et actus transeuntes, quatenus regunt, imperant et operantur eos. Ita divina scientia, ut procedens ex actu interno divinae intellectionis, est principium operationis. Unde Verbum etiam ex hoc fonte relationem ab aeterno habet ad possibilia creanda.

Ad 3m. Vidimus supra, duplicem esse ideae respectum: ut principium cognoscitivum, refertur ad illud a quo cognoscitur; ut principium operativum, ad terminum operationis. Iam vero ita in Deo Verbum est idea cognoscitiva ab ipso Patre prolata et operativa rerum. Unde secundum quod termini in rebus multiplicantur, etiam ideae possunt ratione multiplicari, non quasi essent revera multae in mente divina

vel in Verbo, sed quia unum Verbum tot distincta comprehendit et exprimit.

DISSERTATIUNCULA

DE COGNITIONE EX QUA VERBUM PROCEDIT IN DIVINIS.

Inter maxime ardua problemata quibus immensus Trinitatis campus sublimi feracitate veluti horrescit, adnumeranda sane est quaestio, ex quorumnam cognitione Verbum in divinis procedat. Obiectum divinae cognitionis solent theologi cum philosophis distinguere duplex, primarium scilicet et secundarium. Primarium essentiam ipsam Dei directe complectitur; secundarium factibilia per scientiam simplicis intelligentiae, facienda per scientiam visionis.

Primarium autem obiectum in praesenti argumento parum aliter considerandum est ac in tractatu de Deo uno egimus. Essentia enim Dei nequit a SS. Trinitatis mysterio seiungi, iuxta quod essentia divina proprie dicta distinguitur a tribus personis sive singillatim, sive simul sumptis.

Quaestio igitur praesens varios habet respectus. Investigandum est enim, utrum Verbum procedat in divinis a cognitione solius obiecti primarii, an etiam a cognitione obiecti secundarii. Et in utroque membro quaerendum, utrum obiectum primarium contineat solum essentiam divinam ut talem, an etiam personas, et quasnam personas; pariter, utrum obiectum secundarium intelligendum sit mere scientiae simplicis intelligentiae, an etiam visionis. Quae omnia si discreveris, sequentia investiganda habebis: Proceditne Verbum in divinis cognitione 1) divinae essentiae, 2) personae Patris, 3) personae Filii, 4) personae Spiritus Sancti, 5) totius Trinitatis, 6) omnium possibilium, 7) omnium quovis tempore faciendorum?

Ratio autem dubitandi maxime triplex apparet: *a*) Ordo Trinitatis; *b*) aeternitas generationis; *c*) libertas creationis in tempore.

a) *Ordo Trinitatis:* nam si dicis, ex Spiritu Sancto cognito, sive ex cognita SS. Trinitate procedere Verbum, quomodo non ipse Spiritus praecedet Verbum, atque ordo personarum

invertetur? - *b*) *Aeternitas generationis:* etenim si Verbum procedit ex cognitione faciendorum, quum haec fiant in tempore, et cognitio Dei sit causalis: quanam via potest aeternitas divinae generationis salvari? - *c*) Demum *libertas creationis* in tempore, quum enim Verbi generatio nihil contingentis habeat, nonne necessarium erit ipsum creationis opus, si ex eius cognitione Verbum procedere dicatur?

Iamvero in tres classes possunt theologi quoad huius problematis solutionem distribui, iuxta quod difficultatem propositam exaggerantes, uti Scotus, nimium negando ei concedunt; vel ex opposito eamdem quasi adesse negantes, uti ex recentissimis Heinrich [1], totum sine distinctione affirmant; vel demum difficultatem quidem agnoscentes, non autem eodem gradu quo primi, sive unum tantum negant, sive quaedam nonnisi adhibita distinctione concedunt, uti Vasquez.

Prima classis ducem habet Scotum [2]. Doctor quippe Subtilis quum insuperabiles iudicaret difficultates supra expositas, negavit Verbum ex alia cognitione procedere formaliter quam ipsius essentiae divinae; Puteanus addit quoque ex cognitione Patris; Vasquez, et ex cognitione Filii [3].

Theoria Scoti ad sequentia puncta reduci solet.

In aeternitate divina duo distinguenda sunt veluti instantia naturae apud Deum; et in priori instanti naturae duplex instans originis. In priori instanti originis Pater tantum se, id est, suam infinitam essentiam intelligit, intellectione foecunda, cuius terminus est Verbum; in secundo instanti Pater et Filius mutua sui essentiaeque divinae intellectione foecunda spirant Spiritum Sanctum. In altero instanti naturae Deus producit esse aeternum metaphysicum rerum in sua aeterna veritate ac possibilitate, per quamdam intelligibilem veluti productionem in esse diminuto. Quare, iuxta Scotum, Verbum per se nullam dicit relationem ad creata, nec sub ratione scientiae simplicis intelligentiae; insuper non procedit

[1] « Die Einwände und Schwierigkeiten, welche man dagegen erhoben hat, « beruhen auf einer Misskennung der unendlichen Vollkommenheit Gottes, und « seines Erkennens und Wollens, sowie auf einer irrigen Uebertragung creatürli- « cher Vorstellungen auf ihn ». Et pergit Scotum confutans ex absoluta simultaneitate divinarum processionum (op. cit., §. 244).

[2] In II. Sent., Dist. I, q. I, a. 2; I. Sent., Dist. XXXII, q. I, ad ult.; Quodl. XIV, §. Hic intelligendum, art. 2.

[3] Contra Vasquezium fuse ac subtiliter disputant *Salmanticenses*.

a cognitione divinarum personarum, neque ipsius Patris, nisi concomitanter.

In qua Scoti doctrina, si Subtilis mentem genuine exhibeat, duplex pars est distinguenda, iuxta duplex instans naturae cui superstruitur. En iudicium, sane parum mite, quod de altera parte huius sententiae fert auctor *Studii Solesmensis* [1]: « Quantum autem ad creaturarum cognitio-« nem prorsus intolerabilis est ea theoria: ab aeterno et « quidem necessario, Deum creavisse omnes creaturas pos-« sibiles in esse quodam intelligibili, obiectivo et diminuto, « ut ait Scotus. In esse intelligibili, vel esse inintelligibili? « Si noverat prius, cur ita creavit? Si non noverat, ergo « inscius creavit. Quid est creatio illa necessaria et inaudita, « ad quam nisi respiciat Deus, creare et verum esse non « potest Deus adducere? Revera tolerabiliores sunt formae « platonicae prae illis, ut ait Caietanus [2], imaginationibus; « imaginationes dicam, an pueriles ludificationes? Tota enim « illa ferrago nititur hac positione falsissima: non posse crea-« turas a Deo cognosci nisi aliqualiter existant in se, vel in « esse reali, vel in esse intelligibili, obiectivo, a divina « essentia et mente distincto, quod revera est perversio « totius theologiae ».

At de sententia, qualis magistro suo tribuitur a Thomistis, maxime a Caietano, - qui non minus videtur contra Subtilem quam pro Angelico scripsisse, - conqueri solent Scotistae [3]. Et sane non tam crassum Scoti conceptum fuisse, crediderim; licet, iudicio nostro, in hoc erraverit, quod cognitionem imitabilitatis divinae essentiae, ac proin possibilium, nimis ab ipsius essentiae divinae cognitione distinxerit.

Nec probanda videtur sententia Scoti quoad priorem partem, quoad analysim scilicet prioris instantis naturae, saltem sicut solet exponi [4]. Et sane contradicit communissimae apud

[1] Op. cit., p. 169.

[2] Hoc loco.

[3] Lege, v. gr., quid de hoc argumento habeat Frassen (*Scotus Academ.*, tract. II, disp. I, art. 2.).

[4] Conqueruntur et hic Scotistae de perperam intellecta doctrina magistri. Laudatus Frassen sequenti conclusione se mentem Subtilis fideliter reddere existimat: « Processiones divinae, nedum supponunt cognitionem et volitionem essentiae divinae « et omnium perfectionum attributalium, sed etiam trium divinarum personarum »

theologos doctrinae asserenti, Verbum procedere ex cognitione non solum divinae essentiae, sed et personarum.

1) Et primo quidem ipsa Scriptura tam absolutis verbis loquitur, ut nihil a cognitione Patris Verbum dicentis excludi videatur. « Omnia per ipsum facta sunt » [1]. « Portans omnia « verbo virtutis suae » [2]. « Qui est imago Dei invisibilis, pri- « mogenitus omnis creaturae: quoniam in ipso condita sunt « universa in caelis, et in terra, visibilia et invisibilia, sive « throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: « omnia per ipsum et in ipso creata sunt » [3]. Nec obsunt verba sequentia: « Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso « constant » [4]. Si enim prior incisi pars possit de tali praecedentia intelligi, quae Scoti sententiam corroboraret; altera pars quem vindicamus sensum, potius confirmat; quemadmodum et loca V. Test. de sapientia ingenita superius illustrata.

2) Eadem sine restrictione argumentatio apud praecipuos theologiae patronos decursu saeculorum reperitur.

Et certe *a*) *S. Augustinus* ex perfectione absoluta scientiae proferentis Verbum concludit ad perfectionem ipsius Verbi prolati. En quomodo loquatur in l. XV. *de Trin.*, c. 14: « Verbum ergo Dei Patris unigenitus Filius per omnia Patri « similis et aequalis, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia « de sapientia, essentia de essentia; est hoc omnino quod « Pater, non tamen Pater: quia iste Filius, ille Pater. Ac « per hoc novit omnia quae novit Pater: sed ei nosse de « Patre est, sicut esse. Nosse enim et esse, ibi unum est. Et « ideo Patri, sicut esse non est a Filio, ita nec nosse. Proinde « tanquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi aequale « per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, « si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo quam in « ipso. Ibi summe illud agnoscitur: " Est, est; non, non " [5]. « Et ideo Verbum hoc vere veritas est: quoniam quidquid

(op. cit., Tract. III, disp. I, art. 3, q. II). Liceat nobis ab hac lite abstinere, utpote magis de veritate in se quam de aliorum mente sollicitis. Æquitas nihilominus exigebat, ut sententiam dubiam dubie exponeremus.

[1] Ioann., I.

[2] Hebr., I, 3.

[3] Coloss., I, 15, 16.

[4] V. 17.

[5] Matth., V, 37.

« est in ea scientia de qua genitum est, et in ipso est; quod « autem in ea non est, nec in ipso est. Et falsum habere « aliquid hoc Verbum nunquam potest: quia immutabiliter « sic se habet, ut se habet de quo est. " Non enim potest « Filium a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem « facientem " [1]. Potenter hoc non potest, nec est infirmitas « ista, sed firmitas, qua falsa esse non potest veritas. Novit « itaque omnia Deus Pater in se ipso, novit in Filio: sed ita « in se ipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum « suum, quod est de his omnibus quae sunt in seipso. Omnia « similiter novit et Filius, in se scilicet, tanquam ea quae « nata sunt de iis quae Pater novit in seipso: in Patre autem, « tanquam ea de quibus nata sunt, quae ipse Filius novit « in se ipso. Sciunt ergo invicem Pater et Filius: sed ille « gignendo, iste nascendo. Et omnia quae sunt in eorum « scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque « eorum simul videt; non particulatim, aut singillatim, velut « alternante conspectu hinc illuc, et inde huc, et rursus inde « vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit, « nisi non videns alia: sed, ut dixi, simul omnia videt, quo- « rum nullum est, quod non semper videt » [2].

Quae Augustini verba, etsi non directe Spiritum Sanctum nominant, valide tamen et de ipso intelliguntur dicta. Etenim si tota scientia Patris est scientia generans; nequit Pater, dum generat, non intelligere Spiritum; secus neque ullatenus Spiritum Pater, uti Pater, cognoscere dicendus esset.

Et alibi [3] exordium evangelii S. Ioannis ita exponit: « Quod « graece λόγος dicitur, latine et rationem et verbum signi- « ficat. Sed hoc melius Verbum interpretamur, ut significetur « non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quae « per Verbum facta sunt operativa potentia ». Iam vero si ad illa Verbum refertur uti Verbum, oportet et ex illorum cognitione similiter procedat [4]. Et disertissime in expositione Evangelii S. Ioannis: « Verbum Patris est Filius, nihil « dixit Deus, quod non dixit in Filio. Dicendo enim in Filio,

[1] Ioann., v, 19.
[2] *P. L.* t. xlii. col. 1076, sq.
[3] *De div. Quaest.* lxxxiii, Q. 63. - *P. L.* t. xl. col. 54.
[4] Cf. *Confess.*, l. vi, c. 7.

« quod facturus erat per Filium, ipsum Filium genuit, per « quem faceret omnia » [1]. Quae ultima sententia synthesi vere mirabili totum complectitur.

b) Eadem est prorsus doctrina *S. Anselmi* in *Monologio* (cap. 29-33), Patrem scilicet unico Verbo dicere se totum ac omnia quae fecit. Demonstrat quippe, in Deo dari Verbum omnium rerum extra Deum existentium, quin inde sequatur ullo modo nec necessitas, nec aeternitas creationis; quia si creatura non esset, non ideo desineret Deus intelligere seipsum. « Quid igitur? Si enim nihil intelligeret, quomodo esset summa « sapientia? Aut si nullo modo esset aliquid praeter illam, « quid illa intelligeret? Sed numquid seipsam non intelli- « geret? » Et facta comparatione cum mente humana, ait: « Ergo summus ille spiritus, sicut est aeternus; ita aeterne « sui memor est, et intelligit se ad similitudinem mentis « rationalis; imo non ad illius similitudinem, sed ille princi- « paliter, et mens rationalis ad eius similitudinem. At si « aeterne se intelligit, aeterne se dicit. Si aeterne se dicit, « aeterne est Verbum eius apud ipsum. Sive igitur ille cogi- « tetur nulla alia existente essentia, sive aliis existentibus, « necesse est, Verbum illius coaeternum illi esse cum ipso » [2]. Iam cap. 33, praecipuo in re praesenti, Anselmus demonstrat, Deum, sive, uti loqui assolet, summum spiritum uno Verbo seipsum dicere et creaturam. « Sed ecce quaerenti « mihi de Verbo quo creator dicit omnia quae facit, obtulit « se Verbum quo seipsum dicit qui omnia facit; aut potius « eodem ipso Verbo quo dicit seipsum, dicit quaecumque « facit? Nam hoc quoque Verbum, quo seipsum dicit, ne- « cesse est idipsum esse quod ipse est, sicut constat de « Verbo illo quo dicit ea quae facta sunt a se. Cum enim, « etiamsi nihil unquam aliud esset nisi summus ille spiritus, « ratio tamen cogat Verbum illud quo se dicit, ex neces- « sitate esse: quid verius quam hoc Verbum eius non esse « aliud quam quod ipse est? Ergo si et seipsum, et ea « quae facit, consubstantiali sibi Verbo dicit, manifestum « est quia Verbi quo se dicit, et Verbi quo creaturam dicit, « una substantia est. Quomodo ergo, si una substantia est,

[1] *In Ioann.*, Tract. XXI, 4. - *P. L.* t. XXXV. col. 1565.
[2] *P. L.* t. CLVIII, col. 186.

« duo verba sunt? ». Et postquam ad rigorem huius rationis ostendendum, demonstraverit, Verbum quo Deus seipsum dicit, optime vocari Verbum eius; Verbum autem quo Deus creaturam dicit, non posse vocari Verbum creaturae « quia « non est eius similitudo, sed principalis essentia », concludit egregie: « Consequitur igitur, ut ipsam creaturam non dicat « Verbo creaturae. Cuius ergo Verbo eam dicit, si non dicit « eam verbo eius? Nam quod dicit, Verbo dicit; et Verbum « alicuius est Verbum, id est similitudo. Sed si nihil aliud « dicit quam se aut creaturam, nihil dicere potest, nisi aut « suo aut eius Verbo. Si ergo nihil dicit Verbo creaturae, « quidquid dicit, Verbo suo dicit. Uno igitur eodemque Verbo « dicit seipsum, et quaecumque fecit » [1].

c) Disertissime idem docet *S. Thomas*. Sufficerent verba superius in hac Quaestione, art. 1. ad 3. habita: « Pater intel- « ligendo se, et Filium et Spiritum Sanctum et omnia alia « quae eius scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota « Trinitas Verbo dicatur, etiam omnis creatura ». Alibi ait: « Ad hoc quod Verbum eius (Patris) perfectum sit, oportet quod « exprimat quidquid continetur in eo quo oritur; et praecipue « cum Deus omnia uno intuitu videat, non divisim. Sic ergo « oportet quod quidquid in scientia Patris continetur; totum « hoc per unum ipsius Verbum exprimatur, et hoc modo quo « in scientia continetur, ut sit verum Verbum suo principio « correspondens per scientiam; et Verbum ipsius exprimat « Patrem principaliter, et consequenter omnia alia quae « cognoscit Pater cognoscendo seipsum: et sic Filius, ex hoc « ipso quod est Verbum perfecte exprimens Patrem, exprimit « omnem creaturam. Et hic ordo ostenditur in verbis Anselmi « qui dicit: " quod dicendo se, dicit omnem creaturam " [2]. « Verbum respicit directe Deum, qui primo per Verbum « exprimitur, et ex consequenti creaturas; et quia creaturae « secundum quod in Deo sunt unum sunt, creaturarum « omnium unum est Verbum » [3].

Non ideo tamen Angelicus concedit, Verbum semper hunc respectum ad creaturam involvere: potest enim intelligi sive

[1] *P. L.* t. CLVIII, col. 187, sq.
[2] *Monol.* 32. - loc. cit.
[3] *De Verit.*, Q. IV, a. 4, corp. et ad 5.

absolute, sive cum respectu ad creaturam: « Uno et eodem « Verbo Pater dixit se, et omnem creaturam; tamen diversa « est consideratio Verbi, secundum quod per illud dicitur « Pater, et creaturae. Non enim deest cogitatio absoluta crea- « turarum, nec etiam cognitio comparata, secundum quod « cognoscit, se esse causam illorum; quamvis istae tres cogni- « tiones non differant realiter in ipso, sed ratione tantum; et « ideo non exigitur ad intellectum Verbi, secundum quod eo in- « telligitur Pater dixisse seipsum, respectus ad creaturam, sed « secundum quod eo intelligitur creaturas dixisse: et ideo Ver- « bum absolute et cum respectu ad creaturam intelligitur » [1].

d) Et *S. Bonaventura,* distinguens in Verbo triplicem similitudinem: imitativam, exemplativam et operativam, ita habet: « Sicut dicit Augustinus [2]: Verbum dicitur et generatur, « quando mente similitudo vel imago alicuius cognoscibilis « concipitur: et verbum illud respicit, quod respicit similitudo « concepta. Quoniam igitur mens nostra, nec simul, nec uno « et eodem videt se et alia: ideo alio verbo dicit se, et alio « alia, immo aliis: tot enim in eo sunt verba quot intellecta. « Summus autem spiritus in Patre se et omnia uno aspectu et « eodem cognoscit; et cum intelligit se et alia, cognoscit se ut « aliorum principium. Et quia in ipso vis conceptiva concipit « similitudinem omnium circumplectentem sub intuitu uno, « sive aspectu, concipit sive generat unum verbum, quod « est similitudo Patris imitativa, et similitudo rerum exem- « plativa, et similitudo operativa: et ita tenet quasi medium: « et dicitur Pater operari per Verbum; et ulterius ipsi Verbo « tribuitur quod sit Dei virtus et Dei sapientia. Et ita patet « quod Verbum divinum dicit respectum ad Patrem, dicen- « tem ipsum, a quo generatur, per omnia consimilem. Dicit « etiam respectum ad creaturam per modum exemplaritatis « dispositivae et virtutis operativae. Et quia ista non dicunt « respectum in actu, sed solum in habitu, dico quod, sicut « exemplar dicit respectum in habitu, et potentia similiter, « quia multa scit Deus et potest, quae non facit, sic et Ver- « bum aeternum » [3].

[1] I. Dist. XXVII, q. 2, a. 3, ad 3.
[2] *De Trin.* l. XV, c. 10. sq.
[3] I. Dist. XXVII, p. 2, q. 2, concl.

Ex allegatis auctoritatibus, - quibus facile esset principaliores addere Thomistas, recentioresque theologos, uti Cardinalem Franzelin, Cl. Billot, auctorem *Studii Solesmensis*, - apparet quantopere a communiori tramite recesserit Scotus: quoad priorem partem erronee, quoad alteram insuper prope absurde.

Superest ut breviter per partes, iuxta analysim praestatutam, quaesitum solvere conemur. Sint igitur sequentes septem propositiones.

1. **Propositio. - Verbum procedit ex cognita perfecte essentia divina.** - Tantae evidentiae est haec propositio, ut vix demonstratione indigeat. Quomodo enim Verbum esset Deus, nisi essentiam divinam exprimendo participaret? Iam vero Verbum se testatur a Patre maius omnibus accipere, vitam scilicet habere a semetipso; oportet ergo ut procedat per intellectionem ipsius essentiae, atque per consequens sit ipsa essentia divina formaliter uti per intellectionis seu dictionis actum foecunde expressa. Quare nullus theologus christiano nomine dignus de hac prima propositione aliter sentit.

2. **Propositio. - Verbum procedit ex cognitione Patris,** non quidem mere concomitanter, quod et concedit Scotus, sed et *formaliter*. Probatur haec conclusio directe ex hoc, quod Pater est ipsa natura divina formaliter dicens. Quare negare Filium procedere formaliter ex cognitione Patris, idem est ac contendere, Patrem non esse Patrem formaliter uti dicit Verbum; quod falsissimum est. Sit forte, ex indigentia nostri conceptus, aliqua distinctio mere rationis iuxta quam prius intelligimus Deum, uti naturam divinam, quam Patrem. Cogitare autem nequit foecunditas intellectus divini, quin Deus Pater ex intellectione sui, non solum Dei, sed et Dei Patris dicat Verbum.

Idem indirecte per absurdum demonstratur. Etenim vel Pater potest intelligi in instanti logico esse ante Verbum; vel Verbum ante Patrem; vel ambo simul necessario ita se invicem appellant, ut nullo modo possint nec logice ab invicem separari. - De instanti temporis in Trinitate quaerere non absonum modo, sed et impium nimis. - Atqui si primum, nulla ratio apparet cur non ex cognitione Patris Verbum procederet; imo corruit ipsa quaestio corruente fundamento diffi-

cultatis. - Secundum autem manifeste repugnat: tum directe in se, quia ordinem relationum inverteret; tum indirecte, quia poneret Patrem cognitionem Filii vel non habere vel nonnisi habere a Filio, ac proin Patrem quoad cognitionem Filii a Filio recipere, ac ita a Filio procedere. - Restat tertium, in quo est veritas. Iam vero etsi simul etiam ratione concipiendi sint Pater ad Filium, Filius ad Patrem, non ideo minus Pater gignit Filium, dicit Verbum. Scilicet, uti loqui solent theologi, licet in Patre ad Verbum non sit *prioritas in quo,* adest nihilominus *prioritas a quo.* Haec autem sufficit ut Pater, formaliter ut dicit Verbum, seipsum, uti Pater est, cognoscat, ac proin Verbo exprimat. Caeterum quomodo Pater intelligeret essentiam divinam, quin in ea se intelligeret Patrem?

3. **Propositio. - Verbum procedit, et quidem formaliter, ex cognitione ipsius Verbi.** - Haec propositio ex conclusione praecedente logica necessitate fluit. Difficultas quippe provenit ex falso conceptu prioritatis in divinis; ac si *prioritas a quo* (sine qua utique perit ordo Trinitatis, ac Trinitas ipsa) secum traheret *prioritatem in quo.* Quod si verum esset, utique Verbum non posset procedere ex intellectione ipsius Verbi, nisi ad summum distinguendo in ipsa prolatione Verbi duplex instans logicum: prius, in quo Verbum non dicitur ex cognitione Verbi; alterum, in quo, logice prolato Verbo, iam Pater quasi reflexe ipsum diceret Verbum veluti Verbum Verbi. Sed hoc repugnat. Etenim *a*) in hoc altero instante, non amplius esset Verbum formaliter proferendum, sed prolatum. - *b*) Istud duplex instans supponeret in medio instans in quo Pater acciperet a Verbo cognitionem Verbi; vel saltem Verbum in essentia divina contemplaretur. - *c*) Istud Verbum cognitum deberet et ipsum dici; unde vel Verbum bis diceretur logice, prius materialiter, posterius formaliter; vel daretur Verbum Verbi, cum processu in infinitum. Quare in primo sistendum est: tum quia in divinis non datur nisi *prioritas a quo;* tum quia Verbum cum natura divina identificatur, ac proin in perfecta cognitione essentiae divinae continetur.

Quum autem Verbum procedat per viam intellectionis, non solum re ipsa procedit ex Patre Verbum cognoscente, sed et formaliter.

4. **Propositio. - Verbum procedit ex cognitione Spiritus Sancti, non autem tam formaliter** [1]. - Fatemur hanc propositionem, primo saltem intuitu, maiorem parere difficultatem, quia magis apparens est ordo inter processiones, quam inter personas utriusque processionis terminos. Nihilominus re penitius inspecta, solutio eadem et hanc difficultatem solvit; cum aliquo tamen discrimine, quatenus Verbum procedit quidem ex cognitione Spiritus Sancti, non autem formaliter sicuti ex cognitione Verbi.

Et primo quidem, *a*) quomodo Pater essentiam divinam intelligens diceret, quin et Spiritum Sanctum intelligeret, quum inter essentiam divinam et Spiritum Sanctum nulla detur realis distinctio? - *b*) Si obiicies ordinem processionum, repono: non magis ordo processionum impedit quominus Verbum ex cognito Spiritu procedat, quam ex cognito seipso Verbo. Ad utrumque scilicet salvandum, quin detrimentum inde accipiat ordo Trinitatis, sufficit *prioritas a quo*. - *c*) Eo vel magis quod Verbum procedit ex cognito Spiritu Sancto secundum veritatem. Iam vero Spiritus est procedens a Patre et Filio. Ergo Verbum procedit ex cognitione Spiritus Sancti procedentis a Patre et Filio. Ergo haec cognitio, nedum obsit ordini processionum, eam potius consolidat; quemadmodum alibi demonstratur, modum liberae futuritionis a Deo provisum corroborare ipsam certo praevisorum libertatem. - *d*) Adde, Verbum procedere ex cognitione Patris et Verbi. Atqui Pater nequit perfecte cognosci, nisi cognoscatur etiam uti spirans Spiritum; nec Verbum, nisi uti cum Patre coprincipium Spiritus. - *e*) Demum, nisi Verbum procedat a cognitione Spiritus Sancti, vel remanet imperfectum, vel duplex in Verbo prolato distinguendum est instans. Prius repugnat; alterum autem invertit Trinitatis ordinem, quatenus, quemadmodum in praecedenti propositione quoad Verbum probavimus, induceret Patrem simul et Filium a Spiritu Sancto accipientes, cognitionem scilicet ipsius Spiritus Sancti. Deus quippe seipsum sibi ponendo, non autem se causando, nec etiam a seipso recipiendo, trinus est. Trinitas est initialis plenitudo vitae bis foecundae,

[1] Quid inter nostram et Vasquenzii sententiam intersit, perpende.

non autem plenitudo vitae per geminam foecunditatem acquisitae [1].

At non ideo tam formaliter Verbum procedit a cognitione Spiritus Sancti, sicuti a cognitione ipsius Verbi. Ratio in promptu est. Etenim nullo modo fieri posset, Verbum divinum non a cognitione Verbi procedere, quatenus haec positio contradicit ipsi viae intellectuali per quam uti Verbum gignitur. Non ita de processione Spiritus. Unde si per absurdam quidem mentis abstractionem, at tamen abstractionem, altera processio tollatur, remanet nihilominus conceptus Verbi ex intellectione sui a Patre procedentis.

5. **Propositio. - Verbum procedit ex cognitione totius Sanctissimae Trinitatis.** - Haec propositio non est nisi corollarium praecedentis. Trinitas quippe est essentia Dei unica in Patre, Filio ac Spiritu Sancto per duplicem processionem subsistens; atqui Verbum procedit ex cognitione omnium elementorum quibus Trinitatis conceptus existit; ergo Verbum procedit ex cognitione totius Trinitatis. Quae conclusio iam in prima propositione continebatur. Verbum enim ex perfecta cognitione essentiae divinae procedens, quomodo non procederet ex cognitione foecunditatis eiusdem essentiae; quomodo autem ex cognitione foecunditatis divinae essentiae, si non ex cognitione totius Trinitatis?

Hucusque de obiecto *primario* ex cuius cognitione Verbum Dei procedit. Iam de obiecto *secundario*.

6. **Propositio. - Verbum procedit ex cognitione omnium possibilium,** seu ex cognito obiecto scientiae simplicis intelligentiae. Haec conclusio, si excipis Scotum cum suis asseclis, saltem qualis passim eorum sententia exhibetur, apud theologos communissime recipitur, licet aliter et aliter a

[1] Eleganter D. Maréchaux, monachus S. Ben. ex Congr. Mont. Oliv. in egregio opusculo cui titulus: *Neuvaine au S. Esprit d'après l'Encyclique « Divinum illud « munus »* : « Dieu est le grand vivant, l'éternel vivant, la vie par essence, le père « des vivants. La vie est essentiellement active; toute vie comporte avec elle une « fécondité. Comment la vie divine serait-elle inactive et inféconde? Agir au dehors, « produire les créatures, n'est pas un but en rapport avec la vertu infinie. Il faut « qu'il ait une activité immanente intrinsèque » (p. 26, 27). Haec, posita revelatione, optima; praecisa revelatione, adhuc verissima, non tamen rationi sibi relictae evidentia, iuxta superius demonstrata. SS. Trinitas est vitalitas foecunda Dei ad intra; non autem vitalitas Dei simpliciter, uti se per geminam operationem auto-causantis.

quibusdam exponatur, uti verba superius citata ex S. Thoma et ex S. Bonaventura ostendunt. Ratio huius propositionis est manifesta. Scientia simplicis intelligentiae potest quidem distingui ab ipsa contemplatione divinae essentiae uti talis, non autem ab hac essentia separari. Pertinet quippe ad scientiam absolute necessariam, quum eius fundamentum nihil aliud sit, quam infinita veritas entis summi sub ratione infinitae imitabilitatis seu exemplaritatis. Unde pari titulo quo ipsa veritas, omnia possibilia, uti possibilia, sunt necessaria, immutabilia, aeterna.

Quare cognitio divinae essentiae, sine cognitione eiusdem essentiae sub ratione infinitae imitabilitatis seu exemplaritatis, esset cognitio imperfecta; nec poni potest in Deo duplex instans, quo videat prius essentiam suam uti formaliter talem; dein eamdem uti imitabilem. Ergo, quum Verbum procedat ex cognitione perfecta divinae essentiae, oportet ut procedat ex cognitione omnium possibilium; et quidem uti idem unicum Verbum, iuxta doctrinam tam lucide a S. Anselmo expositam. Nec satis.

7. **Propositio. - Verbum procedit quoque ex cognitione futurorum quovis tempore faciendorum,** seu obiecti scientiae visionis. De hac ultima propositione non tam conveniunt theologi.

Et certe ipse Caietanus [1], licet in Scotum de more sat vehemens, respectum Verbi ad creaturas reducit ad obiectum scientiae simplicis intelligentiae. Card. Franzelin non quidem negat respectum ad obiectum scientiae visionis; sed negat hunc respectum esse simpliciter formalem. « Verbum pro-
« cedit utique per eam intellectionem, quae est etiam intel-
« lectio creaturarum existentium, cum intellectio divina in
« se una sit, non alia quae habeat pro obiecto Deum, alia
« cuius obiectum sint creaturae; sed eadem omnino qua
« Deus intelligit se, intelligit omnia intelligibilia. Solum dici-
« mus, Verbum non procedere per intellectionem, formaliter
« quatenus haec refertur ad creaturas existentes. Ratio est
« potissimum duplex: *a*) quod Deus subsistens est in tribus
« personis prius ratione prioritatis *in quo*, quam concipi possit

[1] Hoc loco.

« decretum operandi ad extra; seu aliis verbis: quod actus « notionales necessarii ad intra secundum quos procedunt « personae, sunt priores prioritate rationis *in quo*, quam « actus liberi ad extra, sine quibus nulla potest esse intel- « lectio existentium creaturarum. *b*) Ratio altera est, quod « Verbum procedit per intellectionem absolute necessariam; « intellectio autem creaturarum existentium, seu potius relatio « intellectionis ad creaturas existentes non est in se neces- « saria, sed solum in hypothesi creaturae pro aliqua temporis « differentia existentis ». Nihilominus ob ipsam processionem ex obiecto simplicis intelligentiae Verbum habet ad creaturas existentes non solum respectum materialem, sed et formalem, non quidem formalem explicite, sed implicite radicalem. « Itaque, ait in fine, licet expressio Verbi non sit per « visionem creaturae factae, est tamen ut expressio sapientiae « et artis subsistentis cum respectu velut radicali ad crea- « turam faciendam ». Ita doctus Cardinalis [1].

Iam vero inter respectum ad creaturam ex processione per visionem creaturae factae, et respectum radicalem ad creaturam faciendam, defendimus in Verbo respectum ad creaturam existentem ex processione per visionem creaturae faciendae. Et re quidem vera, simplicitas aeternae scientiae Dei tum simplicis intelligentiae, tum visionis, id exigere videtur, sine ullo detrimento neque libertatis actus creantis, neque necessitatis Verbi procedentis. Utique, quum scientiae visionis logice supponat decretum divinae voluntatis inter infinita possibilia creaturam faciendam eligentis, nisi Verbum procederet ex cognitione Spiritus Sancti ac totius SS. Trinitatis, non posset procedere ex cognitione creaturae faciendae. At vicissim, si procedit Verbum ex cognitione Spiritus Sancti ac totius SS. Trinitatis, nequit non procedere ex cognitione creaturae faciendae. Neque hic aspectus processionis Verbi ullo modo obest necessitati processionis huius Verbi, licet creationis actus sit liber; nec libertati huius actus, licet processio Verbi sit necessaria [2]. Nam etiamsi Deus non decrevisset se hanc creaturam ad extra in actum adducturum, nihilominus necessario Pater dixisset Verbum. Concomitanter

[1] Op. cit. th. XXIX, p. 389, sq.

[2] De hoc argumento fusius infra.

igitur, ratione actus liberi, Verbum procedit ex cognitione creaturae; at etiam necessario, scilicet hypothetice, si modo Deus creaturam se facturum decreverit. Quare sicuti non obest necessariae simplicitati Dei cognitio aeterna creaturae contingentis; ita non obest necessariae processioni Verbi processio ex cognitione creaturae contingentis.

Interest tamen quam maxime inter modum quo Verbum procedit ex cognitione obiecti scientiae simplicis intelligentiae et scientiae visionis. Nam 1) respectus Verbi ad obiectum scientiae simplicis intelligentiae est absolute necessarius; respectus autem ad obiectum scientiae visionis, non est necessarius, nisi hypothetice; 2) Verbum procedit formaliter ex actu quo ponitur obiectum scientiae simplicis intelligentiae, nam hic actus est ipsum intelligere divinum per cuius foecunditatem gignitur Verbum, non autem procedit formaliter ex actu quo ponitur obiectum scientiae visionis [1], sed mere ex actu quo hic actus scitur; nam actus quo ponitur obiectum visionis determinatur per liberam Dei voluntatem, per quam Verbum non procedit formaliter; sed Spiritus Sanctus. Quare respectus ad creaturam existentem, ratione amoris, est magis formalis in Spiritu Sancto, quam ratione visionis, in Verbo.

Ex dictis collige, quam synthetica sit sententia S. Thomae (art. 1. ad 3. huius Quaest.), quippe quae omnes has conclusiones in se brevissime contineat: « Pater intelligendo se (1, 2). « et Filium (3) et Spiritum Sanctum (4), et omnia alia quae « eius scientia continentur (6, 7), concipit Verbum, ut sic tota « Trinitas (5) Verbo dicatur, et etiam omnis creatura (6, 7) ».

Conclude ex hac contemplatione, mirabilem esse omnique eloquio sublimiorem, instantaneam illam Verbi prolationem, qua totum ab aeterno, unico veluti fulgoris ictu, dicitur ac continetur; imo inter utramque processionem, ob utriusque instantaneam pari titulo comprehensivam virtutem, dari quandam ineffabilem veluti compenetrationem, vi cuius Spiritus Sanctus ab illo ipso dici videtur, a quo procedit, et in Verbo exprimi, quod eum spirat.

Ex haec de isto argumento satis.

[1] Ita putamus intelligenda verba S. Bonaventurae, quae superius attulimus.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Verbum in divinis intellectum, non quidem metaphorice de manifestatione sive impletione voluntatis, sed proprie, id est, non mere vox exterius prolata, neque eiusdem inquisitio, sed mentis conceptus, personale quid significat propter relationem quam involvit ad eum, qui idipsum verbum profert sive dicit (a. 1).

2) Quum autem haec relatio non alia sit a relatione quae inter Patrem et Filium oritur, - generatio enim in divinis per viam intellectivam concipitur, - Verbum est nomen personale ipsius Filii (a. 2).

3) Quod Verbum non solum habet respectum ad totam SS. Trinitatem, ex cuius cognitione procedit, sed ad creaturam, unico scilicet Verbo, eorum quae in Patre sunt, mere expressivo, creaturarum autem insuper operativo (a. 3).

C. - DE IMAGINE.

QUAESTIO XXXV.

Ordo Quaestionis patet. Sicuti de Verbo quaesivimus, utrum sit personale et proprium Filio; ita de Imagine nunc investigandum. Iamvero utrumque obtinetur ostendendo, imaginem non solum relativum esse nomen, sed et insuper exprimere formalem rationem eiusdem relationis quae ex prima processione oritur.

ARTICULUS I.

UTRUM IMAGO IN DIVINIS DICATUR PERSONALITER.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Doctrina huius articuli tota continetur in effato S. Augustini iam superius allato: « Quid « est absurdius, quam imaginem ad se dici? ». At probandum superest, emanationem veram et non solum aliquem ratio-

nis respectum per imaginem exprimi. Quod elementum in promptu est: imago enim ponit originem illius quod dicitur imago, ab illo quod dicitur exemplar.

2) Vera proin definitio imaginis heic extruenda duplici principio tanquam fundamento innitatur oportet: nimirum similitudini et origini. — Si procedis ab origine, magis accedis ad modum quo superius exposita est definitio generationis, in quo nullum inconveniens, quia re idem est. Nihilominus ut formalis ratio utriusque, generationis et imaginis, melius appareat, hic potius a similitudine procedere iuvat.

3) Imago igitur est in genere similitudinis. — At nonne contrarium hoc est doctrinae in art. 3. Q. XXXIII. expositae? Etenim ibi asseritur, similitudinem aliquid amplius ponere quam imaginem, quatenus sumus imago Dei per naturam et similitudo per gratiam, uti theologi passim ex Genesi arguunt; unde hi duo termini ita intelligendi videntur, ut alter alteri aliquid superaddat; atqui species superaddit ad genus; ergo.

Resp. - *a*) Independenter ab hac, caeteroquin non communi nec certa, interpretatione Geneseos, diversimode duo vocabula considerari possunt. Si α) *gradum assimilationis vel imitationis* consideras, utique imago similis aliquid amplius ponit quam imaginem simplicem, quatenus urget in ea perfectionem formae, sine qua tamen vera imago neque concipi potest. Si vero β) *originem* consideras atque specificas notas, imago involvit relationem processionis, non autem similitudo.

Creatura igitur, in naturae ordine originem a Deo ducens cum aliqua imitatione eiusdem substantiali, habet unde analogice dicatur imago. Quando vero per supernaturales dotes substantia eius ad pleniorem assimilationem elevatur, fit similitudo Dei.

b) Aliter tamen potest eidem difficultati responderi. In modo scilicet quo Deus et creata se habent, salvatur id quod imagini similitudinem superaddit. Nam solus Filius Dei naturalis imago dicitur et non similitudo; filii vero adoptionis, similitudines; quod si imago interdum vocantur, sunt ad imaginem et non simpliciter imago.

c) Optime autem solvitur difficultas distinguendo in similitudine duplicem sensum: alterum genericum, alterum indi-

vidualem. α) Prior latior est imagine, ac ita quaevis imago similitudo, non autem vicissim quaevis similitudo imago; addit quippe super merum similitudinis conceptum, ut ita dicam, materialem, τὸ formale originis, imo modum ipsius similitudinis, scilicet in specie rei, aut saltem in aliquo signo speciei. - β) Alter sensus superaddit ipsi sensui specifico per originem ac modum obtento, gradus perfectionis ipsius similitudinis; unde in hoc sensu quaevis similitudo est imago, non autem quaevis imago est similis. Ita in humana generatione quivis filius est imago patris, non autem semper filius figuram ipsam patris perfecte reproducit; unde inter filios hic patri, ille matri similior dicitur.

Qua responsione accepta - et nobis magis arridet - duo inter se optime componuntur: ex una parte, Filium vocari imaginem prae similitudine; ex altera, hominem vocari Dei imaginem propter dona naturae, similitudinem propter dotes gratiae elevantis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit, S. Augustinum sumere imaginem in sensu exemplaris. Caeterum sumendo imaginem in sensu Filii, verissime dicitur ad imaginem Verbi homo factus, quatenus Verbum est primum aeternum exemplar, quod veluti in arte infinita intuens, vis creatrix in opus exit.

2. Obi. Intelligit dictum de exemplari, quod dictum est de exemplato.

3. Obi. Confundit duplicem rationem prioritatis. Imago per se et absolute nihil requirit ultra prioritatem *a quo*.

Sed contra est. Doctrina praesens continetur in auctoritatibus art. seq. afferendis. Interim iuvat illud producere Christi: « Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum » [1]. De quo loco S. Athanasius: « Talem oportet esse imaginem, « qualis imaginis Pater. Age ergo videamus quae sint Patris, « ut et imaginem agnoscamus, an sit ipsius. Aeternus est « Pater, immortalis, potens, lumen, rex omnipotens, Deus, « Dominus, creator, et factor: haec oportet esse in imagine, « ut revera qui Filium viderit, videat et Patrem » [2]. Cae-

[1] Ioann., xiv, 9.
[2] Or. 2.

terum, demptis Anomaeis, omnes haeretici similitudinem Filium inter et Patrem agnoverunt. - Cf. dicenda infra ubi de vocibus ὁμοούσιος et ὁμοιούσιος.

In Corpore. Per gradus S. Th. relativum imaginis exponit. Accipe schema argumenti.

Imago dicit
1) similitudinem, tanquam genericum;
2) similitudinem in specie vel in signo speciei, tanquam specificum;
3) originem ab exemplari.

Quod tertium in articulo sequenti superest penitius investigandum, ut in eo elementum materiale ab elemento formali discernatur.

En ipsa Augustini verba in *Corpore* citata: « Ubi est « imago, est similitudo, non aequalitas: ut in speculo est « imago hominis, quia de illo expressa est, est etiam neces- « sario similitudo, non tamen aequalitas: quia multa desunt « imagini, quae tamen insunt illi rei de qua expressa est. « Ubi aequalitas, continuo similitudo, non continuo imago: « velut in duobus ovis paribus, quia inest aequalitas, inest « et similitudo: quaecumque enim assunt uni, assunt et alteri; « imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum « est. Ubi similitudo, non continuo imago, non continuo aequa- « litas..... Potest ergo esse aliqua imago, in qua sit etiam « aequalitas: ut in parentibus et filiis inveniretur imago, et « aequalitas et similitudo si intervallum temporis defuisset » [1].

Quomodo autem dari possit perfecta similitudo usque ad aequalitatem, cum origine, quin tamen adsit propria ratio imaginis, in proximo articulo quaeretur.

ARTICULUS II.

UTRUM IMAGINIS NOMEN SIT PROPRIUM FILIO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ratio dubitandi est duplex, alia extrinseca, alia intrinseca: *a*) *Extrinseca* est modus loquendi graecorum Patrum, qui indifferenter Filio et Spiritui

[1] Lib. Qq. LXXXIII, q. 74. — *P. L.* t. XL. col. 86. Lege textum integrum.

Sancto imaginis rationem tribuunt. *b*) *Intrinseca* est communitas similitudinis et originis in Filio a Patre, et in Spiritu Sancto a Patre et Filio.

Sed utraque ratio futilis: *a*) Prior non valet, quia aliud est, Spiritum Sanctum materialiter aliquomodo posse dici imaginem Patris et Filii, ratione perfectae aequalitatis; aliud est, propriam aliquam rationem imaginis non competere Filio, quae deest Spiritui Sancto. - *b*) Altera ratio pariter deficit. Nam quando in *Corpore* articuli praecedentis dictum est, originem requiri ad rationem imaginis, intelligebatur origo tanquam principium formale similitudinis, quae imagini competit. Quare ad strictam rationem imaginis non sufficit processio cum similitudine, sed requiritur processio *per* vel secundum similitudinem.

2) Complenda ergo est definitio quam S. Th. imaginis in *Corpore* art. praecedentis dedit, quatenus tertium, scilicet origo, duos patitur gradus, iuxta quos imago sumitur in sensu pressiori aut in remissiori. Si intelligis mere originem *cum* similitudine, habes sensum remissiorem, qui et in Spiritu Sancto relate ad Patrem et Filium salvatur; si intelligis originem *per* similitudinem, habes imaginem in sensu pressiori, qui ad intra nonnisi Filio convenit. Inde discrimen inter modum loquendi Graecorum et Latinorum: hi imaginem in divinis ad pressiorem significationem limitant; illi etiam remissiorem admittunt.

a) Ex *Latinis* duo afferre testimonia sufficit. S. Augustinus ait: « Verbum quidem solus Filius accipitur, non simul Pater « et Filius, tanquam ambo unum Verbum, sic enim Verbum « quomodo imago, non autem Pater et Filius simul ambo « imago, sed Filius solus imago Patris, quemadmodum et « Filius: non enim ambo simul Filius..... Sicut Verbum de « verbo dici non potest, quod non simul ambo Verbum, sed « solus Filius: nec imago de imagine, quia non simul ambo « imago » [1]. Utique haec dicuntur relate ad Patrem, sed verbis excludentibus alterius in imagine consortium [2]. Et « S. Ambrosius scribit: « Cur solus Filius imago invisibilis

[1] *De Trin.* VI, 2. — *P. L.* t. XLII, col. 925. sq.

[2] Ariani ipsi Spiritum Sanctum potius appellabant Filii manifestationem. « Non « sunt tamen ausi dicere imaginem Filii Spiritum Sanctum, sed manifestationem.

« Dei dicitur..... nisi quia in eo naturae eiusdem unitas, et eius maiestatis expressio est? » [1] intellige quidem formaliter per viam similitudinis.

b) Ex *Graecis* ecce testimonia SS. Athanasii, Basilii atque Cyrilli Alex. - In epist. ad Serap. primus ait: « Imago Filii « dicitur et est Spiritus: " Quos enim cognovit, et praedesti- « navit conformes imaginis Filii sui ". Quare cum in confesso « sit apud illos, Filium non esse creaturam, neque creatura « esse potest illius imago. Nam qualis demum est imago, « talem et eum oportet esse, cuius est imago. Hinc merito « ac consentanee confitemur Verbum non esse creaturam, « quod Patris imago est ». - Et Basilius « Imago quidem Dei « Christus, " qui est ", inquit, " imago Dei invisibilis ": imago « vero Filii Spiritus, et qui huius sunt participes, Filii con- « formes fiunt, sicut scriptum est: " Quos praescivit et prae- « destinavit conformes fieri imaginis Filii sui: ut sit ipse pri- « mogenitus in multis fratribus " » [2]. Et tertio capitulo sequentem titulum praefigit: « Quod imago vera ac naturalis Dei « ac Filii Spiritus est » [3]. - Nec aliter S. Cyrillus Alex. passim; ita v. gr.: « Quemadmodum igitur, quoniam exactissima imago « Patris est Filius, qui ipsum recipit, Patrem etiam habet: ita « servata eadem analogiae ratione, qui imaginem Filii recipit, « nempe Spiritum, omnino per ipsum habet Filium et Patrem, « qui est in eo. Quinam ergo inter facta opera numerabitur « Spiritus Sanctus, si est imago nulla re discrepans Filii Dei?... « Quod si imago Filii Spiritus vocatur, Deus itaque est, et « non aliter » [4].

Porro ratio huius communis Graecorum doctrinae his duobus continetur. 1) Verba S. Pauli ad Rom. VIII. 29: « conformes imagini Filii sui » interpretabantur non in sensu appositionis, ita ut imago Filii sui sit ipse Filius, imago Patris; sed in sensu duplicis genitivi, scilicet conformes ad Spiritum Sanctum, qui est imago Filii Patris. 2) Hunc autem sensum vindicabant utpote efficacissimum contra haereticos, qui, ad-

« Propter hoc non genitum, sed factum ab illo esse dixerunt » (S. Aug. *Contr. serm. Arian.* c. 26).

[1] *De Inc.* c. 10, n. 110. — *P. L.* t. XVI, col. 881.

[2] Rom., VIII, 29.

[3] *Adv. Eunom.* 5. — P. G. t. XXIX, col. 724, sq.

[4] *Thesaur.* XXXIII. — P. G. t. LXXV, col. 572.

mittentes quidem divinitatem Filii, in divinitatem Spiritus Sancti blasphemabant. Caeterum haec argumentandi ratio ostendit ad evidentiam, istos Patres non aliter processionem Spiritus Sancti intellexisse, nisi immediate a Filio, sive a Patre per Filium [1].

Fatemur, interpretationem Latinorum magis nobis arridere, utpote verbis Pauli magis consonam, magisque cum tota sententia [2] concordem; nec solum cum tota sententia, sed et cum aliis Scripturae locis: Filius quippe alibi quoque imago vocatur, non autem Spiritus Sanctus.

3) Alterutra autem interpretatione admissa sequitur, ad extra hominem quoque, praesertim per gratiae commercium, imaginem Dei fieri. Haec autem ratio imaginis per ipsam supernaturalem filiationem exprimitur; omniaque elementa filiationis naturalis, proportione debita, in se exhibet: similitudinem scilicet, in signo speciei divinae, cum origine fundamentaliter a Deo creante, causaliter, formaliter, et exemplariter a Christo regenerante, atque a Spiritu inhabitante.

Hanc imaginem Dei nobis per charismata gratiae impressam, veluti sigillum Filii, Imaginis naturalis, quasi certatim Patres celebrant. S. Cyrillus Alex. ait: « Insuper cum psalmi-« sta dicat: " Signatum est super nos lumen vultus tui Do-« mine ": quemnam vultum Dei Patris intelligit, cuius lumen « super nos signatum est? An patet omnibus, quia Unigenitus « Dei Filius, vultus Patris appellatur, nulla re discrepans illa « imago, qui de se dixit: " Qui videt me, videt Patrem " » [3]. Et alibi: « Obsignati sumus Sancto Spiritu, ad effigiem et « similitudinem vultus Patris, hoc est Filii » [4].

Praeclare S. Augustinus « Cuius Imaginis exemplo et nos « non discedamus a Deo, quia et nos imago Dei sumus: non « quidem aequalis, facta quippe a Patre per Filium, non nata « de Patre sicut illa. Et nos, quia illuminamur lumine; illa « vero, quia lumen illuminans; et ideo illa sine exemplo

[1] Cf. de hoc argumento fusius dicenda ubi ex professo tractabitur processio Spiritus S. a Patre et Filio.

[2] Et certe verba « cohaeredes quidem Christi, si tamen compatimur, ut et con-« gloriticemur », aperte ostendunt, nos ad Filii similitudinem esse conformandos. — Cf. dicenda in *Sed contra est.*

[3] I. *in Ioann.* — P. G. LXXIII, col. 120.

[4] *Dial.* v. — *P. L.* t. LXXV, col. 945.

« nobis exemplum est. Neque enim imitatur praecedentem « aliquem ad Patrem, a quo nunquam est omnino separabilis, « quia idipsum est quod ille de quo est. Nos autem nitentes « imitamur manentem, et sequimur stantem, et in ipso ambu- « lantes tendimus ad ipsum: quia factus est nobis via tem- « poralis per humilitatem, quae mansio nobis aeterna est per « divinitatem » [1].

4) Licet autem imaginis respectus in nobis in ordine tum naturae, tum gratiae, ad totam SS. Trinitatem referatur, adest nihilominus ratio cur ad Filium peculiari titulo praedicetur, et quidem duplex: *a*) quatenus Filius, Imago Patris, est exemplar creationis, quod ars divina in opificio ad extra intuetur; *b*) quatenus Filius incarnatus factus est nobis exemplar omnium virtutum, archetypus sanctitatis atque praedestinationis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad specialem rationem usus Graecorum.

2 Obi. Confundit procedere cum similitudine, et procedere secundum similitudinem.

3 Obi. Non distinguit inter imaginem in re eiusdem naturae, et in re alterius naturae. Relate ad Deum nonnisi illa propria est, haec impropria.

Sed contra est. In Scripturis vocatur Filius « imago, figura, « species, character, εἰκὸν, μορφὴ, εἶδος, χαρακτήρ ». Sint loca sequentia: « Qui cum sit splendor gloriae et figura substan- « tiae eius », scil. Dei Patris, « Ὅς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης « καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ » [2]. In quo loco aeterna emanatio originis exprimitur per verba: « ἀπαύγασμα τῆς « δόξης », specifica repaesentatio per verba « χαρακτὴρ » etc. - « Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, « Ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως » [3]. Quae verba, de Verbo simpliciter dicta, trahenda sunt ad doctrinam *Corporis;* intellecta de Verbo incarnato, confirmant dicta in n. 4. Unde vicina huic nec non primo textui sunt loca superius illustrata de Sapientia genita: Prae-

[1] *De Trin.* XII, 3. — Cf. sequentia ibidem. P. L. XLII, 938.
[2] HEBR., I, 3.
[3] COLOSS., I, 15.

sertim v. 25. et 26. cap. VII. Sap.: « Vapor est virtutis Dei « et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sin- « cera.... Candor est enim lucis aeternae et speculum sine « macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius ». Adde verba Pauli ad Philippenses: « Qui cum in forma Dei esset « ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων non rapinam arbitratus est esse « se aequalem Deo (ἴσα θεῷ), sed semetipsum exinanivit, for- « mam servi (μορφὴν δούλου) accipiens, in similitudinem (ἐν « ὁμοιώματι) hominum factus » [1]. Ex quo loco habes, Christum Deum esse imaginem simillimam Patris, sicuti de Virgine nascens, hominis similitudo et imago factus est. - Adde et praecitatum locum ad Romanos: « Nam quos praescivit et prae- « destinavit conformes fieri imaginis Filii sui (καὶ προώρισεν « συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ), » etc. [2]. Quae verba, uti dictum est superius, a latinis Patribus de ipso Filio imagine iuxta probabiliorem sensum sunt intellecta. - Demum in ipsa participata ratione imaginis similitudo cum adoptiva filiatione praedicatur a Ioanne: « Charissimi, nunc *filii Dei* sumus: « et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum « apparuerit, *similes* (ὅμοιοι) ei erimus » [3]. Constans ergo in Scripturis apparet personalis determinata adsignificatio vocabuli imaginis, sive similium: unde Imago vere proprium nomen Filii ex Sacris Litteris accipitur [4].

In Corpore. Praemissa differentia inter modum loquendi Graecorum et Latinorum, atque usu istorum confirmato ex Scripturis, S. Doctor rationem singularitatis imaginis in divinis inquirit; ubi reiecta duplici interpretatione, altera quae Richardo Victorino, altera quae Ruperto nostro tribuitur, ipse, iuxta praehabita n. 1, doctrinam suam evolvit, quasi corollarium doctrinae superius expositae, ubi quaerebatur de ratione ob quam Spiritus Sancti processio nequit vocari generatio.

[1] II, 6. 7.
[2] VIII, 29.
[3] I. ep. III, 2.
[4] De Verbo-Lumine pulcherrime disserit S. Cyr. Alex. (*In Ioann.* l. I, c. 8. — *P. G.* t. LXXIII, col. 112. sqq.).

En schema huius argumentationis.

- **Imago dicitur in divinis**
  - I) sensu *minus presso:* Filius et Spiritus S. — ita Graeci;
  - II) sensu *presso: solus Filius*, idque
    - 1) non ob perfectiorem aequalitem, quia co-principium: — aequalitas inter tres personas perfecta ratione absolutorum;
    - 2) nec mere exclusive, quasi Spiritus non posset esse imago:
      - *a*) nec Patris,
      - *b*) nec Filii,
      - *c*) nec utriusque: — est immediate ab utroque, tanquam ab uno principio;
    - 3) sed propter discrimen in modo procedendi:
      - *a*) Spiritus solum *cum* similitudine,
      - *b*) Verbum *per* similitudinem, quod ad propriam rationem imaginem pertinet.

Quaedam notanda supersunt circa utramque solutionem exclusam.

1) *Circa priorem.* Ad verba: « *Sed hoc non videtur sufficere* ». Ratio et modus quo Filius cum Patre se habet ad Spiritum Sanctum, est veluti extrinsecus ad hoc quod quaeritur in ratione imaginis; nam quoad hoc non amplius sunt ab invicem, in quo, uti vidimus, est ratio fundamentalis imaginis. Insuper si aequalitas a relativis penderet, ipsa oppositio Patrem inter et Filium inaequalitatem produceret potius quam aequalitatem.

2) *Circa alteram.* Processus per exclusionem quum tribus membris constet, sufficit ut unum ex his membris deficere probetur. Inde S. Thomas solum ostendit inanitatem tertii, quin directe solvat primum nec secundum. Primum autem membrum directe ita solvitur. Imaginis utique non est imago, si imago non habet unde ipsa producat imaginem, sicut et ipsa producta est. At si habet, tunc formaliter ut producens, non erit imago, sed exemplar: v. gr., in humanis filius, imago patris sui, fit pater quando procreat filium, imaginem sui. - Secundum autem membrum ex ipsa responsione ad tertium destruitur; nam si Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, iam inaniter affertur ratio medietatis. Quae caeteroquin ratio per se directe debilis demonstrari

potest. Etenim pone filium perfectam imaginem patris, perfectae imaginis patris sui, iam necessario, licet mediate, nepos avi imago erit. Ita statua gypsea ope formae fusa non ideo rationem imaginis amittit, licet duplici medio, luto quippe sculptoris manu confecto, formâque luto aptatâ, a primo exemplari distet.

Corollarium. Quaeres, quomodo se habeant ad invicem tria nomina propria secundae personae: Filius, Verbum, Imago.

Quaestio haec tria continet: *a*) quodnam sit magis accedens ad modum primae processionis; - *b*) quodnam sit magis apparens; - *c*) quaenam intersit inter ea formalis distinctio.

a) Ad primam quaestionem respondendum videtur, appellationem *Verbi* melius quam reliquas, exprimere in processione secundae personae formalem rationem relationis qua Filius se habet ad Patrem, ac proin personalitatem ipsius [1]. Nam Verbum est illud quod proprie exprimit processionem intellectualem. - Inde Ioannes, theologus inter Evangelistas, Verbi appellatione libentius utitur. Inde etiam ad explicandam generationem divinam, secundum quam dicimus Filium, ad processionem appellavimus intellectualem, quae formaliter sibi simile producere intendit.

b) Nihilominus magis apparens ac obvia est appellatio *Filii*, non solum quia ex analogia cum generatione humana subsistentiam et realem distinctionem Filii a Patre magis ob oculos ponit; sed et quia respondet directius illi nomini quo quasi unice primam personam SS. Trinitatis exprimimus; quod nomen nobis deest in oppositione ad Verbum, vix enim Pater appellatur *Dicens*.

c) Porro unaquaeque ex his tribus appellationibus, uti superius S. Th. ostendit, propriam significationem addit. *Verbum* dicit intellectualem processum; *Filius,* realem subsistentiam in substantia connaturali; *Imago,* aequalitatem inter producentem et productum. - Imago est proin quasi nomen superadditum ad apertius explicandam perfectionem quae in Verbo et in Filio involvitur [2].

[1] Hoc utique negat Durandus, qui non admittit, *Verbum* in Deo significare relativum per se; imo - utpote vir in singularia magis quam in tuta itinera pronus, - non admittit, divinas processiones haberi per viam intellectus et voluntatis.

[2] Eleganter S. Gregorius Nazianzenus tria haec nomina simul coniungit in car-

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum imago dicat non solum similitudinem, et quidem in specie vel in signo speciei, sed et originem ab exemplari, Imago in divinis est nomen personale (a. 1).

2) Hoc autem nomen ex usu Scripturarum, ac Latinorum Patrum proprium est Filio; Spiritui enim Sancto, licet a Graecis quoque imago vocetur, deest ad rationem imaginis, non quidem aequalitas Patri, nec immediata a Patre processio, nec processio a formaliter uno principio, sed processio formaliter per similitudinem (a. 2).

Appendix
de aliis praecipuis Nominibus Filio propriis.

Triplici nomini *Filii, Verbi, Imaginis*, quo secunda persona SS. Trinitatis maxime appellatur, iuvat hic breviter alia praecipua addere de eadem in Sacris Litteris usitata. Quae quidem, si ad praemissa tria referuntur, alia cum alio directius, alia potius omnibus simul inspectis conveniunt.

A) Cum nomine Filii conveniunt: 1) *Unigenitus*, 2) *Primogenitus*, 3) *Via;* — B) cum nomine Verbi: 4) *Sapientia*, 5) *Veritas*, 6) *Virtus;* — C) cum nomine Imaginis: 7) *Lux*, 8) *Vultus*, 9) *Vita*. — Demum D) cum omnibus potius simul: 10) *Rex*, 11) *Dominus*, 12) *Gloria*. - De singulis pauca.

I) 1) *Unigenitus* praedicatur Filius Dei ab ipso Christo: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum « daret. - Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non « credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine Uni- « geniti Filii Dei » [1]. Et Ioannes libenter hoc nomine utitur in Evangelii exordio: « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi « Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.... Deum nemo « vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse

mine dogmatico de Filio: « E Patre — Genitum magni Dei *Verbum*, *Filius* capere « temporis, — *Imago* exemplaris, natura genitori aequalis ». — (*P. G.* t. XXXVII, col. 402). — Cf. Litt. Encycl. « *Divinum illud munus* » (ed. Vatic. 1897, p. 130).

[1] IOANN., III, 16, 18.

« enarravit » [1]. Et alibi in prima epistolarum: « In hoc appa-
« ruit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum Unigenitum
« misit Deus in mundum, ut vivamus per eum » [2].

Hic Unigenitus praefigurabatur per Isaac quem Deus sibi immolari Abrahamo iniunxit: « Fide obtulit Abraham Isaac,
« cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat
« repromissiones » [3]. Unde ipse Pater, voluntate Patriarchae contentus, dixit ei: « Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti
« filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi » [4], oriturumque ex eius stirpe Messiam apertius pollicetur.

Praefigurabatur quoque per oracula in quibus prophetae planctum de huius Messiae morte futurum vaticinantur: « Et
« aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent quasi super
« unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte
« primogeniti » [5]. « Filia populi mei, accingere cilicio, et
« conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum
« amarum » [6].

Porro hoc nomen *Unigeniti* dicit rationem singularissimam qua Filius ad intra a Patre procedit. Unde non solum excludit a processione Spiritus Sancti rationem propriam generationis, sed et ab ipso Filio, haud secus ac a Spiritu Sancto, paternitatem relate ad novam filiationem.

Haec quidem, si *unum,* quod in voce unigenito continetur, refers ad terminum ad quem, sicuti passim considerari solet, ac certe vocis origo indicat. Non defuerunt tamen Patres, qui id *unum* referrent ad terminum a quo; quasi Unigenitus Patris diceret *genitum ab uno* Patre. Quae interpretatio sane arbitraria, proclamat nihilominus fidem circa processionem Spiritus Sancti ab utroque Patre et Filio, et non a Patre solo, quum τὸ esse a solo, proprium habeant Filii unigeniti. [7].

2) *Primogeniti* nomen, si mere vocabulum inspicis, differt ab unigenito, quatenus relationem dicit ad alios genitos,

[1] Ioann., i. 14, 18.
[2] Ibid. iv, 9.
[3] Hebr., xi, 17.
[4] Gen., xxii, 16, 17.
[5] Zach., xii, 10.
[6] Ierem., vi, 26; cf. Amos, viii, 10.
[7] Cf. auctoritates similes variis in locis allatas.

qui in unigenito excluduntur. Re tamen convenit usus biblicus. Nam oblationes pro primogenitis faciendae, non minus urgebant unigenitos; unde nec differri sinebantur. Inde Christus vocatur et Primogenitus, ubi de eius Matre dicitur: « Et peperit filium suum primogenitum » [1]. Et Paulus eodem modo de Patre ait: « Et inducit Primogenitum in orbem « terrae » [2]. Sed et altior ratio huic nomini subest, si perpenditur ad extra relatio Christi tum ad genus sanguine suo redemptum, tum ad creaturam universam [3].

a) Relate ad nos, Christus est « primogenitus in multis « fratribus » [4], quatenus α) antecedenter pro omnibus se obtulit, ut caput esset omnium; et β) consequenter omnes praedestinati ipsius imagini conformantur. Unde in termino resurrectionis et gloriae est primogenitus ex mortuis, dicente Apostolo: « Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, « primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum « tenens » [5]. Et a Ioanne in Apocalypsi vocatur: « Primoge- « nitus mortuorum, princeps regum terrae » [6].

b) Hic autem non sistit haec ratio praecedentiae. Tanta quippe est Dei-Hominis celsitudo, ut universi totius agat principatum. Unde paulo superius Apostolus dixerat de Dei Filio Redemptore: « Qui est imago Dei invisibilis, primoge- « nitus omnis creaturae » [7]. Imo de divina Verbi persona in se considerata dicit Iesus Sirach: « Ego ex ore Altissimi « prodivi primogenita ante omnem creaturam » [8].

3) Iam vero Dei Filius, uti Primogenitus nobis est *Via*, Via Patris ad nos, Via reditus nostri in Patrem. Ita dixit

[1] Luc., II, 7; cf. Matth., I, 25.

[2] Hebr., I, 6.

[3] De appellatione Primogeniti fuse disserit S. Cyril. Alex., obiectionem sequentem Arianorum solvens: « Si Filius non est creatura, non esset vocatus primoge- « nitus omnis creaturae: nam ut magnam habet cum creaturis affinitatem, tametsi « primus in iis atque ante omnes sit, idcirco hanc appellationem nactus est ». *Thesaur.* Ass. XXV. — *P. G.* t LXXV, col. 401, sqq. — Cf. *De Trin.* X. Ibid. col. 1160.

[4] Rom., VIII, 29.

[5] I. Coloss., I, 18.

[6] I, 5.

[7] Coloss., I, 15.

[8] Eccli. XXIV, 5. — Quousque huiusmodi locutiones faveant sententiae scotisticae passim dictae, de absoluta praedestinatione Incarnationis logice ante peccati Adami ordinisque redemptionis praevisionem, fusius investigabimus in tractatu de *Verbo incarnato*.

Christus: « Et quo vado scitis, et viam scitis ». Sciscitanti autem Thomae: « Domine, nescimus, quo vadis, et quomodo « possumus viam scire »? respondit: « Ego sum *Via*: Nemo « venit ad Patrem nisi per me » [1]. Et post resurrectionem suam ait: « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum » [2]. Nostrum, utique, quia uti Via, « ascendens in altum, capti- « vam duxit captivitatem » [3].

Sed ecce haec *Via* summa Patris ad nos, nostri ad Patrem, nos conducit ad alteram seriem nominum, quae magis intime cum appellatione Verbi conveniunt.

B) Ad Verbi nomen maxime appropinquat 4) *Sapientia*, utique non mere essentialiter, sed notionaliter intellecta. Hoc sensu Sapientiam, iam in Veteri Testamento talibus laudibus celebrari, quae veram processionem involvant, superius ostendimus, nec heic iterandum est [4]. Quare heic sufficit addere, quam arcte Sapientia cum Verbo colligetur. Quod ipsa Liturgia aperte significat, per primam ex antiphonis maioribus, quibus mox oriturum Redemptorem laetabunda compellat: « O Sapientia, quae ex ore Altissimi prodiisti, attingens a « fine usque ad finem, fortiter et suaviter disponens omnia: « veni ad docendum nos viam prudentiae ». Et in festo Corporis Christi canit Ecclesia: « Sapientia aedificavit sibi « domum; miscuit vinum et posuit mensam » [5].

Nec aliter Patres ac theologi passim [6]. « Cum pronun- « tiatur in Scripturis, ait S. Augustinus, aut enarratur aliquid « de Sapientia, sive dicente ipsa, sive cum de illa dicitur, « Filius nobis potissimum insinuatur » [7]. Et sane, praeterquam quod, uti Verbum, Filius est expressa Sapientia dicentis illud; uti Deus-Homo Redemptor, est nobis summus summae sapientiae magister, iuxta illud Apostoli: « Factus est nobis

[1] Ioann., xiv, 4., 5, 6.

[2] Ioann., xx., 17.

[3] Ephes., iv. 9; cf. Ps. lxviii, 19.

[4] P. 107-113. Praeter auctoritates ibidem allatas, consule de hoc argumento, Gutberlet (*das Buch der Weisheit*. — Münster, Coppenrath, 1874); Rohling (*das Salomon. Spruchbuch*. — Mainz, Kirchh., 1879); Klasen (*die alttest. Weish. und die Logoslehre d. jüd.-alex. Philos.* — Freiburg. Herder, 1878).

[5] I. Antiph. Laud.; cf. Prov., ix, 1.

[6] Cf. auctoritates ab Heinrich allatas (Op. cit. §. 118, p. 96).

[7] *De Trinit.* l. vii, c. 3, n. 5. — *P. L.* t. xlii, col. 938.

« sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio ». Et doctrina eius est altissimae sapientiae codex; unde Paulus dixit: « Loqui- « mur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam « praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram » [1].

5) Si autem quaeris, quid intersit inter hanc sapientiam nomine dignam, et « sapientiam huius saeculi » aut « prin- « cipum huius saeculi qui destruuntur » [2]; discrimen residet in veritate. Inde aliud nomen Christi, Sapientiae nomini proximum: « Ego sum *Veritas* » [3], ait ipse de se, et Ioannes de eo: « Christus est Veritas » [4]. Unde Spiritus a Verbo missus, teste ipso Christo et Ioanne est « Spiritus Veri- « tatis » [5]. Quam arcte autem haec veritas cum Verbo colligitur, manifestum est. Quo perfectius Verbum, eo sapientius, eo verius. Porro, quum Veritas sit in esse, quo verius Verbum eo efficacius. Inde aliud Verbi nomen.

6) *Virtus* enim Filius Dei etiam nuncupatur. Opponit quippe Paulus fidem « in sapientia hominum », fidei « in « virtute Dei » [6]. Triumphus divini Verbi est in eius operositate: « Ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata « sunt » [7]. Inde fiducia Petri: « In verbo tuo laxabo rete » [8]. Et Paulus iterum utrumque coniungens, Christum vocat « Dei « virtutem et Dei sapientiam » [9]; est enim « portans omnia « verbo virtutis suae » [10].

Cum Virtutis nomine convenit perfecte nomen affine *Dexterae*, vel *Brachii* Dei [11]. « Quis credidit auditui nostro, et « brachium Domini cui revelatum est? » [12]. « Cantate Domino

[1] I. Cor., ii, 7.

[2] Ibid. 8.

[3] Ioann., xiv, 6.

[4] I. Ioann., v, 6.

[5] Ioann. xvi, 16; I. Ioann. iv, 6. Plures Patres heic vocem Veritatis in sensu notionali intellexisse, loco suo iam diximus, et infra adhuc dicemus. « Ab illo (Filio) Spiritus « appellatus est Veritatis et Veritas Christus est, unde simpliciter ab isto, sicut a « Patre procedit ». Ita S. Cyr. Alex. in epistola synodali a Conc. Ephesino recepta. (*Harduin.*, t. i, col. 1219 B.).

[6] I. Cor., ii, 6.

[7] Ps. xxxii, 9.

[8] Luc., v, 5.

[9] I. Cor., i, 24.

[10] Hebr., i, 3.

[11] Cf. Rupertum, (*De glorif. Trin.* c. 12. — *P. L.* t. clxix, col. 24.).

[12] Is., liii, 1; cf. ibid. xli, 20; Ezech., xxxvii, 1. etc., etc.

« canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit ipsum de-
« xtera eius, et brachium sanctum eius » [1]. Dextera seu brachium scilicet est membrum per quod agens operatur. Atqui omnia per Verbum operatur Pater. Dextera quoque cooperatur prolationi sermonis, quatenus eum illustrat atque confirmat. Hoc nomen corroboratur per Liturgiam, quae in hymno *Veni Creator* de Spiritu Sancto canit: « Dextrae Dei « tu digitus ».

C) Iam vero haec virtus divini Verbi in luce se primo manifestavit: « Fiat lux, et facta est lux » [2], quia uti Imago, est ipse de Luce Lux. 7) *Lux* igitur, en aliud nomen intime respondens Imagini. Obiecti quippe visibilis imago per colorum reproductionem obtinetur. Quum ergo Deus inhabitet lucem inaccessibilem, [3] perfecta irradiatio Patris Lux splendidissima sit oportet. Haec est « Lux vera, quae illuminat « omnem hominem venientem in hunc mundum » [4]. Hanc Propheta de longinquo contemplans, exclamat: « Surge, « illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum » [5]. Zacharias appellat: « Ecce vir, Oriens nomen eius » [6]. Et alter Zacharias celebrans eius adventum, ait: « Visitavit nos, Oriens « ex alto » [7]. Et Simeon senex Iesum vix natum in ulnas premens, acclamat: « Lumen ad revelationem gentium » [8], memor vaticinii: « Ecce dedi te in lumen gentium, ad ape-
« riendum oculos caecorum » [9]. Inde Ecclesia, instante ortu Messiae, intonat: « O Oriens, splendor lucis aetenae, et sol « iustitiae: veni et illumina sedentes in tenebris et in umbra « mortis ». Inde habes acclamationem « Lumen Christi », laudesque Lucis in benedictione Cerei Paschalis. Christus autem ipse de se dixit: « Ego sum *Lux* mundi » [10]. Et discipulis iniungit: « Ambulate dum Lucem habetis;... dum Lucem habetis,

[1] Ps. XCVII, 1; cf. Ps. CXVII, 16; XCIV, 6, 7; etc., etc.
[2] GEN., I, 3.
[3] I. TIM., VI, 16.
[4] IOANN., I, 9. — Inde Baptista non lux, sed lucerna. (Ibid. 8; Ps. CXXXI, 17).
[5] IS., LX, 1.
[6] ZACH., VI, 12; cf. III, 8.
[7] LUC., I., 78.
[8] LUC., II, 32.
[9] IS., XLIX, 6.
[10] IOANN., XIV, 6. — Cf. S. Cyrill. Alex. (loc. cit. p. 519.).

« credite in Lucem, ut filii Lucis sitis » [1]. Et S. Petrus gratiam fidei commendat: « ut virtutes annuntietis illius, qui de tene-« bris vos vocavit in admirabile lumen suum » [2]. Et Paulus ait: « Gratias agimus Deo et Patri, qui dignos nos fecit in « partem sortis sanctorum in lumine » [3]. Et rursus Petrus Evangelium confert « lucernae lucenti in caliginoso loco, do-« nec dies elucescat, et Lucifer oriatur in cordibus nostris » [4]. Haec lux erit simul bonos praemians malosque condemnans: « Hoc est autem iudicium: quia Lux venit in mundum, et « dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant « enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit « lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. « Qui autem facit veritatem, venit ad lucem ut manifestentur « opera eius, quia in Deo sunt facta » [5]. In approximatione ad hanc lucem divinam consistit simul via illuminativa, qua a peccato magis magisque recedimus, et assimilatio Deo, per conformationem illi quem Ecclesia praedicat « Lumen de « Lumine ». Inde Ioannes: « Deus Lux est, et tenebrae in eo « non sunt ullae;... Si in Luce ambulamus, sicut et ipse est « in Luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Iesu « Christi emundat nos ab omni peccato » [6]. Et Paulus: « Nos « vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in « eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, « tanquam a Domini Spiritu » [7].

Haec est lux Verbi, de qua canitur in Sapientiae laude: « Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula « Dei maiestatis, et imago bonitatis illius » [8]. Vocatur et *Splendor*, tum in se, tum in sui irradiatione super iustos. Est enim Dei Filius, teste Apostolo, « Splendor gloriae et « figura substantiae » Dei [9]. Inde tota spes fidelium est, ut « Lux aeterna luceat eis », ut contemplentur gloriam caelestis

[1] Ioann., xii, 35, 36.
[2] I. Petr., ii, 9.
[3] Coloss., i, 12.
[4] II. Petr., i. 9.
[5] Ioann., iii, 19-26.
[6] I. Ioann., i, 7.
[7] II. Cor., iii, 18.
[8] Sap., vii, 26.
[9] Hebr., i, 3.

Hierusalem, de qua Ioannes ait: « Claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus ».

8) Propter splendorem huius lucis Filius Dei vocatur et *Vultus* Dei, iuxta illud Psalmistae: « Signatum est super « nos lumen vultus tui Domine » [1]. Et: « Beatus populus, qui « scit iubilationem, Domine: in lumine vultus tui ambula- « bunt » [2]. « Habitabunt recti cum vultu tuo » [3]. Perfectam sui vultus similitudinem cum Patre Christus Dominus ipse proclamavit, quando Philippo candide exposcenti: « Domine, « ostende nobis Patrem, et sufficit nobis, » profunde respondit: « Philippe, qui videt me, videt et Patrem » [4]. Ad hanc vultus sui symbolicam virtutem insinuandam, Iesus ad patibuli locum cruce onustus incedens, sudario Veronicae, uti traditione colitur, augustam faciem mirabiliter impressit. Hanc praecelsam significationem pius vir Turonensis, ven. Dupont per devotionem in Sacrum Vultum tam ardenter est prosecutus; iuxta verba Psalmistae: « Respice in faciem Christi tui » [5]. Quae utique verba utrumque respectum huius devotionis in se continent. Etenim sicuti Christus est nobis via ad Patrem, et via Patris ad nos; ita quoque per Sacrum eius Vultum Pater aspicit nos, ac nos adspicimus Patrem. Est quippe Facies Dei nos amorose vel terribiliter pro merito contuentis, et Facies Hominis pro homine misericorditer interpellantis. Unde quod Augustinus orabat: « Aspice me, ut deligam te! » inverti potest: Aspice Patrem, ut deligat me!

Ob nimiam divini vultus irradiationem Moyses, in facie ipse splendescens, nonnisi velata fronte cum populo Israël conversari poterat [6]. Quid iam erit in patria, quando implebitur Psalmistae votum: « In lumine tuo videbimus lumen! » [7].

9) Scilicet tunc imago Dei maximam suam vim eructabit: « Apud te est fons vitae » [8]. Etenim haec imago lucida, hic vultus irradians *Vita* est. Si iam homo est imago Dei, quia

[1] Ps., IV, 7. Cf. pulchram expositionem Ruperti (op. cit. l. VI, c. 14; col. 131, sq).
[2] Ps., LXXXVIII, 16.
[3] Ps. CXXXIX, 14.
[4] IOANN., XIV, 8, 9.
[5] Ps., CXXXIX, 14.
[6] EXOD., XXXIV, 33; II. COR., III, 7, 13.
[7] Ps. XXXV, 10.
[8] Ibid.

rationalem vitam possidet; quid erit de hac vita perfecta, quam Pater communicat Filio? Quippe Deus vivus generat Deum vivum. Et Filius de se ait: « Ego sum *Vita* » [1]. Quemadmodum se habent Via ad Filium et Veritas ad Verbum, ita Vita se habet ad Imaginem. Inde Petrus Christum vocat « Auctorem vitae » [2]. Est quippe « panis vitae qui de caelo « descendit et dat vitam mundo » [3]. Nam « in ipso vita erat, « et vita erat lux hominum » [4]; « Hic est verus Deus et vita « aeterna » [5]. Quare « qui habet Filium, habet vitam; et « qui non habet Filium Dei, vitam non habet » [6]. Quae omnia idem Ioannes complectitur in exordio suarum epistolarum: « Quod erat ab initio, quod audivimus et vidimus oculis « nostris, quod perspeximus et manus nostrae contractave- « runt de Verbo Vitae, et Vita manifestata est, et vidimus « et testamur, et annuntiamus vobis Vitam aeternam, quae « erat apud Patrem, et apparuit nobis » [7].

D) Porro inter nomina quae synthetice omnes alios respectus veluti continent, praecipua sunt illa tria: *Rex, Dominus* et *Gloria*.

10) *Rex* Christus in Sacris Litteris utriusque Testamenti celebratur. Rex expectatur populum liberaturus: « O Rex « gentium » [8]. Inde figuratur per magnos illos Davidem et Salomonem. Hunc introvidet Psalmista canticis extaticis: « Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea « Regi » [9]; « Qui regis Israël intende, qui deducis velut ovem « Ioseph » [10]; « Dominus virtutum, ipse est Rex gloriae » [11]. « Deus autem Rex noster ante saecula, operatus est salutem « in medio terrae » [12]. Hunc agnoscit Nathanaël: « Rabbi, tu

[1] Ioann., xiv, 5.
[2] Act., iii, 15.
[3] Ioann., vi, 33, 48.
[4] Ioann., i, 4.
[5] I. Ioann., v, 20.
[6] I. Ioann., v, 12.
[7] I. Ioann., i, 1, 2.
[8] Antiph. maior Adventus.
[9] Ps. xliv, 1.
[10] Ps. lxxix, 1.
[11] Ps. xxxiii, 10.
[12] Ps. lxxiii, 12.

« es verus Filius Dei, tu es Rex Israël » [1]. In vanum contra eum terreni reges conspirant, accepit enim a Patre gentes in haereditatem [2]. Quare Iesus, uti Deus et Deus-Homo, se Regem fatetur: « Rex sum ego » [3]; patibulo eius salutari superscribitur dignitas regia [4]; et Paulus, principatum eius perennem celebrans, exclamat: « Regi saeculorum immortali, « invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. « Amen » [5]. Et Ecclesia eum salutat: « Tu Rex gloriae, Chri- « ste »; « cuius regni non erit finis ». Hinc illa professio solemnis obelisco Vaticano insculpta: « Christus vincit, Christus « regnat, Christus imperat ».

11) *Dominus* quoque Filius speciali titulo vocatur, quia, uti Filius, in haereditatem paternam pleno iure ab aeterno ingreditur; uti Verbum, universo virtute dominatur; uti Imago, prototypus est omnium creaturarum; uti Homo-Redemptor, populum proprio cruore sibi acquisivit, iuxta illud Pauli: « Empti estis pretio magno » [6]; necnon Ecclesiae in hymno Ambrosiano: « Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos « pretioso sanguine redemisti ».

Unde in Antiquo Testamento Messias peculiari ratione Dominus appellabatur: « Beatus populus, cuius Dominus Deus eius » [7]. « Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse « salvabit nos » [8]. « Iter facite ei qui ascendit supra occasum, « Dominus nomen illi » [9]. « Quis est iste Rex gloriae? Dominus « fortis et potens, Dominus potens in praelio » [10]. Inde in Evangelio Christus parabolas de seipso libenter sub specie Regis ac Domini evolvit; Magdalena lacrimatur, « quia tulerunt Do- « minum » suum [11]; Thomas ab incredulitate in fidei extasim conversus, exclamat: « Dominus meus, et Deus meus! » [12].

[1] Ioann., i, 49.
[2] Ps. ii. — Inde Paulus: « Oportet illum regnare! » (I. Cor., xv, 25).
[3] Ioann., xviii, 37.
[4] Ibid., xix, 19.
[5] I. Tim., i, 17.
[6] I. Cor., vi, 20.
[7] Ps. cxliii, 15.
[8] Is., xxxiii, 22.
[9] Ps. lxvii, 5.
[10] Ps. xxiii, 3.
[11] Ioann., xx, 13.
[12] Ibid. 28.

Ioannes Christum redivivum in littore stantem prae aliis agnoscens, Petro dixit [1]: « Dominus est »; et ipse Petrus mox in amoris professionem prorumpit: « Domine, tu omnia « nosti; tu scis quia amo te [2] ». Hoc Filii Dei dominium in fine temporum solemni pompa apparebit: « Tunc exultabunt « omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: quoniam « venit iudicare terram » [3]. Hinc trita illa in novo Testamento appellatio: « Dominus noster Iesus Christus » [4].

12) Rex itaque ac Dominus, Filius est quoque *Gloria* Patris, idque tum uti Filius per se, - quid enim gloriosius Patri quam talem sibi generare Filium, tam potens proferre Verbum, tam perfectam irradiare imaginem [5]? - tum uti Filius Hominis a summo caelo in summum caelum redux in gloriam Patris [6]. Inde praesentia sensibilis Dei super arcam, figura futurae incarnationis, vocabatur « gloria Domini » [7]. Isaïas canit: « Illuminare, Ierusalem.... Super te autem orietur Domi- « nus, et gloria eius in te videbitur » [8]. Inde S. Paulus Evangelium vocat: « Evangelium gloriae beati Dei » [9]. Et Deum appellat Deum Domini nostri Iesu Christi, Patrem gloriae [10]. Fructus scilicet Redemptionis est, ut claritas aeterna Filii, in humanam eius naturam parta victoria plene redundans, ab ipso capite in membra coruscet, iuxta verba ipsius Domini: « Nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam « habui prius quam mundus esset, apud te.... Et ego clari- « tatem quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut et « nos unum sumus » [11]. Haec est illa claritas, quam Ioannes vidit in Thabor, « Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi

[1] Ioann., xxi, 7.

[2] Ibid. 17.

[3] Ps. xcv, 12, 13.

[4] Haec appellatio in omnibus linguis reperitur. *Il nostro Signore, Notre Seigneur, Unser Herr, Ons Heer, Our Lord, El nuestro Señor, O nosso Senhor*, etc.

[5] Hanc ideam pulchre exprimit S. Gregorius Nazianz. in carmine dogmatico de Filio: « Patris enim gloria est magnus Filius. Resplenduit autem ut solus scit Pater, « et qui ex Patre resplenduit ». (II. de Filio. — *P. G.* t. xxxvii, col. 402).

[6] Ps. xviii, 7.

[7] Ezech., iii, 12; x, 4.

[8] lx, 1, 2.

[9] I. Tim., i, 11.

[10] Ephes. i. 17.

[11] Ioann., vii, 5., 22.

« Unigeniti a Patre » [1], idemque contemplatus est in Ierusalem caelesti, a Verbo in Agnum, ab Agno in omnes electos beatifico splendore irradiantem [2].

Monemus tamen, nonnullos in hac appendice allatos textus optimo iure referri posse vel ad Deum absolute, vel ad Christum uti Hominem consideratum [3]; nihilominus, si quis constantem modum loquendi Scripturarum perpenderit, necnon harmoniam ab aeterno praestatutam inter personam Verbi et Incarnationis opus, agnoscet, quae breviter tetigimus nomina, proprium respectum ad secundam personam SS. Trinitatis habere [4].

Epilogus.

In fine huius tractationis de Patre et Filio iuvat egregia verba afferre quibus S. Gregorius Nazianzenus Patrem Filii et Filium Patris describit: « Nec rursum ingenitum Filium, « unus enim Pater ingenitus; ut hoc quoque divinum habeant, « singularitatem nimirum, ille filiationis, hic processionis, non « autem filiationis. Patrem vero Patrem, ac multo quidem « verius, quam qui apud nos id nomen obtineat, tum quia « proprio et singulari modo Pater est, non autem sicut cor- « pora; tum quia solus, non enim ex coniunctione; tum quia « solius, nempe Unigeniti; tum quia solum, nec enim ipse, « priusquam Pater esset, Filius fuit; tum quia in totum et « totius Pater, quod de nobis certo affirmare nequit; tum « quia ab initio, nec enim posterius Pater esse coepit. Filium « vere Filium, quod et solus sit, et solius, singulari modo, et « solum, non enim Pater quoque simul est, et in totum Filius, « et totius, et a principio, hanc scilicet rationem habens, ut « nunquam Filius esse coeperit, non enim ex consilii muta- « tione est deitas, neque ex progressu deificatio, ut ille ali- « quando Pater, hic aliquando Filius esse desinat » [5].

[1] Ioann. i, 14.

[2] Apoc. xxi, 23, 29. — Cf. ultima.

[3] De nominibus Christi lege mysticum tractatum P. Lud. a Leone, Ord. S. Aug.: *De los nombres de Christo.*

[4] Cf. S. Cyrillum Alex. (*Thesaur.* Ass. xxxv. — *P. G.* t. lxxv, col. 618, sqq.).

[5] Or. xxv, n. 18. — Cf. eiusdem carm. I et II. — *P. G.* t. xxxvii, col. 398-408.

III. — DE PERSONA SPIRITUS SANCTI [1].

De Ordine Argumenti. — Sicuti Filius dicitur Filius, Verbum et Imago; ita Spiritus S. vocatur Spiritus, Amor, et Donum; quae nomina sibi respondent. Filius et Spiritus directius ponunt subsistentiam personalem; Verbum et Amor directius exprimunt modum procedendi per amorem et intellectum; Imago et Donum dicunt proprietates quae personales relationes utriusque consequuntur.

En schema huius tractationis:

- **Quaeritur**
  - I) *de Spiritu S.*: (Q. XXXVI)
    - 1 de ipso nomine Spiritus Sancti (1);
    - 2) de modo procedendi, utrum
      - *a*) a Patre et Filio (2),
      - *b*) a Patre per Filium (3),
      - *c*) a Patre et Filio uti ab uno principio (4);
  - II) de *Amore*: (Q. XXXVII)
    - 1) de amore nomine proprio Spiritus S. (1);
    - 2) de amore in Patre et Filio (2);
  - III) de *Dono*: (Q. XXXVIII)
    - 1) utrum personale (1);
    - 2) utrum proprium Spiritui S. (2).

A. — DE SPIRITU SANCTO.

QUAESTIO XXXVI.

Praemittenda breviter sunt, quae ex superioribus acquisita supponuntur. - Probatum est, tres esse in Deo personas, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Quaerimus igitur in hac Quaestione, non directe de reali distinctione tertiae personae (contra Sabellianos et aliquos Arianos), neque de divinitate eiusdem (contra aliquos Arianos et Semiarianos Macedonianos); sed 1) de propria appellatione huius personae; et 2) de modo quo eadem procedat (contra Photianos et Graecos

[1] De Persona S. Spiritus, deque eius cultu, lege Litteras Encyclicas SS. Leonis XIII « *Divinum illud munus* » (7. Maii 1897); pariter eruditissimum opus Illmi GAUME, cui titulus: *Traité du S. Esprit*: necnon librum mystica pietate refertum Card. MANNING: *The temporal mission of the Holy Ghost.*

passim); - scilicet: *a*) utrum procedat a Patre et Filio; *b*) utrum per Filium; *c*) utrum Pater et Filius sint Spiritus Sancti principium unum.

ARTICULUS I.

UTRUM SPIRITUS SANCTUS SIT NOMEN PROPRIUM.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Spiritus Sancti nomen proprium esse demonstraverimus, quando sive ex propria significatione vocis, sive *a*) ex modo loquendi Scripturarum, sive *b*) ex traditione theologorum probaverimus, illud nonnisi illi personae propriissime convenire vel applicari.

2) Iam vero primum, id est, *significatio vocis*, primo intuitu deesse videtur. Etenim nomen *spiritus a*) non est per se neque relativum, quia saepe usurpatur ad spiritualem substantiam designandam; neque *b*) proprie processionis Spiritus determinativum, quum possit habere sensum activum et passivum, ac proin aeque convenire termino a quo et termino ad quem. - Sub hoc respectu a vocibus quales sunt verbum, filius, imago, differre videtur [1].

Nihilominus re penitius inspecta, non deest huic appellationi convenientia sive aptitudo, et quidem magna, ad significandam personam quae procedit per amorem. Etenim valde naturale est, spiritum vocare illud quod est terminus spirationis, sive alicuius motus in rem amatam. Cui rationi Patres addere solent rationem desumptam a communitate utriusque vocis *spiritus* et *sancti* inter Patrem et Filium, quo ostendatur tertiam personam esse ab utroque [2].

3) Quare *Scripturae sacrae*, hanc aptitudinem quasi consecrantes, nunquam adhibent *Spiritum Sanctum* in forma composita, plena, nisi ad significandam tertiam personam SS. Trinitatis; uti apparet, praeter locum ab Angelico alla-

[1] Ex hac significatione per se minus determinata fit, ut non solum Spiritus saepe apud primos scriptores sacros et apud philosophos christianos vocetur essentia divina, ipseque Pater (Cf. *Monologium* S. Anselmi); sed et primus a Summo Spiritu procedens, Filius. (Cf. apud Migne notam appositam *P. L.* t. IV. p. 600).

[2] Cf. textus afferendos *in Corpore*.

tum in *Sed contra est;* ex sequentibus textibus inter plura ciusdem generis loca electis: [1] « Euntes ergo docete.... bapti- « zantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » [2] - « Spiritus Sanctus superveniet in te » [3]. Unde inter doctores christianos nulla de hoc argumento controversia est.

Quosdam ex primis Patribus allegare sufficiat: Iustinus Martyr scribit: « Eum (Patrem) et, Filium.... qui ab eo venit « et Spiritum propheticum colimus et adoramus » [4]. - Athenagoras: « Quis non miretur, cum audit, eos, qui Deum « Patrem asserunt et Deum Filium et Spiritum Sanctum, « atheos vocari? » [5]. Et S. Basilius iam provocat ad verba S. Clementis: « Ζῇ ὁ Θεὸς, καὶ ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ τὸ « Πνεῦμα ἅγιον » [6].

« Quis catholicorum ignorat, ait Gregorius Naz., Patrem « vere esse Patrem, Filium vere esse Filium, et Spiritum « Sanctum esse vere Spiritum Sanctum? » [7].

II. **Ad Textum.** - *1 Obi.* Concludit inefficaciter ex partibus nominis ad nomen totale.

2 Obi. Confundit sensum proprium cum sensu accommodato.

3 Obi. Non attendit ad discrimen inter nomen dicens principium et dicens principiatum. Neque considerat duplicem sensum spiritus: genericum et proprium.

Sed contra est. Praeter textus iam allatos, ecce verba ipsius Domini: « Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittit « Pater in nomine meo » [8]; « Accipite Spiritum Sanctum » [9]; « Baptizabimini Spiritu Sancto » [10]: « Accipietis virtutem super- « venientis Spiritus Sancti » etc., etc. [11].

[1] Cf. alia exempla mox in *Sed contra est* adducenda.

[2] Matth., xxviii, 19.

[3] Luc., i, 35.

[4] *Apol.*, i, n. 6. — *P. G.* t. vi, col. 336, sq.

[5] *Legat.*, n. 10. — Ibid. col. 909. — Cf. aliam paulo superius sententiam, in qua tres personae adnumerantur.

[6] *Ep. I. ad Corinth.*, lviii, 2.

[7] *Tract. de fide.*

[8] Ioann., xv, 26.

[9] Ioann., xx, 22.

[10] Act., i. 5.

[11] Ibid. 8.

Iure ergo S. Augustinus: « Spiritus Patris et Filii, Spiritus « Sanctus propria quadam notione huius nominis in sacris « litteris nuncupatur » [1].

Ex hoc usu scripturistico nomen « *Spiritus Sanctus* » tanquam maxime proprium invaluisse, apparet in crucis signaculo, in doxologia, in invocationibus liturgicis, in ritibus sacramentalibus, etc., etc.

Rationem autem huius nominis Patres subtiliter inquirunt ac illustrant. S. Gregorius Nyssenus, Gentiles alloquens, ita de voce spiritus concinne disserit: « Verum in nobis « quidem spiritus aëris attractione constat, re adventitia ad « corporis constitutionem necessario inducta et effusa, qui « in sermonis pronuntiatione fit vox, vim illius in se decla- « rans. At in Dei natura esse quidem Dei Spiritum, pietati « consentaneum est visum, quemadmodum concessum est et « Dei Verbum; quoniam deterioris quam nostrum sit condi- « tionis, divinum esse verbum non oportet: quod fieret, si « hoc sine spiritu esse crederetur, cum illum coniunctum « intelligatur spiritui. Sed neque perinde ac spiritus noster, « divinum illud alienum ac extrinsecus appellentem ad Deum, « et in ipsum existentem esse, Deo congruum est arbitrari... « Sic etiam, cum Dei Spiritum didicerimus, qui Verbum con- « sequitur, et eius declarat operationem, non intelligimus « flatum anhelitus (deprimeretur enim et ad nimiam dimit- « teretur humilitatem magnitudo divinae potentiae, si qui in « eo est spiritus, existimaretur esse instar nostri), sed vir- « tute n substantialem ipsam in se propriaque in hypostasi « subsistentem, quae neque separari a Deo potest, cui inest, « neque a Verbo Dei, quod consequitur » [2]. - Haud dissimiliter S. Cyrillus ait: « Sanctum Spiritum appellabis, qui ex « Deo Patre per Filium profunditur naturaliter; et sic tan- « quam in figura respirationis quae per ora fit, propriam « nobis existentiam demonstrat » [3].

[1] *Civ. Dei*, XI, 10.
[2] *Orat. cat.* c. 2. — *P. G.* t. XLV. col. 18.
[3] *Dial.* II. — *P. G.* t. LXXV, col. 721, sq.

In Corpore. Contrahe argumentum hoc modo.

- **Spiritus S. nomen proprium est**
  - I) non quidem per se: sicuti enim secunda processio caret nomine proprio, ita relationes et terminus eius;
  - II) sed per accomodationem:
    - 1) quatenus Spiritus S. procedit *ab utroque*: Pater et Filius — spiritus et sanctus;
    - 2) quatenus procedit *per amorem*:
      - *a) Spiritus*, dicit motum affectus;
      - *b) Sanctus*, ordinationem in Deum.

Quod in II) 1) S. Thomas ab Augustino desumit, concordat plane cum verbis S. Anselmi: « Nomen Spiritus S. non est « alienum a Patre et Filio, quia uterque est spiritus et san- « ctus » [1]. - En autem ipsius Augustini verba: « Spiritus S. « secundum id quod scriptum est: « quoniam Deus Spiritus « est » [2] potest quidem universaliter dici, quia et Pater spi- « ritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus [3]. « Itaque Pater et Filius et Spiritus Sanctus, quoniam unus « Deus et utique Deus sanctus est, et Deus spiritus est, potest « appellari Trinitas et Spiritus Sanctus. Sed tamen ille Spi- « ritus Sanctus qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, « in eo quod proprie dicitur Spiritus Sanctus, relative dicitur, « cum et ad Patrem et ad Filium refertur, quia Spiritus San- « ctus et Patris et Filii Spiritus est. Sed ipsa relatio non « apparet in hoc nomine; apparet autem cum dicitur donum « Dei [4]: donum enim est Patris et Filii, quia et a Patre « procedit, [5] sicut Dominus dicit; et quod Apostolus ait: " Qui « spiritum Christi non habet, hic non est eius " [6], de ipso uti- « que Sancto Spiritu ait. Donum ergo donatoris, et donator « doni cum dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus. « Ergo Spiritus Sanctus ineffabilis est quaedam Patris Filii- « que communio; et ideo fortasse sic appellatur, quia Patri

[1] *De Fide Trin.* c. III. — *P. L.* t. CLVIII, col. 226.

[2] IOANN., IV, 24.

[3] Cf. verba Gabrielis Archangeli ad Virginem Mariam: « Quod enim ex te na- « scetur Sanctum, vocabitur Filius Dei ».

[4] ACT., VIII, 20.

[5] IOANN., XV, 26.

[6] ROM., VIII, 9.

« et Filio potest eadem appellatio convenire. Nam hoc ipse « proprie dicitur, quod illi communiter: quia et Pater spi- « ritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus. « Ut ergo ex nomine quod utrique convenit, utriusque com- « munio significetur, vocatur donum amborum Spiritus San- « ctus » [1]. In quo S. Ambrosius Augustino praeiverat, dicens: « Licet Pater sit spiritus....; sola tamen tertia persona proprie Spiritus Sanctus nuncupatur. Quia ergo coaeterna et communis est ambobus, id ipsa vocatur, quod ambo sunt » [2].

Ad verba: « *Est autem proprium amoris.... amantis in amatum* ». Quaeritur quisnam sit amans, quisnam amatus. Nam si dicis, amantem esse Deum spirantem, amatum esse Deum spiratum, supponis logice Spiritum antequam sit, et incidis in vitium quod supra correptum est, ubi diximus, generationem Verbi non considerandam esse ac si Verbum esset primario res intellecta a Patre. - Quod si dicis, amantem esse Patrem cognoscentem, amatum Filium cognitum, quomodo possunt dici unicum principium quando ponuntur formaliter ut duo, imo quando ideo praerequiritur processio Verbi, ut possint haberi hi duo, sine quibus amor esset impossibilis?

Resp. Quo facilior evadat huius dubii solutio, videamus quomodo se habeat in nobis actus quo nosmetipsos amamus. Anima cognoscens seipsam, ex ista cognitione concipit amorem; habemus proin duos terminos praevios: animam et facultatem cognoscentem sive intellectionem; et ex motu animae ad istam oritur actus amoris. - Iam quaero, quodnam est principium huius actus? estne anima ut intelligens? estne intellectio? estne anima volens vel appetens?

Anima intelligens et intellectio praecedunt amorem ut conditiones sine qua non; anima autem volens in amorem exit; nihilominus amor ille est motus animae intelligentis in se ipsam intellectam, atque in unionem tendens. - Ratio autem cur intellectio ipsa et facultas intellectionis non ponant actum amoris, est quia non sunt substantiales. - Iamvero in Deo analogice huiusmodi operationes inveniuntur.

Pater dicit Verbum. - Inde oritur amoris motus amantis

[1] *De Trin.* l. v, c. 11. — *P. L.* t. XLII, col. 919.
[2] *De Symb.* 1.

(Patris) ad amatum (Verbum) atque vicissim. Sed principium huius amoris non est Pater formaliter ut talis, neque Verbum, sed amor divinus ut spirans. - Iamvero, quum Pater et Filius idem sint cum isto amore, quia sunt divina essentia, Pater et Filius sunt quidem spirantes; non autem tanquam duplex principium, sed sicut unicum.

Unde - ac ita solvitur prior pars disiunctivae quae obiiciebatur, - (altera iam soluta est per responsum praecedens), - si consideras ipsum actum foecundum amoris divini, Pater et Filius sunt amantes, quia spirantes; et Spiritus Sanctus, sicut dicitur spiratus, dicitur quoque amatus eo amore quo ponitur, non autem amore qui supponit illum, saltem primario.

Sub hoc quoque respectu intelligitur impulsio uti ponens terminum realiter distinctum, sicuti intellectio Patris est prolatio Verbi. - Ubi adverte similitudinem huius rei apud nos pariter inveniri. Nam etsi amor proveniat ab anima cognoscente se, ac sit motus ad seipsam cognitam, ob bonitatem in ea apprehensam; actus tamen amoris, tendens in unionem, ponit aliquod novum accidens, afficiens facultatem a qua est. Ita quoque in divinis; at cum hoc discrimine, quod accidens est in Deo substantia, et simul ,propter emanationem a principio productivo, distincta subsistentia. Quare Spiritus Sanctus procedens ex amore mutuo seu ex motu unionis Patris et Filii, ponitur tanquam tertius realiter ab utroque distinctus. Nihilominus rectissime dicitur unio, quia, utpote infinitus, exhaurit desiderium unionis unde provenit.

Cfr. complenda de hoc argumento in Quaestionibus sequentibus de Amore et de Dono [1].

[1] Ex dictis collige, tantam esse inter utramque processionem in divinis ad intra harmoniam, ut, posita priori per viam intellectus, altera per viam voluntatis seu amoris veluti ex infiniti aequilibrii ratione exigatur. Inde Catechismus Romanus utrumque intime coniungens, credentem ita alloquitur: « Oret, ut aliquando in « aeterna tabernacula receptus dignus sit, qui videat, quae tanta sit Dei Patris « faecunditas, ut seipsum intuens, atque intelligens, parem et aequalem sibi Filium « gignat; quove modo duorum idem plane et par charitatis amor, qui Spiritus San- « ctus est, a Patre et Filio procedens, Genitorem et Genitum aeterno, atque indis- « solubili vinculo inter se connectat; atque ita divinae Trinitatis una sit essentia, « et trium personarum perfecta distinctio » (P. I, c. 2. n. 10).

DISSERTATIO

DE MODO PROCESSIONIS SPIRITUS SANCTI A PATRE ET A FILIO.

Ratio et Ordo huius Dissertationis. - Quum praecipua sit in re theologica controversia de ratione qua Spiritus Sanctus procedit, visum est, praeter articulos quos S. Thomas huic doctrinae impendit, specialius idem argumentum iuxta hodiernae disciplinae expostulationes evolvere, quemadmodum superius non una vice actum est.

Ordo huius dissertationis erit sequens. 1) Testimonia Scripturarum perscrutabimur. 2) Ecclesiasticas auctoritates proferemus. 3) Rationes theologicas investigabimus. 4) Doctrinas Patrum, tum Orientalium, tum Occidentalium componemus. 5) Ex ipsis haereticorum effatis dogma catholicum corroborabimus. 6) Demum additionem « *Filioque* » Symbolo factam prorsus legitimam fuisse demonstrabimus.

I. - DE SCRIPTURARUM TESTIMONIIS CIRCA MODUM PROCESSIONIS SPIRITUS SANCTI.

Si locos varios Scripturae in quibus habitudo Spiritus Sancti ad Patrem et ad Filium describitur, ad invicem confers, sequentia quatuor doctrinae puncta tibi affulgent: *a*) Spiritus Sanctus procedit a Patre; *b*) non autem a Patre solo, sed et a Filio; *c*) scilicet a Patre per Filium; *d*) tanquam ab uno principio.

A) **Spiritus Sanctus procedit a Patre.** - Haec propositio tantopere in confesso est apud omnes qui non ex toto Trinitatem pervertunt, ut vix indigeat longiori discursu, eo vel minus quod manifestius in Sacris Litteris continetur. Et certe 1) *directe* id Christus affirmat: « Cum autem venerit Para-« clitus,... qui *a Patre* procedit... »[1]; quae tam diserta affirmatio est, ut quodvis dubium tollat.

[1] Ioann., xv, 26.

2) *Indirecte* idem multipliciter evincitur. Et certe *a*) Spiritus Sanctus vocatur *Spiritus Dei,* Spiritus ex Deo. « Quae « Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus *Dei* » [1]; et manifestius: « Nos autem non Spiritum mundi accepimus, sed spi- « ritum qui *ex Deo* est » [2]. Ergo sicut de Filio praedicatur aperte processio, quando vocatur Deus de Deo; ita quoque de Spiritu. Et sane *Dei* nequit intelligi ad exclusionem Patris, etenim *b*) appellatur diserte Spiritus *Patris:* « Non « enim vos estis, qui loquimini, sed *Spiritus Patris* vestri, qui « loquitur in vobis » [3]. Hanc autem locutionem relationem involvere originis, ostenditur ex modo valde consequenti quo Scripturae loquuntur [4]. - *c*) Insuper Spiritus exhibetur, uti a Patre *datus*: « Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum *dabit* « vobis » [5]. Iamvero sicuti Verbum incarnatum, a Patre mundo datum, ipse Christus vocat donum Dei [6], utique a Patre procedens; ita Spiritus, quia datur a Patre, a Patre procedat oportet. - *d*) Datur quippe quatenus *mittitur* [7]. Missio autem in divinis fundamentum habet processionis originem: « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem *mittet Pater* in « nomine meo... » [8]. - *e*) Datur autem missione quia *pro-* « *missus:* Et ego mitto *promissum Patris mei...* » [9]; « Ut expe- « ctarent promissionem Patris » [10].

B) **Spiritus Sanctus non procedit a Patre solo, sed et a Filio.** — Quibus hucusque argumentis processionem Spiritus Sancti a Patre demonstravimus, non minus idem procedere probatur et a Filio. Et re quidem vera 1) *directe* Christus affirmat Spiritum de Verbo procedere, ubi ait: « Ille me cla- « rificabit, quia *de meo accipiet* et annuntiabit vobis ». Ne autem quis putaret, istud *accipere* non habere hic significationem processionis, appellat ad plenitudinem divinam quam ipse accepit a Patre: « Omnia quaecumque habet Pater mea

[1] I, Cor., II, 11.
[2] Ibid., v. 12.
[3] Matth., x, 20. Cf. Rom., VIII, 11.
[4] Cf. dicenda mox de Spiritu Filii.
[5] Ioann., XIV, 18.
[6] Ioann., IV, 10.
[7] De vi conceptus missionis infra ex professo agetur.
[8] Ioann., XIV, 26.
[9] Luc., XXIV, 49.
[10] Act., I, 4.

« sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit « vobis » [1]. Cuius argumenti vis corroboratur per verba simillima, quibus alibi Christus suam divinitatem vindicat: « Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est » [2].

2) *Indirecte* eadem processio illustratur. Nam *a*) Spiritus est *Dei, ex Deo;* atqui Verbum est Deus; nec ulla apparet ratio, cur a consortio divinitatis in hac formula excludatur. - *b*) Spiritus Sanctus vocatur Spiritus *Filii:* « Misit Deus *Spi-* « *ritum Filii sui* in corda vestra » [3]; Spiritus *Iesu:* « Et non « permisit eos *Spiritus Iesu* » [4]; Spiritus *Christi:* « Si quis « autem *Spiritum Christi* non habet, hic non est eius » [5]; Spiritus *Domini:* « Transformamur a claritate in claritatem « tanquam a *Domini Spiritu* » [6]. Iamvero nunquam legitur nec Patrem nec Filium esse τοῦ πνεύματος vel ἐκ τοῦ πνεύματος, sicuti legimus Spiritum esse Patris et Filii. - *c*) Spiritus pariter a Filio *datur:* « *Accipite* Spiritum Sanctum » [7]. - *d*) *Mittitur* a Filio: « Cum autem venerit Paraclitus, quem *ego mittam* vobis a Patre... » [8]. - *e*) *Promittitur:* « Sed accipietis « virtutem supervenientis Spiritus Sancti » [9].

Obiicies. Si ita est, curnam Christus, formula quasi exclusiva, dixit de Spiritu: « qui a Patre procedit » Si enim et a Filio procederet, cur non id Christus addidisset? [10]. — *Resp. a*) Haec verba non sunt exclusiva, sed mere affirmantia; non enim dicitur: qui a *solo* Patre procedit [11]. Tales autem locutiones non uti exclusivas explicari posse, ex aliis locis similibus apparet. En tibi verba: « Neque Patrem quis novit, nisi Filius » [12]. etc. quae sententia, licet quoad formam exclusiva, nequit tamen ita intelligi ut Patrem vel Spiritum a cognitione Patris excludat. Scilicet iuxta ipsam argumenti

[1] Ioann., xvi, 14, 15.
[2] Ibid. x, 29.
[3] Gal., iv, 6.
[4] Act., xvi, 7.
[5] Act., viii, 9.
[6] II. Cor., 3, 18.
[7] Ioann., xx, 22.
[8] Ibid., xv, 36.
[9] Act., i, 8.
[10] Ioann., xv, 26.
[11] Neque sub hac forma conclusio valeret, uti appositus textus demonstrat.
[12] Matth., xi, 27.

naturam criterium interpretationis adhibeatur oportet. - *b*) Sed et ratio dari potest, cur in loco obiecto Christus dixerit potius: « qui a Patre procedit ». Haec enim verba afferuntur uti praecedentis sententiae explicatio. Iam vero in verbis praecedentibus dixerat: « *quem ego mittam vobis a Patre* ». Quod mittat Christus Spiritum, habet quia Spiritus ab ipso procedit. Quod autem mittat eum *a Patre,* est quia et a *Patre procedit.* Quae consideratio ad sequentem propositionem nos adducit. Vides enim difficultatem ex hoc loco deductam non modo efficaciter solvi, sed ex totius sententiae tenore validissime retorqueri. Nisi enim Spiritus a Filio procederet, non posset a Filio mitti.

C) **Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium.** - Etenim licet Filius et Pater spirent Spiritum Sanctum, non omnino eadem est habitudo utriusque ad spirationis terminum. Et quidem propter duo: 1) Pater quippe habet a se quod Spiritum producat, Filius habet a Patre; rursus 2) processio Filii praecedit logice processionem Spiritus Sancti. 1) Prius significatur in Scripturis quando Christus dicit: « Cum autem « venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre ». Utique et ego mittam eum; at non a me, sed a Patre, a quo illud ipsum accepi, vi cuius eum mittere valeo. Pater autem id habet a se. Quum igitur Pater sit principium a quo et ego procedo, speciali ratione Spiritus « a Patre procedit ». Quare « de meo accipiet », quia et ego a Patre, et « quaecumque « habet Pater, mea sunt ». - 2) Alterum significatur per hoc quod Spiritum Sanctum « mittet Pater in nomine meo », id est in verbo meo, quia per Verbi processionem, sicuti per prius viae stadium, ipse Spiritus procedit.

D) Nihilominus **Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti.** - Etenim 1) Spiritus vocatur Spiritus *Dei,* ex *Deo* (Cf. textus allatos in A). Iam vero quum nulla quoad essentiam divinam distinctio sit inter Patrem et Filium, quando dicitur Spiritus *Dei,* vel ex *Deo,* probatur esse ex Patre et Filio, tanquam ex uno principio, divina scilicet natura per amorem foecunda. - Pariter 2) ipse Christus diserte hanc communitatem perfectam in spiratione ostendit, quando dicit: « Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt », et « Pater « quod dedit mihi, maius omnibus est ». Ex quibus verbis

sequens instituitur duplex argumentum. Quaecumque habet Pater, habet Filius; atqui Pater habet ut spiret Spiritum Sanctum, ergo idem habet et Filius. - Vel: Quod maius omnibus est, nequit maius se habere; atqui nisi Filius haberet vim Spiritum Sanctum spirandi, quam habet Pater, Pater non maius omnibus Filio dedisset, sed, ut ita dicam, maius quid sibi reservasset. Ergo Pater et vim spirativam Filio dedit.

II. - DE DOCTRINA PUBLICA ECCLESIASTICA.

1) *Spiritum Sanctum* ex **Patre** *procedere*, definivit expresse, inter alia, Concil. Constantinopolitanum I. (anno 381): « Καὶ « εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ Κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς « ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ « συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. Et in Spiritum « Sanctum Dominum et vivificantem, qui a Patre procedit; » qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; « qui locutus est per prophetas ». Cuius solemnis declarationis, contra Macedonii blasphemias latae, ut plena vis percipiatur, penitius eiusdem haeresiarchae doctrinam perpendere iuvat [1]. Sozomenus sequentibus verbis eam describit: « τὸν Υἱὸν Θεὸν εἶναι, κατὰ πάντα τε καὶ κατ' οὐσίαν ὅμοιον τῷ « Πατρὶ, τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα ἄμοιρον τῶν αὐτῶν προσβείων ἀπε- « φαίνετο, διάκονον, καὶ ὑπηρέτην καλῶν, καὶ ὅσα περὶ τῶν θείων « ἀγγέλων λέγων τὶς, οὐκ ἂν ἁμάρτοι » [2]. Scilicet, vir Semiarianus, Filium Dominum quidem et Deum confitetur, non autem ὁμοούσιον, sed ὁμοιούσιον. Spiritus autem Sanctus non est Deus, nec Dominus, sed creatura et servus. Vim autem definitionis Patrum Constantinopolitanorum hoc modo evolvit Kuhn. « Spiritum Sanctum vocant « κύριον, *Dominum* », quem « Macedoniani servum nuncuparant. Insuper divinum ei tri- « buunt praedicatum " ζωοποιὸν, *vivificantem* ", quia fons est « vitae non modo naturalis sed et spiritualis. Spiritus " *a* « *Patre procedit* ", non autem, uti docebant Macedoniani, ex

[1] Cf. praelibata p. 28 sq. Adde synodis in quibus damnatus est Macedonius, synodum Romae anno 369 habitam (Hefele, *Conciliengeschichte*, t. I, pp. 707, 710, 710 sqq.)

[2] *Hist. Eccl.* IV, 27.

« nihilo a Filio creatus; quum autem sit divinae particeps « naturae, consubstantialis Patri et Filio, eamdem cum Patre « et Filio participat adorationem et laudem, quam ipsi Mace- « doniani denegabant. Verba τὸ λαλῆσαν, etc., sunt primitiva « denominatio Spiritus Sancti iuxta oeconomicum eius munus; « qua sententia Synodus novam formulam cum originali « expressione symboli fidei conlegat » [1].

Ex his apparet, cur Patres Constantinopolitani dixerint « qui a Patre procedit », quin et Filium adiungerent. Nam quum Macedoniani non negarent Spiritum esse a Filio, imo eum a Filio creatum dicerent, negarent autem eum procedere a Patre, hanc doctrinam ipsissimis Scripturae verbis proclamarunt.

2) *Spiritum Sanctum* **etiam a Filio** *procedere*, declarat *a*) *Symbolum Athanasianum:* « Spiritus Sanctus a Patre et « Filio, non factus, nec genitus, sed procedens » [2]: *b*) formula *Symboli Nicaeno-Constantinopolitani* qualis a multis saeculis in Ecclesia Occidentali legitur: « Credimus in Spiritum « Sanctum, qui ex Patre Filioque procedit ».

3) Pariter *tanquam* **unum principium** *Patrem et Filium spirare Spiritum Sanctum* declarant *a*) *Concilium Lateranense IV* (1215): « Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac « Spiritus Sanctus ab utroque *pariter* absque initio, semper « et sine fine [3] »; *b*) *Concil. Lugdunense II* (1274): « Fatemur, « quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non « tanquam ex duobus principiis, sed tanquam *ex uno prin-* « *cipio*, non duabus spirationibus, sed unica spiratione pro- « cedit, etc.... » [4]; *c*) *Concil. Florentinum* (Decret. Union.): « De- « finimus.... quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeterna- « liter, tanquam *ab uno principio* et unica spiratione pro- « cedit » [5], et (Decret. pro Iacob.): « Sed Pater et Filius non « duo principia Spiritus sancti, sed *unum principium:* sicut

[1] *Dreieinigkeit*, p. 458.

[2] Quanta sit huius symboli auctoritas ad genuinam Orientalis Ecclesiae fidem illustrandam, infra patebit, ubi de hac ipsa fide erit sermo. Formulam autem non esse ipsius S. Athanasii, hodie a peritis passim agnoscitur, licet de vero ejus auctore disputetur.

[3] Denzinger (op. cit. n. 119).

[4] Ibid. n. 382.

[5] Ibid. n. 586.

« Pater et Filius et Spiritus Sanctus, non tria principia crea-
« turae, sed unum principium » [1].

4) Etsi tamen sint unum principium, optime salvatur graecorum formula: *Spiritum Sanctum procedere ex Patre* **per Filium**; ait enim idem *Concil. Florentinum* (Decret. Union.): « Id, quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per « Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam « tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secun- « dum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero prin- « cipium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem » [2]. Cum discrimine nihilominus inter principium sine principio, et principium a principio, uti eiusdem Concilii Patres proclamant (Decret. pro Iacob.): « Pater quidquid est aut habet, « non habet ab alio, sed ex se, et est principium sine prin- « cipio. Filius, quidquid est aut habet, habet a Patre, et est « principium de principio » [3].

III. - DE ARGUMENTIS RATIONIS THEOLOGICAE.

Nec minus doctrinam hucusque expositam confirmant, illustrant, vindicant argumenta ex ratione theologica deducta, quorum copia apud praecipuos doctrinae catholicae magistros reperitur.

A tempore enim quo coepit grassari Photiana impietas, dogmatis perscrutatores subtilius in processionem Spiritus Sancti a Filio haud secus ac a Patre inquisierunt, Graecorumque obiectiones dissolvere conati sunt. Inter quos eminent Æneas de Parisiis, Rathramnus Corbeiensis, S. Anselmus Cantuariensis, Petrus Chrysolanus, Anselmus Havelbergensis, Nicetas Thessalonicensis, Nicephorus Blemmydes, Ioannes Veccus, S. Thomas Aquinas, Cardinales Iulianus Cesarini, Ioannes Turrecremata, Bessario; postea Allatius, Thomassinus, Wirceburgenses, Petavius; ex coaevis Pitzipios-Beg [4], Hugo Laemmer, Card. Franzelin; et historici Hefele ac Card. Hergenröther, etc. etc. [5]

[1] Denzinger n. 598.
[2] Loc. cit.
[3] Loc. cit.
[4] Infeliciter ad schisma rediit.
[5] Cf. alias auctoritates infra adducendas.

A) *Spiritum Sanctum* **a Patre** *procedere* vix operae pretium est hic fusius demonstrare. Hoc negant utique Ebionitae, Sabelliani, Sociniani, Rationalistae, quotquot veram Trinitatem impugnant; negant quoque Macedoniani ex rationibus modo expositis [1]. At demonstravimus supra, Spiritum Sanctum esse vere Deum, vereque a Patre et a Filio distinctum; unde iuxta apertissimam Scripturae doctrinam a Patre vere procedit. Et re quidem vera, nisi procederet a Patre, esset quia procedit vel ab ipsa natura divina, vel a Filio. *a*) A natura divina Spiritum Sanctum procedere, repugnat; nam tunc pariter a natura procederet Filius, et neque daretur Pater. Quare Concilium Lateranense probans doctrinam Lombardi, proclamavit, non naturam generare Filium, nec Patrem naturam, nec naturam naturam, sed Patrem Filium. - *b*) Alterum quoque repugnat; nam sicuti nulla ratio dari potest, cur Filius a processione Spiritus excluderetur, a fortiori nulla potest assignari, cur Spiritus non esset a Patre. Et certe formalis ratio processionis Spiritus Sancti est vel eadem ac processionis Filii, vel diversa. Eadem esse nequit; nam tunc vel non distingueretur Spiritus a Filio, vel esset Filius Filii, et fieri deberet progressio in infinitum. Si autem diversa est, principium huius processionis debet esse Pater non minus quam Filius; secus Pater vel esset minor Filio, vel saltem dedisset aliquid Filio quod ipse non haberet, quod utrumque aperte repugnat. Ergo ratio theologica certo demonstrat, Spiritum Sanctum, modo agnoscatur Deus et a Patre distinctus, procedere a Patre.

B) *Sed* **et a Filio** *Spiritum procedere convincit.* - Argumenta autem rationis theologicae possunt in duplicem classem distribui: alia quippe sunt potius speculativa, alia potius exegetica; illa directius procedunt a contemplatione constitutionis ipsius Trinitatis, haec magis innituntur locutionibus Scripturarum quae cum hoc argumento connexae sunt. Sit igitur de utriusque generis argumentis ex ordine brevis disquisitio.

[1] Adde singularitatis gratia Elkesaitas, Gnosticorum genus, qui Spiritum Sanctum dicebant principium femininum et matrem Christi; necnon Kabbalistas quosdam, forma feminina vocabuli רוּחַ seductos, qui Spiritum Sanctum Dei uxorem et Messiae sociam autumabant.

I) **Argumenta speculativa** praesertim ad quinque fontes reducuntur, qui sunt: 1) lex unitatis, 2) perfectio generationis, 3) perfectio processionis, 4) ordo processionum, 5) Trinitatis necessitas. De singulis breviter.

1) *Lex unitatis* Spiritum Sanctum procedere a Filio, non solum a Patre, ita expostulat. Axioma Trinitatis est a Concilio Florentino proclamatum: « In Deo omnia unum sunt, ubi « relationis oppositio non obviat ». Iam vero inter filiationem et spirationem activam nulla datur relationis oppositio. Ergo nulla ratio, cur Filius non sit etiam spirator. Quae argumentatio per dicenda n. 5. corroborabitur. Inde illud dictum Christi Domini: « Ego et Pater unum sumus » [1].

2) *Perfectio generationis* idem exigit. Etenim *a*) Pater generando communicat Filio quidquid ipse habet vel est [2], praeter τὸ esse Patrem; atqui τὸ esse spirantem non est τὸ esse Patrem; ergo Pater communicat Filio, cum natura ipsa divina, vim spirandi Spritum Sanctum. Insuper *b*) Filius est imago Patris, in omnibus Parenti tantopere similis, ut sit ei perfecte consubstantialis. Unde Christus Philippo ait: « Qui « videt me, videt et Patrem » [3]. Iam vero nisi Filius cum Patre esset principium Spiritus Sancti, non esset Patris imago perfecta, nec consubstantialis. Ergo necesse est ut Spiritus Sanctus a Filio non minus quam a Patre procedat.

3) *Perfectio processionis* ad idem conducit. Scilicet, uti egregie argumentatur S. Anselmus, quemadmodum Filius procedit totus a toto, Deus de Deo, ita et Spiritus Sanctus est Deus de Deo. Iam vero Pater et Filius sunt aequali iure idem Deus totus. Ergo Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio. Audiatur auctor libri *De processione S. Spiritus*: « Ex « eo quod Pater et Filius unum sunt, id est ex Deo, est Spi- « ritus Sanctus, non ex eo, unde alii sunt ab invicem; sed « quoniam Deus, de quo est Spiritus Sanctus, est Pater et « Filius, idcirco vere dicitur esse de Patre et Filio, qui duo « sunt. Et quoniam Pater non est prior aut posterior Filio, « aut maior aut minor, nec alter magis aut minus est Deus

[1] Ioann., x, 30.

[2] Cf. Ioann., x, 29.

[3] Ioann., xiv, 9. — Lege de hoc textu S. Cyrillum Alex. pulcherrime disserentem (*In Ioann.* lib. i. — *P. L.* t. lxxiii, col. 64, sq; cf. et infra hoc loco).

« quam alter: non est Spiritus Sanctus prius de Patre quam « de Filio, nec de Filio quam de Patre; nec maior, nec « minor est existens de Patre, quam existens de Filio; nec « magis nec minus est de uno, quam de altero. Nam si prius « aut post, vel maior vel minor, aut magis aut minus de uno « esset quam de altero, ex necessitate sequeretur, ut aut « Spiritus Sanctus non esset de hoc, in quo unum sunt Pater « et Filius; aut ipsum unum non esset perfecte et simpliciter « unum, sed esset ibi aliqua diversitas, de qua illa, quam « dixi, in existendo de eodem uno Spiritum Sanctum, esset « varietas. Sed dici non potest quod Spiritus Sanctus non « sit de hoc, in quo unum sunt Pater et Filius; alioquin non « esset de Deo. Nec credi debet quod in ipso uno sit, secun- « dum quod est, aliqua diversitas. Quare nec prius nec post, « nec maior aut minor, nec magis aut minus est Spiritus « Sanctus de Patre, quam de Filio, aut de Filio quam de « Patre. Non enim unus idemque Spiritus Sanctus, qui semel « totus est de Deo toto, magis aut minus potest esse de uno « et summe simplici Deo » [1].

4) *Ordo iam processionum* pariter exigit Spiritum Sanctum et a Filio procedere. Hic autem ordo potest dupliciter considerari: a priori et a posteriori. *a*) *A priori* demonstratur necessitas ordinis inter utramque processionem, quia duplex productio sine aliquo ordine ad invicem poneret necessario inter utrumque terminum distinctionem materialem, quoad quam unice uti diversa multiplicantur, sicuti mallei quos conficit faber, aut vasa figulus. Ordo autem inter processiones nequit intelligi, nisi secundum quod terminus unius sit et principium alterius [2]. - *b*) *A posteriori* corroboratur haec conclusio, si ratio utriusque processionis consideratur. Filius quippe procedit per viam intellectus, Spiritus per viam amoris. Iam vero eadem logica necessitas quae exigit illam huic antecedere, demonstrat et hunc procedere ab illo, Verbum scilicet Patris concurrere amori foecundo, ac ita Patrem per Verbum spirare Spiritum, quatenus tum processio intellectualis logice praesupponitur processioni amoris, tum Ver-

[1] C. XXIII; (cf. c. XII et VIII.) — *P. L.* t. CLVIII, col.
[2] Cf. argumentum S. Th. in corp. art. 1. huius Quaestionis.

bum habet a Patre id quo una cum Patre sit principium Spiritus [1].

5) *Necessitas* demum *Trinitatis* hanc Spiritus a Filio processionem requirit, ne ipse destruatur trium personarum numerus. Divina etenim simplicitas atque unitas non sinunt, in Deo alium dari pluralitatis fontem, nisi originem unius ab altero, et quidem unice propter oppositionem quam origo involvit. Quare numerus personarum per relationes oppositionum determinatur. Iam vero nisi Spiritus procedat a Filio, personae in SS. Trinitate non erunt nisi duae aut praedicandae erunt quatuor; nullo autem modo tres. Quod ita fit manifestum. Duae processiones pariunt quatuor relationes reales distinctas: paternitatem et filiationem, ratione prioris; spirationem et processionem, ratione alterius. Istae relationes ad minus duas personas realiter ab invicem distinctas determinant: Patrem et Filium hinc; illinc Spirantem et Spiratum. Quaero nunc, utrum sint modo duae, an quatuor; duae, identificando Patrem cum Spirante, Filium cum Spirato; quatuor, distinguendo Spirantem a Patre, Spiratum a Filio. Scilicet quaero, utrum duo termini a quo et duo termini ad quem sint ad invicem unum, an duo. Si dicis, Patrem et Spirantem identificari, quia sunt uterque terminus a quo sine oppositione ad invicem; concludo idem de Filio et de Spirato, et habeo dualitatem. Si dicis, Filium et Spiratum distingui ab invicem, quia sunt termini duplicis viae specie distinctae; idem concludo de Patre et Spirante, et teneo quaternitatem. Quomodo ergo ex quatuor istis relationibus realiter distinctis Trinitatem obtinebo, nisi una sit communis duabus personis, et una persona sit simul ratione unius, terminus a quo, et ratione alterius, terminus ad quem? Paternitas autem nequit communis haberi, quum sit Trinitatis exordium ac fons, ac eius communitas poneret Filium esse a Spiritu Sancto. Est ergo communis spiratio Patri scilicet ac Filio, et Spiritus Sanctus procedit simul a Patre et a Filio; quum, hoc negato, vel pereat numerus personarum, identificato Filio cum Spiritu; vel ponatur quaternitas, distincto Spirante ab ipso Patre, vel perturbetur ordo personarum, Filio procedente a Spiritu Sancto [2].

[1] Cf. S. Th. ibidem.

[2] Cf. S. Anselm. op. cit. c. 4; de quo fusius in art. II. huius Quaest. Patet, ex his

II. **Argumenta exegetica** sunt evolutio ipsarum auctoritatum quas in prima parte huius dissertationis adduximus, affirmando potius quam penitius explicando.

Unde ex S. Anselmo nonnullas illustrationes attulisse pretium operae fuerit. 1) Spiritus procedit de Filio, quia *accipere de Filio* demonstratur. « Item Filius dicit de Spiritu « Sancto: " Non enim loquetur a semetipso; sed quaecumque « audiet loquetur " [1]. Quid est: " Non loquetur a semetipso, " « nisi: ab alio habebit quod loquetur? Et quid est: ab alio « habebit quod loquetur: nisi, ab alio habebit scientiam eorum « quae loquetur? Unde postquam dixit: " non loquetur a semet- « ipso ", addidit: " Sed quaecumque audiet, loquetur ". Quid « est audire Spiritui Sancto, nisi quasi discere? Et quid est « discere, nisi scientiam accipere? Si ergo scientia eius non « est aliud nisi essentia eius, ab illo habet essentiam, a quo « audit ea quae loquitur et quae docet; quoniam idem est « illi loqui quod docere. Non audit autem, neque habet essen- « tiam ab alio nisi aut a Patre, aut a Filio. Verum si habet « esse a Patre, secundum supradictam rationem habet etiam « a Filio. Unde et idem Filius dicit: " Ille me clarificabit, « quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis ". Quippe quid « est aliud hoc dicere quam: a me audiet, hoc est, a me sciet « quod annuntiabit vobis? Cum dixit: " Quaecumque audiet, « loquetur ", non determinavit a quo audiet. Cum vero ait: « " de meo accipiet ", ne quis soli Patri attribuat quod ab « alio audit; aperte se esse, a quo, sicut a Patre, scientiam « sive essentiam accipiat, demonstrat » [2].

2) *Filius se et ipsum Patrem Spiritui revelat.* Eamdem veritatem S. Anselmus demonstrat per deductionem ex hoc alio Scripturae loco: « Nemo novit Filium, nisi Pater: neque « Patrem quis novit, nisi Filius, aut cui voluerit Filius reve- « lare... » [3]. " Omnino igitur nullus habet hanc notitiam, nisi « Pater et Filius et cui Filius idem revelat. Aut itaque Spi-

argumentis non solum evinci processionem Spiritus Sancti ex Patre simul et Filio, sed et processionem ex utroque, tanquam ex uno principio. Cf. fusius de hoc dicenda in art. ultimo huius Quaestionis. — Cf. et dicta superius, ubi de numero personarum ex professo actum est.

[1] Ioann. xvi, 13.

[2] S. Anselmi op. cit. c. xi. — *P. L.* t. clviii, col. 304.

[3] Matth. xi, 27.

« ritus Sanctus non cognoscit Patrem et Filium, quod impium « est opinari; aut Filius revelat ei sui et Patris scientiam, « quae non est aliud quam eiusdem Spiritus Sancti essentia.... « Eligant itaque Graeci unum de duobus, si aperte volunt « veritati resistere: aut scilicet Spiritum Sanctum non nosse « Patrem et Filium, nisi revelante Filio; aut propterea, quia « in hoc per quod se cognoscunt Pater et Filius, sunt cum « Spiritu Sancto, quando ipsi dicuntur se nosse, consequi ex « necessitate ut in eadem notitia intelligatur Spiritus San- « ctus. Nempe nihil est medium, si nolunt hanc notitiam a « Spiritu Sancto, aut veritatem a verbis veritatis penitus abdi- « care. Quae utraque execratur vera confessio. Sic enim ait « veritas. " Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem, etc ". « Si quidem eligunt, Spiritum Sanctum nosse Patrem et Filium « per revelationem Filii: habet a Filio nosse, quod non est « aliud illi quam esse; est igitur et procedit a Filio, quoniam « ab illo procedit a quo est. Si autem dicunt, cum Pater et « Filius dicuntur nosse se, quia essentia, per quam se no- « scunt, eadem est Spiritui Sancto, consequi Spiritum San- « ctum eiusdem esse consortem notitiae; cum legunt, illum « a Patre procedere, de quo ait Filius: " Ego et Pater unum « sumus ", confiteantur nobiscum, propter essentialem iden- « titatem Patris et Filii, illum a Filio quoque procul dubio « procedere » [1].

3) *Spiritus insufflatione a Filio datur*, vocaturque *Spiritus oris eius*, ergo procedit a Filio. Egregie S. Anselmus per integrum caput [2], confert ad invicem verba Iesu in Apostolos insufflantis: « Accipite Spiritum Sanctum », cum versu Psalmistae superius citato: « Verbo Domini caeli firmati sunt, et « spiritu oris eius omnis virtus eorum » [3]; necnon cum verbis Isaiae: « Spiritu labiorum suorum interficiet impium » [4]; atque demonstrat, Spiritum Sanctum ab eo procedere debere, per cuius os et labia ad modum halitus emittitur. « Post resurre- « ctionem legimus, quia insufflavit Dominus in discipulos suos, « et ait illis: " Accipite Spiritum Sanctum. " Quid sibi vult ista

[1] S. Anselm. op. cit. c. xii. — Ibid. col. 305, sq.
[2] Ibid. c. x. — Ibid. col. 301-303.
[3] Ps. xxxii, 6.
[4] xi, 4.

« insufflatio? Scimus quia flatus ille, qui de ore eius tunc « processit, non erat Spiritus Sanctus. Non ergo credimus « illam insufflationem sine aliquo mysterio factam esse. Quid « igitur rectius hic intelligi potest, aut aptius, quam hoc ideo « illum fecisse, ut intelligeremus Spiritum Sanctum de illo « procedere? Ac si diceret: Sicut videtis hunc flatum per « quem vobis Spiritum Sanctum, sicut sensibilibus insensi- « bilia significari queunt, significo de intimo corporis mei et « de persona mea procedere; ita scitote, Spiritum Sanctum « quem vobis per hunc flatum significo, de secreto deitatis « meae et de mea persona procedere »; etc. [1].

4) *Mittitur quoque Spiritus a Filio,* utpote ab eo procedens. Haud minori efficacia S. Anselmus arguit ex missione Spiritus Sancti, qualis exhibetur in collatis ad invicem testibus: « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem Pater « mittet in nomine meo », [2] et: " Cum autem venerit Paracli- « tus, quem ego mittam vobis a Patre " [3]. « Quid igitur est, « mittet Pater in nomine Filii, nisi mittet Pater, tanquam si « mittat Filius, ut in missione Patris, missio intelligatur Filii? « Quod vero ait: " Quem ego mittam vobis a Patre ", quo- « modo intelligendum est? Utique a quo eum mittit Filius, « ab eo mittitur; mittit autem eum a Patre; ergo a Patre « mittit. Sed ille mittit a quo mittitur. Pater itaque mittere « intelligitur, cum Filius dicit: " Ego mittam a Patre ". Quid « est ergo: " Ego mittam a Patre ", nisi: Ego mittam tan- « quam si Pater mittat, ut una et eadem sit missio mea et « Patris? Cum igitur Filius tanta diligentia ostendat, unam « esse missionem Patris et suam; ut nec Pater mittat, nisi « cum Filius mittit; nec Filius mittat, nisi cum mittit Pater: « quid vult significare, aut quid intelligi, nisi quia non aliter « se habet ad Patrem Spiritus Sanctus, et aliter ad Filium; « nec magis est unius quam alterius? Quamobrem nimis dif- « ficile, imo impossibile est, ostendere quomodo non procedat « ab utroque », etc. [4].

5) Demum *Spiritus Filii* quum sit, de Filio procedat

[1] Col. 301, sq. — Cf. infra (p. 560) similem argumentationem S. Augustini.
[2] Ioann., xiv, 26.
[3] Ibid. xv, 26.
[4] Ibid. c. ix. — Ibid. col. 299, sq.

oportet: « Confitentur Graeci nobiscum, ait Anselmus, Spiri-
« tum S. esse Spiritum Dei, et Spiritum Patris, et Spiritum
« Filii. Quaero itaque si eodem modo intelligunt illum esse Spi-
« ritum Dei, et Spiritum Patris et Spiritum Filii; aut dissimi-
« liter? » Et ostenso per viam exclusionis eodem modo haec
sumi debere, prosequitur: « Quare idem est intellectus, cum
« dicitur Spiritus Dei, et Spiritus Patris, et Spiritus Filii; sed
« Spiritus Dei et Spiritus Patris dicitur, quia est et procedit
« de Deo et de Patre. Itaque est et procedit etiam de Filio,
« quia eodem sensu Spiritus Filii dicitur » [1].

Liceat theologicam hanc expositionem concludere cum S. Anselmo sequentibus verbis syntheticis eamdem confirmante: « Ecce vidimus de quanta veritate et necessitate sequa-
« tur Spiritum S. de Filio procedere. Quod si verum non est,
« aut aliquid eorum, ex quibus hoc dicimus consequi, falsum
« est, quod est contra christianam fidem, quam cum Graecis
« tenemus; aut non consequenter conclusimus, quod ostendi
« nequit. Quare si verum non est, fides christiana destruitur.
« Palam etiam est intelligenti, si falsum esse ponitur, quod
« nulla inde veritas nascitur. Consideremus quoque quid eve-
« niat, cum pro vero asseritur. Utique, si verum est, Spiritum
« Sanctum procedere a Filio, sicut a Patre, sequitur quia
« Filii Spiritus est, sicut Patris, et mittitur et datur a Filio,
« sicut a Patre; quod divina docet auctoritas, et nulla peni-
« tus sequitur falsitas. Cum autem, processio Spiritus Sancti
« a Filio negata tantam inducat falsitatem, ut illa ex quibus
« eam consequi monstravimus, destruat contra fidem chri-
« stianam, nec ullam generet veritatem, et asserta tantam
« probet veritatem, sicut ostendimus, nec aliquam ullatenus
« secum trahat falsitatem: cogitet cor rationale, qua ratione
« illam excludat a fide christiana. Denique si error est hanc
« credere de Filio Spiritus Sancti processionem, ipsa divina
« auctoritas nos in errorem inducit, cum et illa ex quibus
« haec sequitur processio et quae illam sequuntur, nos docet,
« nec alicubi aut illam negat, aut quod illi repugnet aliquo
« modo pronuntiat » [2].

[1] S. Anselm. op. cit. c. xxi. Lege hoc integrum caput. — Ibid. col. 315, sq.

[2] Ibid. c. xxvi. Et pergit optime: « Si ergo opponitur, quia nusquam eam
« profert divina auctoritas, ideo non esse dicendum; dicatur similiter: quia nusquam

IV. - DE TRADITIONE ECCLESIAE CATHOLICAE, TUM OCCIDENTALIS, TUM ORIENTALIS.

Hucusque dicta iam *a priori* traditionem catholicam de processione Spiritus S. a Filio vindicant. Quî enim veritas tam intime connexa cum fundamentali dogmatis Trinitatis notione, tam varie in Scripturis indicata, potuisset aut negari aut ignorari, aut etiam simpliciter obtegi silentio? Nihilominus, quum antiquitas et universalitas huius fidei ab adversariis in dubium vocetur, imo quoad Ecclesiam Orientalem aperte impugnetur, heic sedulius vindicanda est argumentis ex ipsa eruditione apud Occidentales et Orientales depromptis.

A. - DE TRADITIONE ECCLESIAE OCCIDENTALIS.

Tam in confesso est apud Latinos haec traditio, ut tempus tereret, qui longiori eiusdem defensioni immoraretur. Sufficeret ad eam propugnandam ipsum Verbum « Filioque » ab Occidentali Ecclesia Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano insertum; de qua additione in fine huius dissertationis ex professo agetur.

Duplex autem potest apud Latinos distingui stadium, ante et post S. Augustinum, quando, ut ipse loquitur Hipponensis, « multa ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum « callida inquietudine exagitabantur, ut adversus eos defendi « possent, et considerabantur diligentius, et intelligebantur « clarius, et instantius praedicabantur » [1]; - « ut quod antea « simpliciter credebatur, hoc idem postea instantius praedi- « caretur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea « instantius praedicaretur; quod antea securius colebatur, hoc « idem postea solicitius excoleretur », ut ait Vincentius Liri- « nensis » [2].

« illam negat, nec aliquid dicit quod repugnet, non esse negandam; dicimus etiam « quia satis illam affirmat, cum illa asserit unde probatur, et nullo modo aliquid « significat, unde negetur ». Ibid. col 321.

[1] *Civ. Dei*, XVI, 2.

[2] *Common.*, n. 32.

A) **E primo stadio** ecce tibi testimonia Tertulliani, S. Hilarii, Marii Victorini et S. Ambrosii.

1) *Tertullianus* contra Praxeam ita disserit: « Omne quod « prodit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi « est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim « est a Deo et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice « et tertius a fonte rivus ex flumine, et tertius a sole apex « a radio. Nihil tamen a matrice sua alienatur, a qua pro- « prietates suas ducit. Ita Trinitas per consertos et connexos « gradus a Patre decurrens et monarchiae nihil obstrepit et « oeconomiae statum protegit » [1]. Esto, prima verba non indicare nisi ordinem; at certe sequentia hunc ordinem ita explicant, ut originem Spiritus a Filio manifesto requirant. Et ibidem ait: « Filium non aliunde deduco, sed de substantia « Patris.... Hoc mihi et in tertium gradum dictum sit, quia Spi- « ritum non aliunde puto quam a Patre per Filium » [2]; ex quo testimonio formula apud Graecos usitatior, antiquissima et apud Latinos demonstratur.

2) S. *Hilarius* in suis libris *de Trinitate,* pauca quidem habet de Spiritu Sancto, quippe de consubstantialitate Filii maxime sollicitus; at quae habet, lucidissima: « De Spiritu « autem Sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est.... « qui Patre et Filio auctoribus confitendus est... Cum dicunt « (Ariani scil.) per quem sit, et ob quid sit, vel qualis sit « (Spiritus)? si responsio nostra displicebit dicentium: per « quem omnia, et ex quo omnia sunt, et quia Spiritus est Dei, « donum fidelium, displiceant Apostoli et prophetae » [3]. Est ergo Spiritus Sanctus per Filium ex Patre [4]. Et alibi haec simplex Trinitatis invocatio reperitur: « Patrem te nostrum, « Filium tuum una tecum adorem, Sanctum Spiritum tuum, « qui ex te per Unigenitum tuum est, promerear » [5]. Quae

[1] C. 8.

[2] C. 4.

[3] L. II, n. 29.

[4] Non alium esse verborum Hilarii sensum, constat ex traditionali apud Patres interpretatione particularum *ex, per,* et *in;* constat ex ipso Hilario in initio eiusdem libri (n. 1): « Baptizare iussit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; id est in « confessione et *Auctoris,* et *Unigeniti* et *Doni.* Unus est enim Deus Pater ex *quo* « omnia, et unus unigenitus D. N. I. Ch. *per quem* omnia, una progenies per quam « omnia, perfectae spei munus unum ».

[5] L. XII, n. 57; Cf. n. 55.

duo testimonia formulam Tertulliani, atque Graecorum pariter confirmant.

Ne autem putes, haec, veluti per transennam dicta, non tantam in mente Hilarii habere vim sive necessitatem, audi eumdem processionem Spiritus S. a Filio distinctissime proferentem simul ac fortissime ex Scripturis vindicantem, utpote non liberae discussionis, sed praedicationis necessariae. « Neque in hoc nunc calumnior libertati intelligentiae, « utrum ex Patre an ex Filio Spiritum Paraclitum putent « esse, non enim in incerto Dominus reliquit. Nam sub iisdem « dictis ita locutus est: " Cum venerit ille Spiritus veritatis... « non enim loquetur a semetipso.... quoniam de meo accipiet « et annuntiabit vobis ". A Filio igitur accipit, qui et ab eo « mittitur et a Patre procedit. Et interrogo, utrum idipsum « sit a Filio accipere, quod a Patre procedere. Quod si dif- « ferre credetur inter accipere a Filio et a Patre procedere; « certe id ipsum atque unum esse existimabitur accipere a « Filio, quod sit accipere a Patre. Ipse enim Dominus ait: « " Quoniam de meo accipiet et annuntiabit vobis; omnia quae- « cumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi de meo acci- « piet. " Hoc quod accipiet, sive potestas est, sive virtus, sive « doctrina est, Filius a se accipiendum esse dixit, et rursum « hoc ipsum significat accipiendum esse de Patre. Cum enim « ait, omnia quaecumque habet Pater, sua esse et ideirco « dixisse se, de suo accipiendum esse; docet, etiam a Patre « accipenda a se tamen accipi, quia omnia quae Patris « sunt, sua sunt. Non habet haec veritas diversitatem, nec « differt a quo acceptum sit, quod datum a Patre datum refe- « ratur a Filio..... Quod unum ambo sunt, eiusdem in utro- « que per generationem nativitatemque divinitatis significatio « est, cum id quod accipiet a Patre Spiritus veritatis, id Filius « dandum a se esse fateatur. Non permittenda itaque ad « impiae intelligentiae libertatem haeretica perversitas est » [1]. Totam argumentationem his paucis contrahe. Spiritus S. accipit a Patre quia a Patre procedit. Atqui non minus praedicatur accipere a Filio, quum omnia Patris unde Spiritus accipit sint Filio communia. Ergo procedit et a Filio.

[1] De Trinit. l. VIII, n. 20.

3) *Marius Victorinus* tam efficaciter praedicat, Spiritum esse a Filio, ut eum quasi a Patre mediate, per Filium scilicet procedentem describere videatur. « Si non discedo, Para-« cletus non veniet ad vos. Duo ergo et isti, ex alio alius, « ex Filio Spiritus Sanctus sicut ex Deo Filius; conrationa-« biliter et Spiritus Sanctus ex Patre ». Ac si argueret: Spiritus est ex Filio; atqui Filius est ex Patre; ergo Spiritus est ex Patre. Et pergit: « Quod omnia tria unum, Pater non « silens silentium, sed vox in silentio, Filius iam vox, Para-« cletus vox vocis; non autem verum dicit a semet, Chri-« stus enim Veritas; sed quaecumque audiet, loquetur..... « Quoniam ex meo recipit..... Dicit ergo: ex meo recipiet, « quod una motio, hoc est actio agens Christus est et Spi-« ritus Sanctus; et primum est vivere, et ab ipso quod est « vivere, intelligere; vivere quidem Christus, intelligere Spi-« ritus; ergo Spiritus a Christo accipit, ipse Christus a Patre, « et idcirco et Spiritus a Patre. Omnia igitur unum, sed a « Patre » [1].

Haec utique ex integro citamus, tanquam aperte probantia non aliter Victorinum cogitasse processionem Spiritus Sancti, quam et ex Filio; non autem ut modum quo ipse dogma interpretatur, undequaque probemus. Imo, quod et apud Graecos adhuc magis occurrit, in contemplationis evolutione, necnon in elocutione fides etsi recta, non raro deficit.

4) Iam *S. Ambrosius* brevioribus sententiis processionem Spiritus S. a Patre simul et a Filio affirmat, et quidem talibus, quae paritatem utriusque in spiratione magis praedicant; ita ut Mediolanensis Praesul formulae deinceps ab Occidentalibus publice servandae parens non abs re haberi possit. In opere de *Spiritu Sancto* ait: « Spiritus quoque Sanctus, « cum procedat a *Patre et Filio*, non separatur a Patre, non « separatur a Filio » [2]. In libro *de Symbolo*, ita habet: « Ipse « solus est aeternus, quia initio et fine caret: id est Deus « Pater; qui coaeternum sibi et coomnipotens genuit Verbum, « *cum quo* Spiritum S. produxit » [3]. Et ibidem paulo inferius: « Spiritus autem S. vere Spiritus est, procedens quidem a

[1] *Ctr. Arian.*, l. 1.
[2] Lib. 1, c. 10.
[3] C. 1.

« *Patre et Filio;* sed non est Filius, quia non generatur; « neque Pater, quia procedit *ab utroque;* non genitus, non « ingenitus, non factus » [1]. Et pariter inferius: « Spiritus vero « Sanctus, qui *ab utroque* procedit, nec ipse coepit » [2]. - In libro *de Dignitate condit. hum.:* « Sicut ex Patre generatur « Filius, ex *Patre Filioque* procedit Spiritus Sanctus: ita ex « intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus pro- « cedit memoria » [3]. Ergo iuxta S. Ambrosium Spiritus S. procedit a *Patre et Filio, ex Patre Filioque, ab utroque:* Pater quippe cum *Verbo* eum produxit. - Quin et in *Comment. in Evang. Lucae* de processione Spiritus a Filio loquitur eo prope modo quo supra Marium Victorinum audivimus. Agit scilicet de exponenda Christi sententia: « Nemo bonus, nisi solus « Deus ». Ubi ait: « Quomodo non bonus, cum bonitatis sub- « stantia assumpta ex Patre non degeneravit in Filio, quae « non degeneravit in Spiritu? Et ideo Spiritus tuus bonus « deducet me in viam rectam. Quod si bonus Spiritus, qui « *accepit ex Filio, bonus utique et ille qui tradidit* » [4].

B) **In altero stadio** ecce *S. Augustinus* hanc sapius doctrinam « clara et forti oratione », ut ait Petavius [5], exponit ac vindicat. Ex libris *de Trinitate* sequentes iuvat afferre sententias. In libro IV. diserte docet, Spiritum Sanctum procedere a Filio, quum ab ipso mittatur; ubi haec leguntur: « Nec pos- « sumus dicere quod Spiritus Sanctus et a Filio non pro- « cedat: neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii « Spiritus dicitur. Nec video quid aliud significare voluerit, « cum sufflans in faciem discipulorum, ait: " Accipite Spi- « ritum Sanctum ". Neque enim flatus ille corporeus, cum « sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, sub- « stantia Spiritus Sancti fuit; sed demonstratio per congruam « significationem, non tantum a Patre sed et a Filio proce- « dere Spiritum Sanctum [6]. Quis enim dementissimus dixerit, « alium fuisse Spiritum quem sufflans dedit, et alium quem « post ascensionem suam misit? Unus enim est Spiritus Dei,

[1] C. 3.
[2] C. 4.
[3] C. 2. — *P. L.* t. XVII. col. 1106.
[4] Lib. VIII, c. 18.
[5] Op. cit. l. VII, c. 8, n. 4.
[6] Vides, ab Hipponensi S. Anselmum hanc argumenti formam desumpsisse.

« Spiritus Patris et Filii, Spiritus Sanctus, qui operatur omnia « in omnibus... [1] Quod ergo ait Dominus: " Quem ego mittam « vobis a Patre ", ostendit Spiritum et Patris et Filii. Quia « etiam cum dixisset: " Quem mittet Pater ", addit: " in no- « mine meo "; non tamen dixit: quem mittet Pater a me; « quemadmodum dixit: " Quem ego mittam vobis a Patre ", « videlicet ostendens quod totius divinitatis, vel, si melius « dicitur, deitatis principium Pater est. Qui ergo a Patre pro- « cedit *et Filio*, ad eum refertur a quo natus est Filius » [2].

In l. V. iam expressius docet Augustinus, Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio, tanquam ab uno principio. « Quod enim de Patre natum est, ad Patrem solum refertur, « cum dicitur Filius, et ideo Filius Patris, non et noster: « quod autem datum est, et ad eum qui dedit refertur, et « ad eos quibus dedit, ita Spiritus Sanctus non tantum Patris « *et Filii* qui dederunt, sed etiam noster dicitur, qui acce- « pimus.... Si ergo et quod datur, principium habet eum a quo « datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit; « fatendum est, Patrem et Filium principium esse Spiritus « Sancti, non duo principia: sed sicut Pater et Filius unus « Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus Do- « minus; sic relative ad Spiritum Sanctum principium, ad « creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum « principium, sicut unus creator et unus Dominus » [3]. Vides, hac duplici citatione Augustini, contineri 1m., 2m. et 4m. punctum totius doctrinae, quam in n. I. ex Scripturis illustravimus.

Tertium autem, iam subindicatum, expresse exponit in l. XV: « Non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum « Dei nisi Filius, nec Donum Dei nisi Spiritus Sanctus, nec « de quo genitum est Verbum et de quo principaliter pro- « cedit Spiritus Sanctus, nisi Deus Pater. Ideo autem addidi « principaliter, quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere « reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam exi- « stenti, et nondum habenti; sed quidquid unigenito Verbo « dedit gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de

[1] I. Cor. xii, 6.
[2] C. 20, n. 28 — *P. L.* t. xlii, col. 908.
[3] C. 14. — Ibid. col. 921.

« illo Donum commune procederet, et Spiritus Sanctus spi-
« ritus esset amborum » [1].

Totam rursus hanc doctrinam praeclare comprehendit paulo inferius in eodem libro: « Deinde in illa summa Tri-
« nitate, quae Deus est, intervalla temporum nulla sunt, per
« quae posset ostendi aut saltem requiri, utrum prius de
« Patre natus sit Filius, et postea *de ambobus* processerit
« Spiritus Sanctus. Quoniam Scriptura sancta Spiritum eum
« dicit *amborum*.... » [2]. Et citatis locis Scripturae in quibus vocatur Spiritus Filii et Spiritus Patris [3]; mittendus a Filio et a Patre [4]; procedens a Patre et (per insufflationem) a Filio [5]; longiorique facta digressione circa duplicem Spiritus dationem ante et post Domini resurrectionem, subtilius de coaeternitate utriusque processionis disserit. Ubi haec aurea leguntur: « Numquid ergo possumus quaerere, utrum
« iam processerat, et illo nato Spiritus Sanctus, quando natus
« est Filius; an nondum processerat, et illo nato de utroque
« processit, ubi nulla sunt tempora.... Quapropter qui potest
« intelligere sine tempore spirationem Filii de Patre, intel-
« ligat sine tempore processionem Spiritus Sancti *de utroque*.
« Et qui potest intelligere in eo quod ait Filius: " Sicut habet
« Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in
« semetipso " [6]; non sine vita existenti iam Filio vitam Patrem
« dedisse, sed ita eum sine tempore genuisse, ut vita quam
« Pater Filio gignendo dedit, coaeterna sit vitae Patris qui
« dedit; intelligat sicut habet Pater in semetipso ut de illo
« procedat idem Spiritus Sanctus, et utrumque sine tempore;
« atque ita dictum Spiritum Sanctum de Patre procedere, ut
« intelligatur, quod procedit de Filio, de Patre esse *et de*
« *Filio*. Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius; de
« Patre habet utique ut *et de illo* procedat Spiritus Sanctus » [7].

Audi iam quomodo solvat obiectionem a Photianis opponi solitam ex verbis Christi asserentis de Spiritu: « qui ex Patre

[1] C. 17, n. 29. — Ibid. col. 1081.
[2] C. 26. — Ibid. col. 1092.
[3] Gal, ix, 6; Matth. x, 20.
[4] Ioann. xv, 26; xiv, 26.
[5] Ibid. xv, 26; xx, 22.
[6] Ioann. v, 26.
[7] Ibid. n. 47. col. 1094.

procedit ». Seipsum ibidem c. 27. ex tract. IC. *in Ioann.* n. 8, 9. citat. Cur Filius dixit: « de Patre procedit? [1]. Cur putas, « nisi quemadmodum solet ad eum referre quod et ipsius « est, de quo et ipse est? Unde et illud est quod ait. " Mea « doctrina non est mea, sed eius qui me misit " [2]. Si igitur « hic intelligitur eius doctrina, quam tamen dixit non suam, « sed Patris; quanto magis illic intelligendus est et de ipso « procedere Spiritus Sanctus, ubi sic ait: " de Patre pro- « cedit ", ut non diceret: de me non procedit? A quo autem « habet Filius ut sit Deus, - est enim de Deo Deus, - ab illo « habet utique ut de illo etiam procedat Spiritus Sanctus ac « per hoc Spiritus Sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut « procedit de Patre, ab ipso habet Patre » [3].

Similia aliis in locis apud Augustinum legere potes [4]. Insuper modus quo evolvit imaginem Trinitatis quam in se gerit homo, supponit constanter Spiritum Sanctum procedere et de Filio [5].

Nec Patres occidentales processionem Spiritus Sancti a Filio habebant tanquam aliquam de SS. Trinitate speculationem subtiliorem, sed veluti elementum constitutivum huius dogmatis fundamentalis. « Firmissime tene, et nullatenus « dubites, ait S. Fulgentius, eundem Spiritum Sanctum, qui « Patris et Filii unus Spiritus est, de *Patre et Filio* proce- « dere. Dicit enim Filius: " Cum venerit Spiritus Veritatis, qui « a Patre procedit "; ubi suum Spiritum esse docuit, quia est « Veritas [6]. De Filio quoque procedere Spiritum Sanctum, pro- « phetica atque apostolica nobis doctrina commendat » [7]. Et ipse S. Augustinus in exordio operis de Trinitate testatur, hanc fidem esse apud omnes catholicos scriptores communissimam: « Omnes quos legere potui, qui ante me scripse- « runt de Trinitate, quae Deus est, divinorum librorum vete- « rum et novorum tractatores, hoc intenderunt secundum

[1] Ioann. xv, 26.

[2] Ibid. vii, 16.

[3] In hoc tractatu alias quoque Graecorum obiectiones dissolvit.

[4] *Ctr. Maxim.* iii, c. 14; *Ctr. Serm. Arian.* iii, c. 23; *de Symb.* l. ii, c. 9. etc. Plura loca S. Augustini allata reperies apud Heinrich (op. cit. p. 392, sq.).

[5] De istis comparationibns infra ex professo agetur.

[6] Ioann., xiv, 6.

[7] *De Fid. ad Petr.* c. 11. — *P. L.* t. xl, col. 770, sq.

« Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus « unius eiusdemque substantiae insuperabili aequalitate divi- « nam insinuent unitatem; .... Spirititusque Sanctus nec Pater « sit, nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus.... Haec « est mea fides, quando haec est catholica fides » [1].

Ex aliis autem latinis Patribus sufficiat utrumque Magnum afferre Leonem et Gregorium, Romanae Ecclesiae lumina, quorum scilicet auctoritas ac meritum ab ipsis Graecis celebrantur; necnon B. Alcuinum, qui veluti tesseram antiquitatis brevi formula congessit futuroque aevo transmisit.

Igitur S. Leo Magnus in celebri epistola ad Turribium haec habet: « Primo itaque capitulo demonstratur, quam « impie sentiant de Trinitate divina, qui (Priscilianistae sci- « licet) et Patris et Filii et Spiritus Sancti unam atque eamdem « asserunt esse personam, tanquam idem Deus nunc Pater, « nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur; nec alius sit « qui genuit, aliusque qui genitus, alius qui *de utroque* pro- « cessit » [2]. Pariter in I. serm. in Pentecosten ait: « Quumque « in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius, « alius Spiritus Sanctus, non tamen alia deitas, nec diversa « natura est; siquidem quum et de Patre sit Filius unige- « nitus, et Spiritus Sanctus *Patris Filiique* sit Spiritus, non « sicut quaecumque creatura, quae et Patris Filii est, sed « sicut cum utroque vivens et potens et sempiternus, et ex « eo quod est Pater Filiusque subsistens » [3].

Et in Serm. 2. de Pentec. hanc Spiritus Sancti processionem a Filio ex verbis Christi « de meo accipiet » ita probat: « Numquid sese Dominus inferioris scientiae volebat intel- « ligi, aut minus aliquid, quam Spiritum Sanctum a Patre « didicisse, cum ipse sit veritas, et nihil Pater dicere, nihil « docere possit sine Verbo, ideoque dictum sit: "de meo « accipiet": quoniam quod accipit Spiritus Patre dante, dat « Filius ». Rationem autem ob quam Filius habet cum Patre esse Spiritus Sancti principium, ita subindicat. « Omnia quae-

[1] L. I, c. 4. — *P. L.* t. XLII, col. 824.

[2] Ep. 15. — Absque dubio acta Synodi ab eodem Leone probabilius anno 444. Romae habitae, eamdem contra Piscillianistas doctrinam sanciebant. Sed infeliciter perierunt. (Cf. Hefele, *Conc. Gesch.* t. II, § 165).

[3] Serm. 75 (al. 73) c. 3. — *P. L.* t. LIV, col. 102.

« cumque habet Pater, habet et Filius, habet et Spiritus « Sanctus; etc. ».

S. Gregorius Magnus pariter a missione ad processionem arguit: « Quamvis mitti etiam iuxta naturam divinitatis pos- « sit intelligi. Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo « a Patre generatur. Nam Sanctum quoque Spiritum, qui cum « sit coaequalis Patri et Filio, non tamen incarnatus est, « eisdem se Filius mittere perhibet dicens: " Cum venerit « Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre ". Si enim mitti « solummodo incarnari deberet intelligi, Sanctus procul dubio « Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incar- « natus est. Sed eius missio, ipsa processio est, qua de Patre « procedit *et Filio*. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia « procedit; ita et Filius non incongrue mitti dicitur, quia « generatur » [1].

Et in secundo *Dialogorum*. « Cum enim constet, quia « Paraclitus Spiritus a Patre semper procedat *et Filio*, cur « Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam « recedit? » [2].

Alias Latinorum Patrum citationes lege apud Petavium [3]. Praeclara professio Concil. Toletan. I, III et XI: « Credimus « Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, « nec Filius, sed a Patre *Filioque* procedens » [4]. Necnon Symboli Athanasiani: « Spiritus Sanctus a Patre et Filio: non « factus, nec genitus sed procedens ».

Tanta est in occidentali Ecclesia in hanc fidem conspiratio, ut unus Rusticus Diaconus in oppositum abire videatur: « Quidem vero antiquorum, ait, et hoc proprietatibus « adiecerunt, quia sicut Spiritus cum Patre Filium sempi- « terne non genuit, sic nec procedit Spiritus a Filio, sicut a « Patre. Ego vero quia Spiritus quidem Filium non genuerit « sempiterne, confiteor, nec enim duos dicimus Patres; - « utrum vero a Filio *eodem modo* quo a Patre procedat, non- « dum perfecte habeo satisfactum. Quoniam vero ad id quod

[1] Homilia 26. in Evangelia.

[2] C. 38. Adverte vim locutionis: « Cum constet » ac si diceret: cum apud omnes in confesso sit. Mirum inde non est schismaticos fraudulenter hanc confessionem in versione graeca mutilasse.

[3] Op. cit. t. VII, c. 9, n. 5, 6.

[4] Alias synodales auctoritates mox afferemus ubi de *Filioque*.

« nunc quaeritur, nihil attinet, significandum quidem est, sed « transeundum » [1]. At quid valoris haberet, quaeso, haec una inter tot affirmationes negatio? Caeterum vis dubii non in ipsam processionem, sed in *modum* eiusdem processionis cadere videtur.

Recte ex dictis concludes, doctrinam de processione Spiritus Sancti a Filio sicuti et a Patre, in Ecclesia Occidentali semper fuisse, imo absque controversia agnitam et proclamatam. Iure igitur optimo B. Alcuinus in suo opusculo catechistico, cui titulus *De Trinitate Quaestiones XXVII,* sine ambagine hanc processionem veluti proprium Spiritus Sancti exhibet. « *Interr. 2:* Quid sit proprium uniuscuiusque per« sonae in SS. Trinitate? - *Resp:* Proprium est Patris, quod « solus est Pater; et quod ab alio non est nisi a se. - Pro« prium est Filii, quod a Patre genitus est, solus a solo, « coaeternus et consubstantialis genitori. - Proprium est Spi« ritus Sancti quod nec ingenitus, nec genitus, sed a *Patre* « *et Filio aequaliter* procedens » [2].

B. - DE TRADITIONE ECCLESIAE ORIENTALIS.

Antequam ipsam Graecorum Patrum doctrinam investigemus, quae ad historiam huius controversiae pertinent breviter praemittere iuvat [3]. Primum eiusdem invenitur vestigium apud Theodoretum in disputatione contra Cyrillum, atque in eius Confutatione noni anathematismi, contra Nestorium aliosque omnes lati, qui Spiritum Sanctum proprium esse Filii denegabant. Quam locutionem Theodoretus recipit, si solummodo Spiritum Sanctum a Patre procedere significet; reiicit autem tanquam blasphemam et impiam, si proclamet Spiritum Sanctum habere substantiam ex Filio, aut per Filium.

[1] *Ctr. Acephalos.*

[2] *P. L.* t. CI. col. 59.

[3] Momentum inquisitionis huiusmodi facile apparet. Ex ipsa enim genesi doctrinae, valor eiusdem dignoscitur, quemadmodum ex indole novatorum ipsius innovationis valor. Nonne in historia pseudo-reformationis mentem praeiudicio non velatam offendunt illa quae Bossuetius tam lepide vocabat: « novorum apostolorum « acta? » Quis pariter, nisi partium spiritu obcaecatus, sine rubore parentem Ecclesiae suae agnoscat libidinosum crudelemque tyrannum? Haud dissimile quid reperitur in exordio erroris Orientalium de processione Spiritus Sancti.

Cyrillus autem in sua responsione distinctioni non insistit, quum non de modo processionis, sed de ipsa propter processionem divinitate Spiritus Sancti principaliter agatur [1].

Instaurata quaestio videtur sub Constantino Copronymo, Leonis Isaurici filio, saeviente Iconoclastarum impietate, ut ex annalibus Francorum anni 767. apparet. A quo tempore occidentales Ecclesiae pro defensione veritatis contra Graecos dimicare coeperunt. Huc spectat concilium in villa Gentiliaco prope Lutetiam eodem anno habitum; et alterum anno 809 Aquisgranis celebratum; ubi actum legitur: « de processione « Spiritus Sancti utrum sicut procedit a Patre, ita procedat « a Filio. Hanc quaestionem Ioannes Monachus Hierosoly- « mitanus moverat; cum regula et fide ecclesiastica firma « Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, non creatum, « non genitum; sed Patri et Filio coaeternum et consubstan- « tialem » [2].

Huc spectat quoque legatio a Carolo Magno Romam missa [3], ut Pontificem consuleret de verbo « *Filioque* », quod Symbolo additum tunc temporis in Ecclesiis Galliarum coeperat decantari. Leo laudat fidem; innovationem vero minus probat.

Sed ecce spado Photius, - depulso a sede Ignatio, quod Michaelis III. impietatem in matrem Theodoram, incestuosamque libidinem publice argueret, - ab Imperatore in Patriarcham Constantinopolitanum sacrilege a Gregorio Asbesta

[1] Observa, Synodum Ephesinam, — quae improbavit Symbolum Nestorianum, in quo dicebatur de Spiritu Sancto: « Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium « existentiam habentem » — hanc, aio, Synodum pariterque Concil. Chalcedonense, anatemathismos S. Cyrilli probasse. Porro verba sancti Praesulis ita sonabat : « Nam « etsi Spiritus in propria persona subsistens eatenusque in seipso consideretur, « quatenus Spiritus, et non Filius; non est tamen ab eo alienus; quandoquidem Spi- « ritus Veritatis nominatur, Christus autem est Veritas; et proinde quoque ab illo « atque a Deo Patre procedit ». Et in nono anathematismo Spiritum Sanctum *proprium Filii* vocat, atque declarat Filium Spiritum Sanctum habere proprium, « qui ex ipso est ipsique essentialiter inest ». Quare, quum tanta sit horum verborum, ex indole proferentis, et ex genuino probante Concilio auctoritas, nil prope contra ea facit Theodoreti dubium; eo magis quod illud movens nonnisi errorem macedonianum prae oculis habuerit. Quare Cyrillus cum viro merito orthodoxo rem habens, maluit declinare controversiam, ut validius ambo simul haeresim impugnarent. — Cf. HERGENRÖTHER (*Photius* I, p. 687 sq.).

[2] Utrum iste Ioannes sit intelligendus ipse Damascenus, infra investigabimus.

[3] Quas in propugnanda vera fide de processione Spiritus Sancti sibi laudes meritus sit B. Alcuinus, passim testantur historici.

Archiepiscopo Syracusano ordinatus, una cum Imperatore eiusque avunculo Barda, auctor exsurgit rebellionis apertae in Romanam Ecclesiam atque fidem. Cuius fidei imprimis impugnat dogma processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio, et non a solo Patre, haereticam impetens additionem verbi « *Filioque* » Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano factam. Quem pseudo-patriarcham, virum sane eruditissimum, at perfidae mentis, post Michaëlis obitum, Basilius, qui in Bardae a se occisi locum ab eius nepote in partes imperii fuerat assumptus, de sede depulit, instaurato Ignatio, quocum de reparandis fidei damnis agere coepit. Itaque congregatum Constantinopoli Concilium oecumenicum octavum, in quo, praesidentibus Adriani II. legatis, Photius est excommunicatus.

At radices profundiores malum proiecerat, quam ut hac licet solemni posset damnatione evelli. Dum autem obstinate haereses serpit, in Occidente Rathramnus noster Corbeiensis, et Hugo Etherianus doctrinam orthodoxam erudite illustrant. Accedit et S. Anselmus, qui in Synodo praesertim Barensi de hoc argumento collecta, eloquenti argumentorum nervo Graecorum sophismata, iubente Urbano Pontifice, ad nihilum redegisse legitur. Quam disputationem triumphi laurea per Ecclesiam illustrem, ipse, Hildeberto, uti credibile tenet Petavius, Cenomanensi Episcopo rogante, in percelebri opusculo « *de Processione Spiritus Sanctus contra Graecos* » scripto vulgavit [1]. Nec tacendum sane Rupertus Abbas Tuitiensis qui in praeclaro opere cui titulus: « De Glorificatione Tri- « nitatis et Processione Spiritus Sancti » multa habet profunda ac mystica de mysterii adspectu quem nunc contemplamur [2].

Petri sedem tenente Innocentio III, Graeci ad Romanam unionem in Concilio Lateranensi redierunt. At versatilia ingenia, pacis iterum brevi fregerunt foedus. Instaurata igitur controversia, Deo ita sapienter disponente, ab ipsis Graecis Romana veritas praeclarissimos accepit defensores.

[1] In hoc opere S. Anselmus ob rationem polemicam unice ex scripturis arguit, quemadmodum in modestissimo Prologo ibidem nitide a primis verbis indicat. — *P. L.* t. CLVIII, col. 285.

[2] *P. L.* t. CLXIX. col. 13, sqq.

1) Primus est *Nicephorus Blemmydes,* de quo ita scribit Nicephorus Gregoras: « At Imperatori - Michaëli scilicet Pa- « laeologo - tandem venit in mentem, rem eandem ante « annos quinque et viginti, Ioanne Duca imperante a Latinis « agitatam fuisse, ac tum doctum virum extitisse Nicepho- « rum Blemmydem divinarum Litterarum peritissimum: qui « cum se in otium contulisset, multa e sacris Litteris testi- « monia colligere coepit, quae Latinorum dogmati suffragari « videbantur; et ad ea nonnulla disputare, clam id quidem « faciens, ob vulgi opinionem; sed quaedam tamen interim « scribens ». Manuel quoque Calecas Blemmydem, quem et monachum vocat, laudibus extollit; quippe « cuius celebre « nomen est apud omnes ob virtutem et scientiam ». Ex quo certe magnum praeiudicium in favorem doctrinae Latinorum nutritur. Si enim tanti meriti vir, instaurata a popularibus suis controversia, ad imperatorem Theodorum Lascarim duos libros de Spiritu Sancto direxit, « quibus in libris Spiritum « Sanctum demonstrat dici a sanctis Patribus, a Filio et per « Filium extantiam habere », signum sane est, veram traditionis orientalis peritiam ad agnoscendam dogmatis concordiam inter utramque Ecclesiam ingenia non praeoccupata conducere.

2) Secundus est *Ioannes Beccus,* Ecclesiae cartophylax. Qui cum a Michaële Palaeologo, instaurandae pacis cum Ecclesiae Romana cupido, renitens in carcerem fuisset detrusus, ibidem a Caesare tractationes accepit a laudato Blemmyde de Spiritu Sancto conscriptas. Quas cum « attente ac « studiose legisset, - narrat idem Gregoras, - et solerter apud « se perpendisset, libros illos Sanctorum dari sibi petiit, ex « quibus Blemmydes sententias istas collegerat: iisque a lu- « bentissimo Imperatore acceptis, in eo occupabatur, ut accu- « rate eos legeret, expenderet, et ad verbum conferret. Itaque « brevi tempore tantam vim testimoniorum confecit, ut integra « volumina complere posset; et qui dudum tanquam gladius « anceps contra Latinos pugnabat, mutata sententia, in eorum « modo partes victoriam inclinaret ». Quomodo autem catholica veritas, concordibus Graecis in Concilio Lugduni a Gregorio X. anno 1274. indicto triumphaverit, acta huius Synodi alte proclamant.

3) Tempore eiusdem Concilii floruit et alius Graecus catholici dogmatis praeco et vindex: *Manuel Calecas*. Hic pro Latinis adversus Graecos scripsit volumen egregium; in quo de processione Sancti Spiritus uberrime, accuratissimeque disputat; « nihil, ut hoc de argumento scribi possit « doctius et subtilius ». Ita Petavius. Nec doctor modo, sed et confessor exstitit; multa quippe ab Andronico, Michaëlis filio, schismatisque instauratore, ob fidei in Lugdunensi Synodo subscriptae defensionem perpessus.

4) At quum Ioannes Palaeologus conamina Michaëlis reassumpsisset, congregatum est anno 1439, regnante Eugenio IV, Concilium Ferrariense sive Florentinum; in quo, ab impetu Marci Ephesini, obstinatissimi patroni schismatis, catholicam veritatem, inter alios praeclare et eloquenter vindicavit Graecorum doctissimus *Cardinalis Bessario* [1]. Solemni iuramento Romana fides a Graecis ibidem sancita. Rupti iterum perfide foederis digna merces, Constantinopolis mox a Turcis expugnata, Orientisque imperium funditus eversum.

Haec breviter de historia praemittenda videbantur. Nunc iam ad ipsorum testium Ecclesiae Orientalis fidem traditionemque penitius investigandas gressum moveamus.

Essemus sane nimii, si vellemus heic omnia colligere graecorum Patrum testimonia, Spiritus Sancti a Patre et Filio processionem vindicantia. Quibus otium suppeditat, consulant fontes dogmaticos [2] scriptoresque qui fusiori calamo de hoc argumento egerunt [3].

Ne in immensum huius voluminis moles excrescat, satis nobis sit, rerum summam ad quasdam principaliores aucto-

[1] Iure inde optimo ab hoc praeclaro dogmatis praecone titulum sibi desumpserunt ephemerides nuper in Urbe conditae ad unitatem utriusque Ecclesiae fovendam: *Il Bessarione*.

[2] Fontes dogmatici sunt praecipue *acta Concilii Florentini* (Harduin. t. IX; Mansi t. XXXI), inter quae eminet oratio celeberrima *Card. Bessarionis* (Hard. l. c. p. 319 sq.).

[3] Inter theologos qui de hoc argumento egerunt, praeter priscos scholasticos duce S. Anselmo, praecellunt *Petavius* (op, cit.); *L. Allatius* (De Eccl. Occid. et Orient. perpet. consensu); *Thomassinus* (Dogm. Theol. de Trin., c. 29-31); *Wirceburgenses* (t. II, Tract. de Deo Uno et trino, disp. 6, cap. 2, a. 4); ex recentioribus *Card. Franzelin* (De SS. Trinitate, sect. III, th. 32-41; - Examen doctr. Macarii Bulgakow, etc. de Process. Spir. S. Paralipom. tract. de SS. Trinitate, - Rom. 1876); *Schwetz* (Theol. dogm. cath. t. I, § 63); *Scheeben* (Dogm. §. 113); *Heinrich* (Dogm. Theol. §. 111, III, 219, II, 237); *Hurter, Katschthaler, Pesch, Studium Solesm.* etc., etc. - Ex historicis

ritates redegisse, atque, ordinis causa, controversiam ad summa quaedam doctrinae capita reduxisse.

Patres quidem Nicaeni doctrinam de Filii divinitate quae impugnabatur, expolitius, brevissime autem credenda de Spiritu Sancto decrevere, dicentes: « πιστεύομεν.... καὶ εἰς πνεῦμα « τὸ ἅγιον ». Postea vero urgente necessitate, penitius dogma de Spiritu Sancto expressum est [1]. Caeterum, ut optime monet S. Athanasius [2], connumerando Spiritum Sanctum Patri et Filio, iam Nicaeni Patres in radice de eodem communem cum utroque dignitatem praedicabant. Adde, saltem implicite, et ordinem quo Spiritus Sanctus se ad Patrem et Filium habet.

Non autem expectanda fuit aperta de Spiritu Sancto haeresis, antequam praeclari scriptores Orientales de habitudine eius ad Patrem et ad Filium dissererent. Etenim habemus inde a saeculo III. egregia testimonia, quibus veluti primi annuli constant catenae aureae, genuinam Graecorum traditionem ad apostolica tempora colligantis. Quam traditionem, sicuti pro Occidentali Ecclesia egimus, duplici pariter stadio distinguere placet.

A) Inspiciamus igitur primorum saeculorum scriptores praecipuos.

1) *Origines* tantopere tenet Spiritum procedere a Filio, ut eum comprehendat in sententia Ioannis: « Omnia per « ipsum facta sunt ». Contendit quippe Spiritum Sanctum, licet supra ordinem rerum creatarum, esse nihilominus per Verbum γενόμενον et γεννητόν. Incauta forte locutio, qua Macedonius [3] postea erat abusurus, Spiritum Sanctum simplicem Verbi facturam blasphemando. - Pariter Origenes Verbi nomen Unigenitum intelligit: ex solo Patre genitum [4]; et

et apologeticis scriptoribus: *Werner* (Gesch. d. apologet. und polem. Litterat. der christ. Theol. t. III, § 385-409); *Hergenröther* (Photius. t. I, p. 684, sqq., t. II, p. 516, 521, sqq., 622, sq.; t. III, p. 399; - Quart. Schr. Tüb. 1858); *Kranich* (Der H. Basilius in seiner Stellung zum Filioque. - Braunsberg, 1882); *De Regnon* (op. cit.).

[1] Cf. v. gr. testimonia S. Basilii (Ep. 125, n. 3), et S. Greg. Naz. (Ep. 2. ad Cledon).

[2] *Ep. ad Iovin. Imper.* n. 4.

[3] Similiter Eusebius (*Praepar. Evang.* l. VII, c. 15, et *Hist. Eccl.* l. III, c. 6) docet, Filium Spiritus Sancti esse principium, et quidem ita ut in altero loco sensus arianus sit manifestus, a quo sensus macedonianus necessaria consequentia deducebatur.

[4] Cf. dicenda inferius de hoc modo loquendi.

scribit: « Sed solus Unigenitus a principio est natura Filius, « ad quem necessaria relatione refertur Spiritus Sanctus, « cum Filius hypostasi Spiritus Sancti subministret, non « solum ut sit, sed ut sit sapiens et intellectualis et iustus, « et quidquid eum esse intelligere oportet secundum com- « municationem notionum Christi, quae paulo ante comme- « morata sunt » [1].

2) *Dionysius Alexandrinus,* Origenis discipulus, ita habet: « Filius non separatur a Patre.... in manibus autem illorum « est Spiritus, qui neque a mittente, neque a ferente separari « potest » [2]. Quae distinctio inter mittentem et ferentem apud ipsum quoque Athanasium recurrit: « Spiritus Sanctus, qui » est emanatio Patris, semper est in manibus Patris mittentis « et Filii ferentis » [3].

3) *Apollinarius* scribit: « Confitemur unum Deum verum... « et unum Filium Deum de Deo vero.... et unum natura et « veritate Spiritum Sanctum omnes sanctificantem et deifi- « cantem, qui existit ex substantia Dei per Filium (Πνεῦμα « ὑπαρχον ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ δι' Υἱοῦ).... omnia vero pro- « fitemur creata a Deo per Filium (δι' Υἱοῦ) in Spiritu « Sancto » [4].

4) *Gregorius Thaumaturgus,* et ipse Origenis discipulus, processionem Spiritus Sancti ex Filio per hoc solum proclamat, quod tanquam proprium Filii exhibeat esse solum ex solo; « Perfectus perfecti genitor; Pater Filii unigeniti, unus « Dominus, *solus ex solo,* Deus de Deo, figura et imago dei- « tatis ». Et infra in eodem symbolo: « Unus Spiritus Sanctus « ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit; « imago Filii perfecti perfecta.... Trinitas perfecta.... Neque « itaque deficit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus « Sanctus, sed invertibilis et immutabilis eadem Trinitas « semper » [5].

B) Si iam ad aetatem plenae dogmaticae evolutionis transimus, testimonia Patrum graecorum in duas classes distri-

[1] *In Ioann.* t. II, n. 6.

[2] Ap. Athan. de sentent. Dionys. n. 17, t. I, p. 255.

[3] *Expos. fidei,* n. 4.

[4] Penes Leont. in Spicileg. Rom. Card. Mai, (t. x, p. II, p. 148, 149).

[5] De forma huius professionis qualem hodiedum textus graecus habet, vide Card. Franzelin (op. cit. th. xxxv, p. 446).

buere licet. Alia docent Spiritum Sanctum procedere *ex Verbo;* alia eum procedere *per Verbum.*

1) **Docent Patres orientales, Spiritum Sanctum procedere ex Patre et ex Verbo.** Et re quidem vera, tam aperta est apud orientales scriptores orthodoxos immediata habitudo Spiritus Sancti ad Filium, ut ex multis locis manifestior sit haec habitudo immediata Spiritus Sancti ad Filium quam ad ipsum Patrem. Ordinis causa doctrinam Orientalium per quaedam demonstrationis capita exponemus.

a) *Explicite Patres praedicant Spiritum Sanctum procedere ex Patre et ex Filio, ex ambobus, etc.* Haec loca sunt omnium apertissima.

S. Epiphanius ait: « Si lux est Deus et Pater, lux de luce « est Filius.... Sapientia totus est Deus; igitur Filius sapientia « ex sapientia.... *Spiritus vero ab ambobus,* Spiritus ex spi- « ritu; Spiritus enim Deus.... At dicit aliquis: igitur duos « statuimus Filios, et quomodo unigenitus est? Iam vero " tu « quis es, qui contradicas Deo „ [1]? Si enim Filium vocat, « qui ex ipso est, *Spiritum Sanctum autem qui ex ambo-* « *bus;* quae fide tantummodo intellecta a sanctis, lucida, « illuminantia, lucidam vim habent, et in fide luminis con- « sonantiam servant cum ipso Patre. Audi, quisquis es, quod « Pater vere est Filii Pater, totus lux; et Filius vere Patris « lumen de lumine;.... et Spiritus Sanctus et Spiritus veritatis « lumen tertium a *Patre et Filio* » [2]. – Et *S. Cyrillus Alex.:* « Cum Spiritus Sanctus in nobis inhabitans conformes nos « Deo reddat, *procedat vero is ex Patre et Filio,* manifestum « est divinae essentiae eum esse, essentialiter in ipsa et ex « ipsa procedentem, sicut halitus ex humano ore prodiens, « etsi humile et non dignum tanta re hoc sit exemplum; Deus « enim omnia excedit » [3]. Idemque processionis Spiritus a Filio

[1] Rom., IX, 20.

[2] *Haeres.* 74. n. 7, 8. « Εἰ δὲ φῶς ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ, φῶς ἐκ φωτὸς ὁ Υἱός, « .... Σοφία ὅλος ὁ Θεός· οὐκοῦν σοφία ὁ Υἱός ἐκ σοφίας.... Τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα « παρ'ἀμφοτέρων, Πνεῦμα ἐκ Πνεύματος. Πνεῦμα γὰρ ὁ Θεός.... Εἰ γὰρ τὸν μὲν « Υἱὸν καλεῖ τὸν ἐξ αὐτοῦ, τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα τὸ παρ'ἀμφοτέρων.... ». *P. G.* t. XLII, col. 488, sq. — Cf. *Ancorat.* n. 70, 71, 72.

[3] *Thesaur.* anno XXXIV. « Ὅτε τοίνυν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν ἡμῖν γενόμενον, « συμμόρφους ἀποδεικνύει Θεοῦ, πρόεισι δε καὶ ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ.... ». — *P. L.* t. LXXV, col. 585.

disertissimus praedicator, in dialogo VI. *de SS. Trinitate* argumentum inducit ad probandam divinitatem Verbi ex hoc ipso quod Spiritus Sanctus ab eo procedat: « A. Cuiusnam « proprium esse dixerimus Sanctum Spiritum? an solius Dei « ac Patris, an etiam Filii, aut seorsim utriusque et amborum, « tanquam unum ex Patre per Filium, propter identitatem « substantiae [1]? - B. Prorsus inquam. - A. Recte, amice, manete « esto hoc mentis acumine, sacris porro Scripturis mirifice « consentientem hanc abs te sententiam dictam esse fateor » [2].

S. Gregorius Nyssenus, idem docet in loco celeberrimo, quem Graeci Beccus et Bessario ita legunt: « Cum commune « sit Filio et Spiritui Sancto, non esse ingenitum, ne qua « confusio in hac re cogitetur, rursum oportet ostendere « inconfusam differentiam in eorum proprietatibus, ut tum « commune servetur, tum proprium non confundatur. Nam « unigenitus Filiis ex Patre a S. Scriptura nominatur, et in « hoc doctrina fidei sistit eius proprietatem; Spiritus Sanctus « vero et ex *Patre* dicitur, *et ex Filio esse testimonio confir-* « *matur* (καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς λέγεται, καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ εἶναι « προσμαρτυρεῖται) [3]. Etenim si quis Spiritum Christi non « habet, hic non est eius. Igitur Spiritus dum ex Deo est, « etiam Spiritus Christi est; at Filius qui ex Deo est, non « iam est aut dicitur Spiritus Sancti, neque haec consecutio « relativa mutua est » [4].

Aliae versiones orientales cum hac doctrina consonant. Ita in codice *Syriaco,* inter acta Concilii Seleuciensis anno 410. habiti, legitur in c. 2: « Confitemur Spiritum vivum et San- « ctum, Paracletum vivum *de Patre et Filio* » [5]. - In officio

[1] « Τίνος ἴδιον φῶμεν εἶναι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον; πότερα δὴ μόνου τοῦ Θεοῦ « καὶ Πατρὸς, ἤγουν καὶ τοῦ Υἱοῦ, ἢ καὶ ἀναμέρος ἑκατέρου, καὶ ἀμφοῖν, ὡς ἓν « ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ διὰ τὴν ταυτότητα τῆς οὐσίας ». Ex quibus verbis aperte vides, formulam: « ex Patre per Filium » non esse nisi expositionem formulae: « utriusque et amborum »; idque ob unitatem principii, unius scilicet substantiae.

[2] *P. G.* t. LXXV, col. 1009. Lege attente integrum hunc discursum.

[3] Lectionem ἐκ τοῦ Υἱοῦ esse genuinam, ostendit ipse contextus, testimonium Becci, Calecae, Bessarionis, etc., codex Vaticanus duobus saeculis schismati Photiano anterior, demum detecta fraus Referendarii cuiusdam Ecclesiae Constantinopolitanae, confessi, se particulam ἐκ ferro abrasisse.

[4] Serm. III, *in Orat. Dom.,* ap. Becc. opusc. aur. 141.

[5] Mansi III, p. 1168. — Renaudot, *Liturg. orient.,* t. II, p. 272, 274. — Lamy, *Revue catholique de Louvain,* 1860, mars, p. 168.

Chaldaico, ad Matutinum Dominicae Annuntiationis legitur: « Pater aeternus qui Patrem non habet, ex illo Filius qui « Filium non habet; et Spiritus Sanctus, qui *ab illis* pro- « cedit » [1]. - Dionysius III. Patriarcha *Iacobita*, in epist. synodica ad Mennam Patriarcham Coptorum (medio saec. X.) scribit: « Pater a nullo habet existentiam, sed existit ingenitus, « et Filius est genitus a Patre ab aeterno, et Spiritus Sanctus « *procedit ex Patre et Filio* » [2].

b) Praedicant Sanctum Spiritum esse Filii, Veritatis, ex Filio.

Eloquenter *S. Epiphanius* Spiritus Sancti divinitatem ita probat: « Pater ingenitus... Filius genitus... Spiritus Sanctus « aeternus, non genitus, non creatus, non frater, non patruus, « non avus, non nepos, sed ex *eadem essentia Patris ac Filii* « *Spiritus Sanctus:* spiritus enim est Deus.... Non nomine « Filii, nec nomine Patris appellatus, ut nomina quae uni « tantum competunt, non sint communia, excepto nomine « Deus; enimvero in Patre nomen Deus, in Filio nomen Deus; « in Spiritu nomen Dei et Deus, est enim Spiritus Dei, et Spi- « ritus Patris, et *Spiritus Filii*, non secundum aliquam com- « positionem, ut in nobis anima et corpus, sed est in medio « Patris et Filii, ex *Patre et Filio*, tertius appellatione; euntes « enim, inquit, docete.... in nomine Patris, et Filiii et Spiritus « Sancti » [3]. Ex quo loco legitime deduci licet sequens interpretationis lex: Quotiescumque Patres graeci demonstrant Spiritum *Filii*, toties quoque demonstrant eum esse *ex Filio*.

Eodem prorsus modo arguit *S. Cyrillus Alex.*: « Quatenus « (Christus) Deus est ex Deo et Patre, Spiritus eius proprius, « et *in ipso*, et *ex ipso* (ἴδιον αὐτοῦ τε, καὶ ἐν αὐτῷ, καὶ ἐξ « αὐτοῦ τὸ Πνεῦμα ἐστί), sicut nempe id intelligitur etiam « de Deo et Patre. Quatenus vero homo factus est et similis « nobis, impertitum dicitur habere Spiritum » [4]. Et alibi: « Etsi Spiritus sit in propria hypostasi; et in se ipso consi- « deretur, quatenus Spiritus est et non filius; attamen non « est ab eo (scil. Filio) alienus. *Spiritus enim Veritatis* nomi-

[1] Asseman, *Bibl. Orient.*, T. III, p. II, n. 235.
[2] Asseman, ibid., p. 131 sq.
[3] *Ancorat.* 2, 7, 9.
[4] *In Ioël.*, t. III, p. 228. — Cf. *Dial VI. de Trinit.*, loco citato.

« natur, Christus autem est Veritas; et ab ipso, sicut utique « etiam ex Deo Patre, profunditur.... Cum illius qui est virtus « et sapientia Patris, hoc est Filii sit Spiritus, ipse quoque « in se est sapientia et virtus » [1].

Huc facit S. *Basilii* testimonium, cum auctoritate Gregorii Nyss. superius allata, omnium in hac controversia celeberrimum, ideoque in Conc. Florentino a Graecis catholicis, imprimis a Bessarione efficacissime Marco Ephesino aliisque schismaticis oppositum. Haeretici ab ordine tertio quem Spiritus Sanctus in Trinitate tenet, arguebant ad naturae inferioritatem. Quos confutat his verbis: « Quae enim necessitas, « ut, si dignitate et ordine tertius est Spiritus, tertius etiam « natura sit? Dignitate (ἀξιώματι) enim secundum eum esse « a Filio, ut *qui ab ipso esse habet,* et ab ipso accipit et annun- « tiat nobis, *atque omnino ab illa causa pendet,* tradit doctrina « pietatis; tertiam vero naturam dicere, neque ex SS. Scri- « turis edocti sumus, neque ex praedictis consequenter col- « ligi potest. Quemadmodum enim Filius ordine quidem « secundus est a Patre, quoniam ab ipso est; et dignitate, « quia principium eius est et causa, eo quod ipsius est Pater, « et quia per ipsum aditus est et accessus ad Deum ac « Patrem, natura vero neutiquam secundus est, quoniam « deitas in utroque una est; ita nimirum, etsi Spiritus San- « ctus ordine ac dignitate secundus a Filio est, non tamen « recte inde demonstratur, quasi consequens foret, alienae « illum esse naturae » [2].

c) Procedere Spiritum Sanctum a Filio, probant Patres orientales ex verbis Christi: « de meo accipiet ». Praeter huius-

[1] Epist. cum anathem. ad Nestorium, Mansi, t. IV, p. 1079.

[2] *Ctr. Eunom.* l. III, n. 1. Textum attulimus qualem Patriarcha Beccus, Cardinalis Bessarion, Allatius, Petavius, etc. (Cf. Card. Franzelin, op. cit., p. 478), genuinum demonstrarunt. Lectio recentior habet: « Dignitate enim secundum eum esse « a Filio, tradit fortasse (vel pariter) (ἴσως) doctrina pietatis »; et « etsi Spiritus « Sanctus ordine ac dignitate secundus a Filio est, ut id etiam omnino concedamus ». E sex codicibus in Conc. Florentino productis antiquam lectionem quinque; unus, idemque recentior, alteram exhibebant. Ipse Card. Bessarion testatur, se in patriam a Concilio reducem, ubique antiquiores codices in hac lectione constantes reperisse; imo in Monasterio S. Salvatoris codicem prostare vetustissimum, in quo textus ferro, at manu imperita, abrasus, superstantibus litteris malae fidei argumentum ostendit. In alio codice atramento locus fuit delectus, at Demetrii Cydonii manu restitutus. Quin et in ipso Concilio Graecos quasdam fraudes similes tentasse, Ephesino Marco exprobrat Iosephus Methonensis. (Allatius. *De Consensu,* p. 892).

modi argumentum in praecitatis textibus iam contentum, ecce *S. Athanasium* disertissime ex hac sententia Domini arguentem: « Filius non fit Spiritus particeps, ut sit in Patre; « neque ipse Spiritum accipit, sed eum potius omnibus im- « pertit. Neque Spiritus coniungit Verbum Deo Patri; sed « immo *Spiritus accipit a Verbo*.... Aliter Filius est in Patre, « aliter nos ut in illo simus, consequimur. Nisi forte, ut semper, « etiam nunc audeant dicere, Filium participatione Spiritus et « recte factis assecutum esse, ut sit in Patre. Atqui hoc vel « in cogitationem admittere nimis impium est. Ipse enim, sicut « dictum est, dat Spiritui (vel Spiritum), *et quaecumque habet* « *Spiritus, a Verbo habet*.... Nos vult Spiritum accipere, ut per « *Spiritum Verbi* quod est in Patre, videamur et nos fieri *per* « *Spiritum* in *Verbo, et per ipsum* (Verbum) *in Patre*.... Cen- « sebimur unum fieri in Patre et Filio per inhabitantem in « nobis *Spiritum, qui est in Verbo, quod est in Patre* » [1].

Haud dissimiliter *S. Epiphanius:* « Christus ex Patre cre- « ditur Deus de Deo, et *Spiritus ex Christo seu ab utroque,* « sicut ait Christus ipse: " qui a Patre procedit ", - et " hic « *de meo accipiet* » [2]. Et: « Semper Spiritus cum Patre et « Filio.... *a Patre procedens et a Filio accipiens,* non alienus « a Patre et Filio, sed ex eadem essentia et ex eadem deitate, « *ex Patre et Filio,* cum Patre et Filio subsistens semper « Spiritus Sanctus, divinus Spiritus, gloriae Spiritus, Christi « Spiritus, Patris Spiritus » [3].

d) Proclamant, Spiritum Sanctum eodem modo se habere ad Filium, quo Filius ad Patrem. « Qualem enim cogno- » vimus proprietatem esse Filii ad Patrem, *eandem Spiritum* « *ad Filium habere reperiemus.* Et quemadmodum Filius « dicit: " omnia quaecumque habet Pater, mea sunt "; ita « haec omnia per *Filium etiam in Spiritu* esse deprehen- « demus. Ac sicut Pater ostendit Filium his verbis: " hic est « Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui "; ita « *Spiritus est Filii* " misit enim, ait Apostolus, *Spiritum Filii* « *sui* " ». Ita *S. Athanasius* [4].

[1] *Ctr. Arian.*, Serm. III. n. 24, 25. — *P. G.* t. XXVI, col. 373, sq.
[2] *Ancor.* n. 67, 72. — Cf. *Haeres.* 74, n. 10.
[3] *Haeres.* 62, n. 4. — *P. G.* t. XLI, col. 1053, sq.
[4] Ep. 3, n. 1. — Cf. inf. test. S. Basil. p. 578.

e) Spiritum Sanctum esse a Filio, declarant Filium appellando Spiritus Sancti fontem. Ita *S. Athanasius:* « Propterea « ait David: " quoniam apud te est fons vitae, et in lumine « tuo videbimus lumen ". Noverat enim, *apud Patrem Filium « esse,* Fontem Spiritus Sancti » [1].

f) Docent, Spiritum Sanctum esse a Patre et Filio, tanquam ab uno principio. Iam audivimus S. Epiphanium asserentem: « *Ex eadem essentia Patris et Filii Spiritus San- « ctus,* spiritus enim est Deus », etc. [2]. - Audi et *S. Cyrillum* Alex.: « Numquid ergo non summo iure putabit aliquis, imo « recte credet, Filium, *utpote cui naturalia bona Dei Patris « essentialiter sunt communia, habere Spiritum Sanctum « eodem modo, quo Pater habere intelligitur,* non extrinsecus « accitum, - stultum enim et furiosum est ita sentire; sed « sicut unusquisque nostrum suum proprium spiritum in se « continet et ex intimis visceribus foras profundit? Propterea « enim Christus corporaliter insufflavit, significans, quemad- « modum ex ore humano corporaliter spiritus procedit, *sic « ex divina essentia deitati convenienter profundi Spiritum, « qui ex ipso est* » [3].

h) Idem docent ubi affirmant Spiritum non esse Filium, quia non ex solo Patre, eumque vocant Verbum, Imaginem Filii uti Principii. Iam attulimus *S. Gregorium* Thaumaturgum proprietatem Filii afferentem, quod sit *solus ex solo;* quae proprietas non foret, nisi Spiritus esset ab utroque. Simile invenies apud alios Patres, ex. gr., apud Epiphanium in *Ancorato* [4].

S. Basilius expresse vocat Spiritum *Verbum Filii.* Ex loco celeberrimo l. V, contra Eunomium saltem haec verba adducere iuvat: « Sicut Filius ad Patrem, ita Spiritus se habet « ad Filium. Propterea Dei quidem Verbum Filius est, Ver- « bum autem Filii est Spiritus.... et quum Verbum sit Filii, « proinde Dei est.... At dicis: si Dei quidem imago est Filius, et « imago Filii Spiritus, item si Filius Verbum Dei, et Spiritus

[1] *De Incarn. ctr. Arian.* n. 9. *P. G.* t. XXIV, col. 1000. — Cf. dicenda mox de aliis comparationibus a Patribus afferri solitis.

[2] *Ancor.* n. 7 et 8.

[3] *In Ioann.* l. IX, c. 14. — *P. G.* t. LXXIV, col. 257; cf. et l. XII, c. 20; ibid. col. 709,

[4] Cf. dicta superius de hoc argumento.

« Verbum Filii, cur Spiritus dictus non est Filius Filii?.... » [1]. et S. Cyrillus Alex. eumdem Spiritum appellat *mentem Filii* [2]. S. Athanasius, S. Basilius, S. Cyrillus, Spiritum Sanctum appellant *imaginem imaginis seu Filii* [3]. Insuper interdum Graeci vocant Filium Spiritus Sancti *principium*. Ita Gregorius Nazianz.: « Principii expers, et principium, et qui cum « principio, unus Deus.... Nomen principii experti est Pater, « *principio Filius*, ei qui cum principio Spiritus Sanctus; « natura autem tribus una nempe Deus, Unio vero est Pater, ex quo et ad quem referuntur, quo ordine procedunt » [4].

Iam vero tales locutiones, licet urgeri nequeant, ac si isti Patres distinctionem inter formalem utriusque processionis rationem minus agnovissent; nihilominus ostendunt, eosdem quam apertissime processionem Spiritus Sancti nullo modo a Patre solum et non etiam a Filio cogitasse. Imo potius per Filium mediate a Patre, quam a Patre sine Filio Spiritum Sanctum procedere, tales locutiones demonstrarent. Quare huiusmodi considerationes appropinquant valde ad tritam Graecorum formulam de qua breviter agendum superest.

2) **Graeci docent, Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium.** Quum ab omnibus factum concedatur, supervacaneum erit longiori demonstrationi immorari. Pauca igitur quaedam sint tum de formulis positivis, tum de negativis.

a) *Formulae positivae* aliae sunt disertae, aliae implicitae.

α) *Disertas formulas* accipe quasdem, praeter iam in supra citatis auctoritatibus contentas. S. Cyrillus Alex. ait: « Pater in Filio, et Filius est in Patre. Dat igitur Paracletum « seu Spiritum Sanctum non seorsum Pater, seorsum vero « Filius; sed immo datur sanctis a Patre *per Filium;* ac pro- « pterea dum Pater dicitur dare, dat Filius *per quem omnia;* « dum dicitur dare Filius, dat Pater ex quo omnia » [5]. Et alibi: « Cum Spiritus naturaliter (φυσικῶς) per *Filium* procedat « ut proprius eius Spiritus, cum omnibus quae perfecte habet,

[1] *P. G.* t. XXIX, col. 732; lege confutationem ibidem; cf. superius col. 725, sq. — Cf. et Serm. 3. de Spiritu Sancto; vide dicta superius, Q. XXXIV, art. 2.

[2] Cfr. *P. Gr.* t. LXXV, col. 1140 (de S. Spiritu).

[3] Cf. loca citata Q. XXXV, art. 2, 2) b).

[4] Or. 42 al. 32, n. 15. — *P. G.* t. LXIII, col. 476.

[5] *In Ioann.* l. IX, c. XIV. — *P. G.* t. LXXIV, col. 257.

« accipere dicitur quae sunt Filii » [1]. - S. Maximus ait, Patrem esse causam Spiritus Sancti « *sed per Verbum intermedium* » [2]. Quarum formularum rationem in articulo 3. huius Quaestionis investigabimus.

β) *Implicitae formulae* haberi possunt comparationes a Patribus afferri solitae, ad ordinem personarum manifestandum. (Cf. Card. Franzelin, p. 489). Pater est sol, Filius radius, Spiritus splendor; - Pater fons, Filius fluvius, Spiritus rivus; - Pater scaturigo, Filius fons, Spiritus aqua; - Pater radix, Filius frutex, Spiritus fructus; - Filius flos, Spiritus odor ex flore; - Filius mel, Spiritus dulcedo; - Filius ignis, Spiritus calor; etc., etc. [3].

γ) *Formulis negativis* interdum Patres idem docent instantius, asserentes Spiritum Sanctum procedere quidem a Patre seu ex Patre per Filium, non autem ex Filio. Hic praesertim vindicanda est orthodoxia doctrinae *S. Maximini* et *S. Ioannis Damasceni.*

S. Maximus, acerrimus Monothelitarum adversarius, quum isti in litteris synodalibus Romani Pontificis reprehenderent, « quoniam dixit Spiritum Sanctum procedere etiam ex « Filio », hanc assertionem ad Graecorum formulam ita reducit: « Et primo quidem consonantia latinorum Patrum testi« monia protulerunt (Romani), praeterea etiam Cyrilli Alex. « ex eius sacra elucubratione in S. Ioannem Evangelistam; « ex quibus ostenderunt, se Filium non facere causam (αἰτίαν) « Spiritus Sancti; unam enim Filii et Spiritus Sancti causam « Patrem noverunt, alterius quidem per generationem, alte« rius vero per processionem; sed ut *per eum* prodire signifi« carent, atque hac ratione essentiae unitatem et omnimodam « aequalitatem demonstrarent » [4]. At haec verba non sunt latinam doctrinam recusantis, sed utriusque Ecclesiae formulam conciliantis. Ac si diceret, si per *ex* intelligis principium primum, non potest dici Spiritus procedere de Filio; si autem mere intelligis principium de principio, potest; imo, propter unitatem naturae divinae, debet; nec differt haec locutio a

[1] Ctr. Eunom. lib. v, p. 929, sq.
[2] Quaest. et Dubior. Q. 34.
[3] Cf. Card. Hergenroether. *Animad. in Photii mystag.* §. II, n. 6.
[4] *Ep. ad Marin. presb. Cypri.* — Hard. IX, p. 306.

nostra formula *per Filium*. Recte igitur Anastasius Bibliothecarius S. Maximum interpretatur, dicens: « Et nos et Graecos edocet, secundum quiddam non procedere, et secundum « quiddam procedere Spiritum Sanctum ex Filio ». Caeterum ipse S. Maximus aliis in locis ita per Filium procedere Spiritum Sanctum praedicat, ut et ex Filio, ad normam latinae formulae, procedere dicendus sit. « Non potest.... sectio aut « divisio concipi ullo modo, quasi aut Pater sine Filio, aut « Filius sine Spiritu intelligatur; sed est ineffabilis quaedam « et incomprehensibilis in his tum unitas, tum distinctio » [1]. Habitudinem Spiritus ad Filium optime deducit ex hoc quod Pater est νοῦς. Filius λόγος. Spiritus πνεῦμα. Spiritus est a Patre, sed « per intermedium λόγον »; et sicut non possumus dicere Verbum esse vocis (τὸν λόγον εἶναι τῆς φωνῆς), ita neque Filium possumus dicere esse Spiritus (τὸν Υἱὸν λέγειν τοῦ Πνεῦματος) » [2] Imo dicit idem significari: δι' οὗ ταὐτόν ἐστι τῷ ἐξ οὗ [3].

Pari methodo explicatur doctrina *S. Ioannis Damasceni*, cuius formula negativa primo intuitu dogma catholicum nimis offendere videtur. « Patrem ex aliquo esse non « dicimus, sed ipsum Filii Patrem appellamus; Filium item « nec causam, nec Patrem dicimus, verum potius eum ex « Patre esse ac Patris Filium; denique Spiritum Sanctum et « *ex Patre* et *Patris Spiritum* dicimus; *ex Filio vero Spiritum non dicimus, Filii tamen Spiritum* appellamus; si quis « enim Spiritum Christi non habet, ait divinus Apostolus, « hic non est eius; et *per Filium* apparuisse nobisque communicari profitemur. Insufflavit enim, inquit, et dixit discipulis « suis: accipite Spiritum Sanctum. Perinde ut *in sole quidem* « *est et radius et splendor;* ipse enim fons est radii et splendoris, atque *per radium splendor* nobis communicatur » [4].

Et alibi ait: « Et Filii Spiritus est, non quod ex ipso, sed « quod *per ipsum ex Patre* procedit; solus enim Pater causa « (αἴτιος) est » [5]. Scilicet *ex* intelligit Damascenus de principio

[1] Quaest. 63 in Script. S., Q. 53.
[2] Loco cit. a, d.
[3] *Or. ad Anom.*
[4] *Fid. Orthod.*, l. I, c. 8.
[5] *De divin. nomin.*

sine principio, de causa primordiali, unde restat ut spirans activitas principii, at de principio, per aliam particulam exprimenda sit, quae nulla particula melior inveniri potest quam διά. Hoc autem *per Filium* de principio coproducente esse intelligendum, ostendunt, praeter omnia iam superius adducta, ipsa Damasceni verba quibus dicit: « Spiritus est ex « Patre per Filium et Verbum procedens; non tamen filia- « tionis modo. Si enim Spiritus *Filius Filii* est, habebit et « ipse Filium, et ille alium, sicque in infinitum » [1]. Cur Filius Filii, nisi quia *per Filium* significat principium producens? Concordat ergo doctrina S. Ioannis Damasceni cum doctrina Latinorum.

Si iam rationem quaeris, cur Graeci tantopere praetulerint formulam διὰ τοῦ Υἱοῦ, loco ἐκ τοῦ Υἱοῦ, responderi potest cum Werner [2], ex libro graeci Pitzipios-Bey, locutionem *ex Filio* offendere subtilitatem classici sermonis, quatenus per ἐκ τοῦ Πατρός designabatur origo fontalis, quae nonnisi Patri competit; qua significatione posita, neque poterat in rigore aequalitatis dici Spiritus Sanctus procedere ex Filio. Caeterum auctoritates tum ex graecis tum ex latinis Patribus adductae, ostendunt, nec defuisse Graecos qui proclamarent, Spiritum Sanctum procedere ex Patre *et Filio, ex ambobus;* nec Latinos, qui dicerent, eum ex Patre *per Filium* esse. Formula graeca, praeter rationem modo allatam, facillime explicatur ex ipso modo loquendi Scripturarum, quae de Spiritu Sancto aperte dicunt: « qui *ex Patre* procedit », et de Verbo: « omnia *per ipsum* facta sunt » [3].

Imo conferendo hunc locum cum sententiis S. Pauli: « Unus Deus et Pater *ex quo* omnia, et unus Dominus Iesus « Christus *per quem* omnia » [4], et: « Ex ipso (Patre), et per « ipsum (Filium), et in ipso (Spiritu Sancto) sunt omnia » [5], Patres graeci unanimi veluti consensu ad hanc conclusionem pervenerunt, particulam « *ex* » propriam esse Patri, et particulam « *per* » propriam Filio; unde constanter ope huius

[1] *Ep. ad Iordan.* n. 28. — Cf. simillimum quid S. Basilii l. V, ctr. Eunom.
[2] *Gesch. der polem. u. apol. Litt.*, t. III, p. 81.
[3] Utramque formulam inter se conferemus, absoluta expositione articuli tertii.
[4] Cor., VIII, 6.
[5] Rom., XI, 36.

particulae *per* relationem processionis Spiritus Sancti a Filio exprimere maluerunt [1].

Iam liceat hanc partem dissertationis nostrae verbis ipsis claudere Card. Bessarionis in sua oratione dogmatica ad Patres Conc. Florentini habita: « Memineris itaque, necessario Patres putandos esse sibi invicem consentire, nec « aliter nos dicere aut censere posse, si Christiani esse et « fidei principia salvare volumus. Latini enim Patres clarissime et disertissime docent, Spiritum Sanctum procedere « ex Filio, et Filium sicut Patrem esse eius principium. « Deinde Orientales quoque, non secus ac Occidentales, hoc « ipsum dicere demonstravimus, cum alii Spiritum ex Patre « per Filium procedere, alii ex Patre et Filio, atque ex ambobus esse aiunt, sicque aperte docent, esse etiam ex Filio. « Ita vero docentes latinis Patribus consentiunt et eadem « omnes dicunt, utpote loquentes in uno et eodem Spiritu [2] ». Quam Bessarionis sententiam ipsum Concilium sancivit [3].

V. - De Effatis seu Doctrina dissidentium Sectarum Orientalium.

Antiqua Graecorum ac Latinorum de processione Spiritus Sancti concordia, efficaciter corroboratur per effata dissidentium in Oriente sectarum, quae, utpote ante Photianum dissidium ab Ecclesia catholica seiunctae, licet emortuae, antiquioris fidei communis, in proprio sinu testimonia servarunt. Praecipua huiusmodi collegisse, scopo nostro sufficiat.

1) *Macedoniani*, uti iam diximus, Spiritum Sanctum mere creaturam Filii esse autumabant; primum utique inter omnia quae Ioannes per Verbum facta testatur, at certe in ordine rerum affectarum, nec ullo modo Deum. Quae doctrina, qui unquam potuisset somniari, nisi apertum fuisset et in confesso,

[1] Abutebantur quidem Macedoniani hac triplici particula « ex, per, in », ad suum subordinatianismum impie vindicandum. Quare inter alios S. Basilius strenue defendit communicationem harum particularum, at non ita ut non aliqua proprietatis ratio teneatur (*De Spir. S.* c. 2, sqq. — *P. G.* t. XXXII, col. 74, sqq.).

[2] Harduin. XI, p. 368.

[3] Cf. textum superius allatum.

Spiritum Sanctum procedere a Filio?[1] Rursus quomodo ludibrio vertissent catholicis, Spiritum Sanctum iuxta eos Patris esse nepotem, Filium quippe Filii; nisi ipsi catholici agnovissent, a Filio produci Spiritum? Imo talis obiectio supponit, immediatam Spiritus processionem a Filio magis fuisse, ut ita dicam, in recto positam, quam processionem ab ipso Patre.

Vis huius argumenti validissime urgetur ex ratione qua Patres cum haereticis agere solent. Arianos ex una parte eloquenter confutant ex modo quo Spiritus Sanctus procedit a Filio. En eorum simplicissimum syllogismum, quem multifariam apud eos reperies: Filius dat, insufflat, mittit Spiritum; atqui Spiritus est Deus; ergo Deus sit Filius oportet. Argumentum sane imbelle, nisi Spiritus procedat a Filio; invictum autem, si haec datio, etc., fundamentum habet ipsam processionis originem[2]. - Pariter Macedonianos confutant, utique ex processione Spiritus Sancti a Patre, quam ideo tantopere urgent; sed etiam ex relatione Spiritus Sancti ad Filium, hoc syllogismo: Verbum est Deus, consubstantiale Patri; atqui Spiritus est Spiritus Verbi; ergo Spiritus est consubstantialis Verbo, ergo est Deus. Tantopere Patres graeci sibi constantes sunt in hac veluti circulatione, ut mentem eorum ac internam vim argumentationis apud ipsos passim adhibitae, prorsus detorqueat aut imo ignoret, qui in hac ipsa certandi lege ab omnibus aeque servata, dogma catholicum processionis Spiritus Sancti ab utroque Patre et Filio non agnoscat.

2) Huc variae formulae liturgiarum dissidentium referuntur: *a) Monophysitae* liturgiae syriacae Iacobi, Cysti et Ibu-Vahib habent: Spiritum Sanctum ex Patre procedere et substantiam suam *accipere a Filio;* liturgia Clementis: Spiritum Sanctum sine initio a Patre *per Filium* procedere[3]. - *b) Nestorianum* Missale pro Dominica quadam exhibet hymnum post Evangelium, in quo cantatur: Spiritus Sanctus, qui *ab iis*

[1] Non desunt qui contendant, Theodoretum et Theodorum formulam « Filioque » non in sensu catholico, sed in sensu appropinquante ad errorem Pneumatomachorum impugnasse.

[2] Ita S. Cyrillus eleganter divinitatem Filii demonstrat ex singularitate Spiritus Patris et Spiritus Filii. (*In Ioann.* l. I, p. 42. — *P. G.* t. LXXIII. col. 41, sq.).

[3] Cf. RENAUDOT (*Liturg. Orient. Coll.*, t. II.).

procedit; utique a Patre et Filio. - Pariter apud eosdem haereticos in aliqua Symboli Nicaeni explicatione legitur: Spiritum Sanctum procedere ex substantia Patris *et Filii*. - Fides autem Monophysitarum suggerit argumentum fidei *Monothelitarum*, qui a prioribus derivant. Insuper vix ulla afferri possunt argumenta ad demonstrandum, *Iconoclastas* processionem Spiritus Sancti e Filio negasse. Unde legitime cum Cl. Katschthaler concludere licet: « totam Ecclesiam graecam, atque ferme etiam omnes sectas doctrinam hanc quoad rem agnovisse, et eius impugnationem a Photio demum inchoasse » [1].

VI. - De Verbo « Filioque » Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano addito.

Quum inter calumnias a Photio olim contra Ecclesiam Romanam excogitatas, discussas tempore concilii Florentini, ac usque ad praesentem diem a Graecis renovatas [2], emineat corruptio Symboli catholici per fraudulentem inductionem verbuli « Filioque », aequum est ut huius inductionis historia breviter recolatur eiusdemque legitimitas ex professo vindicetur.

1) *Quoad* **historicam evolutionem** huius additamenti, imprimis distinguenda est synodalis assertio ab insertione in formulam Symboli. Iam enim supra vidimus, processionem Spiritus Sancti de *Patre et Filio* definitam in Synodo Seleuciensi (ann. 410). Occurrit solemnius in Concil. II. Toletano (ann. 447): « Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre *Filioque* procedit ». Quam professionem S. Leo M. et accepit et aliis pluribus transmisit. Eamdem fidem exhibet Symbolum Athanasianum, tunc temporis vulgari coeptum [3]. - Pariter Episcopi Africae (ann. 484.) in epistola ad Hunnericum Regem declarant: « ingenitum Patrem, et de Patre genitum Filium, et de Patre *et Filio* proce-

[1] Op. cit. p. 242.

[2] Praecipui auctores Photiani nostrae aetatis sunt graecus a protestante Cznicovius et Macarius Archiepiscopus Wilnensis in Lithuania; quem confutavit prae aliis Pitzipios-Beg, postea infeliciter, uti diximus, ad schisma populare redux.

[3] Ultraiecti prostat psalterium ex s. VI, in quo Athanas. Symb. continetur (Cf. de hoc Symbolo D. Germ. Morin, *Revue bénédictine*).

« dentem Spiritum Sanctum, unius credimus esse substantiae « vel essentiae » [1]. Papa quoque Hormisdas in epistolis ad Imperatorem Iustinum anno 521. missis, ait: « Notum est « quia proprium est Patris, ut generaret Filium; proprium « Filii, ut ex Patre Patri nasceretur aequalis; proprium Spi- « ritus Sancti, ut de Patre *et Filio* procederet sub una sub- « stantia deitatis » [2]. Inter canones Conc. Toletan. III. (ann. 589.) legitur: « Quicumque Spiritum Sanctum non credit aut non « crediderit a Patre *et Filio* procedere.... A. S. [3]. Alia concilia particularia in Anglia et in Galliis eamdem doctrinam sanciverunt [4]; necnon Concilia generalia, quorum mentio et doctrina supra invenitur p. 166, sq.

Insertio autem in Symbolo derivata est ab Ecclesia Hispaniarum, saec. VI; ubi, ab Arianismo conversos decebat de processione Spiritus Sancti expressius erudiri. Ad Gallias et Germanias inde transmeavit saeculo VIII. Pontifices Romani maxima circa hanc innovationem prudentia usos esse, scimus ex historia legationis a Synodo Acquisgranensi (ann. 809.) Romam missae. Leo III. a Carolo Magno rogatus, quid de hac insertione teneret, fidem quidem, non autem liturgicam innovationem probavit. En ipsius Pontificis verba: « Si priusquam « ita cantaretur, interrogatus essem, ne insereretur utique « respondissem. At nunc, - quod tamen non affirmando, sed « vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, - « ita videtur posse utrumque fieri: ut paulatim in palatio, « quia in nostra sancta Ecclesia non cantatur, cantandi con- « suetudo eiusdem Symboli intermittatur..... Si dimittatur a « vobis, dimittetur ab omnibus; et ita fortasse.... utrumque « fieri possit, ut quod iam nunc a quibusque prius nescientibus « recte creditur, credatur, et tamen illicita cantandi consue- « tudo sine cuiusque fidei laesione tollatur » [5].

Quo tempore autem praecise a Romanis Pontificibus additio ratihabita sit, inter eruditos non constat; intra tempus

[1] De genuinitate huius lectionis a Ruinart acceptae, lege Card. Franzelin (op. cit. p. 465).

[2] Ep. 79, ad Iustin. August.

[3] Mansi IX, col. 985.

[4] Cf. Petavium, op. cit. l. VIII, c. 2.

[5] *Hard. IV,* p. 969 sq.

a Nicolao I. ad Benedictum VIII. effluxum, intra medium scilicet saec. IX. et XI. id collocandum videtur [1].

Concilium Lugdunense II. simul doctrinam et insertionem his verbis probavit: « Et quoniam omnia quae Patris sunt, « Pater ipse Unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse « Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, « ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeter- « naliter genitus est. Diffinimus insuper, explicationem ver- « borum illorum " Filioque " veritatis declarandae gratia et « imminente tunc necessitate, licite et rationabiliter fuisse « appositam ».

2) Haec ultima verba tam perfecte continent argumenta defensionis catholicae, ut quasi tessera demonstrationis habeantur ad huius *insertionis* **legitimitatem** vindicandam. Qua de legitimitate sane nunquam mota quaestio fuisset, nisi Concilium Ephesinum et Chalcedonense I. huiusmodi innovationes proscripsissent. Ita enim, damnata fide Nestorii, habet prior Synodus: « Alteram fidem, ἑτέραν πίστιν, nemini licere pro- « ferre aut conscribere, aut componere praeter definitam a « Sanctis Patribus qui in Nicaea in Spiritu Sancto congregati « fuerunt. Qui vero ausi fuerint aut componere fidem aliam, « aut proferre, aut afferre converti volentibus ad agnitionem « veritatis.... hos quidem, si sint episcopi, aut clerici, alienos « esse episcopos ab episcopatu, clericos a clericatu decrevit; « si vero laici fuerint, anathemate subiici » [2]. Concilium alterum idem decernit: « His igitur cum omni undique exacta « cura et diligentia a nobis dispositis (contra Eutychianam « haeresim), definivit sancta et universalis Synodus: alteram « fidem etc. ».

Iam vero hoc decretum nullam habere vim contra insertionem « Filioque » a Romanis Pontificibus et a Conc. Lug-

[1] Cf. Petavium, loc. cit.; Card. Franzelin, op. cit. th. XLI in fine; Card. Hergenröther (*Phot.* t. I, p, 705 sqq.); etc , etc.

[2] Presbyter enim quidem, Charisius nomine, symbolum a Nestorianis exaratum obtulerat episcopis, quorum hac fraude bonam fidem deceperat. Unde decretum concilii pergit: « Simili etiam modo, si qui inventi fuerint vel episcopi, vel clerici, vel « laici sentire sive docere ea, quae continentur in oblata expositione a Charisio pre- « sbytero de Unigeniti Filii Dei incarnatione, sive scelerata et perversa Nestorii « dogmata quae subnexa sunt, subiaceant sententiae Sanctae huius et universae « Synodi; etc. ».

dunensi II. sancitam, ex sequentibus rationibus luculenter apparet.

a) Romanus Pontifex, sive subsequens Concilium generale eadem omnino auctoritate gaudet, qua concilium hoc Ephesinum sive Chalcedonense. - *b*) Posse autem Concilia generalia aliquid, explanationis gratia, urgenteve necessitate, Symbolo Apostolico adiungere, exemplo suo ostenderunt Patres ipsi Nicaeni et Constantinopolitani [1]. Haec de iure. Iam de facto. - *c*) Patres Ephesini et Chalcedonenses non intenderunt absoluto modo quamvis authenticam Symboli illustrationem proscribere in futurum, sed « *aliam fidem* », id est Symboli fraudulentam corruptionem. Secus sibimetipsis contradixissent. Tenendam enim praedicarunt fidem Nicaenam. Iam vero huic fidei Patres Constantinopolitani, ad cavendos errores Macedonii, nonnihil addiderunt; ergo huiusmodi explicationes in mente Patrum Ephesinorum et Chalcedonensium non constituebant « *aliam fidem* »; ergo eorum decretum contra insertionem « *Filioque* » nullam habet vim. - *d*) Eo vel magis quod prae oculis habuerunt mutationes auctoritate privata faciendas [2]; nullatenus vero sive Summi Pontificis sive Oecumenici Concilii virtute inducendas. Ergo nec de iure, nec de facto, huic decreto contradicit additio verbi « *Filioque* ».

His positis, facillime haec additio non modo ab omni culpa liberatur, sed et uti provida vindicatur; saltem uti postea ab auctoritate Rom. Pontificis et Conc. Lugdunensis sancita. Nam quousque prima innovatio in Hispania facta, a quavis temeritate possit vel debeat aliena praedicari, peritior discernat. Bona utique fides adfuerit. At in re tam gravi suadet prudentia, ut ad supremi Ducis nutum procedatur. Unde vidimus Leonem III, innovationem Romana Sede inconsulta inductam non probasse. Lite itaque ad acta Romanae Ecclesiae circumscripta, ipsis Concilii Lugdunensis verbis calumnia Photiana depellitur. Etenim *a*) insertio facta est « veritatis declarandae « gratia »; nam doctrina catholica per additionem verbuli

[1] Optime vim huius considerationis perspexit Bessarion: « Sub anathemate erunt « Patres secundae Synodi, qui tot additionibus et demptionibus Symbolum primae « immutarunt; sub anathemathe Patres primae Synodi, qui Symbolum quod erat « ante primam Synodum, in pluribus mutaverunt » (*De process. Spiritus Sancti*, p. 187, sq.) — Cf. dicenda de S. Bonaventura in fine huius Quaestionis.

[2] Hoc sensu Leo III. novam consuetudinem se inscio inductam vocat illicitam.

« *Filioque* » explicitior evadit, magisque a prava interpretatione Symboli Nicaeni cavet. - *b*) « Imminente tunc ne- « cessitate », facta est additio. Quum enim simplici formula Nicaena: « qui ex Patre procedit », abuterentur haeretici, eamdem in sensu exclusivo interpretantes, ut Filium scilicet a consortio spirationis arcerent; vera necessitas non adfuit modo, sed et imminens urgebat, ut per hanc manifestam additionem damnabilis fraus redderetur imbellis. - *c*) « Licite » insuper inducta est additio, quum ab eadem auctoritate summa processerit, quae Symboli formulam a primis Conciliis moderabatur. - *d*) « Rationabiliter » demum hoc est actum, quum nihil sit rationabilius, quam infallibili auctoritate a Christo Ecclesiae concessa ad hoc ipsum illustrandum ac tuendum uti, ad cuius maiorem claritatem atque tutelam eâdem praerogativâ Sponsam decoravit.

Ex dictis apparet, quot et quantas rationes habuerit Romana Ecclesia, ut nihil de hac additione dogmatica cederet, etsi schismatici orientales Marcus Ephesius, Theophanes Prokopowicz, Macharius aliique, in eam, quasi in praecipuum obstaculum unionis, invehant.

Non verbum, sed res, id est, altissimum dogma verbo expressum huic obstat unioni, caeteroquin populari praeiudicio ac zelo, heu! nimis infensae. Quare improbanda prorsus videtur conclusio D.r Langen, professoris neoprotestantici Bonnensis: « Optandum foret, ita ille, ut Occidentalis Ecclesia « ab hac additione temperaret, quin tamen hodiernam suam « de Trinitate doctrinam mutaret. Hac renuntiatione murus « insuperabilis, quo Occidentalis et Orientalis Ecclesia sepa- « rantur ab invicem, perforaretur, et reliquae differentiae « facillime aequarentur » [1]. Animosa parum, docta minus, fida minime conclusio.

[1] *Die Trinitarische Lehrdifferenz zwischen der abendländischen und morgenländischen Kirche* (1876), p. 127.

ARTICULUS II.

UTRUM SPIRITUS SANCTUS PROCEDAT A FILIO.

Ad Textum. - Contra doctrinam huius articuli difficultates moveri possunt 1) ex Scripturis, 2) ex auctoritate tum Conciliorum, tum Patrum; 3) ex ratione theologica. Ita hic S. Thomas. Ex Scripturis procedit ob. 1.ª; ex auctoritate conciliari 2.ª, patristica 3.ª; ex ratione theologica reliquae, et quidem ex quadruplici capite: *a*) ex quiescentia Spiritus in Filio (4.ª); *b*) ex voce Spiritus collata cum Verbo (5.ª); *c*) ex superfluitate processionis a Filio, quia processio a Patre sufficit tum ad perfectionem Spiritus Sancti (6.ª), tum ad eius distinctionem a Filio (7.ª).

1. Obi. Solutionem argumenti ex verbis « qui a Patre « procedit », ex quibus potior a Photianis desumitur obiectio, habes hoc schemate contractam:

Procedere Spiritum S. a Filio, non invenitur in Scripturis:
- 1) quod haec *ipsa verba* - concedo
- 2) quoad *sensum*, nego; nam
  - *a*) continetur in aequivalentibus: " de meo accipiet, " etc.
  - *b*) continetur vi axiomatis fundamentalis de SS. Trinitate:
    - α) inter filiationem et spirationem nulla est originis oppositio: ergo in eadem persona invenitur;
    - β) quare hoc tenendum esset, etiamsi obiecta sententia haberet formam exclusivam (quod a pari ostenditur).

2. Obi. Rationibus hic a S. Thoma allatis adde quae superius diximus, tum de mente Patrum Conc. Constantinopol., tum de additione verbuli « Filioque » primo in Conciliorum canonibus, dein in ipsa formula Symboli Nicaeni.

3. Obi. Mitius de S. Damasceno putamus esse iudicandum; uti constat ex nostra dissertatione praevia. Imo probabilius, iuxta ibidem dicta, nec ipse Theodoretus rem in sensu photiano intellexerat.

4. Obi. Explicationi duplici quam S. Thomas suggerit, adde, processionem per viam amoris complere foecunditatem divinam ad intra; unde in Filio quiescere dicitur Spiritus Sanctus, quatenus non est cum Filio principium tertiae processionis. Unde sit sequens schema:

- **Quiescit Spiritus Sanctus in Filio,**
  - 1) quatenus non proeedit a Filio, — nego;
  - 2) quatenus, etiam ab eo procedens, in eo manet, concedo; et quidem:
    - *a*) in Filio, uti Deus est:
      - α) amore quiescit in amato;
      - β) processio per amorem non est media ad ulteriorem processionem;
    - *b*) in Filio Incarnato: — per dona sua inhabitans.

5. Obi. Procedit a verbi significatione impropria; retorquetur per propriam.

6. Obi. Non solum deficit, sed et retorquetur. Nam perfectio processionis Spiritus Sancti exigit ut Spiritus Sanctus sit Deus totus e toto Deo. Totus autem Deus, est Pater simul et Filius, sive Filius haud secus ac Pater. Ergo procedit de Patre simul et Filio.

7. Obi. Confer dicenda in fine articuli.

Sed contra est. Recole auctoritates multiplices ex Scripturis, Conciliis ac Patribus superius collectas.

In Corpore. Argumentatio duplici parte constat. In priore S. Th. dogma catholicum probat, in altera polemice cum Photianis agit.

A) *In priori parte* thesim ponit; eamque tribus argumentis fulcit. Thesis autem est, Spiritum Sanctum non solum de facto a Filio procedere; sed nec a Filio distingui posse, nisi ab ipso procedat. Porro tria argumenta mirabili gradatione disponuntur, ac nexu inter se arctissimo colligantur.

Primum argumentum, aliquomodo indirectum, sed efficacissimum, petitur ab ipso dogmate trium personarum in una natura divina, quod dogma per photianam haeresim destruitur. - Secundum argumentum, magis directum, procedit ab ipsa intima ratione utriusque processionis. - Tertium demum

idem convincit per absurdum, ex ipso ordine personarum. Pauca de singulis.

1.m Argumentum. Photiana haeresis subvertit SS. Trinitatem. Nam quum personae distingui nequeant, nisi ratione relativae oppositionis, vel tollit distinctionem realem inter Filium et Spiritum Sanctum, et tunc ponitur dualitas; vel si quas vocant disparatas relationes, ad realem distinctionem sufficiant, distinctio realis erit inter Patrem et Spirantem; et oritur quaternitas; (imo realis distinctio erit inter essentiam et quamvis personam, et erunt quinque). - Et certe subvertitur tota oeconomia SS. Trinitatis, semel ac concipitur relatio tanquam aliquid realiter distinguens, independenter a respectu oppositionis directe ad invicem.

2.m Argumentum est magis directum, ac veluti explicatio prioris, quatenus exhibet rationem cur non possit haberi mera dualitas. Processiones siquidem obtinentur per duplicem actionem specifice distinctam; quarum talis est intima ratio, ut actio amoris non solum logice subsequatur actum intellectus, sed et in illum feratur; ac proin amans sit uterque, qui ex aequo participet et quasi evocet amoris principium.

3.m Argumentum exhibet rationem ultimam propter quam hae duae actiones distinctae debent esse ordinatae. Et certe haec instantia est ratio omnium subtilissima, quae in favorem photianae haereseos adduci possit; quatenus scilicet aeternitas utriusque processus poneret simultaneitatem sine ordine, ita ut non amplior ratio esset dicendi Spiritum esse ex Filio, quam Filium esse ex Spiritu. - Reponit S. Th.: si ita se haberent actiones, termini differrent materialiter. - Nunc autem quum alia prorsus sit ratio distinctionis, oportet ut distinguantur ordine. Quo obtento, omnia consequuntur quae in secundo argumento probata sunt; nam si inter Filium et Spiritum Sanctum ordo haberi debet, qualis erit alius quam ordo naturae? Scilicet ordo originis ab invicem, id est Spiritus Sanctus a Filio, quum oppositum nimis aperte repugnet, nec ab aliquo teneatur.

B) *In altera parte* polemica cum Photianis, S. Thomas 1) corroborat praesertim tertium argumentum per ipsas formulas a Graecis concedi solitas: Spiritus Sanctus est Spiritus Filii; procedit a Patre per Filium. - 2) Concludit ad identi-

tatem doctrinae quoad rem, et ad proterviam seu ignorantiam quoad dicendi modum, ex formula a quibusdam Graecis concessa: Spiritum esse quidem a Filio, seu a Filio profluere, non autem ab eo procedere. Ratio a S. Thoma allata petitur ex significatione communissima vocis *procedere;* unde si qualiscumque ratio principii conceditur in Filio relate ad Spiritum Sanctum, oportet ut et processio Spiritus Sancti a Filio concedatur.

Haec quidem optimo iure ac nexu asseruntur. Liceat tamen, aequitatis ac illustrationis causa, heic dicta aliquantulum mitigare. Certo certius, uti affirmat Aquinas, ignoranter vel proterve Photiani negant catholicum dogma, ob modum diversum quo formula graeca passim idem exhibet. At nihilominus inter processionem communissime sumptam, et illam quae est terminus actionis illius quam emphatice Graeci vocabant ἐκπορεύεσθαι, aliquod certe discrimen reperitur, quatenus Spiritus Sanctus non eodem se prorsus modo ad Patrem et ad Filium habet, quum Pater a se, Filius a Patre habeat esse spirantem. Quare si ita sensum processionis mihi fingo, ut fontale principium involvat in termino a quo, possum quidem praedicare Spiritum Sanctum esse a Filio, vel profluere a Filio; procedere autem a Filio, nequaquam.

Quaeres *de concordia inter S. Anselmum et S. Thomam.* Prior enim affirmat, Filium et Spiritum Sanctum ab invicem distingui per hoc solum quod alter procedit per intellectum, alter per amorem. S. Thomas affirmat quod, nisi procedat Spiritus a Filio, ab invicem distingui realiter nequeunt.

Praemittamus ex integro verba S. Anselmi: « Habent « utique a Patre esse Filius et Spiritus Sanctus, sed diversi- « mode, quia alter nascendo, alter procedendo, ut alii sint « per hoc ab invicem, ut dictum est. Et ideo cum nascitur « unus, non potest cum eo nasci ille, qui per hoc est alius « ab eo, quia non similiter nascitur, sed procedit; et cum « unus procedit, nequit ille simul procedere, qui per hoc est « alius ab illo, quia non similiter procedit, sed nascitur. Et « ideo non habet hic unitas illam vim consequentiae; quia « pluralitas obviat, quae ex nativitate nascitur et processione.

« Nam et si per aliud non essent plures Filius et Spiritus « Sanctus, per hoc solum essent diversi » [1].

Concedo, quoad verba S. Anselmum cum S. Thoma pugnare; quoad rem autem inter utrumque Doctorem nullum invenitur dissidium. Quod iam a priori demonstrat ipsum argumentum capitis, ex quo haec verba sunt desumpta. Ibidem enim S. Anselmus totus est in evolvendo sequenti dilemmate: aut Spiritus Sanctus procedit a Filio, aut Filius a Spiritu Sancto procedat oportet; et quidem ratione divinae unitatis. Pater enim et Filius unum sunt, scilicet unus Deus, ex quo, Deus de Deo, procedit Spiritus Sanctus. Ergo nisi Spiritus Sanctus procedat de Filio, Filius, Deus de Deo, erit propter eamdem unitatem de Patre simul et de Spiritu. - Photianus obiicit. Denego divinae unitati vim ad hoc demonstrandum. Nam si hanc virtutem haberet in termino a quo, cur non haberet in termino ad quem? Tunc autem Filius et Spiritus ad modum unius procederent de Patre, quod constat esse falsum.

Obiectioni solvendae duplex patebat via: vel absolute, concedendo paritatem; vel hypothetice, ad hominem, eam negando. Priori modo agit S. Thomas; hoc altero S. Anselmus. Etenim Angelicus in primo argumento huius *Corporis* per dilemma arguit. Aut in Deo non dantur nisi duae personae, aut Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio; supposito utique, non distingui inter Patrem et Spirantem. Secus enim daretur tertium membrum disiunctionis, scilicet quaternitas.

S. Anselmus potius init viam responsionis ad hominem. Arguit enim contra Photianum, cum quo convenit in tenendo tres personas, quarum Pater est principium, Filius procedit per intellectum, Spiritus per amorem. Hoc posito et ex hypothesi admisso, negat paritatem, quatenus conclusioni obiectionis obstat personarum numerus. « Et ideo non habet « hic unitas illam vim consequentiae: quia pluralitas obviat, « quae ex nativitate nascitur et processione »; pluralitas utique non demonstranda, sed utrimque pariter agnita. « Cum « autem dico, - ita pergit - ex eo quia Pater unus Deus est « cum Filio aut cum Spiritu Sancto, sequi Filium esse de

[1] *De Processione Spiritus Sancti*, c. 4. — *P. L.* t. CLVIII, col. 292, sq.

« Spiritu Sancto aut Spiritum Sanctum esse de Filio: nulla « ibi pluralitas generatur, quae unitatis obviet consequentiae, « quia non utrumque dico esse, sed alterum tantum » [1].

Apparet ergo, non quoad rem ipsam, sed quoad modum arguendi utrumque Doctorem ab invicem distare. Caeterum adverte sedulo discrimen inter haec duo: Nisi Spiritus procederet a Filio, non posset a Filio distingui; et: Spiritus non distinguitur a Filio, nisi quia ab eo procedit. Prius verum est; non autem alterum. Etenim distinguitur quoque a Filio per formalem rationem processionis. Et eatenus rursus recte loquitur Anselmus. Scilicet nisi alia esset formalis ratio processionis, per viam scilicet amoris, neque quaestio moveretur de Spiritu Sancto, vel processus fieret in infinitum. Altera via processionis, formaliter per amorem, simul explicat utrumque: cur non standum sit in prolatione Verbi, et cur in processione Spiritus sit quiescendum. Sed talis est exigentia unitatis divinae, ut haec duplex formalitas processionis non sufficeret ad realem distinctionem inter terminum ad quem utriusque, nisi alteruter simul esset terminus a quo. Quare realis distinctionis inter Filium et Spiritum Sanctum duplex est ratio partialis: formalitas processionis et ordo processionis; quarum alterutra si deficiat, distinctio realis stare non potest. Nequeunt tamen ab invicem seiungi, quatenus ex una parte ordo processionum exigit, Filium esse simul terminum ad quem et a quo; et ex altera parte, nisi daretur duplex processionis formalitas, non esset cur fieret terminus a quo. S. Thomas igitur magis in recto posuit, uti conditionem sine qua non distinctionis, habitudinem processionis Spiritus ad Filium; S. Anselmus insuper insistit in duplicem processionis formalitatem. Quare non solum inter se concordant, sed quasi se invicem illustrant atque complent.

ARTICULUS III.

UTRUM SPIRITUS SANCTUS PROCEDAT A PATRE PER FILIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Praemittenda sunt quaedam generaliora principia de modo praedicandi et considerandi ope particulae *per*.

[1] *De Processione Spiritus Sancti.* — *P. L.* t. CLVIII, col. 293.

Particula *per* indicat *medium,* sive sit medium *simplex,* sive medium *causalitatis,* scil. finalis, vel efficientis, formalis, vel motivae. Primo de medio causali, dein de simplici.

2) *a*) Quivis effectus per se refertur ad causam suam, sive ad agentem; unde semper habemus duos terminos oppositos: agentem et effectum, qui uniuntur per causalitatis influxum, quae unio exprimitur ope particulae *per*.

b) Sed si in ipso agente consideremus esse agentem et actionem, tres terminos habemus hoc ordine positos: agentem, actionem, effectum. Unde iam pro mediatione quam particula *per* exprimit, duplex locus assignari potest: vel inter agentem et actionem, vel inter actionem et effectum.

c) Iam vero causalitas erit ponenda inter agentem et actionem, quando causa est actionis quatenus exit ab agente: v. gr., artifex per artem martellum dirigit in opus; - inter actionem et artis effectum, quando est causa actionis ad terminum perductae: v. gr., artifex conficit per martellum ferream cratem.

d) Porro si causale sit illud quod dat agendi virtutem, inter actionem et effectum ponenda erit, sive sit causa intelligens, sive instrumentalis. Imo, si intelligens, poterit esse prior seu potior omnino ipso agente cuius actioni dat virtutem, uti patet quando dico: Ballivus per regem operatur; - dum e converso quando dico: Rex per ballivum operatur, ballivus uti inferior, se habet quasi uti causam instrumentalem.

3) Haec iam quaesito nostro applicemus. Duos habemus terminos extremos: Patrem et Spiritum Sanctum, et medium inter utrumque, actionem nempe spirandi. Ubinam igitur ponenda erit causalitas Filii?

a) Si dicis: Pater - per Filium - spirat Spiritum Sanctum, est ac si dicas: generatio Filii praecedens, facit Spiritum Sanctum spirari, quatenus facit Patrem accedere ad spirandum Spiritum Sanctum; ad quod accedit cum Filio, sicuti artifex cum arte sua accedit ad opus. Et oritur locutio plenissimo sensu.

b) Si vero dicis: Pater spirat - per Filium - Spiritum Sanctum, insinuare videris, Filium dare Patri efficaciam actus spirativi; quasi de se Pater hanc non haberet, quod esset falsissimum. Imo quatenus Filius habet a Patre quod

spiret, oppositum potius est praedicandum; adeo ut quaestio moveatur, cur in formula Graecorum non possit fieri conversio, sicut accipitur de rege et ballivo, ac dici: Filius per Patrem spirat Spiritum Sanctum, quatenus ab ipso habet unde spiret.

Pariter falsissima esset haec altera positio, si causalis medietas Filii intelligeretur ad excludendum in Patre principium immediatum Spiritus Sancti; vel ad astruendam in Filio causalitatem instrumentalem disiunctam ordinis inferioris, sive etiam rationem principii formaliter distincti et partialis.

4) Heic autem apparet necessitas distinctionis inter personas et virtutem. Quotiescumque ordo inter supposita est ratio unica cur aliqua mediatio praedicetur, non potest ullo modo hic ordo inverti; quando autem habes diversum ordinem suppositorum et virtutum, potest inverti ordo, ita ut secundum alterutrum respectum inversa vice exprimatur. Exemplum habes praeallatum de rege et ballivo. Ordo personarum est: rex et ballivus; ordo virtutum: ballivus et rex. Nam virtus remota ad effectum per virtutem proximam applicatur.

Atqui in SS. Trinitate habetur quidem ordo personarum quo Pater praecedit Filium; non autem ordo virtutum, quia quoad virtutem unicum principium sunt Pater et Filius. Quare conversio fieri nequit.

5) Sumendo igitur particulam *per* in sensu causali, quem quasi semper secum fert, habes duas significationes legitimas formulae: Spiritus procedit a Patre per Filium; alteram (1), in qua causalitas reducitur ad ordinem ratione originis, scilicet: Filius a Patre habet quod cum Patre Spiritum producat; alteram (2), in qua insuper adsignificatur influxus ipsius generationis Filii in spirationem Spiritus Sancti, scilicet per foecunditatem intellectus ac proin per Verbum genitum, Pater, utique cum Verbo, spirat foecunditate amoris Spiritum, Sanctum.

6) Praeter has duas interpretationes adest et tertia (3), sumendo particulam *per* uti medium simplex, non causale. Tunc formula Graecorum nihil amplius significat, nisi generationem Filii esse medium ad processionem Spiritus Sancti;

quae significatio utique vera est, sed imperfecta ac insufficiens ad co-principium activum Filii exprimendum.

Has varias significationes, tum legitimas, tum falsas, tene sequenti schemate contractas.

- **In formula: "Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium" particula *per* potest sumi in sensu**
  - 1) *medii* simplicis:
    - *a*) ratione ordinis processionum: — sensus rectus, sed imperfectus (3);
    - *b*) ratione principii mediati in Patre, immediati in Filio: — sensus falsus;
  - 2) medii *causalis* influentis:
    - *a*) in actionem, uti exit ab agente:
      - α) ratione virtutis sive auctoritatis: — sensus falsus:
      - β) ratione nexus activi inter processiones: — sensus rectus (2);
    - *b*) in actionis terminum:
      - α) ratione causae instrumentalis vel coprincipii partialis: — sensus falsus;
      - β) ratione ordinis inter subiecta actionis, in unitate virtutis activae. — sensus verus (1).

Si iam tres expositiones legitimae conferuntur ad invicem, sensus 3) est minus ad rem, quum processionem Spiritus Sancti a Filio per se non exprimat; sensus 1) est magis in usu, quum eamdem explicet; sensus autem 2), utpote utrumque 1) et 3) continens, profundior.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit ordinem personarum et ordinem virtutis.

2. Obi. Supponit, non eamdem esse numero vim spirativam in Patre et in Filio.

3. Obi. Arguit ex imaginatione successionis temporalis, quae in Deo undequaque repugnat.

4. Obi. Deficit, sicut obiectio prima, non distinguendo inter ordinem suppositorum, qui in casu adest, et ordinem virtutis, qui abest, et ratione cuius valet lex inversionis in exemplo allato (Cf. dicta n. 4).

Sed contra est. Cf. auctoritates in dissertatione praevia collectas.

In Corpore. Ne putares, aliqualiter S. Thomam in *Corpore* adversari doctrinae in statu Quaestionis a nobis expositae, adverte, Angelicum ab initio locutionem *per* restringere ad operationem; quare iam significatio particulae ad medium causalitatis trahitur. Non ideo tamen, absolute loquendo, sensus medii simpliciter est excludendus.

Porro argumentum duplici parte constat: 1) Variae significationes locutionis *per* inquiruntur; 2) - Determinatur significatio formulae dogmaticae de qua quaeritur.

1) En schema prioris partis argumenti:

- **Particula *per* de operatione adhibetur ad significandam causam**
  - 1) sive in agentem ut agat:
    - *a*) finaliter (lucrum),
    - *b*) formaliter (ars),
    - *c*) motive (imperium);
  - 2) sive ut actio ad factum terminetur:
    - *a*) quatenus est artificiato causa ut ab artifice procedat (martellus),
    - *b*) quatenus auctoritas per quam agit significatur:
      - α) in recto (rex per ballivum),
      - β) in obliquo (ballivus per regem).

2) In altera parte significatio formulae graecae trahitur ad 2) *b*), sine inversione eiusdem formulae, uti habetur in α) et β), - cuius ratio exponitur ex professo in ultima solutione; - sed mere convertendo formulam activam (spirare) in passivam (procedere).

Quaeres, *quaenam formula praevaleat: utrum latina: « Spiritus procedit a Patre Filioque », an graeca: « Spiritus procedit a Patre per Filium? ».*

Ad recte de hac lite iudicandum, oportet prae oculis habere controversiarum et mentium statum, qualis Patrum tempore existebat. Igitur primo videamus, quid in favorem utriusque formulae militarit, dein quid contra.

I) A) *In favorem formulae graecae* militabat 1) ratio aliqua oeconomica cum haereticis. Nam quum Pneumatomachi ex eo quod Spiritus Sanctus est ex Filio, et non, uti autumabant, ex Patre, divinitatem Spiritus Sancti negarent, Patres maluerunt particulam *ex* pro solo Patre usurpare, ut ostenderent Spiritum S. esse Patri consubstantialem. - 2) Discrimen inter mo-

dum quo Pater et quo Filius virtutem spirativam possident. - 3) Eloquentior expressio totius Trinitatis. Etenim iuxta modum quo Patres solebant considerare activitatem divinam ad intra tanquam unum quid complectum, quod incipit a Patre, et per Filium, uti medium, pervenit ad Spiritum, praetulerunt formulam quae in unico complexu utramque operationem continet, et ideo vix adhibuerunt formulam: « qui procedit ex Patre et « Filio », ne spiratio a generatione separari videretur; sed: « qui procedit a Patre per Filium ». Unde quum Spiritus se habeat ad Patrem per Filium, sicuti illuminatio est a sole per radium, ad emanationem Spiritus significandam elegerunt emphaticum vocabulum, quod iam transitum per medium terminum in se contineret. Dixerunt proin ἐκπορεύεσθαι; quod, uti recte habet S. Bonaventura, idem sonat ac procedere a procedente vel ab emanante. Quod iam vocabulum evidenter non poterat ad Filium applicari, quum absque dubio Spiritus Sanctus a Filio immediate procedat. Quare Damascenus, in loco ubi diserte tenet et docet Spiritum Sanctum per Filium procedere, negat expresse eum esse ex Filio, quatenus, iuxta ipsum, qui hoc diceret, negaret ordinem processionum iuxta quem Pater est solus αἰτία [1].

B) *In favorem formulae latinae* militabat 1) ratio aequalitatis in Patre et in Filio, quatenus sunt simul unum principium, in propria subsistentia manentes [2]. - 2) Ratio insuper immediatae emanationis a Patre, quae subobscure continetur in formula graeca, et proin occasionem dabat quaerendi, cur Spiritus Sanctus non esset Filius Filii et nepos Patris.

II) A) Iam *contra formulam Graecorum* faciebant interpretationes quibus ansam praebebat, ac si 1) Pater non esset auctor nisi mediate Spiritus; - vel 2) Filius instrumentum Patris, seu spirationis minister, - vel 3) Filius coprincipium alterius rationis partialis, sicuti mater ad Patrem; - vel 4) generatio Filii esset tantum media, sine concausalitate Filii in spiratione.

B) *Contra latinam* pariter militabant 1) commemoratio in eadem linea, ac si Pater et Filius non essent unum principium; - necnon 2) aequalitas omnimoda, ac si nihil prorsus

[1] Cf. dicta superius, ubi de Principio uti nomine personali Patris.

[2] Cf. dicenda de hoc argumento in art. sequenti.

interesset inter modum quo Pater et quo Filius habent vim spirandi.

Conclusio ex dictis duplex statui posse videtur. 1) Quoad expressionem *totius Trinitatis* praestat potius formula graeca. 2) Quoad expressionem *processionis Spiritus Sancti a Filio,* praestat formula latina, utpote clarior, licet nimis forte profunda.

Porro inter utramque formulam graecam « Pater per « Filium spirat Spiritum Sanctum » et « Spiritus Sanctus « procedit a Patre per Filium », licet quoad rem vix intersit, prior videtur exprimere magis activum influxum principii in ipsum spirationis terminum; altera magis vitam ipsius procedentis [1].

In fine huius inquisitionis iterum monemus, mentem nostram non esse salvandi ab aliquo excessu, imo a falsa quadam imaginatione, quaecumque a Patribus graecis in favorem suae formulae allata sunt; sed tradere principia, iuxta quae utraque formula perpendi debeat [2].

ARTICULUS IV.

UTRUM PATER ET FILIUS SINT UNUM PRINCIPIUM SPIRITUS SANCTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Duplex quaestio hic movetur: *a*) utrum Pater et Filius sint unum spirationis principium [3]; et *b*) utrum sint unus subsistens spirator.

Et certe si Pater et Filius spirarent per hoc per quod formaliter constituuntur, non possent esse unum principium, sed essent necessario duo. At nihilominus, etsi spirant per hoc quod habent commune, non ideo desinunt esse distincti subsistentes in ipso actu spirandi. Itaque catholica doctrina

[1] Cf. complenda de hoc argumento in fine Quaestionis, ubi de doctrina S. Anselmi.

[2] Congeriem textuum de hoc argumento vide inter alios apud Cl. de Regnon (op. cit.).

[3] Principium hic sumi simpliciter in sensu « a quo alius », et non insuper in sensu « qui a nullo », vix monendum ducimus.

medium tenet: unum scilicet esse principium, et tamen duas esse personas spirantes [1].

2) Ad cuius intelligentiam quaerendum est de eo quod supponitur per principium: utrum subsistens, an absolutum, an relativum.

Resp. Principium dicit *relationem vagam,* ac proin in recto ponit terminum distinctum a principio, et subsistentiam in principio [2]. De numero vero subsistentium in obliquo nihil aliud dicit, nisi quod, si subsistentes sint plures, et tamen unum principium, una debeat esse in subsistentibus virtus et actio communis. Quum igitur Pater et Filius iam sint constituti in sua propria distincta personalitate, se habent uti duo subsistentes, qui relate ad principiatum sunt unum, quatenus vi unius communis naturae unicam simul ponunt actionem ratione cuius sunt principium.

3) Iam vero quaenam est ista actio? quomodo unica concipi potest? Estne essentiae divinae amantis seipsam? Estne Patris amantis Filium uti cognoscentis et amantis cognitum? Estne Patris simul et Filii amantium alterutrum unico amore infinito?

Resp. Alius amor essentialis in divinis, alius personalis vel notionalis; sicut alia intellectio, alia dictio. Amor notionalis non est divinae essentiae simpliciter; secus Spiritus Sanctus, qui est essentia, esset a seipso [3]. Neque est simpliciter Patris ad Filium, quasi cognoscentis ad cognitum; quia Filius cognoscit Patrem, licet non dicendo ipsum; et certe cognoscendo, amat illum amore infinito. Amor autem Filii non distinguitur ab amore Patris, quia ab invicem sola oppositione relationis distinguuntur. Ergo restat ut actio communis sit amor reciprocus, quo Pater amat Filium, Filius amat Patrem; cuius principium unicum, nempe amor Dei effusivus et foecundus, ponit communem terminum Spiritum Sanctum, distinctum a Patre et Filio per solam processionem amoris; qui Spiritus, communicans in eadem essentia divina, infinitum

[1] Melius dicuntur duo spirantes, quam duo spiratores.

[2] Et ideo nequeunt in Patre generante et spirante praedicari duo principia.

[3] Inde rursus vides fallaciam eorum, qui SS. Trinitatem excogitant ac si nihil esset nisi Deus seipsum actuans per intellectum et voluntatem, utique actu unico aeterno.

amorem habet, sed non amorem qui potens sit ponere terminum; sicuti Verbum infinite intelligit, sed non notionaliter dicit [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter deficit: 1) Non distinguit inter naturam formaliter talem, et naturam formaliter quatenus dicit aliquam virtutem notionalem; 2) non attendit ad discrimen inter proprietatem stricti nominis et minus stricti nominis; illa nequit esse duabus personis communis, haec autem potest.

2. Obi. Recte procedit quoad prius membrum dilemmatis, scilicet principium unum non involvit unitatem personalem. Deficit autem quod alterum, ex defectu paritatis. Unitas principii ratione communis proprietatis potest stare cum distinctione suppositorum; non autem potest stare unitas suppositi cum principio duplici. Ratio est quia in voce « principio » continetur substantia, sed vaga; quae iam desinit esse vaga, sed determinatur ac multiplicatur, si dico *duo principia.*

3. Obi. Facillime solvitur; procedit quippe a falsa hypothesi, iam superius reiecta, aequalitatem scilicet divinarum personarum praedicari secundum relativa [2].

4. Obi. Peccat disiunctio dilemmatis. Etenim inter haec duo: « unum, quod est Pater », et « unum, quod non est Pater », datur tertium, scilicet: « unum quod, ratione suppositi vagi, « est simul Pater et non Pater, Pater et Filius ».

5. Obi. Dupliciter deficit: 1) redit in falsam disiunctionem obi. praecedentis; 2) arguit ac si haec formula inversa non posset aequaliter adhiberi.

6. Obi. Non est nisi tautologia. Adverte autem rationem dubitandi aliquorum. Per verba *idem principium,* si nihil significatur amplius quam per verba *unum principium,* eodem iure possunt utraque adhiberi, contrahendo scilicet *idem* ad formam communem eamdem, ratione cuius duae personae dicuntur principium unum. Si autem per verbum *idem* intenditur determinari suppositum vagum quod in principio continetur, iam subdola evadit locutio *idem principium,* utpote vicinior locutioni *eidem personae.* Sed per se, priori standum est,

[1] Vid. Quaest. sequentem, art. 1.

[2] De ista aequalitate sermo infra ex professo instituetur.

cum S. Th, et concedenda locutio; haec enim altera interpretatio de gratuito habet, unde gratis etiam potest depelli

7. Obi. Vide dicenda post expositionem *Corporis.*

Sed contra est. Doctrinam huius articuli solemniter definivit Conc. Lugdunense II, ad quod iubente Romano Pontifice Angelicus properabat, quando in itinere Fossae Novae vitam clausit [1]. Prima verba huius declarationis attulimus in dissertatione huic Quaestioni praemissa; ultima autem ita sonant: « Damnamus et reprobamus omnes qui negare prae- « sumpserint, aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre et Filio « procedere, sive etiam temerario ausu asserere, quod Spi- « ritus Sanctus ex Patre et Filio, tanquam ex duobus prin- « cipiis, et non tanquam ex uno, procedat » [2]. Idem sancivit Concilium Florentinum tum in Decreto Unionis Graecorum, tum in Decreto pro Iacobitis. In priori ita illustratur: « Diffi- « nimus... quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeterna- « liter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet « ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tanquam « ab uno principio et unica spiratione procedit; declarantes, « quod id, quod Sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre « per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligen- « tiam tendit ut per hoc significetur, Filium quoque esse « secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero « principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. « Et quoniam omnia, quae Patris sunt, Pater ipse unigenito « Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum « quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre « aeternaliter genitus est » [3]. In altero legitur: « Spiritus « Sanctus, quidquid est aut habet, habet a Patre simul et « Filio. Sed Pater et Filius non duo principia Spiritus Sancti, « sed unum principium: sicut Pater et Filius et Spiritus « Sanctus non tria principia creationis, sed unum princi- « pium » [4]. Declarationes Concilii Florentini ad verbum iteravit Gregorius XIII. in Professione fidei Graecis imposita [5].

[1] S. Thomam ex veneno sibi iussu « christianissimi » Regis Galliarum porrecto obiisse, nonnulti historici suspicantur.

[2] Denzinger (op. cit. n. 382).

[3] Ibid. n. 586.

[4] Ibid. n. 598.

[5] Ibid. n. 868.

Igitur quod tempore divi Thomae, licet Scripturis fulcitum, auctoritati Patrum consonum, solidissimis rationibus S. Anselmi, Alexandri Halensis, S. Bonaventurae, etc., ipsiusque Angelici, de unico principio Spiritus Sancti negare, forte nondum erat nisi summa temeritas, non autem fidei iactura; iam a Concilio Lugdunensi II, uti solemniter promulgatum dogma a quocumque catholico coepit esse tenendum.

In Corpore. Argumentum duplici parte constat. In priori S. Thomas brevissime demonstrat, vi axiomatis fundamentalis in Trinitate, unam esse debere, defectu oppositionis ad invicem, in Patre et Filio spirandi virtutem, ac proin unum Spiritus Sancti principium.

In altera parte proprium huius formulae sensum vindicat, et quidem directe et indirecte.

a) *Indirecte*, refellendo opinionem aliquorum, qui urgent in principio sensum adiectivum, ac proin adiectum *unum* ad standum pro adverbio. - Quam positionem S. Thomas indirecte depellit ex consequenti absurdo, quoad duplex principium in Patre.

b) Reiecta igitur hac sententia sensum formulae *directius* determinat, ostendendo scilicet, principium significare utique proprietatem, non autem per modum adiectivi sed substantivi. Inde analogia inter formulas: « Pater, Filius et Spiritus Sanctus unus Deus »; et: « Pater et Filius unum principium Spiritus Sancti ».

Conclude, - quod in obiectionum solutione magis illustrabitur; - quo modo se habet vocabulum *Deus* ad subsistentiam personalem, eodem se habere *principium*. In recto quidem ponit essentiam divinam, sicut principium virtutem producendi per spirationem; in obliquo autem utrumque ponit illos, qui sunt in illa natura et cum illa virtute subsistentes.

Resp. ad 1m. Observa ex modo quo de Deo praedicamus, si comparatio ex toto valeret, proscribendam esse insuper locutionem « *duo spirantes* ». Nam, uti exponit fuse Symbolum Athanasianum, non dicimus de Deo tres aeternos, tres omnipotentes, etc.; igitur nec adiective duos spirantes Patrem et Filium vocare possemus. Inde vides, non carere fundamento rationem in prima parte responsi allatam, licet S. Thomas eidem non insistat, aliam uti meliorem suggerens; et

quidem optime fundatam in lege praedicationis per adiectivum et per substantivum. Nihilominus, unice solutioni Angelici innitendo, quomodo recusabis, personas divinas vocari tres creantes; nisi recurras ad discrimen inter modum quo se habent ad intra duae personae ad spirationem Spiritus Sancti, et tres personae ad opificium ad extra? [1].

Quaeres. - Si Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, tanquam ex uno principio, quomodo potest salvari locutio S. Augustini, Spiritum Sanctum procedere *principaliter* de Patre? Nam ubi nonnisi unum habetur principium, nullus locus tali distinctioni superesse videtur, quippe quae non solum ponit principium duplex, sed et inaequale.

Sanctus Anselmus, cuius doctrinam superius iam fuse consideravimus, sequenti modo hanc obiectionem tangit [2]. « Quod si dicitur quia Spiritus Sanctus principaliter est de « Patre, quasi magis sit de Patre quam de Filio, non ita « dicendum est, ut intelligatur ulla praedictarum varietatum « inesse [3]; sed quoniam Filius hoc quod est, de Patre habet, « idcirco hoc ipsum quod Spiritus Sanctus est de Filio, habere « de Patre; de quo habet esse, non inconvenienter asseritur. « Quoniam tamen sic habet esse de Patre Filius, ut omnino « idipsum sit quod Pater, et unus idemque Deus: sicut solus « et simplex Deus non potest esse maior vel minor seipso, « nec prior nec posterior, nec maior nec minor est Patre, « nec habet aliquid in se diversum ab eo; sed sicut habet « ab illo perfecte esse, ita habet per omnia ab eodem aequale « illi et simile, imo idipsum esse. Quapropter sicut Pater non « est magis Deus, quam Filius, quamvis Filius habeat esse « de Patre; ita non est magis Spiritus Sanctus de Patre quam « de Filio, licet Filius a Patre habeat, ut de illo sit Spiritus « Sanctus » [4].

[1] Observa, Concilium Florentinum in Decreto pro Iacobitis conferre inter se modum quo Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, uti ab uno principio, et modum quo creationis opus ad extra procedit a tota SS. Trinitate uno Deo. Vide textum in *Sed contra est.* Quae comparatio ab ipso Augustino superius allato derivatur.

[2] Ibid. c. 24, Col. 319.

[3] Cf. ibidem cap. 23; col. 319.

[4] Lege integrum caput, a quo afferendo brevitatis causa continemus.

Iuxta distinctionem a S. Anselmo suggestam intelligenda est locutio S. Augustini [1], ita ut inter utrumque Doctorem nedum dissidium, perfecta exstet harmonia.

Sed ecce haec ipsa obiectio, dum mentem in S. Anselmi doctrinam convertit, ut ex eadem hauriatur uberius, ubertas ipsa responsionis suadet. Sint igitur, praeter iam hic illic pro opportunitate conspersa, quaedam penitiora.

De Doctrina S. Anselmi.

Acutus catholici dogmatis vindex, quem in posteriori Concilio, instaurata quin et magis aestuante controversia absentem Romanus Pontifex alta voce compellasse fertur: « Anselme, ubi es? » non solum processionem ex Patre et Filio solidissimis rationibus exposuit, unitatemque principii in hac spiratione vindicavit, sed et de ipsa Graecorum formula ac mente subtiliter disseruit. Cuius liber « *De Processione S. Spiritus* » a quocumque profundioris intelligentiae sollicito integer est assidue pervolvendus. Scopo praesenti satis sit afferre quomodo falsas interpretationes formulae « per Filium » discernat ac veluti dialecticae ventilabro discutiat.

1) Et primo quidem refellit (c. XV.) auctoritatem a Photianis ex epistola ad Romanos desumptam. « Sicut nobis « dicitur, ne omnino separent Filium a Patris communione in « hac Spiritus Sancti processione, asserunt eum de Patre per « Filium procedere. Sed hoc quomodo intelligi possit, non « videtur [2]; praesertim quum nusquam legant unde hoc « aperte probare queant. Nam si hoc sibi suffragari existi- « mant quod legimus de Deo: " Quia ex ipso, et per ipsum, « et in ipso sunt omnia " [3], ut *ex quo* sunt omnia sit Pater, « et *per quem* Filius, et *in quo* Spiritus Sanctus; et inter « omnia quae sunt per Filium Spiritus Sanctus intelligatur. « Hoc quidem quod ex Patre sint omnia, et per Filium et

[1] *De Trin.* l. xv, c. 17, n. 29. — *P. L.* t. xlii, col. 1081.

[2] Ne fortior tibi videatur ista sententia, attende hoc dici a S. Anselmo ad hominem contra Graecos. Utique formula *per Filium* habet sensum profundissimum, si concipitur uti expressio dogmatis catholici; secus autem nullum, nisi impium aut absurdum, aut in Macedonianismum conducentem. Cf. finem argumenti S. Thomae in corp. art. ii.

[3] Rom., ix, 36.

« in Spiritu Sancto sine scrupulo accipimus; illud vero quod « Spiritus Sanctus sit inter omnia quae sic esse dicit Apo- « stolus, nimis est scrupulosum asserere » [1]. Quod tamen asseratur oportet a Graecis, si ex hoc loco suam formulam vindicare velint.

Assertum suum probat iam S. Anselmus ostendendo 1) absurde in hoc « omnia » aliquo modo personam includi; 2) hanc sententiam complecti totam Trinitatem relate ad opera externa. « Impossibile namque est unam quamlibet de « illis tribus personis inter illa omnia includere, et duas alias « excludere. Quod si Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt « inter omnia quae sunt ex Patre, et per Filium, et in Spiritu « Sancto: et videat mens rationalis quanta sequatur confusio ». Hoc de primo. — Quid igitur? « Cum ergo dicit Apostolus: « Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, intelligere « debemus sine dubio *omnia creata* a Deo, quae ita sunt ex « ipso et per ipsum et in ipso, sicut *aliud* ex alio et per « aliud et in alio. Quidquid enim factum est, non est idem « Deo, sed ab illo aliud. Spiritus autem Sanctus non est aliud, « sed idem ipsum quod Pater et Filius »: Hoc de altero.

Probato igitur Spiritum Sanctum esse idem ad intra cum Patre et Filio, ex hac ipsa identitate probat processionem Spiritus Sancti a Filio, haud secus ac a Patre, tanquam ab uno deitatis principio. Quod per sequens dilemma eleganter obtinet. « Utique nihil aliud intelligi potest, quo ostendere « possint Spiritum Sanctum per Filium de Patre, sicut aiunt, « procedere. Cum enim Pater et Filius non differant in uni- « tate deitatis, nec Spiritus Sanctus procedat de Patre nisi « de deitate, si eadem deitas est Filii, nequit intelligi quo- « modo procedat de deitate Patris per deitatem Filii, et non « de eiusdem Filii deitate, nisi forte quis dicat, Spiritum San- « ctum non procedere de deitate Patris, sed de paternitate; « nec per deitatem Filii, sed per filiationem: quae opinio sua « se patenti fatuitate suffocat » [2].

Iam occurrit obiectioni contra priorem partem dilemmatis ex ipsa Spiritus Sancti deitate arguenti. Cuius obiectionis aculeum non modo per ipsam originis oppositionem deflectit,

[1] *P. L.* t. CLVIII, col. 308.
[2] Ibid.

sed et per generationem Filii nervose retorquet. « Quod si « dicit aliquis, quia, cum dico illum (Spiritum Sanctum) pro- « cedere de deitate Patris et Filii, non possum deitatem Spi- « ritus Sancti ab hac Patris et Filii deitate separare; quoniam « una et eadem est deitas trium; et ideo sequi, si de deitate « Patris et Filii procedit, de sua quoque eum procedere; et « ob hoc Spiritum Sanctum de seipso procedere. Ad hoc iam « supra me sufficienter memini respondisse, quia nulla per- « sona ex seipsa esse potest: nam, sicut Filius, cum est de « Patris essentia, quamvis non sit alia sed eadem Filii essentia « quae est Patris, non tamen est de seipso, sed de Patre solo; « ita Spiritus Sanctus cum est de essentia Patris et Filii, « quae est et eadem illi, non tamen est de seipso, sed de « Patre et Filio »[1].

2) Alia locutione abutebantur Photiani, exordio scilicet Evangelii Ioannis: « Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt ». Obiectionem ex hac sententia ab adversariis confectam, efficacissime de more Anselmus exponit: « Dicent: cur non « similiter dicere possumus, Spiritum Sanctum de Patre per « Filium procedere, sicut dicimus a Patre omnia facta per « Verbum, quod est Filius? Sicut enim cum Pater facit per « Verbum suum, non facit per alium quam per hoc quod « ipse est, hoc est per essentialem potestatem, quae est eadem « Verbi, et tamen dicitur facere per Verbum; cur non simi- « liter dicimus Spiritum Sanctum a Patre procedere per Ver- « bum, cum non procedat a Patre, nisi de hoc et per hoc « quod idem est illi cum Filio, quamvis non ut creatura, sed « ut idipsum de eodem ipso? » Ut patet est instantia valde subtilis, ad hominem ex ipso ultimo dilemmate quasi deprompta, a prioris dilemmatis virtute cavendo. Unde Anselmus: « Videamus quid sequatur, et pax sit inter nos »[2].

Et primo quidem accipit instantiam, sed in sensu orthodoxo, quem ipsa comparatio secum fert. « Nempe quae facta « sunt a Patre per Verbum, facta sunt ab ipso Verbo, ipsum « namque Verbum dicit: " Quaecumque enim Pater fecerit, « haec et Filius similiter facit "[3]. Dicamus igitur quia Spi-

[1] *P. L.* t. CLVIII, col. 308, sq.
[2] C. XVI. — Ibid. col. 309.
[3] IOANN., V, 19.

« ritus Sanctus cum procedit a Patre per Filium, procedit et « a Filio similiter; sicut quae facta sunt a Patre per Verbum, « facta sunt similiter ab ipso Verbo ». Haec autem responsio supponit, Graecos aliquid saltem in Verbo ad Spiritum ope particulae *per* exprimere velle. Quid iam si istud *per* nihil significaret, praeter illud quod superius vocavimus medium simplex? Obiectionem sentit Anselmus et formulat: « Nisi « forte intelligunt Spiritum Sanctum procedere de Patre per « Filium, quemadmodum cum fons fluit in rivum et rivus « colligitur in lacum, dicitur lacus esse de fonte per rivum ». Negat paritatem ex ipsa immanentia Filii. « Sed ibi non est « rivus in fonte, sed extra fontem, sicut est Filius in Patre, « et non extra Patrem. Quare non sic est Spiritus Sanctus « de Patre per Filium, sicut est lacus de fonte per rivum » [1]. Nec tamen hac responsione contentus, obiectionem retorquet. Etiamsi enim, ait, comparatio valeret, dici deberet Spiritus esse de Filio, sicut vere dicitur lacus esse de rivo. Secus homo dici non posset esse de patre suo, nec Christus de Virgine, sed de Adam, imo nec de Adamo sed de limo.

Instant Photiani ex peculiari significatione vocis *procedere:* « Ecce enim videtis rivum de fonte procedere, quasi « de *originali principio;* lacus autem non procedit, sed col- « ligitur de rivo, quamvis habeat esse de illo. Ita igitur etsi « Spiritus Sanctus habeat esse de Filio, non tamen procedere « proprie dicitur de Filio, sed de Patre quasi de principio ». Sentit Anselmus subtilitatem instantiae; quae redit ad fundamentale discrimen, quo Filius non nascitur extra Patrem, et ipse Spiritus Sanctus procedit sine intervallo nec loci nec temporis. Lege ipsum textum, a quo transcribendo brevitatis causa temperamus.

At nonne saltem concedendum erit, Filium magis procedere de Patre, quam Spiritum de Filio? Reponit Anselmus: Concedo, Filium ita nasci de Patre ut ab eo procedat, Spiritum non quidem nasci sed procedere, et quidem tantopere de unico fonte, ut non sit cur magis dici debeat Filius procedere de Patre quam Spiritus Sanctus de Filio [2].

Imo nec concedit acutus Doctor, lacum magis procedere

[1] Ibid.

[2] C. 17. — Ibid. col. 310, sq.

de fonte quam de rivo. Quod per sequens caput mirabili ingenii limpiditate manifestat. En summam doctrinae. Tria sunt fons, rivus, lacus; sed constant una re qua sunt unum, scilicet aqua eadem: in fonte, in rivo, in lacu. In fonte ebullit, in rivo descendit, in lacu colligitur. Videmus autem quia « rivus non est de hoc unde aqua fons dicitur, sed de hoc « quod est, id est de aqua; nec lacus est de hoc unde aqua « dicitur fons aut rivus, sed de ipsa aqua, quae una et eadem « est in fonte et rivo. Non ergo de hoc unde differunt fons « et rivus, sed de hoc in quo unum sunt, lacus existit. Si ergo « non magis fons est hoc unde lacus est quam rivus, nequit « intelligi lacus magis esse de fonte quam de rivo ». Applicatio patet.

Haec sane subtiliter et belle. Nihilominus, pace tanti Magistri dixerim, aliud est *esse* rivi et *esse* lacus; quod certe ex aqua constat, sicut et esse fontis; aliud *procedere* rivi, ac *procedere* lacus. Iam vero procedit rivus ex fonte quatenus aqua in fonte ebullit; procedit lacus ex rivo quatenus aqua per rivum descendit. Tolle ebullire fontis, vel descendere rivi, nec aqua ad lacum provenire posset. Quatenus igitur ebullitio fontis est conditio sine qua non impletionis rivi, magis procedit lacus de fonte quam de rivo. Posset enim fons sine rivo lacum implere; rivus sine fonte, nequaquam. Quare ad strictam unitatem principii in Patre et Filio relate ad Spiritum vindicandam, oportet redire ad disparitatem comparationis; quae non potest iuvare ad plenam intellectionem argumenti, nisi, « sicut per temporale et locale aliquid « potest intelligi quod aeternum est » [1].

Quas in Concilio Barensi Anselmus partes egisse fertur, in Concilio Florentino, per ultimas sex sessiones contra Graecorum subtilitates disputans, Latinorum nomine egit Ioannes a Monte Nigro.

[1] Ibid. col. 311.

De Doctrina S. Bonaventurae.

Tam abunde et tam pulchre S. Bonaventura de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio per duas distinctiones [1] disserit, ut operae pretium sit ac indoli nostrae methodi apprime consentaneum, aliquid saltem ex hac aurea doctrina depromere.

I. Veritatem fundamentalem processionis Spiritus Sancti *a Patre et Filio* A) demonstrat 1) per nomen *doni*, 2) per nomen *amoris*, 3) per nomen *nexus*, 4) per *impossibilitatem* contrarii ex defectu oppositionis, 5) ex maiori *germanitate* quae inde in SS. Trinitate obtinetur, 6) ex *perfectione* generationis, si non modo naturam, sed et actum communicet, 7) ex hoc quod Spiritus dicitur *Filii*, 8) ex hoc quod a Filio *mittitur*, 9) et ab eo *accipit*.

B) Illustrat idem dogma, ostendens quomodo Latini melius revelationem intellexerint quam Graeci, quam recte haec veritas sit proclamata apertius, et quam falsae sint ac fundamento destitutae, calumniae a Graecis contra Latinos fieri solitae.

1) Melius ac profundius Latini intellexerunt *a*) *processionem*, quia magis se receperunt ad processionem causalem, dum Graeci magis in locali sensu steterunt; - *b*) pariter *spirationem* magis intenderunt in sensu spirituali per amorem interiorem, Graeci autem magis per flatum exteriorem; - *c*) *nexum* Latini intellexerunt non medium, uti Graeci, sed extremum in quo ambo coniunguntur.

2) Legitimitatem apertioris huius dogmatis declarationis S. Bonaventura vindicat *a*) ex ipsa fidei veritate, *b*) ex periculi necessitate, *c*) ex Ecclesiae auctoritate.

3) Falsum est proin, Latinos in hoc fuisse, uti Graeci autumant, *a*) *curiosos*, nam periculum urgebat; *b*) *excommunicatos*, nam ex auctoritate suprema fidem antiquam non corruperunt, sed perfecerunt; *c*) *schismaticos*, nam Graecos ad hanc declarationem advocare fuit α) inopportunum, propter auctoritatem, β) laboriosum, propter distantiam, γ) periculo-

[1] I. Dist. XI. et XII.

sum, propter dogmatis certitudinem quae in dubium vocari potuisset [1].

Erudite monent editores Seraphici Patris, de quarto argumento impossibilitatis scilicet, celebrem inter theologos vigere controversiam. Cum S. Thoma et S. Bonaventura stant Alex. Halensis, B. Albertus, Petrus a Tar. aliique bene multi. Cum Scoto oppositum tenent Henricus Gandavensis, Dionysius Carthus., et Scotistae passim. Anceps haeret inter alios Richardus a Med.. Quomodo interpretandus sit de hoc argumento S. Anselmus, fuse superius exposuimus.

II. Porro Patrem et Filium esse Spiritus Sancti *principium unum*, S. Bonaventura breviter absolvit ex ipsa communione foecunditatis voluntatis « Quamvis Spiritus Sanctus « a duobus procedat, quia tamen procedit non ut sunt diffe- « rentes, sed ut est in eis una foecunditas voluntatis, Spiritus « Sanctus procedit ab eis in quantum sunt unum ».

Penitius autem investigans de ultima ratione huius unitatis, utrum ponenda sit in notione spirandi, an in substantia uti in persona, rem in dubio relinquit, utramque sententiam uti aeque probabilem iudicans. Alteram solutionem, quae forte magis appropinquat ad doctrinam supra expositam, his verbis exponit: « Ita Pater et Filius spirant in quantum unum in « essentia, sive natura, sive voluntate, ut dicatur proprius, « *voluntate considerata in personis* » [2].

III. Iam in Distinctione sequenti hanc processionem ab utroque per modum unius perscrutatur profundius. Et quidem primo illustrat, quo sensu Spiritus Sanctus procedat prius a Patre quam a Filio, quo sensu sine prioritate Patris. Exclusis prioritate durationis atque causalitatis, utpote Deo ad intra indignis, negat prioritatem originis propter unitatem principii spirantis; concedit autem prioritatem auctoritatis, ratione principii sine principio: « Tamen cadit ibi prius *aucto-* « *ritate*, quia quamvis Pater et Filius sint unum in produ- « cendo, tamen hoc accipit Filius a Patre » [3].

Haec prioritas ratione auctoritatis facit, ut Spiritus Sanctus dici possit *a*) *principalius* procedere e Patre: auctoritas enim

[1] Quaest. I.
[2] Quaest. II.
[3] Quaest. I.

idem est ac principatus; pariter *b*) procedere a Patre *per se:* nam ratio huius principatus consistit in hoc quod Filius non habet vim spirativam a se, sed a Patre. Non autem potest dici Spiritus Sanctus procedere *plenius* a Patre quam a Filio, nec *perfectius*, « quia plenius ponit gradum perfectionis, « ponit etiam compositionem substantiae in producto, quo- « rum neutrum est in divinis ». Et caute concludit: « Unde, « si proponatur haec: quod illud quod procedit ab aliquo « principalius, procedit plenius, simpliciter est neganda » [1].

IV. Quaerens demum S. Bonaventura utrum Spiritu Sanctus dicendus sit procedere a Patre *immediate* an *mediate* per Filium, utramque formulam cum Richardo concedit: « Productio Spiritus Sancti est mediata, in quantum est a « Filio, et Filius a Patre; sed immediata, in quantum ipse « Spiritus Sanctus ab ipso Patre spiratur ». Et rem illustrat per originem Abelis ex Adamo et ex Eva, quae prius et ipsa est ex Adamo. Et pergit pulchritudinem huius duplicis respectus illustrans: « Et hunc modum oportuit esse in Deo « propter summam germanitatem. Si enim tantum mediata « esset processio Spiritus Sancti, ut tantum esset a Filio, non « esset summa germanitas Spiritus Sancti cum Patre. Similiter « si omnino immediata ut esset a Patre tantum, non esset « summa germanitas cum Filio. Et sic concedendum est, « quod mediante Filio » [2]. Egregia sane consideratio, mystico veluti nardo conspersa!

Et haec de Seraphici doctrina pro praesenti argumento satis.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Nomen Spiritus Sanctus etiamsi per se commune sit tribus personis, - est enim unaquaeque Spiritus et Sancta, - nihilominus ex constanti usu Scripturarum accommodatur

[1] Quaest. II.

[2] Quaest. III. Verbis parumper diversis, at quoad doctrinam in idem incidentibus Petrus a Tar. hanc quaestionem solvit: « Respiciendo ad *principium quo* spirant, aeque « immediate procedit Spiritus Sanctus a Patre sicut a Filio; respiciendo ad ipsos « *spirantes*, similiter aeque immediate procedit a Patre sicut a Filio; sed nihilominus « etiam mediate procedit a Patre, quia non solum per se spirat, sed etiam mediante « Filio ». Hoc. loco, Q. I, a. 3. — Cf. de hoc argumento Petavium (op. cit. l. VII, c. 11.).

ut proprium sit tertiae personae; idque convenientissime, tum quia communis est ambobus, tum quia « Spiritus » apte emanationem amoris, et « Sanctus » ordinationem in Deum per amorem exprimit (a. 1).

2) Procedit autem Spiritus Sanctus non a solo Patre, sed a Patre et Filio; quod, in Scripturis aequivalenter contentum, sequitur *a*) ex ipsa distinctione inter Filium et Spiritum, quae secus vindicari non posset; *b*) ex ipsa indole utriusque processionis, quae exigit prolatum Verbum esse coprincipium spirationis; *c*) ex ipso ordine requisito inter procedentes, quum materialiter differre nequeant (a. 2).

3) Quatenus autem Filius habet a Patre, a quo est, cum ipsa divina natura virtutem spirandi, potest cum Graecis Patribus - at non in sensu photiano - dici, Patrem per Filium spirare Spiritum, sive Spiritum a Patre procedere per Filium (art. 3).

4) Nihilominus non ut duo principia, sed uti unum, ratione eiusdem virtutis utrique communis, Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum; quod unum principium, in recto ponens virtutem spirativam, in obliquo subsistentiam vagam, non impedit, imo supponit, in communi spiratione ambos spirantes manere ab invicem distinctos (a. 4) [1].

B) - DE NOMINE SPIRITUS SANCTI QUOD EST AMOR.

QUAESTIO XXXVII.

ARTICULUS I.

UTRUM AMOR SIT PROPRIUM NOMEN SPIRITUS SANCTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quemadmodum Filius vocatur Verbum quia procedit per intellectum; ita Spiritus Sanctus, uti procedens per viam amoris, vocatur proprio nomine quod est *Amor*.

[1] Cf. conclusionem II Card. Satolli (hoc loco, p. 312).

Iam vero in inquisitione de proprietate alicuius nominis duae sunt quaestiones distinctae: *a*) utrum *per se*, *b*) an *ex usu* potius nomen proprium audiat.

Per se nomen proprium in divinis est illud, quod per se exprimit id quo persona constituitur; nempe relationem. Unde Pater, Filius, Spiritus [1] propria sunt nomina. Rursus Verbum, utpote emanationem intellectualem significans, relativum ponit ac proin proprium est.

2) Quaestio igitur movetur, utrum idem de *amore* valeat. *Per se* negandum est, tum *a*) quia per se amor non exprimit emanationem; *b*) tum quia per se non ponit distinctum, et dicitur tam bene de principio amante quam de termino. - Neque sufficit ad praesens quaesitum similitudo cum amore nostro etiam quo nos amamus, qui semper distinctus est a facultate a qua est. Nam si haec sufficeret, distinctio personarum in divinis ex gemina operatione intellectus et amoris iam per solam rationem probaretur quod est inconveniens. Insuper, - et hoc praecipuum, - aliud est in nobis amorem esse distinctum; aliud, hanc distinctionem per ipsum vocabulum exprimi. Prius quidem valet aeque de amore nostro ac de nostro verbo interno; alterum autem solum de verbo. Unde distinctio prostat superius illustrata, inter intelligere et dicere sive inter sapientiam et verbum [2].

3) Apparet ergo, unice *ex usu* amorem audire nomen proprium. Ad quod iam legitimandum duo requiruntur: *a*) quod nomen per se aptum sit ad proprietatem exprimendam; - et de hoc nullum dubium, quum solummodo per se illi aliquid desit: - *b*) quod in divinis adsit aliqua ratio cogens ad specialem usum huius vocabuli inducendum.

Iam vero haec ratio habetur de altera processione sicuti de priore. Est nimirum essentialis foecunditas divinarum operationum, quarum terminus realiter distinctus est a principio. Quare quum in termino intellectionis ipsa revelatio nobis tradiderit vocabulum Verbi ad personam procedentem

[1] Etsi minori evidentia, imo non sine lege accomodationis, uti ex art. 1. praec. Quaest. constat.

[2] Si quis autem cum Durando teneat, verbum in divinis per prius intelligi essentialiter, et nonnisi ex usu significare notionaliter, is eodem modo de verbo et de amore loqui potest. Vide quid quoad hoc doctrinae punctum intersit inter modum loquendi S. Thomae in *Summa Theologica* et in *De Verit.* Q. IV, a. 2.

per viam intellectionis exprimendam; de termino autem dilectionis distinctum nomen huic alteri correspondens non aperte occurrat, traditio theologica vocabulum amoris, quod per se communius est, assumpsit ad aliquam significationem strictiorem supereminentem, id est, ad exprimendam personam *per amorem procedentem;* sicuti si, deficiente vocabulo « *Verbum* », Filius simpliciter vocaretur Sapientia, intelligendo Sapientiam genitam.

4) At cuivis vocabulo personali exprimenti terminum ad quem, respondeat oportet vocabulum notionale, exprimens actionem principii a quo; ita Verbo in Filio respondet *dictio* in Patre.

Oportuit igitur ad sensum notionalem contrahere quaedam vocabula per se communiora ad exprimendum actum notionalem cuius terminus est amor personalis. Ita *amare* et *diligere* in divinis notionaliter dicuntur, etsi non per se, nec semper, uti aequivalentia τοῦ spirare, et conveniunt Patri simul et Filio, quatenus, iuxta modo exposita, ambo sunt unum spirandi principium.

5) Apparet proin vocabulum « *Amorem* » in divinis tripliciter dici: *a*) *Essentialiter,* sicuti sapientia, et convenit aeque Patri et Filio et Spiritui Sancto; - *b*) *notionaliter,* sicuti dictio in sensu activo, et convenit Patri et Filio; - *c*) tandem *personaliter,* in sensu passivo, sicut de Filio Verbum, proprium est Spiritui Sancto.

6) Porro idem sonant *amor* et *charitas.* De qua forte apertius ait Scriptura. « Charitas Dei diffusa est in cordibus « nostris per Spiritum Sanctum »; et alibi: « Deus charitas « est; et qui manet in charitate in Deo manet »..... Quibus certe verbis nexus ille intimus inter Spiritum Sanctum nobis immanentem et Dei charitatem significatur. - Cf. auctoritates afferendas in *Sed contra est.*

7) Sed hic iam oritur duplex quaestio: *a*) ex quanam dilectione procedit Spiritus Sanctus? - *b*) ex cuiusnam dilectione?

Prior quaestio ad finem art. II. differetur; de altera praeter iam superius praelibata, adhuc haec pauca sint.

Ad vindicandam distinctionem inter Spiritum et Filium, et ad salvandum ordinem processionum ac proin personarum,

satis esset ponere, quod Spiritus Sanctus procedit ab amore Patris se et Filium cognoscentis. Nam amor ille necessario esset communis Filio, quum Filius sit in eadem essentia.

Sed ad salvandam perfectam activitatem Filii haec loquendi ratio nimis est impar. Nam praeterquam quod iuxta huius loquendi modum Filius non videtur nisi materialiter esse principium Spiritus Sancti, siletur eius agere tum per intellectionem, tum per amorem. Verbum quippe, etsi dictum a Patre et incapax notionaliter dicendi, infinite intelligit. Proin intelligit et se et Patrem. Quum ergo se et Patrem intelligat, debet se et Patrem infinito amore diligere, qui tamen amor ex eodem principio fluens, quo fluit amor Patris ad Filium, et utrobique foecundus, tanquam unus est, unio utriusque in uno notionali actu foecunditatis infinitae, cuius terminus est Spiritus Sanctus, Spiritus utriusque, quia amor utriusque.

E quo rursus patet, Filium cognoscentem et amantem se et Patrem, ex aequo cum Patre spirare. Insuper uterque ex cognitione et dilectione propria ac mutua necnon essentiae et omnis creaturae spirant vel diligunt. De quo fusius in fine art. II.

Spiritus autem Sanctus procedens a Patre et Filio, in eadem essentia infinite cognoscit et amat essentiam, personas et creaturas, sed neque dicit neque notionaliter diligit: accipit enim a Patre et Filio omne quod sunt, demptis paternitate, filiatione et spiratione, id est dicere, esse Verbum et notionaliter diligere, quibus constituuntur Pater et Filius ad invicem et uterque spirans ad seipsum spiratum.

Obiicies. - Sed nonne haec solutio minuit necessitatem generationis Verbi ante processionem Spiritus, quatenus ponit in Verbo intellectionem non foecundam ut sufficiens antecedens ad amorem foecundum? Videtur ergo spirans posse cognoscere sine dictione et ita spirare antequam dicat.

Resp. Intellectio Verbi licet non foecunda, est tamen terminus foecundae intellectionis Patris, a quo seiungi nequit. Imo in ipso Patre non potest separari realiter intellectio a dictione, quatenus Pater necessario ab aeterno intelligendo dicit Verbum, quo prolato - ordine utique naturae - ad quemvis amoris actum via patet. Nullus autem actus amoris concipi potest, quem non aliquis actus intelligendi logice praecedat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Interpretatur uti dictam in sensu notionali amoris, sententiam ab Augustino in sensu essentiali prolatam.

2. Obi. Non considerat in amoris affectu habitudinem ad facultatem a qua est, et ratione cuius tum est actus immanens, licet effectum ad extra producere possit; tum est aliqualiter emanatio ab ipsa facultate. Age iam: pone in amante non solum esse facultatem qua est amans, sed et ipsum obiectum amatum; insuper tantam emanationis virtutem cuius terminus sit subsistens: et habebis intentum.

3. Obi. Dupliciter deficit: 1) confundit medium ratione ordinis, et ratione amoris. Ratione ordinis Filius est medius inter Patrem et Spiritum, unde et dicitur Spiritus Sanctus procedere a Patre per Filium; ratione amoris, medius est Spiritus Sanctus, uti vinculum mutuum inter Patrem et Filium. Etenim si iam inter homines nullum exstat vinculum arctius amore, quanto magis inter divinas id valebit personas? - 2) Inde obiectio retorquetur validissime. Etenim quum procedat Spiritus a Patre et Filio, nequit ab utroque procedere, nisi uti vinculum reciprocum, ac proin medium.

4. Obi. Solvitur per distinctionem inter τὸ amare essentiale et τὸ amare notionale; ad modum distinctionis superius vindicatae inter τὸ intelligere et τὸ dicere. Si fas esset contrahere vocabulum diligere ad sensum essentialem sicuti intelligere, et amare ad sensum notionalem sicuti dicere, aequatio posset ita poni: Quemadmodum in SS. Trinitate tres sunt intelligentes, unus autem dicens; ita tres sunt diligentes, at nonnisi duo amantes.

Ad pleniorem obiectionum solutionumque intelligentiam, adverte, amorem nostrum cum termino suo nobis intime impresso, medium se habere inter amorem essentialem et personalem Dei. Quatenus enim amor facultatis nostrae impressus manet in nostra facultate indistinctus subsistentia, convenit cum amore essentiali Dei, qui idem est cum ipso Deo et communis aeque tribus personis. Quatenus autem est nobis accidens a facultate distinctum, convenit cum amore emanante vel procedente in Deo, qui est Spiritus Sanctus personaliter distinctus, non quidem per accidens, sed per propriam realem subsistentiam.

Sed contra est. Doctrinam praesentis articuli sancivit Conc. Tolet. XI: « Qui tamen nec Patris tantum, nec Filii « tantum; sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec enim « de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad san- « ctificandam creaturam: sed simul ab utroque processisse « monstratur, quia *charitas,* sive sanctitas amborum agno- « scitur » [1].

Id apertissime multis in locis docuerat iam Augustinus. Vocat enim Spiritum Sanctum « charitatem substantialem, « et consubstantialem amborum » [2], qua locutione vix ulla profundior. Rationem autem relationis huius amoris ad Patrem simul et Filium his aureis verbis alibi describit: « Quapropter « etiam Spiritus Sanctus in eadem unitate substantiae et aequa- « litate consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, « sive charitas, sive ideo unitas, quia charitas, et ideo cha- « ritas quia sanctitas; manifestum est quod non aliquis duo- « rum est, quo uterque coniungitur, quo genitus a gignente « diligatur, genitoremque suum diligat » [3].

Cur autem nomen charitatis magis aptum sit termino huius amoris significando quam principio amanti, Hipponensis, hisce manifestat: « Et si charitas, qua Pater diligit « Filium, et Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem « demonstrat amborum, quid convenientius, quam ut ille cha- « ritas dicatur proprie, qui Spiritus est communis ambobus? [4]. Quod, partim idem, dixerat Ambrosius: « Unus est diligens « eum, qui ab ipso est; unus est dilectus ab eo, a quo est: « una est dilectio utriusque Spiritus Sanctus, idem tamen « Deus » [5].

Ex graecis Patribus audi S. Athanasium: « Itaque cum « bene precaretur (Paulus) Corinthiis, in Trinitate precabatur,

[1] DENZINGER. (op. cit. n. 224). Verba « nec Filii tantum » ibidem erronee desunt.

[2] *In Ioann.* tr. cv. n. 3. - *P. L.* t. xxxv. col. 1904. — Verba quasi immediate sequentia typica sunt ad ostendendum, formulam « quoniam tres sunt », non inducere per si allusionem ad comma Ioanneum, imo ex ipso modo quo occurrit apparere, S. Augustinum hoc comma non legisse. Secus enim clarius, occasione data, illud attulisset.

[3] *De Trinit.*, l. vi, c. 5. *P. L.* xlv, col. 927, sq.

[4] Ibid. l. xv, c. 19. Ibid. col. 1086.

[5] *In Symb. Apost.*, c. i. — Plura testimonia de Spiritu Sancto Amore Patris et Filii, vide apud Petavium (op. cit. l. vii, c. 12.).

« dicens: " Gratia D.-N.-I.-Chr. et charitas Dei, ac Patris; « et communicatio Sancti Spiritus cum omnibus vobis ". Ete- « nim cum particeps sumus Spiritus, Verbi gratiam habemus, « et in ipso Patris charitatem » [1].

Ita Calecas hymnum citat, in quo appellat Spiritum Sanctum: « Σὺ ζωή, ἔρως, φῶς, νοῦς. Tu vita, amor, lumen, mens » [2]. Et Ecclesia in hymno « Veni Creator », de Spiritu Sancto canit: « Fons vivus, ignis, charitas » [3].

Media aetate mystici nostri ac theologi egregie hanc doctrinam illustrarunt. Eminet S. Anselmus, qui hunc amorem mutuum, a quo est Spiritus Sanctus, ita describit: « Se « amat Pater, amat se Filius, et alter alterum. Et qui uterque « pariter sui et alterius meminit, et se et alterum intelligit: « et quoniam omnino idipsum est, quod amat vel amatur in « Patre, et quod in Filio; necesse est, ut pari amore uterque « diligat se et alterum » [4]. - Egregie S. Bernardus: « Si recte « Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit abs re « osculum Spiritum Sanctum intelligi, utpote qui Patris, Filii- « que imperturbabilis pax sit, gluten firmum, individuus « amor, individua unitas » [5]. - Nec minus ad rem S. Petrus Damiani: « Et haec, summa illa charitas est; quia genitus a « gignente diligitur, suumque diligit genitorem. Ideoque non « amplius quam tria sunt, et essentialiter indivisa, et tripar- « tita proprietate distincta: unus diligens eum qui de illo est; « et unus diligens eum a quo est; et ipsa dilectio, de qua « dicitur: " qua Deus charitas est " » [6]. Profunde Rathramus Corbeiensis, allatis verbis S. Athanasii: « Pater in Filio, et « Filius in Patre: Spiritus autem Sanctus coniunctio divinae « virtutis, et unitas Trinitatis » [7]; hoc modo disserit: « Haec « dicens ostendit, Spiritum Sanctum charitatem esse Patris « et Filii. Neque enim aliud est, quo potentius et convenien-

[1] Ep. I *ad Serap.*

[2] *De princ. fid. cath.* c. 4. — *P. G.* t. CLII, col. 553.

[3] Imo in loco superius utpote excessivo a nobis correpto, Claudianus Mamertus, quem tertium dixit Platonem invenisse, vocat: « Utriusque horum amorem mutuum ». (*De stat. an.* l. II).

[4] *Monol.* c. 51. — *P. L.* t. CLVIII, col. 201.

[5] *Serm. 8. in Cant.* — Cf. serm. I, in octav. Pasch. — Cf. S. Laurent. Iustinian. in lib., *de Obed.*

[6] *Opusc.* 1, cap. 2.

[7] L. VIII, *de divin. person.*

« tius unitas SS. Trinitatis perficiatur. Non tamen sic acci-
« piendum hic charitatem, quae est Spiritus Sanctus, ut qua-
« litas sit, et non substantia, cum una sit persona sanctae
« Trinitatis. Coniunctionem autem appellat Spiritum Sanctum,
« vel unitatem Patris et Filii, quoniam de utroque procedens
« utrumque coniungit, manens ipse non divisus, non sepa-
« ratus, et consubstantialis » [1].

Hunc amorem non posse esse nisi infinitum et unicum, illustrat rursus S. Anselmus: « Si (summus spiritus) se tan-
« tum diligit, quantum sui meminit et se intelligit, tantum
« autem sui memor est et intelligit se, quanta est eius
« essentia, quod aliter esse non potest: profecto tantus est
« amor eius, quantus ipse est ». Et concludit ex eo, summas essentias plures esse non posse: « Patrem et Filium et
« utriusque amorem unam esse summam essentiam » [2].

Congruentiam autem ut ita procedens Spiritus vocetur Amor vel e converso, Abaelardus optime ostendit; « Spiritu
« oris nostri, id est anhelitu, maxime affectus animi patefiunt:
« cum videlicet aut prae amore suspiramus, aut prae laboris
« et doloris angustia gemimus » [3]. Qui plura cupit, consulat inter alios Petavium [4].

In Corpore. Argumentum triplici parte constat. In prima ponitur principium perfectae correlationis, quae inter utramque processionem quoad modum praedicandi existere debet, licet verba efficaciora de priori quam de altera suppeditent [5]. - In secunda parte haec correlatio hoc modo evolvitur. Primo demonstratur, non minus esse foecundum amorem quam intellectum, quatenus, sicut operatio intellectus ponit terminum simul procedentem et immanentem, ita quoque amor [6]. Hoc posito ostenditur discrimen inter vocabula

[1] L. III, *ctr. Graec.*

[2] Ibid. c. 53, col. 202.

[3] L. I, *Introd.* — Laudanda in Abaelardo eo libentius laudamus, quo sincerius damnanda in eodem damnamus.

[4] Op. cit., l. VII, c. 12.

[5] Forte non immerito quis diceret, Deum voluisse magis determinate nobis revelare primam processionem esse veram generationem, et personam a Patre procedentem esse verum Filium, ne nos, nimis carnaliter rem considerantes, oppositum potius cogitassemus; quatenus haec nobis processio magis apparet generatio, in qua unus oritur ex duobus, uti apud nos filius a patre simul et matre.

[6] Adverte: sicuti in nobis haec duo consistunt, nempe amorem tendere in unio-

utriusque operationis. De intellectus operatione alia vocabula exprimunt habitudinem rei intellectae ad intellectum simpliciter, et talia sunt essentialia: intelligere, sapientia; alia habitudinem termini ad principium, et haec sunt personalia: dicere, Verbum. Haec applicando ad operationem intellectus apparet, non adesse nisi vocabula communia utrique respectui, essentiali et personali seu notionali. - In tertia iam parte concluditur, amorem, sicuti diligere, habere in divinis utrumque sensum, essentialem et notionalem, seu personalem; ita tamen ut ex usu theologico interdum sumatur proprie pro termino per amorem procedente, id est, pro Spiritu Sancto.

S. Bonaventura haud secus ac S. Thomas in Spiritu S. evolvit rationem *Amoris*, quam immediate coniungit cum ratione *Doni*. « Sicut probatum est, ait, in divinis est po-« nere tertiam personam procedentem per modum liberali-« tatis, quae dicitur *Donum*. Et ratio huius est, perfectio *dile-« ctionis*, perfectio *emanationis*, et perfectio *voluntatis*, qua « existente liberalissima, non potest non producere personam; « sicut natura, existente foecundissima, non potest non pro-« ducere personam; et haec est ratio huius emanationis » [1]. Et in questionibus sequentibus urget hinc rationem processionis per modum amoris [2] sive mutuae *charitatis* [3], sive *nexus* [4]. Quibus expositis transit ad proprietatem appellationum *charitatis* et *Spiritus* [5].

Corollarium I. - Vide quantopere doctrina huius articuli cum praecedenti Quaestione concordet. Etenim in art. 2. ibidem est probatum, Spiritum Sanctum procedere ex Patre et Filio; hoc autem egregie corroboratur per ipsum amoris nomen, quatenus nequit procedere Spiritus Sanctus uti amor, nisi sit simul amor Patris in Filium et Filii in Patrem. Insuper in art. 4. ostensum est, Spiritum Sanctum procedere a Patre

nem, et producere impressionem quae est aliquid novum distinctum; ita Spiritus Sanctus simul est unio Patris et Filii, et tamen oritur ab eis distinctus, ita ut per ipsum ternarius numerus compleatur.

[1] I Dist. x, a. 1. q. I.

[2] Ibid. q. II.

[3] Ibid. q. III.

[4] Ibid. q. IV.

[5] Ibid. art. II. q. I. et II.

et Filio, uti ab unico principio, ita tamen ut haec principii unitas nullo modo inficiat utriusque in ipsa spiratione distinctionem. Quod rursus egregie corroboratur per hoc quod Spiritus Sanctus procedit simul uti amor Patris in Filium et Filii in Patrem, cuius utique mutui amoris una est vis spirativa, foecunditas scilicet ipsius naturae communis. Ratione huius communis naturae S. Augustinus - in textu superius citato - Spiritum S. appellat « charitatem substantialem (pro-« pter Patrem) et consubstantialem (propter Filium) ambo-« rum ».

Corollarium II. - Ex dictis intellige, quo sensu Spiritus Sanctus vocetur *vinculum, unio, unitas,* iuxta illud S. Pauli: « Solliciti servare *unitatem* Spiritus in *vinculo* pacis » [1]. Perbelle S. Thomas: « Amor semper ponit complacentiam amantis « in amato. Quando autem aliquis placet sibi in aliquo, trahit « se in illud, et coniungit se illi quantum potest, ita ut « illud efficiatur suum: et inde est quod amor habet ratio-« nem uniendi amantem. Et quia Spiritus Sanctus procedit « ut amor, ex modo processionis habet ut sit unio Patris et « Filii. Possunt enim Pater et Filius considerari vel inquan-« tum conveniunt in essentia, et sic uniuntur in essentia; vel « inquantum distinguuntur in personis, et sic uniuntur per « consonantiam amoris: quia et si per impossibile poneretur, « quod non essent unum per essentiam, ad perfectam iucun-« ditatem oporteret in eis intelligi unionem amoris » [2].

Corollarium III. - Quando dicuntur Pater et Filius uniri Spiritu Sancto hoc non est intelligendum effective, sed quasi formaliter. Conclusio ex praecedenti patet, et ita rursus illustratur a S. Th.: « Forma est duplex. Quaedam enim manens, « et quiescens in his quorum est forma; et sic per modum « formae se habet ad personas divina essentia, et sic uniuntur « formaliter amore essentiali. Est enim aliquid formaliter « uniens, non quasi inhaerens, sed sicut procedens ab utroque « unitorum; ac si diceremus, aliqua duo corpora uniri per « aliquem liquorem ab eis procedentem; et ita Pater et Filius

[1] Eph., iv, 13.
[2] I, Dist. x, Q. 1, a. 3 corp.

« uniuntur Spiritu Sancto ». Ex quo corollario via sternitur ad articulum sequentem.

Utriusque corollarii II. et III. doctrina per sequentem figuram aliqualiter redditur manifesta.



Iuxta doctrinam in his corollariis expositam intelligenda est illa unitas in quam Trinitas per alteram processionem redire dicitur. Quae formula, utpote ambigua, sensum patitur rectum et falsum. Falsus esset, si quis conciperet unitatem per primam processionem quasi geminari, et per alteram rursus in unum redire, iuxta figuram quae dicitur rhumbus.



Qui conspectus ab erronea apprehensione procedit ac in errorem inducit. - Rectus autem est sensus, si intelligitur, per Spiritum Sanctum perfici figura altera quae vocatur triangulus, et quae ob hanc rationem huius mysterii veluti symbolum accipitur.



In hoc altero sensu ait Bossuetius: « Tout est parfait, tout « est accompli, quand Dieu est infiniment exprimé dans le « Fils et infiniment aimé dans le Saint-Esprit, et qu'il se fait « du Père, du Fils et du Saint-Esprit une très simple et très « parfaite unité. Tout y retourne au principe, d'où tout vient « radicalement et primitivement, qui est le Père, avec un « ordre invariable; l'unité féconde le multipliant en dualité, « pour se terminer en trinité. De telle sorte que tout est un, « et que tout revient à un seul et même principe » [1].

ARTICULUS II.

UTRUM PATER ET FILIUS DILIGANT SE SPIRITU SANCTO [2].

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Dubium heic a S. Thoma propositum, atque in schola tunc temporis famosum, pendet a quaestione duplici: *a*) altera de vi locutionis per ablativum; *b*) altera de sensu in quo dilectio in praemissa formula sit intelligenda. Solutionem utriusque iam quasi praeiudicat ipse parallelismus quem inter utramque processionem in prae-

[1] *Méd. sur l'Evang.*, la Cène, II Partie, 25º jour.

[2] Cf. Richardum Victorinum: « Quomodo Spiritus S. est amor Patris et Filii » — *P. L.* t. CXCVI, col. 1011, sq.

cedente articulo existere demonstravimus. Iam vero non modo licite, sed et optime affirmatur, Patrem dicere Verbo; ergo oportet ut de Patre et Filio simul, quoad processionem amoris, correspondens formula inveniri possit. Haec autem quaenam erit, nisi ipse titulus huic articulo praefixus? Sed ad rem directius.

2) Sicuti supra vidimus, locutionem « Pater per Filium « spirat », indicare aliquam causalitatem vel medietatem in Filio ad Spiritum Sanctum; ita in quavis formula per ablativum constructa exprimitur quaedam causalitas vel efficientia. - Sed sicuti Pater ex hoc quod spirat per Filium, nullo modo dicitur dependens a Filio, ab eo habens ut spiret; ita quoque in formula de qua quaeritur, non potest intelligi Patris et Filii a Spiritu Sancto in amore dependentia.

3) Quid igitur restat, nisi ut causalitas huic formulae inclusa sub duplici respectu consideretur, quatenus vel terminus influit in principium actionis, qui respectus heic omnino excludendus est; vel modus ipse actionis aliqualiter informat agentem simul et effectum: actio enim inter agentem et actum veluti medium tenet.

4) Porro si hoc altero modo assertum consideramus, modus vel forma, ut ita dicam, actus amandi in Patre et Filio est ut ament foecunde, id est cum processione, cuius terminus est Spiritus, amor procedens distinctus personaliter. - Formâ igitur, quae propria est actionis, prius ad terminum translatâ, videtur iam terminus ipse cum hac forma quasi reduci et ad principium applicari, ac si forma termini ageret in formam principii; quum e contra e principio in actionem, ab actione autem in terminum deveniat. Quaeritur ergo de legitimitate talis modi loquendi.

5) Iam vero haec veluti transpositio tunc iure licet, ubi actio per vocabulum exprimitur quod iam continet in se, non quidem actionem solam cum via ad terminum implicite inclusum, sed et terminum ipsum; qui terminus tunc consideratur tanquam informans principium, quatenus omnis actio simul informat principium agens.

Per consequens in actionibus quae etiam terminum exprimunt, modus actionis potest exprimi per actionem vel per terminum. - Quotiescumque autem terminus actionis in vo-

cabulo nondum uti contentus adsignificatur, actio principii non potest per illum uti informata praedicari. Exempla sint utrimque. *a*) *Florere* ita exprimit actionem florendi, ut simul iam flores ponat: recte proin dicitur arbor florere floribus vel floritione. Ita *dicere* iam adsignificat terminum dictionis; iure ergo praedicas: Pater dicit Verbo, vel dicit dictione. *b*) E contra *generare, aedificare*, etc., ita exprimunt actionem, ut terminum non adsignificent nisi in via, non in se; quare nemo prole sed prolem generare, nec templo sed templum aedificare dicitur.

6) Quaestio igitur est de *dilectione* seu de *diligere*, utrum actum essentialem ponat, an notionalem; et si notionalem, utrum cum inclusione ipsius termini, necne.

Responsio patet ex doctrina articuli praecedentis. Per se utique hoc non habet vocabulum dilectio, at ex usu theologico optime fundato, iuxta quem usum siquidem amor exprimit ipsum terminum procedentem, dilectio pariter eum continet et quasi demonstrat. Tale ergo diligere se habet ad Amorem sicut dicere ad Verbum.

Possumus proin dicere: Pater et Filius amant dilectione vel amore; et cum Amor personalis sit Spiritus Sanctus, dicimus recte: Pater et Filius diligunt Spiritu Sancto. Quum autem Pater et Filius spirent per amorem mutuum, exsurgit formula: « Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto ».

7) Strictus igitur sensus huius formulae exigit ut dilectio notionaliter intendatur et quidem cum connotatione termini procedentis uti iam in actione inclusi. Unde qui in eadem formula concipiunt *diligere essentiale*, vel coguntur eam omnino reiicere, vel ei solum accomodatum sensum tribuere, intelligendo scilicet Spiritum Sanctum vel de manifestatione Spiritus, vel de appropriatione [1].

Qui autem *diligere* sumunt *notionaliter*, rursus dupliciter Spiritum Sanctum considerare possunt: vel quatenus est causa formalis amoris Patris ad Filium; et hoc improprie dicitur, quia tunc Spiritus huic amori logice praesupponeretur, unde non posset ab eo procedere; vel quatenus est effectus formalis, qui, propter suam aeternitatem et inseparabilitatem,

[1] Cf. duas primas opiniones quas S. Thomas refellit.

est quasi afficiens et informans ipsum actum divini amoris uti foecundi. Et hic sensus ob rationes modo allatas bonus, imo optimus est.

Doctrina in praecedentibus contenta potest hoc schemate exprimi:

- **Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto:**
  - I) dilectione *essentiali:*
    - *a*) in sensu proprio, falsa propositio;
    - *b*) in sensu improprio, scilicet:
      - α) manifestationis amoris,
      - β) appropriationis Spiritui Sancto [1] — vera;
  - II) dilectione *notionali:*
    - *a*) ac si per Spiritum S. uti per causam se diligerent, — falsa;
    - *b*) quatenus dilectio formaliter foecunda est Spiritu Sancto, — vera;

8) **Conclude** ex hucusque dictis, *a*) triplicem classem verborum exprimere actiones divinarum personarum: α) alia designant solum operationes essentiales: intelligere, sapientia; - β) alia designant operationes notionales, sed sine determinatione inclusi termini: v. gr., generare, spirare: - γ) alia demum ipsum terminum sufficienter in se continent ut, *dicere*, et etiam, saltem ex usu, *diligere*. Quod hac tabellula manifestatur.

- **Vocabula sunt:**
  - 1) *essentialia*: intelligere, velle;
  - 2) *notionalia:*
    - *a*) simpliciter, quin exprimant terminum, nisi in processionis via: — generare, spirare;
    - *b*) cum ipsa expressione termini processionis: — dicere (per se), diligere (ex usu).

Conclude *b*) formulam: « Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto » esse efficacem ad exprimendam simultaneitatem logicam inter Patrem Filiumque spirantes, et Spiritum Sanctum; quemadmodum, agentes de processione Spiritus Sancti, vidimus formulam Graecorum efficaciter exprimere simultaneitatem utriusque processionis.

[1] Cf. 2. tabellae in fine art.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ac si quoad praedicationem notionalem nihil interesset inter sapientiam et amorem, inter intelligere et diligere.

2. Obi. Recte incedit, quatenus excludit sensum essentialem vocabuli *diligere,* deficit quatenus in sensu notionali arguit a pari ex vocabulis: *intelligere, generare.* Haec enim pertinent ad 1.m et 2.m classem in conclusione *a*) distinctam; diligere autem, ex usu theologico in art. praecedenti probato, pertinet ad 3.m - Cf. tabellam. *Diligere* quippe pertinet ad 2) *b*), *intelligere* ad 1), *generare spirare* ad 2) *a*).

3. Obi. Arguit ex identitate amoris quo Pater diligit Filium, et quo diligit se et creaturam. Vitium idem in hac obiectione recurrit. Nam quoad prius membrum, arguitur ex paritate cum vocabulo *generare, spirare;* quam paritatem iam superius exclusimus. Quoad alterum membrum, negligit doctrinam supra acquisitam, ubi de respectu Verbi ad creaturam. Unde S. Thomas ex paritate quaesitum pariter solvit. - Cf. Corollarium I. in fine articuli.

Sed contra est. En ipsa S. Augustini verba: « Quapropter « etiam Spiritus Sanctus in eadem unitate substantiae et « aequalitate consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive « sanctitas, manifestum est quod non aliquis duorum est quo « uterque coniungitur, quo genitus a gignente diligatur, geni- « toremque suum diligat, sintque non participatione, sed « essentiâ suâ, neque dono superioris alicuius, sed suo pro- « prio servantes unitatem spiritus in vinculo pacis [1]. Quod « imitari per gratiam et ad Deum et ad nos ipsos iubemur » [2].

In Corpore. Argumentum constat tribus partibus: 1) Initio S. Thomas exhibet rationem difficultatis. - 2) Varias solutiones suggestas affert: alii negant formulam; alii improprie eam interpretantur, sive *a*) de manifestatione, sive *b*) de attributione. Duae ultimae opiniones proprium sensum tenent: sed prior contradicit veritati; altera ad veritatem valde appropinquat, eo quod tanta sit efficacia dilectionis notionalis, ut effectus per eam productus, id est Spiritus Sanctus, iam in intellectu ipsius actionis contineatur.

3) Sententia tenenda propugnatur, et quidem hoc ordine,

[1] Eph. iv, 5.

[2] *De Trin.* vi, 7, c. 5. n. 7. — *P. L.* t. xlii, col. 927, sq.

ut *a*) principia solutionis ex lege grammaticali praemittantur, *b*) eadem quaesito applicentur. Argumentatio S. Th. ad haec reducitur. Ut teneatur causalis virtus expressa in formula de qua quaeritur, oportet modum invenire quo effectus in causam agat. Quotiescumque autem actio informat agentem, agit in ipsum; rursus quotiescumque ipse effectus iam in actione continetur, quatenus participat virtutem causantem actionis, eatenus potest veluti causa considerari. Atqui dilectio informat aliquomodo Patrem et Filium, et Spiritus Sanctus in significatione notionalis dilectionis iam ut terminus continetur; ergo.

Opiniones quinque a S. Th. allatae possunt aliter et aliter distribui, iuxta duplex heic appositum schema.

Formulam de qua quaeritur	I) alii negant (1);			
	II) alii concedunt:	1) in sensu improprio	*a*) appropriationis (2), *b*) signi (3),	sensus essentialis;
		2) in sensu proprio	*a*) causae formalis (4), *b*) effectus formalis (5),	sensus notionalis.

In formula intelligunt *diligere*	I) alii essentialiter:	*a*) in sensu proprio (1) recusant formulam; *b*) in sensu improprio appropriationis (2):		concedunt.
	II) alii notionaliter:	*a*) in sensu improprio signi (3),		
		b) in sensu proprio	α) causae formalis (4), β) effectus formalis (5),	

Quaeres I. *ex* **cuiusnam obiecti** *dilectione procedat Spiritus Sanctus.*

Solutio huius quaestionis continetur in resp. ad 3. et est consona maxime doctrinae superius expositae, ubi de obiecto ex cuius cognitione procedit Verbum. Sint igitur sequentes breves conclusiones.

Spiritus Sanctus procedit 1) ex dilectione *essentiae divinae*, quod nimis est manifestum: procedit quippe ex uno principio, ex foecunditate ipsius naturae divinae se diligentis. - Procedit 2) ex dilectione *Patris et Filii:* etenim unum spirationis

principium nihil amittit in spiratione de sua distinctione personali; imo dilectio est actus personalis tum Patris diligentis essentiam divinam, se et Filium, tum Filii diligentis essentiam, se et Patrem. Quod ex supradictis ubertim apparet. - Procedit 3) ex dilectione *ipsius Spiritus Sancti*, quemadmodum vidimus Verbum procedere ex cognito ipso Verbo. Recole rationes ibidem allatas, easque servata paritate ad praesens quaesitum applica. - Procedit inde 4) ex dilectione *totius SS. Trinitatis*, uti ex praecedentibus, facta synthesi, est manifestum. Haec de obiecto primario dilectionis. - Insuper 5) procedit ex dilectione *omnium possibilium*, quae in sua ipsa possibilitate diligibilia sunt, imo dilectione necessaria, quatenus sunt ipsa natura divina sub ratione imitabilitatis et exemplaritatis. - Imo 6) procedit ex dilectione *omnium creaturarum* quovis tempore creandarum, licet non dilectione necessaria.

Si iam confers inter se utrumque quaesitum, facilius solvitur hoc alterum quam illud prius de obiecto prolationis Verbi, et quidem propter duo: 1) quia de Spiritu Sancto non valet heic difficultas quae ibi in conclusione quarta ex ipso ordine Trinitatis petebatur: 2) quia ipsum obiectum scientiae visionis per liberum actum voluntatis determinatur, et ipse Spiritus Sanctus formaliter procedit per foecunditatem voluntatis. Inde quae ibidem quoad 4^{m}. et 7^{m}. conclusionem non tam formaliter affirmabantur, iam heic in 3^{a}. et 5^{a}. formaliter plene statuuntur.

Quaeres II, *utrum possit dici Filius sapiens sapientiâ genitâ.*

Patrem dici posse sapientiâ genitâ sapientem, retractavit Augustinus: dicit quidem Verbo, at est sapiens seipso, seu divinae naturae essentiali sapientia. Sumendo autem sapientiam in sensu notionali cum adiuncto determinante, Pater est sapientia ingenita, Filius est sapientia genita. Quatenus igitur Pater potest dici sapiens seipso, potest dici sapiens sapientiâ ingenitâ. Sed neque hoc feliciter affirmatur; nam sapiens utique dicitur Pater seipso, sed sumendo potius seipsum uti identificatum cum divina natura. Unde non eodem prorsus modo dicitur Pater sapiens seipso et dicens seipso; - nam de Patre affirmari potest utrumque, esse dicen-

tem seipso et dicentem Verbo; quum *dicere* simul in se principium et terminum dictionis contineat.

2) His praemissis, quid de locutione: Filius est sapiens sapientiâ genitâ? - In sensu diviso recta est, quatenus scilicet Filius est sapiens sapientiâ et est sapientia genita, referendo scilicet « genita » potius ad esse Filium quam ad ipsum esse sapientem. Sed haec interpretatio longius petita est. Melior est interpretatio correspondens formulae: « Pater est sapiens sapientiâ ingenitâ », quatenus haud secus ac Pater potest dici Filius sapiens seipso, ac proin, quum sit sapientia genita, sapiens sapientiâ genitâ. Scrupulus autem expressus de Patre, valet et de Filio [1].

C) DE NOMINE SPIRITUS S. QUOD EST DONUM.

QUAESTIO XXXVIII.

Nomini *imaginis* de Verbo, respondet nomen *donum* de Spiritu Sancto. Quaerendum igitur nobis est, utrum sit hoc nomen personale et utrum sit Spiritui Sancto proprium. - Utrumque obtinebimus ostendendo significationem relativi et quidem relationis propriae tertiae personae.

ARTICULUS I.

UTRUM DONUM SIT NOMEN PERSONALE [2].

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Tria utiliter praemittuntur ad considerationem textus. Primum est, donum tripliciter usurpari posse. *a*) *Essentialiter*, et sic omnia creata sunt Dei dona, quatenus ab ipso sunt et ad nos destinantur. - *b*) *Notionaliter*, et sic missio personarum non potest separari ab aliqua datione; quare de Filio misso a Patre dicitur: « Si scires *donum* Dei! » - « Filius *datus* est nobis ». - « Sic Deus dilexit

[1] A *Synopsi* huius Quaestionis utpote brevissimae abstinemus.

[2] Cf. de hoc argumento opus nostrum *La Confirmation*, p. 210, sqq. — Lille, Desclée, 1888.

mundum ut Filium.... *daret* » - *c*) *Personaliter* demum, ubi de Spiritu Sancto specialius occurrit. Secundus sensus *b*) pro praesenti articulo sufficit.

2) Alterum est de proprio sensu *doni*, sive de his quae essentialiter in intellectione *doni* continentur. - Donum potest sumi pro actu dandi, vel pro re quae dari potest, vel pro re quae datur.

Porro in quovis dono tria sunt consideranda: *a*) res in se ipsa; *b*) habitudo eiusdem ad eum a quo datur; *c*) habitudo ad eum cui datur.

a) *A parte rei*, ut per se donum sit, oportet ut per se ordinem habeat ad hoc quod communicetur: quo posito, etsi nunquam de facto communicaretur, adhuc rationem doni aut saltem donabilis haberet.

b) *A parte dantis* oportet α) ut sit ipsius dantis ratione dominii. Distinctio autem inter dantem et donum potest esse mere vel α') *rationis*, quando inter donum et dantem adest identitas re, et sic divinae personae seipsas dant; - vel β') *originis*, quando Pater dat Filium, aut Pater et Filius dant Spiritum Sanctum; - vel γ') *dependentiae*, quando Deus dat bona creata hominibus.

Requiritur β) ut donum *gratuito* detur sine intentione retributionis. Ubi sedulo adverte, aliam esse retributionem vel redditionem realem, quae est cum amissione a parte illius qui reddit; aliam intentionalem per gratitudinem, quae stat cum possessione et conversione doni.

c) *A parte accipientis* oportet α) ut distinctio aliqua sit inter donum et accipientem, - defectu cuius Filius per se et ad seipsum non est donum Patris; - β) ut adsit capacitas recipiendi, quae supponit usum et fruitionem, id est in accipiente illam facultatem, ratione cuius donum erat dantis, et dans donum dedit ut esset accipientis.

3) Sed iam quaeritur tertio, utrum donum respectum necessarium habeat ad creaturas; an etiam in divinis ad intra donum esse possit. Ratio dubitandi petitur ex vix apparente distinctione inter donum et recipientem.

Resp.: Donum primario ad intra est, et secundario ad extra, sicut de omnibus perfectionibus et superius de ipsa paternitate vidimus. Ad rationem autem dubii respondetur,

non maiorem distinctionem requiri inter donantem et donum, quam inter donum et recipientem. Quare si sufficit distinctio originis in termino *a quo*, sufficit etiam in termino *ad quem*.

5) Hoc posito quaeritur quodnam sit donum ad intra?

Resp.: a) Si recolatur, identitatem existere posse re inter donum et dantem, poterit adesse inter donum et recipientem. Hoc sensu, quatenus Pater, identicus cum essentia divina, hanc communicat Filio, identico cum eadem, haec ipsa essentia divina vocari potest donum Patris ad Filium. - *b*) Filius autem donum Patris ad Spiritum Sanctum dici nequit. Nam etsi quoad ordinem suppositorum sit medius; tamen quoad virtutem spirandi Spiritum Sanctum nullo modo medius est, sed unum cum Patre. - *c*) Bene autem potest Spiritus Sanctus donum mutuum dici Patris ad Filium et Filii ad Patrem. Nam quum Pater amat Filium, dat ipsi amorem qui est primum donorum; rursus amor Filii ad Patrem pari ratione donum est Filii ad Patrem. Hoc autem mutuum donum unum est ratione principii, et terminum suum habet in Spiritu Sancto, qui ab ipso est et procedit in ratione doni mutui sicut in ratione amoris.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter deficit: *a*) quia loquitur indifferenter de dono ad intra et ad extra; - *b*) quia non considerat, plures dari etiam ad intra modos quibus, quod datur, se habet ad dantem: scilicet modum identitatis, et ita Pater dat naturam divinam Filio; et modum originis quo Spiritum Sanctum sibi mutuo dant Pater et Filius. Porro si modus prior ad intra salvatur, cur non sufficeret ad extra?

2. Obi. Negligit, varios dari respectus doni ad dantem; unde ex hoc quod aliquis respectus non sit personalis, erronee concludit, nullum dari talem.

3. Obi. Supponit essentialem doni esse respectum dependentiae, quod gratis affirmatur, et sat facile demonstratur falsum.

4. Obi. Dupliciter deficit: *a*) confundit donum actu, cum donabili; *b*) non distinguit inter essentiale in recto et in obliquo.

Sed contra est. Thesis praesens demonstratur per loca Scripturae in quibus tum Filius, tum Spiritus Sanctus appel-

lantur donum; unde necessario colligitur, donum esse nomen personale [1].

Sensus autem quem n. 5) *a*) vindicavimus, confirmatur per ipsum modum loquendi Filii: « Pater quod dedit mihi, « maius omnibus est ». Saepe autem gratias aut alia beneficia diversa in Scripturis dona vocari, nimis est manifestum. Habemus ergo ex usu Scripturarum:

- **Donum vocatur**
  - I) *ad intra*:
    - *a*) natura divina, quam Pater dat Filio;
    - *b*) Spiritus Sanctus, donum mutuum Patris et Filii;
  - II) *ad extra*:
    - 1) ipse Deus:
      - *a*) substantialiter: Verbum incarnatum;
      - *b*) participative:
        - α) Deus totus per gratiam;
        - β) specialius Spiritus S. per missionem et inhabitationem;
    - 2) bona distincta a Deo:
      - *a*) in ordine naturae,
      - *b*) in ordine ad gratiam.

In Corpore. Tota argumentatio consistit in analysi medietatis, quae in dono consideratur relate ad dantem et ad accipientem. *a*) Relate ad dantem, strictiori sensu donum implicat originem; *b*) relate ad accipientem, sola creatura rationalis est personae divinae, ut sibi dandae, capax; neque hoc suis viribus, sed ex elevatione gratuita.

Ad verba: « *Cum sic fit particeps* ». Enumerat hic S. Th. Verbum et Amorem, ut ostendat definitionem doni quam hoc articulo considerat, communem esse Filio et Spiritui Sancto relate ad creaturam. Nam in utroque habemus originem in divinis, et possessionem a creatura. Eodem omnino modo Angelicus processit superius, ubi de Verbo et de Imagine inquisivit.

ARTICULUS II.

UTRUM DONUM SIT PROPRIUM NOMEN SPIRITUS SANCTI.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Sicuti supra ad propriam rationem imaginis inveniendam, posuimus distinctionem inter

[1] Cf. locos citatos superius, necnon de tertia persona SS. Trinitatis in art. seq. adducendos.

originem cum similitudine et originem secundum similitudinem, sive ex principio quod formaliter tendit in simile, ut Filium prae Spiritu Sancto imaginem esse demonstraremus; ita quoque hic distinguendum est inter donum obiectivum materiale, seu rem quae datur, et donum subiectivum formale, seu principium ex quo datur; iuxta quam distinctionem ille rationem doni habebit, qui procedit formaliter e fontali principio doni. Iam vero, si ad invicem conferimus modum quo Pater Filium, et quo Spiritum Sanctum nobis dat, licet uterque sint vere donum, quatenus procedunt ad extra ex amore, illi nihilominus magis competit esse donum, qui ad intra esse suum tenet ab amore, utpote in quo fontalis ratio doni residet.

2) Filius erit proin donum, sicut et Spiritus Sanctus est imago; sed κατ' ἐξοχήν Imago est Filius, et Donum Spiritus Sanctus. Inde ratio propter quam ad Spiritum Sanctum specialius omnia dona gratiae referuntur, quia scilicet, iuxta modo exposita, Spiritus Sanctus est donum ad intra; ac ita formalitas gratuitatis, quae omnibus operibus divinis, maxime autem operibus gratiae inest, iure peculiari tribuitur Spiritui Sancto.

3) Iam vero licet haec ratio ad appropriationem sufficiat, impar tamen videtur ad vim locutionum Scripturae de missione Spiritus Sancti plene salvandam. Unde, licet sola unio hypostatica fuerit opus singulare unius personae SS. Trinitatis, nihilominus adoptio filiorum quae est veluti quaedam unio hypostatica participata, quatenus in divinam unionem transfert, opus est *quasi* personale, quod per Spiritum Sanctum exercetur. Rursus sicuti Christi corpus divinitate Verbi sustentatur, ita mystica Christi sponsa, Ecclesiam dico, ab ipso Spiritu Sancto animatur. Sed de hoc subtiliori argumento fusior sermo redibit, ubi de missione et inhabitatione Spiritus Sancti e professo erit agendum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Abstrahit a propia ratione processionis Spiritus Sancti. Filius utique donum est; sed Spiritus Sanctus insuper procedit ad intra per viam doni, scilicet per viam amoris.

2. Obi. Deficit, quia abstrahit a relatione seu proprietate

quam donum involvit ad donantem. Quae relatio est non solum origo, sed et origo per viam amoris.

3. Obi. Non distinguit inter genitivum originis et possessionis.

Sed contra est. Doctrina huius articuli probatur tum per Scripturarum testimonia, tum per auctoritatem Ecclesiae atque Patrum.

1) Christus ante passionem promittit donum Spiritus Sancti: « Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis » [1]. « Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre » [2]. Unde a mortuis redivivus dicit eis: « Accipite Spiritum San- « ctum » [3]; atque haec dicens per insufflationem divinum munus eis contulit. Et Pentecostes effusionem pollicetur dicens: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti « in vos » [4]. - Pariter S. Petrus sub ratione doni de Spiritu Sancto loquitur: « Poenitentiam agite.... et accipietis donum « Spiritus Sancti » [5]. Et Paulus effusionem hanc, ascensionis Domini fructum contemplans, ait: « Ascendens in altum, « captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus » [6]. Et Iacobus certo ad altissimam huius doni significationem alludit, ubi scribit: « Omne datum optimum, et omne donum « perfectum est, descendens a Patre luminum » [7]. Scelus inde fuit Simonis Magi pretio materiali Spiritus Sancti effusionem sibi acquirere voluisse. « Pecunia tua tecum sit in perditio- « nem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri » [8].

2) Hanc doni appellationem Ecclesiae auctoritas sancivit per suam rationem orandi ac liturgicos actus moderandi. *a*) In Solemnitate Pentecostes hymnus « *Veni Creator* » celebrat « *Donum Dei Altissimi* » [9]. Spiritumque Sanctum invocat:

[1] Ioann., xiv, 16.
[2] Ioann., xv, 26.
[3] Ioann., xx, 22.
[4] Act., i, 8.
[5] Act., ii: 38.
[6] Ephes. iv, 8.
[7] Iacob., i, 11.
[8] Act., viii, 20.
[9] Textum hymnorum passim praeponimus antiquum, utpote in se pulchriorem (emendationes enim ab « humanistis » inductas, mutilationes potius fuisse, apud christianarum litterarum peritos hodie est in confesso), et insuper utpote traditionis testem efficaciorem.

« Tu septiformis munere ». In hymno ad Matutinum canitur : « Iam Christus astra ascenderat - Reversus unde venerat, - « Promissum Patris munere, - Sanctum daturus Spiritum » ; Hymnus ad Laudes Deum precatur : « Illapsa nobis caeli- « tus - Largire dona Spiritus ». In Missae sequentia « *Veni* « *Sancte Spiritus* » instanter orat : « Veni dator munerum ». - « Da tuis fidelibus - In te confidentibus - Sacrum Septena- « rium ». - In festo SS. Trinitatis Ecclesia inter alias invocationes dicit : « Charitas Pater, gratia Filius, communicatio Spi- « ritus Sanctus, o beata Trinitas ». - *b*) Eamdem doctrinam ritibus Liturgicis consacrat : verba prophetae Isaïae : « Et re- « quiescet super eum Spiritus Domini : Spiritus sapientiae « et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scien- « tiae et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini » [1], de septem Spiritus Sancti donis intelligit, eisque verbis superstruit pulchram synthesim huius septenarii mystici. Inde in ritu Confirmationis - ut hunc unice in exemplum adducam - orat Pontifex : « Emitte in eos septiformem Spiritum tuum « Sanctum Paraclitum de caelis. - Amen. - Spiritum sapientiae « et intellectus. - Amen ». - etc., etc. [2].

3) Consensus Patrum usui liturgico eloquenter adstipulatur. *a*) Ex Graecis testes sententia S. Chrysostomus et S. Cyrillus Alex.. Prior appellationem Doni ab ipsis muneribus ad ea conferentem esse translatam affirmat : « quandoquidem quod « datur Spiritus Sanctus est : appellatur etiam donum ipsum « simili nomine ac donator ipse » [3] : - Fuse de eodem argumento disserit S. Cyrillus, quem caeteroquin non absque iure Spiritus Sancti doctorem appellaris. In tertio Dialogo de SS. Trinitate divinitatem Filii seu Christi demonstrat ex eo quod potestative Spiritum Sanctum confert. Procedit autem argumentatio a praecitata sententia S. Iacobi [4] : « Cum autem « Scriptura sacra nobis inclamet : " Omne datum optimum, et

[1] Is., XI, 2, 3.

[2] De hoc mystico septenario ex professo, Deo dante, agemus in tractatu de virtutibus ; interim lege pulcherrima quae de hoc argumento habet D. Guéranger, instaurationis liturgicae hac nostra aetate fautor praecipuus (*Année liturgique*. Pentecôte). — Commendanda etiam maxime Homil. II. S. Anselmi in Evang. S. Matth. — *P. L.* t. CLVIII, col. 595 sqq.

[3] *Hom.* 72, *de Spiritu Sancto*.

[4] I. 17.

« omne donum perfectum desursum est, etc. ".... undenam « ipse putaveris illam nobis divinarum gratiarum largitionem « fieri? - Ex Deo Patre nimirum ». - Atqui, pergit Cyrillus, id Christus agit. Variisque allatis exemplis pergit: « Quin etiam « divinus noster Ioannes confessus est clare admodum dicens: « " Quia ex plenitudine eius nos omnes accepimus » [1]. Datum « autem optimum et donum perfectum aliudne quidquam « erit tuo iudicio, quam Spiritus Sancti participatio? - Nequa- « quam - Animadverte ergo vel hinc, Filium de sua plenitu- « dine fundere suum sanctum et inseparabiliter innatum « Spiritum, per quem " omne datum optimum " » [2].

a) Ex Latinis, praeter S. Hilarium, quem supra audivimus Spiritum Sanctum Doni nomine appellantem [3], S. Augustinus maxime praedicat Spiritum Sanctum sub ratione Doni. Ita, v. gr., in libro V. *De Trinitate* aeternitatem huius doni subtiliter vindicat: « An semper procedit Spiritus Sanctus « et non ex tempore, sed ab aeternitate procedit; sed quia « sic procedebat, ut esset donabile; iam donum erat, et « antequam esset cui daretur? Aliter enim intelligitur cum « dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum « potest esse et antequam detur; donatum autem nisi datum « fuerit, nullo modo dici potest » [4]. Et infra in eodem opere, quaerens de communitate vocis personae in distinctione personarum, ait: « Nec tres Spiritus Sancti, quia et Spiritus San- « ctus propria significatione, qua etiam Donum Dei dicitur, « nec Pater, nec Filius » [5]. Imo quaerens de hoc nominis Doni proprietate, S. Augustinus illud praefert ipsi nomini Spiritus Sancti, quia relativi rationem efficacius exprimit: « Sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine; apparet « autem, cum dicitur *Donum Dei*. Donum enim est Patris « et Filii » [6]. Et Beatus Alcuinus noster: « Dicitur et idem « Spiritus Donum Dei, quia Deus donator doni sui est.... « Hoc Donum Dei, id est, Spiritus Sanctus, qui de Patre et

[1] Ioann., i, 16.

[2] *P. G.* t. lxxv, col. 841 sq.

[3] « Baptizare iussit in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti; id est in confessione et Auctoris et Unigeniti et Doni ». *De Trin.*, l. ii, n. 1.

[4] C. 15. — *P. L.* t. xlii. col. 921, sq.

[5] L. vii, c. 4. *P. L.* — Ibid., col. 940.

[6] Ibid. l. v, c. 11. — Ibid. col. 919.

« Filio aequaliter procedit, ineffabilis quaedam Patris Filii-
« que communio est » [1].

Hanc doctrinam egregie confirmavit Leo XIII in Litteris Encyclicis « *Divinum illud munus* »: « Ipse enimvero (Spi-
« ritus Sanctus) non modo affert nobis divina munera, sed
« eorumdem est auctor, atque etiam munus ipse supremum;
« qui a mutuo Patris Filiique amore procedens, iure habetur
« et nuncupatur *altissimi Donum Dei* » [2]. Et doctrinam de donis Spiritus Sancti paulo inferius his verbis commendat:
« Homini iusto vitam scilicet viventi divinae gratiae et per
« congruas virtutes tamquam facultates agenti, opus plane
« est septenis illis quae proprie dicuntur Spiritus Sancti
« donis » [3].

In Corpore. Processus limpidus. Considerans per duplicem terminum medium in dono rationem irreddibilis, et in hac rationem gratuitatis, et in hac rationem amoris uti fontalis principii, S. Thomas demonstrat, ei propriissime nomen « Doni » convenire, qui per viam amoris procedit.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum donum rationem involvat ad dantem et ad accipientem, quatenus persona divina potest ab ea a qua procedit, conferri ad creaturam intelligentem gratia elevatam, donum in divinis habet significationem personalem (a. 1).

2) Propriissime et ad intra Donum vocatur haec ipsa persona, quae procedit formaliter per viam amoris, utpote per hanc ipsam viam illud exprimens a quo fontaliter omne donum habet esse irreddibile, quia gratuitum (a. 2).

[1] *De Fide, SS. Trin,* l. I, c. 4 et 5. — *P. L.* t. CI, col. 16.
[2] Leonis XIII P. M. Acta. Edit. Vatic. ann. 1897, p. 138 sq.
[3] Ibid. p. 141.

APPENDIX I.

De aliis praecipuis Nominibus Spiritui Sancto propriis.

Restat, ut quemadmodum pro secunda persona SS. Trinitatis egimus, quaedam alia praecipua nomina illustremus praeter tria primaria [1] quibus tertia persona appellari solet. A) Spiritus nomini magis respondent: 1) *Inspirator,* 2) *Creator,* 3) *Digitus Dei;* - B) Amoris nomini potius 4) *Ignis,* 5) *Osculum,* 6) *Charitas;* - C) Doni nomini 7) *Paraclitus,* 8) *Pax,* 9) *Unctio;* - D) Demum ad omnia simul synthetice referuntur 10) *Fons,* 11) *Sapientia,* 12) *Sanctitas.*

A) Praeter nomen *Flaminis* quod veluti poetica forma synonymum Spiritus in liturgicis hymnis saepius recurrit, primum nomen quod sese offert uti magis intime cum Spiritu connexum, videtur esse 1) *Inspirator,* aut aliud consimile. Constanter enim tum in Veteri, tum in Nova Lege Spiritui Sancto tributum est eloquium propheticum. « Spiritus Domini « locutus est per me, et sermo eius per linguam meam ». Ita David de semetipso [2]. Et Christus de eo: « Ipse David « dicit in Spiritu Sancto » [3]. Et Ioannes in Apocalypsi: « Qui « habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis » [4]. Nec mirum: Spiritus est Veritatis, qui loquitur quaecumque audit [5]. Diserte enim affirmat S. Petrus: « Non in voluntate humana « est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti « sunt sancti Dei homines » [6]. Hinc afflatus ille peculiaris quo confectae sunt Scripturae, vocatur *inspiratio,* et speciali

[1] Haec tria nomina simul eleganter coniungit Leo XIII in laudatis litteris Encyclicis « *Divinum illud munus* »: « Divinus *Spiritus* in aeterna sanctitatis lumine « a Patre et a Verbo procedens, *Amor* idem et *Donum* »; etc. — Edit. Vatic. 1897, pag. 141.

[2] II. Reg., xxiii, 2.

[3] Marc., xii, 66.

[4] Apoc., iii, 6.

[5] Ioann., xiv, 26; xvi, 13.

[6] II Petr., i. 21. Ex quo principio Princeps Apostolorum axioma deducit apprime catholicum: « Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria « interpretatione non fit ». Ibid. v. 20.

titulo tribuitur Spiritui Sancto « qui locutus est per Prophetas ».

2) Simile quid obtinet et in ordine naturali. Unde, licet Patri approprietur omnipotentia creatrix: « Credo in Deum Patrem, « omnipotentem », Spiritus quoque ratione propria vocatur *Creator*: « *Veni, Creator Spiritus* ». Et quidem ab ipso exordio rerum nobis exhibetur, tanquam condendis rebus veluti incubans: « Spiritus Dei ferebatur super aquas » [1]. Id proclamat Psalmista; « Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris « eius omnis virtus eorum » [2]; et Iob: « Spiritus eius ornavit « caelos » [3]. Inde Leo XIII in praelaudatis Litteris « *Divinum* « *illud munus* » ait: « Multiplici virtuti huiusce Spiritus, qui « in procreatione mundi ornavit caelos et replevit orbem « terrarum, in eiusdem redemptione perfectio operis erat pro- « videntissime reservata » [4]. Hinc in solemnitate Pentecostes orat Ecclesia: « Emitte Spiritum tuum et creabuntur » [5]. Ille quippe Spiritus, quo afflante « factus est homo in animam « viventem » [6], insufflavit quoque in ossa arida quae Ezechiel in vasto mortuorum campo contemplabatur: « A quatuor « ventis veni Spiritus, et insuffla super interfectos istos, ut « reviviscant » [7]. Quid mirum ergo, si in die quo instauranda erant omnia in vitam, Spiritus specie tempestatis vehementis Coenaculum invasit? Hinc Ecclesia canit: « Et in Spiritum « Sanctum, Dominum et *Vivificantem* » [8].

3) Porro si penitius investigamus modum quo se habet haec vis creatrix Spiritus ad virtutem quae Patri et Filio tribuitur, ecce aliud nomen: *Digitus Dei*, iuxta illud hymni: « *Dextrae Dei tu digitus* »; et apertius secundum illud ipsius Christi: « Si in digito Dei ejicio demonia » [9]. Scilicet Pater est principium, unde *ex ipso* sunt omnia; Filius est

[1] Gen., i, 2.
[2] Ps., xxxii, 6.
[3] xxxi, 13.
[4] Ibid., p. 126.
[5] Ps. ciii, 20.
[6] Gen., ii, 7.
[7] Ezech., xxxvii, 9.
[8] De Spiritu uti creatore lege S. Basilium (*Cfr. Eunom.* l. v. — *P. G.* t. xxix, col. 717, sq.) et Rupertum Tuitensem (*De glorif. Trinit.*, c. 11. — *P. L.* t. clxix, col. 23).
[9] Luc. xi, 20. — Cf. S. Basilium (op. cit. col. 734.).

Verbum et Imago, quare *per ipsum* sunt omnia; Spiritus Sanctus est causa ultima, unde *in ipso* sunt omnia. « Spiritus « Sanctus, ait Leo XIII, est omnium rerum causa ultima, « eo quia sicut in fine suo voluntas lateque omnia conqui- « escunt, non aliter ille, qui divina bonitas est ac Patris ipsa « Filiique inter se caritas, arcana ea opera de salute homi- « num sempiterna, impulsione quadam valida suavique com- « plet et perficit » [1].

Porro in *digito Dei* duo considerari possunt: instrumentum manifestationis, et instrumentum perfectionis. - Ratione prioris, eodem iure Spiritus Sanctus vocatur digitus Dei, quo ipsi tribuitur inspiratio prophetarum, vel portentorum operatio: est quippe uti missus a Patre revelationis, et miraculorum minister.

Ratione alterius, sicuti Verbum vocatur dextera Patris, quatenus omnia per ipsum facta sunt; Spiritus vocatur huius dexterae digitus, quatenus per eum cuncta complentur et absolvuntur, utpote per quem opus in sua perfectione, principio coniungitur. Quemadmodum digito musicus nervum premit, plectrumve pulsat; digito pictor penicillum vel sculptor caelum agit, ita Spiritu oris Dei completur omnis « virtus » creaturae. Et in ordine supernaturali, quemadmodum digito athleta corpus liquore inungit, medicus infirmum unguento fovet, ita Spiritus ipsa canente Ecclesia, est « spiritalis unctio », scilicet ad conferendam salutem ad certamen in agone stimulandum [2]. De qua unctione mox.

B) Non in specie tempestatis tantum, sed in igneis linguis Spiritus Sanctus in Pentecoste descendit. Ecce aliud nomen Amori magis consentaneum: 4) *Ignis*. Hic erat ignis qui in Antiquo Testamento consummabat holocausta, [3] et in Horeb per rubum discurrebat [4]. Hic est quem Christus intendit, ubi ait: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut

[1] Leonis XIII Acta edit. Vat. 1897, p. 131.

[2] Ex hac appellatione S. Hieronymus (*transl. libr. Didymi de Spiritu S.* — *P. L.* t. XXIII, col. 127) subtiliter demonstrat consubstantialitatem Spiritus S. cum Filio et Patre; pariter S. Cyrillus Alex. (*Thesaur.* ass. 34. — *P. G.* t. LXXV, col. 575). Cf. infra Q. XLI, art. 3.

[3] Cf. III. REG., XVIII. 38.

[4] EXOD., III, 3 sq.

« accendatur [1]. » Inde de consecratione per Spiritum Sanctum praedixerat Ioannes: « Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et « igni » [2]. Unde Ecclesia rursus canit « *Fons vivus, Ignis,* « *charitas* ». Per se quidem iste ignis est amoris in vitam; ubi autem amor despicitur, fit ignis vindictae in poenam, quemadmodum plura exempla Scripturae illustrant et parabolae Redemptoris confirmant. Si iam in populorum historia vel fabulis tot ex laeso amore orta sunt bellorum incendia, quid iam erit quando Deus amorem suum ab hominibus despectum sancto ipse zelo ulciscetur? « Quis poterit cogitare diem « adventus eius, et quis stabit ad adventum eius? Ipse enim « quasi ignis conflans » [3].

5) E contra quid dulcius amplexu Amoris amorem praemiantis? *Osculum* inde vocatur Spiritus Sanctus, iuxta illud Cantici: « Osculetur me osculo oris sui [4]. Si Verbum os Dei, Spiritus Sanctus osculum oris eius. Per hoc osculum trahit ad se animam dilectam, ipsique vitam suam divinam infundit.

6) *Charitas* inde vocatur, quia fructus huius osculi divini est per adoptionem communicatio illius charitatis a quo Spiritus est per naturam: « Charitas Dei, ait Apostolus, diffusa « est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est « nobis » [5]. Unde ubicumque in Scripturis occurrunt locutiones: « charitas Dei » [6], « charitas Christi » [7], « Deus cha- « ritas est » [8], non immerito dixeris, Spiritum Sanctum ibidem speciali titulo adsignificari. Ex hac quoque ratione Incarnationis opus Spiritui Sancto expresse tribuitur. « Hoc igitur « tantum opus, ait rursus Leo XIII, etsi totius Trinitatis fuit, « attamen Spiritui Sancto tamquam proprium adscribitur: « ita ut de Virgine sic Evangelia commemorent: " Inventa « est in utero habens de Spiritu Sancto ", et: " Quod in eo « natum ut, de Spiritu Sancto est " [9]. Idque merito adscri- « bitur ei qui Patris et Filii est charitas; quum hoc " magnum

[1] Luc., xii, 49.
[2] Matth., iii, 11.
[3] Malach., iii, 2.
[4] Cap. i, 1.
[5] Rom., v, 5. — Cf. S. Bedam (*Quaest. de SS. Trin.* 21. — *P. L.* t. ci, col. 62).
[6] Rom., viii, 39.
[7] II. Cor., v, 14.
[8] I. Ioann., iv, 3.
[9] Matth., i, 18, 20.

« pietatis Sacramentum » [1], sit a summa Dei erga homines « charitate profectum, prout Ioannes commonet: " Sic Deus « dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret » [2].

C) Porro haec charitas, si consideratur tanquam aliquid in eo ponens quem ignis ardore deosculatur, ecce tibi Donum quatenus « dedit dona hominibus » [3]; ecce tibi quoque alia nomina magis cum dono synonyma. Et ante omnia 7) *Paraclitus* ita aperte in Scripturis vocatur, ut post nomen Spiritus Sancti nullum aliud sit divino eloquio magis sacratum, potiorque usu aut patristico, aut liturgico: « *Qui Paraclitus* « *diceris* ». Non quasi sit nomen omnino personale; nam Christus dicens: « Ego rogabo Patrem, et *alium* Paraclitum dabit « vobis » [4], ostendit se primum esse missum a Patre Paraclitum. Et sane quantum solamen, - Paraclitus quippe est solator, - mundo attulit per suum adventum, suam doctrinam, suam salutiferam mortem. Sine divino hoc Samaritano, quis sibi vitam a tanta clade sperare potuisset? At Spiritus Sanctus est peculiari titulo Paraclitus, quia a Filio datus « ut maneat in « aeternum » [5]. Abeunte Sponso in superna, oportebat ut solamen nobis mitteret illum, qui per amorem et per dona absentiam dilecti temperaret. « Non relinquam vos orphanos, « veniam ad vos » [6], utique per Spiritum meum. Placet de hoc nomine audire quod pie scribit Rupertus: « Eruditae mentis « est persentire causam nominis huius, scilicet Paracleti, « quod latine dicitur Consolator. Quam videlicet causam sen- « tiens, simul etiam percipiet, quia multum pertinuit ad rem, « ut tali tempore potissimum (quod ante non fecerat, neque « per semetipsum, neque per prophetas) Spiritum Sanctum « Paracletum nuncuparet. Quale enim tunc erat tempus, vel « quid illo tempore agebatur? Tempus erat passionis, tempus « glorificationis; etenim hora eius instabat, ut per mortis pas- « sionem transiret de hoc mundo ad Patrem, et idcirco tali « transitu mox transiturus erat, ut acciperemus peccatorum

[1] I. Tim., iii, 15.
[2] Ioann., iii, 16. — Ibid., p. 131 sq.
[3] Ephes., iv, 8.
[4] Ioann., xiv, 16.
[5] Ibid.
[6] Ioann., xiv, 18.

« remissionem. Neque enim aliter nobis peccata remitterentur « aut remittuntur, nisi per sanguinem eius. Et quae, rogo, « prima vel maxima est sanctorum hominum consolatio, « nisi peccatorum remissio? » [1]. Et pergit ostendendo, hanc remissionem peccatorum revera per Spiritum Sanctum dari. Pulchre hic titulus Spiritus Sancti celebratur in hac gemina stropha liturgica: « Consolator optime, - dulcis hospes ani- « mae, - dulce refrigerium. - In labore requies, - in aestu tem- « peries, - in fletu solatium ».

8) *Pax* hanc significationem corroborat ac complet. Rex quippe Pacificus [2], oblato sacrificio in quo Iustitia et Pax osculatae sunt [3], discipulis suis, tanquam donum perfectum sanguine suo partum, e tumulo redivivus, contulit Pacem, veluti reconciliationis vinculum, victoriaeque altissimae pretium quovis thesauro sublimius. Atque tanta apparet inter dationem huius Pacis ac Spiritus Sancti concordia [4], ut una ex altero effluere, et altera alterum roborare videatur. Inde in formula illa apud Apostolum frequentissima: « Gratia « et Pax a Deo Patre » [5], non immerito inveneris per Gratiam Christum, per Pacem Spiritum Sanctum adumbrari. Inde quoque salutationi Pontificis: « Pax vobis », respondetur: « Et cum Spiritu tuo ». Inde spiritus monastici tessera « Pax ».

9) Haec autem pax, iuxta tritum effatum: « Si vis pacem, « para bellum », est simul in agonem et in luctam instructio. Currendum quippe nobis est, ut comprehendamus. Iam vero, sicuti athletae et cursores in stadio membra ungebant quo velociores motus ac subtiliores haberent; ita quoque *Unctio* nobis est ille Spiritus pacis: « *Et spiritalis unctio* ». Et sicut Christus unctionem suam divinam a Spiritu Sancto accepit, iuxta illa Psalmistae: « Unxit te Deus, Deus tuus » [6]; et Isaiae: « Spiritus Domini super me; eo quod unxerit me « Dominus » [7]; et Petri: « Unxit eum Deus Spiritu Sancto » [8];

[1] Op. cit., col. 31 sq.
[2] Off. Natalis.
[3] Ps. LXXXIV, 11.
[4] Cf. IOANN., XX, 21, 22.
[5] ROM., I, 7.
[6] Ps. XLIV, 8.
[7] Is., LXI, 1. — Cf. LUC. IV, 18.
[8] ACT., X, 38.

ita opitulante eodem Spiritu, « Sanctificatio animae, unctio « in sacris libris nominatur » [1]. Unde S. Ioannes primos christianos alloquens, ait: « Vos unctionem habetis a Spiritu » et « vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis » [2]. Et S. Paulus: « Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos « et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris » [3]. Ex hac significatione donorum Spiritus Sancti sub ratione unctionis, Ecclesia, a divino edocta Magistro, Sacramenta quibus haec dona conferuntur per unctiones moderari solet [4]. Imo intuitu huius unctionis internae, iam in Antiquo Testamento unctiones ad quaedam peculiaria charismata vel officia adhibebantur.

D) Supersunt tria nomina quae magis synthetice ad singula alia referri posse videntur. 10) *Fons* vocatur Spiritus Sanctus, « fons vivus », flumen, aqua saliens, tum quia foecundat, tum quia ex corde veluti in effusionem aperto prorumpit, tum quia abundantes thesauros in se continet, animaeque virtutes in superna stimulat. Ad hunc fontem suspirabat Psalmista: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aqua- « rum, ita desiderat anima mea ad te, Deus » [5]. Hunc significavit Christus: « Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non « sitiet in aeternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet ei fons « aquae salientis in vitam aeternam » [6]; et: « Qui credit in « me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent « aquae vivae » [7]. Et ne huius fontis applicationem ad Spiritum Sanctum arbitrariam quis putet, Ioannes Domini mentem illustrans, immediate adiungit: « Hoc autem dixit de Spiritu, « quem accepturi erant, credentes in eum: nondum enim « erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus » [8]. Rationem huius appellationis ita exponit Leo XIII: « Spiritus « effusio tantae est copiae, ut Christus ipse, cuius de munere

[1] Leo XIII, op. cit., p. 132.
[2] I. Ep. II, 20, 27.
[3] II. Cor., I, 21, 22.
[4] Iac., v. 14.
[5] Ps. XLI, 1.
[6] Ioann., IV, 13, 14.
[7] Ibid., VII, 38. — Is. XLIV, 3, etc.
[8] Ibid., 39.

« proficiscitur, abundantissimo amni similem dixerit » [1]. Recte igitur Ecclesia in solemnitate Pentecostes canit: « Fontes et « omnia quae moventur in aquis, hymnum dicite Deo, alle- « luia! » [2].

11) *Sapientia* quoque Spiritus vocatur, licet haec appellatio proprior sit Filio; quemadmodum *Creator* dicitur, licet creatio per prius Patri tribuatur. Inde non defuerunt Patres et theologi, qui laudes Sapientiae in Antiquo Testamento de Spiritu Sancto intelligerent [3]. « Quoniam autem, ait Irenaeus, « et Sapientia quae est Spiritus, erat apud Deum apud omnem « constitutionem, per Salomonem ait: Deus sapientia fun- « davit terram; paravit autem caelum prudentia » [4]. Similia inveniuntur apud Theophilum Antiochenum, et Marium Victorinum. - At haec non dicuntur ad negandam viam amoris per quam procedit; sed ad ostendendam habitudinem Spiritus Sancti tum ad Filium, tum ad opera Dei ad extra, maxime in ordine salutis.

Igitur Spiritus Sanctus vocatur Sapientia non formaliter sed causative, quia supremum e donis quae ab eo nuncupantur, sapientia est, vel etiam quia haec sapientia supernaturalis nequit ab ipso amore Dei seiungi [5], nomine personali huius amoris vocatur. Haec autem nihilominus « sapientia », quae est donum, causam quidem habet in voluntate, scilicet charitatem, sed essentiam habet in intellectu [6]. Quare formaliter sapientia, utique genita, vocatur in divinis persona procedens per viam intellectus [7].

12) *Sanctitas* demum Spiritus Sanctus vocatur, *a*) tum quia est ipse Sanctus κατ' ἐξοχήν, *b*) tum quia amor quo procedit, est manifestatio infinita sanctitatis Dei: nisi enim Deus se, vel Pater Filium, et Filius Patrem infinito se diligerent amore, non daretur proportio inter titulum et effectum,

[1] Leo XIII op. cit. p. 136.

[2] Antiph. 4, ad Laudes.

[3] Longe tamen communior, imo communissima doctrina quae in hac sapientia Verbum agnoscit. — Cf. Heinrich. (op. cit. § 218), necnon exposita superius in dissertatione de revelatione mysterii SS. Trinitatis in Ant. Testamento (p. 108, sqq.).

[4] Op. cit., l. IV, c. 37; cf, 17.

[5] Cf. II-II. Q. XLV, a. 4.

[6] Ibid., a. 2, in corp.

[7] Cf. PETAV., op. cit. l. VII, c. 12, n. 16.

ac proin in Deo disproportio a parte voluntatis haberetur; *c*) tum quia est per dona sua, maxime per charitatis communicationem, auctor sanctitatis et proin aedificator caelestis Ierusalem, quae sanctis velut totidem pretiosis lapidibus exsurgit. Unde totum opus sanctificationis ita ab Apostolo describitur: « Renovamini Spiritu mentis vestrae, et induite novum ho- « minem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanc- « titate veritatis » [1]; ac si diceret: in iustitia Patris, in veritate Filii et in sanctitate Spiritus.

APPENDIX II.

De Similitudine inter Animam humanam et SS. Trinitatem.

Absolutis quaestionibus quae singillatim agunt de proprietatibus ac nominibus personarum divinarum, superest ut brevissime investigemus de vera significatione deque proprio valore similitudinis SS. Trinitatis, quam homo in ipsa sua anima invenire passim a theologis praedicatur. Quam fuse ac subtiliter de hac similitudine egerint inter alios S. Augustinus in opere *De Trinitate*, et S. Anselmus in *Monologio*, nimis est notum, ut huic assertioni insistatur; nec sinit otium fuse has elucubrationes adducere atque perpendere. Brevitas itaque suadet, ut directe potius sententiam nostram de hoc argumento proferamus.

Iamvero per gradus intentum obtinetur.

1) Prima similititudo valde radicalis est illa a qua S. Ambrosius exorditur in praelaudato opello *De dignitate Conditionis humanae*. « Sicut Deus est, vivit, et sapit; ita anima « secundum suum modum est, vivit et sapit » [2]. Est potius trilogia gradationis ascendentis, quam evolutionis in eadem linea dignitatis rationalis [3].

[1] Ephes., xxiii, 24.

[2] *P. L.* xvii, col. 1105.

[3] In opusculo *de Gratia* et *Libero Arbitrio*, c. ix, S. Bernardus invenit similitudinem Dei in triplici gradu libertatis angelorum, Adami innocentis et hominum post lapsum. Sed hanc trilogiam non applicat ad SS. Trinitatem.

2) Iam magis evoluta apparet similitudo, si dicam: Quemadmodum in Deo est una essentia et duplex via processionis per intellectum et voluntatem; ita in anima est unum esse, sed duplex operandi facultas, intellectus et voluntas. At iam hic discrimen apparet, idque praesertim duplex: *a*) in Deo una simplicissima essentia est simul intellectus et voluntas; in anima, alia essentia, aliae facultates; alius intellectus, alia voluntas; *b*) in Deo ipsum agere sive intelligere et velle est ipsum esse; in nobis agere distinguitur tum ab essentia, tum a principio agendi seu ab utraque facultate.

2) Hucusque nondum est manifesta similitudo quoad ipsum numerum personarum in sua relatione ad unam essentiam communem. Quare secundus gradus similitudinis superest ascendendus. Qui gradus non ab omnibus eodem modo delineatur. *a*) Alii tres personas in anima humana inveniri dicunt quatenus in anima est esse, intelligere, velle [1]. Esse, utpote a quo principium, respondet Patri, principio sine principio; intelligere respondet Verbo; velle, Spiritui Sancto. Bene quidem; sed in hac trilogia quid respondet unitati divinae essentiae? Igitur ab hac parte haec comparatio aperte deficit.

b) Alii trilogiam inveniunt in memoria, quae Patri, in intellectu, qui Filio, et in voluntate, quae Spiritui Sancto respondet. Quod ab Augustino [2] et Anselmo passim usurpatum subtilique discursu evolutum, certe plenius est. - At repones. Quomodo potest memoria esse imago Patris, quum Pater sit initium, proferens Verbum, ac per consequens prioritate *a quo* praecedat ipsum Verbum; dum memoria non est nisi rei iam intellectae, ac per consequens supponit intellectionem praecessisse? Qui ita trilogiam Augustini impugnant, non videntur mentem huius Doctoris esse assecuti; et certe memoriam intelligunt modo quo Hipponensis eam non intendit. Quod sequentibus considerationibus aliquantulum iuvat illustrare.

[1] Apparet, hanc comparationem non esse nisi aliam formam trilogiae praecedentis.

[2] Hanc similitudinem S. Augustinus maxime per gradus evolvit in opere *De Trin.* l. XIV. — *P. L.*, t. XLII, col. 1095; maxime a cap. 6; — S. Anselmus eamdem exponit in saepe laudato *Monologio*, c. 67. — *P. L.*, t. CLVIII, col. 213.

Memoria triplicem significationem habere potest. Dicit foecunditatem initialem intellectus, sine qua nulla intellectio unquam possibilis est. Etenim tolle principiorum habitum, scilicet praesentiam agnitam huius fontalis luminis ad omne verum applicabilis; quae iam veritatis agnoscendae via menti patebit? Nulla prorsus. In hoc ergo habitu, uti mente praesenti, initium quodvis ponendum est; ita ut nulla mentis evolutio fingi possit, sublato non solum hoc habitu, sed et eius coram mente praesentia. Cuius ratione praesentiae hic habitus iure quasi fontaliter memoria nuncupatur.

Age iam: ubi ope habitus principiorum obiectique eidem propositi mens incipit cognitione prima ditari, principiorum habitus et ipse, quatenus memoria radicaliter vocabatur, acquirit augmentum per memoriam proprie dictam, menti fideliter asservandum. Quae facultas in armamentario mentis semel cognita custodiendi, nec custodiendi modo, sed et futuro usui mentis praesto suppeditandi, stricto sensu memoria vocatur.

Porro observa, in hac memoria duplicem haberi respectum: ad intellectionem praecedentem, cuius fructum et quasi parturitionem asservat; et ad intellectionem futuram, cui materiam sive fundum subministrat.

Ex dictis iam percipis, qua valeat, qua deficiat obiectio contra memoriam, uti Patris imaginem, adducta. Valet quidem, si memoria mere consideratur tanquam ex praecedenti intellectionis processu resultans; non autem valet, si consideratur tanquam fontale principium a quo initialis cognitio exorditur, aut tanquam id quod uti principium ulteriori cognitioni acquirendae admovetur.

Efficax proin ac legitima habenda est trilogia ab Augustino praesertim atque ab Anselmo vindicata. In qua et hoc occurrit sane non spernendum. Pater est principium Filii et Spiritus Sancti; iam vero memoria considerata in primo sensu, applicatur quoque synderesi a qua fontaliter procedit quaevis volitio. Haec autem volitio supponit praecedentem cognitionem, ac ita operationem habitus principiorum in primam cognitionem; quare volitionis quivis actus supponit non modo fontale principium operandi, sed et exercitium operationis intellectualis ac prolationem mentalis verbi; quod

verbum una cum synderesi fit principium volendi, quemadmodum Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio. Quae valent et de memoria tertio modo considerata.

Repones: Esto, memoriam aliqualiter posse hoc primo et hoc tertio sensu adhiberi, at certo secundus est sensus obvius, communis; unde potius abstinendum videretur a trilogia, quippe cuius primum membrum quoad apertiorem significationem deficit.

Fateor, primum modum considerandi memoriam in humano sermone vix adhiberi. At ubi agitur de similitudine cum divinis, maxime est ad rem, et valde legitima. In Deo quippe istud fontale principium totum in se continet; nec potest de Deo memoria praedicari, nisi sub hoc initiali, efficacissimo respectu.

Utra autem ex secunda et tertia significatione usitatior sit, non leve negotium est discernere. Obiicitur esse secundam; quod utique verum concedi potest, si mere agatur de memoriae genesi ac augmento; at si intendatur memoriae utilitas ac pretium, absque dubio tertius modus praevalet. Quo enim spectaret hoc memoriae tabularium, nisi fieret doctrinae et mentalis foecunditatis, aut saltem activitatis instrumentum? Secus non magis iuvaret, quam divitiae operose ab avaro collectae, quem nihilominus ipsa avaritiae caeca tenacitas egestate cogat emori.

c) Si quis tamen adhuc reluctet, et ob difficultatem oppositam ab illa similitudine continere malit, pro libitu agat. Nec sane contra se habebit S. Ambrosium, qui utique et ipse haec tria in anima enumerat, sed ordine inverso illustrat. En verba Mediolanensis Praesulis: « Est quoque et alia tri-
« nitas in ea, qua ad imaginem sui conditoris perfectae qui-
« dem et summae Trinitatis, quae ex Patre et Filio et Spi-
« ritu Sancto condita est: et licet unius illa naturae, tres
« tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem et memoriam. Quod idem, licet aliis verbis, in Evan-
« gelio designatur, cum dicitur: " Diliges Dominum Deum
« tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota
« mente tua " [1], id est, ex toto intellectu, et ex tota volun-

[1] Matth., xxii, 37.

« tate, et ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generatur « Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus Sanctus; ita « ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus « procedit amor » [1]. Et pergit hanc similitudinem egregie evolvens.

Si utramque similitudinem ad invicem confers, apparet S. Ambrosium in tribus facultatibus magis considerare relationem actuum, dum S. Augustinus potius intuetur habitudinem facultatum. Aliunde, licet ingeniosa valde expositio S. Ambrosii, fatendum esse praestare illi alteram, quatenus duplex foecunditas per intellectum et voluntatem in eadem essentia melius imaginem prae se fert duplicis processionis divinae.

d) Sed per haec adducimur ad aliam similitudinis viam, quam ipse S. Ambrosius paulo inferius evolvit, et quam exponit etiam Claudianus Mamertus. « Mens scire gignit, et « amat scire quod scit. Non illud scire dico, quo repente « scitur res aliqua, quae ante nesciri putabatur; sed illud, « unde et aliquod et omne quidquid scitur vel nescitur, sciri « potest. Illud ergo scire mens gignit, et cum genitum est, « scientia potest dici. Sunt ergo iam duo: mens, et quod ipsa « mens scit. Restat tertium utriusque commune. Omnis mens « quidquid scit, amat scire. Amor non minus quam inter « duos est, amantem et quod amatur. Unus ergo amborum « amor, qui et tertius est ». Ita S. Ambrosius [2]. Et Claudianus: « Vide mentem tuam, vide verbum tuum, vide volun- « tatem tuam » [3].

Haec similitudo videtur omnia in se bona habere, quae in Augustiniana similitudine continentur, quin incidat in idem inconveniens. Attamen in hoc minus felix est, quod non in pari ponit tres facultates, quae melius tribus personis ex aequo respondere videntur, quam facultas (mens), operatio (verbum) et operatio (amor), sive facultas simul et (voluntas) operatio. Insuper reciprocitas amoris quae inter Patrem et Filium adest, nequit inter mentem et eius scientiam praedicari.

[1] Op. cit., c. 2. — *P. L.*, t. XVII, col. 1015.
[2] Op. cit., c. 2, col. 1107.
[3] *De statu animae*, l. I, c. 26.

e) In fine reiicienda est quaedam similitudo, quam S. Augustinus ab initio his verbis respuit: « Non mihi videntur pro-« babilem afferre sententiam, qui sic arbitrantur trinitatem « imaginis Dei in tribus personis, quod attinet ad humanam « naturam posse reperiri, ut in coniugio masculi et feminae « atque in eorum prole compleatur: quod quasi vir ipse « Patris personam intimet; Filii vero, quod de illo ita pro-« cessit et nasceretur; atque ita tertiam personam velut Spi-« ritus dicunt esse mulierem, quae ita de viro processit, ut « non ipsa esset filius aut filia, quamvis ex concipiente proles « nasceretur ». Et plus minus accepta ingeniosa considera-tione quae hanc expositionem claudit, caetera, ait, sane ita sunt absurda, imo vero ita falsa, ut facillime redarguantur. « Omitto enim quale sit Spiritum Sanctum matrem Filii Dei « putare et coniugem Patris, etc. »[1] et fuse hanc defectuosam nimis, imo periculosam imaginationem indignabundus depellit.

Et haec de isto argumento scopo nostro sufficiant.

EPILOGUS.

Quemadmodum superius de Patre et Filio egimus, hanc de Spiritu Sancto tractationem pia Damasceni professione absolvere iuvat.

« Eodem etiam modo credimus in Spiritum Sanctum « Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit, et in Filio « conquiescit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et con-« glorificatur, utpote consubstantialis et coaeternus; Dei spi-« ritum, rectum, principalem: sapientiae, vitae, et sanctitatis « fontem: Dei cum Patre et Filio, cum rem habentem, tum « nuncupationem; increatum, plenum, conditorem, continen-« tem omnia ac moderantem, omnium effectorum, omnipo-« tentem, infinitae potentiae, creatis omnibus imperantem, « nulliusque imperio subiacentem; qui deos facit, non Deus

[1] Op. cit., l. XII, c. 5. — Ibid., col. 1060. — Iuxta hanc trilogiam puerulum nuper in agro romano reperi, qui, sciscitanti mihi de numero ac nomine divinarum personarum candide respondit: « *Sono tre: il Padre, la Madre e il Figliuolo* », ac si Urbs esset « in partibus infidelium »! Imo quot ex his misellis in crassa ignorantia derelictis neque tres personas, nec omnino Deum esse norunt!

« fit; qui implet, nec impletur; qui participatur, nec parti-
« cipat; sanctificat, nec sanctificatur; Paracletum, hoc est
« consolatorem, ut qui universorum admittat obscurationes;
« Patri et Filio per omnia similem; ex Patre procedentem,
« qui per Filium conceditur, et ab omni creatura percipitur;
« qui per seipsum creat, et rebus omnibus subsistentiam
« tribuit et sanctitatem; qui in propria subsistit, sive existit,
« hypostasi; qui a Patre et Filio nec separatur, nec digre-
« ditur; qui omnia habet quae Pater et Filius, excepta inge-
« niti et geniti proprietate » [1].

Ex qua professione quaenam expresse hucusque exposita doceant, lucide patet; quaenam a latino loquendi usu verbis quidem, at non re, discrepent, data opera superius ostensum est; reliqua in sequentibus evolvenda supersunt.

[1] *De Fide Orthod.*, l. I, c. 8

SECTIO II.

DE PERSONIS DIVINIS RELATIS
I. AD ESSENTIAM, - II. AD PROPRIETATES, III. AD ACTUS NOTIONALES, - IV. AD INVICEM.

Ambitus huius sectionis ex ipso titulo et ex tabella tractationi praemissa est manifestus.

Ratio huius ordinis ex dicendis apparebit.

I. MEMBRUM.

DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS.

QUAESTIO XXXIX.

Ordo Quaestionis sequenti schemate exprimitur:

- **Identitas inter personas et essentiam**
  - I) statuitur *in se* (1);
  - II) consideratur *in consequentiis*:
    - 1) quoad modum *praedicandi*:
      - *a*) in singulari et plurali (2. 3.),
      - *b*) in abstracto et concreto (4. 5. 6.);
    - 2) quoad modum *appropriandi*:
      - *a*) an liceat appropriatio (7),
      - *b*) qualis (8).

ARTICULUS I.

UTRUM IN DIVINIS ESSENTIA SIT IDEM QUOD PERSONA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quaerere de fundamento totius praedicationis, est quaerere de modo quo persona se habet ad essentiam; ex hoc enim pendet tota lex, quae regit praedicationem personalium de essentialibus sive adiective, sive substantive, sive in abstracto, sive in concreto, etc.

Et re quidem vera, si reale discrimen detur inter personam et essentiam, uti posuit Arius, nihil quoad identitatem poterit praedicari; nec licebit nisi aliqua praedicatio continentiae vel relationis. Ex opposito, si rationis distinctio cum Sabellio tollatur, non amplius apparet cur non indifferenter omnia de personalibus et essentialibus praedicari possint.

Si autem, uti tenet doctrina catholica, etsi inter personam et essentiam nullum habeatur discrimen reale, distinctio tamen inter essentiam et personam adest rationis, scilicet cum fundamento in re [1], et distinctio realis inter relationes subsistentes vel personas divinas: quaecumque praedicant unionem identitatis, possunt per inversionem et aequationem poni; quaecumque autem tollunt distinctionem rationis inter personam et essentiam, et realem inter personas, sedulo vitentur oportet.

2) Instabis: Nonne inter reale discrimen inter relationem subsistentem et essentiam, et solam distinctionem rationis cum fundamento in re, datur aliquod medium? — Porretanus utique tale quid quaesivit et se invenisse putavit, inducendo relationes non esse nisi assistentes [2]. Sed haec assistentia in mente ipsius non erat aliqua realitas, sed habitus ad alium. - Unde in hac sententia aliquid, quod nihil de reali habet, esset principium quo realiter distinguerentur personae. Iam vero hoc absurdum est. Sufficit quidem relatio assistens ut constituat relativos ad invicem; non autem ut constituat realiter in illa relatione distinctos, nisi haec relatio sit realis (quod negabat); et quidem, vel *a*) subiectum diversum (quod ipse videbat dogmati contrarium, et nullomodo ponebat, imo vitare volebat), vel *b*) identificatum cum subiecto, secundum quod in relatione consideratur habitudo ad subiectum cui inest, seu elementum *in;* quod Porretanus non percepisse videtur, et in quo est veritas.

3) Collige rursus ex hoc, quod, sicuti notio naturae et personae ex revelatione evasit perfectior, ita notio relationis; quatenus ratio nunquam cogitasset de relatione re identificata cum subiecto cui inest, ac non vidisset nisi relationem esse vel rationis vel realis; quod si sit realis, esse ad modum

[1] Eo sensu quo id supra vindicavimus. Q. XXVIII, a. 2.

[2] Cf. dicta superius de isto errore.

accidentis. Quae omnia fuse in Q. XXVIII exposita sunt; nec heic iteranda, sed breviter tantum recolenda.

II. - **Ad Textum.** *1. Obi.* Non distinguit inter relationes subsistentes et non subsistentes. De his valet obiectio, sed quid ad rem? De illis autem nullo modo.

2. Obi. Axioma allatum supponit, agi utrobique de eadem re sub eodem respectu. Iam vero in casu persona dicit relativum, essentia absolutum. Unde si detur unum re, quod simul sit absolutum et relativum: quid mirum, si de uno negetur, quod de altero affirmatur?

3. Obi. Confundit etymon vocis cum formali significatione eiusdem.

Sed contra est. Cf. auctoritates in Q. XXVIII, a. 2. allatas.

In Corpore. Processus limpidus. 1) affirmatur doctrina ex ipsa divina simplicitate. 2) Solvitur obiectio ex personarum distinctione posita: *a*) confutata falsa solutione Porretani, *b*) adducta solutione vera, scilicet essentiam et personas identificari re, distingui autem ratione.

APPENDIX.

De modo praedicandi in Deo trinam sive unam Subsistentiam.

Iam p. 354, aliquid de hac controversia praelibavimus; ad cuius pleniorem solutionem sequentia sufficiant. Ut ibidem dictum est, theologi non eodem modo loquuntur de subsistentia in sua relatione ad personas divinas et ad divinam essentiam. Estne in Deo admittenda aliqua subsistentia communis, unica, absoluta? - Negant Vasquez, Gregorius de Valentia, Ruiz, Franc. de Lugo, Petavius, Card. Franzelin [1]. - Affirmant Durandus, Caietanus, Suarez, etc. - Cl. Billot [2] viam mediam quaerit; concedens quidem subsistentiam dici posse unam, tribus communem, non autem quasi quartam subsistentiam, ita ut praeter tres subsistentias relativas, una teneatur absoluta. - Cl. Schell non solum tenet subsistentiam

[1] Op. cit. p. 343. Cf. citationes ibidem.

[2] Op. cit. hoc loco.

absolutam, sed et personam absolutam; ita ut Deus vocari possit unus non solum essentia, sed et subsistentia et personalitate [1].

Quo viam nobis magis tutam sternamus, certa quaedam praestabilire iuvat. Simplicitas Dei exigit non solum, ut in persona divina, persona non re a natura distinguatur, sed ut natura divina non mere consideretur tanquam principium *quo,* persona tanquam principium *quod.* Haec utique rationis distinctio adhiberi potest; realis autem repugnat. Quare una divina natura non solum est *unum quo* tres personae sunt *Deus*, sed et *unum quod* in tribus Deus est. Id quippe exigit perfecta simplicitas τοῦ Esse supremi.

Igiturne, quia una natura divina est *unum quod* in tribus personis subsistens, admittenda est una communis subsistentia? - Nego, sed hoc unum quod, praecise quia est subsistens Pater, subsistens Filius, subsistens Spiritus Sanctus, est subsistens unum triplici subsistentia. Quare licet aliquatenus, sumendo subsistentiam in sensu abstracto, una in Deo subsistentia praedicari possit, in quantum scilicet eadem essentia est non solum unum *quo* tres personae sunt Deus, sed unum *quod* in singulis est Deus; nihilominus in praedicatione concreta, quae propria subsistentiae est, tres in Deo subsistentiae sunt praedicandae, Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

Hanc esse divi Thomae sententiam, demonstratur ex doctrina art. 2. Q. XXIX, ubi personam et subsistentiam re identificari dixit. Porro Angelicum absolutam personam in divinis non admittere, ex tota huius tractationis doctrina abunde liquet.

Imperfecta proin imaginatio est, quae subsistentiam concipit veluti aliquid medium inter naturam divinam et personam; quia personae ut sint distinctae ab invicem, habent propter relationum oppositionem; ut sint subsistentes, ab essentia divina. Unde habent utique subsistere non ideo distinguitur ab ipso subsistere personae singularis.

Optime Card. Franzelin: « Modo concipiendi et loquendi « magis proprio, nec essentia relationibus, nec relationes « essentiae subsistentiam tribuere dicendae sunt; neque enim

[1] Cf. loca superius citata.

« aut relationes ab essentia realiter distinguuntur, aut sub-
« sistentia est realitas superaddita, sive essentiae, sive rela-
« tionibus; sed essentia simplicissima et infinita ex interna
« exigentia et per se ipsam realiter est subsistens Pater, Fi-
« lius, Spiritus Sanctus; et vicissim relatio, e. g., paternitas
« est per se ipsam Deus Pater, filiatio Deus Filius, spiratio
« (passiva) Deus Spiritus Sanctus » [1].

Putamus proin deficere dilemma quo Cl. Billot sententiam suam, caeteroquin valde moderatam, vindicare conatur. « Vel relationes personales, ex hoc quod relationes sunt, « habent subsistere; vel non sunt subsistentes nisi una eadem- « que subsistentia essentiae divinae, sive substantiae abso- « lutae » [2]. Etenim disiunctio deficit: datur quippe medium, scilicet, relationes personales esse subsistentes una eademque essentia divina, quin ideo haec praedicari debeat una subsistentia, quia in tribus subsistit una atque eadem.

Quam heic doctrinam vindicamus, utpote quae et in se nobis videtur profundior, et efficacius ipsam essentialem atque, ut ita dicam, organicam necessitatem Dei-trini manifestat, demonstrat quoque, cum moderamine sumendam esse sententiam Cl. Billot inferius scribentis: « Certo certius te- « nendum est, eamdem omnino esse significationem huius « nominis *Deus*, sive apud philosophum, sive apud theolo- « gum: eo quod de formali ratione Dei non est, neque Pater, « neque Filius, neque Spiritus Sanctus; sed est solum realis « identitas huius summi Dei, seu infinitae essentiae in se « subsistentis, cum tribus personalibus relationibus, quibus « distincta supposita constituuntur » [1]. Verum quidem est, *Deum* tam nececessario simplicissimum philosophico discursu demonstrari, ut in eo essentia et subsistentia nullo modo re distinguantur. Sed heic sistit philosophia. - Utrum haec subsistentia sit una an trina, non quaerit, imo nec quaerendum suspicatur. At revelatio non solum problema suppeditat, sed et ita solvit, iuxta nos, ut doceat subsistentiam unam esse negandam, trinam autem affirmandam. Quo posito, in concreto *Deus* non habet plene eamdem significationem pro

[1] Lege integram expositionem (Op. cit. p. 346).
[2] Ibid. p. 133.
[3] Ibid. p. 235.

philosopho et pro Christiano. Dicens *Deum*, ille dicit subsistentem unum; Christianus vero in una eademque divina natura dicit subsistentes tres: Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Quare putamus, revelationem complevisse ipsam formalem concretam significationem nominis « *Deus* ».

ARTICULUS II.

UTRUM SIT DICENDUM TRES PERSONAE UNIUS ESSENTIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Sicuti diversis nominibus abstractis et concretis exprimimus in Deo τὸ simplex et τὸ subsistentes; ita quoque suppositum et naturam praedicamus secundum aliquam rationis distinctionem, ac si forma et habens illam essent aliquomodo distincti. Iam vero in creatis forma dicitur esse subiecti vel suppositi, non solum quatenus in unoquoque est numero distincta, sed etiam quatenus contrahit formam ad perfectionem vel extensionem sibi respondentem et commensuratam. Formam autem heic intelligimus naturam et essentiam et reliqua quibus constituitur res in sua propria perfectione. Dicimus enim humanitatem Petri, Pauli, et ita porro; virtutem Petri, Pauli; etc.

At quando ita praedicamus, nullomodo significare intendimus, totam humanitatem vel totam virtutem esse Petri; sed Petrum, tanquam principium individuans, dictam formam contrahere quodammodo ad suam capacitatem, ac ita facere suam.

2) Quaestio movetur de praedicatione inversa. Non solet dici Petrus humanitatis, quamvis Petrus sit aliquomodo res naturae humanae; sed tunc sumitur cum forma sua et humanitas intenditur in sensu naturae secundae; neque dicimus, Petrum esse virtutis. Dicimus tamen eum esse perfectae humanitatis, vel virtutis eximiae.

Ratio est quia, sive copula *est* sumatur in sensu *habendi*, sive in proprio formali sensu *essendi*, aliquid ei addi debet ad sensum contrahendum. - In sensu *habendi* non absolute verum est, nisi de illa speciali humanitate et virtute quae ipsi competit, non de quavis alia, neque de genere. In sensu copulae affirmativae, ad modum inversionis prioris locutionis,

oportet ut virtus, quae in primo modo construendi contrahebatur per Petrum, per aliud additum contrahatur, quum Petrus, qui praecedit, illam non contrahat per se; de hoc enim praecise quaeritur. Ratio est manifesta. In affirmatione enim subiectum minus late patet quam praedicatum. Unde in inversione oportet ut contrahatur per aliquod additum: v. gr.: Homo est animal; animal rationale est homo. Eodem modo: virtus Petri, Petrus magnae virtutis.

3) Iam haec praemissa ad quaesitum applicemus. Rectissime praedico: Essentia est Patris, Filii et Spiritus Sancti; non recte dico: Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt essentiae; sed rursus recte affirmo: Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unius essentiae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad duplicem significationem substantiae.

2. Obi. Non considerat locutiones aequivalentes.

3. Obi. Recta quidem est formula. « Pater, etc. sunt unius naturae »; imo quoad rem identica cum formula de qua quaeritur; nihilominus ob duplicem formalitatem in natura et in essentia directe significatam efficacior est formula: « Pater, etc.... sunt unius essentiae ».

4. Obi. Negligit discrimen inter haec duo: unius essentiae, et essentiae: haec altera offendit legem sermonis; prior autem non.

5. Obi. Procedit ex falsa paritate. Etenim in formula cum propositione « ex una essentia » continetur praedicatio processionis, quae non continetur in formula cum genitivo. Interest ergo inter formam transitivam et obliquam. Quare formula « ex una essentia » ponit distinctionem realem inter personas et essentiam; formula autem « unius essentiae » non.

6. Obi. Imbellis est ex falsa disiunctione. Etenim magis obvia interpretatio omittitur, iuxta quam scilicet, eadem numero essentia est communis tribus personis.

Sed contra est. Huc directe spectat celeberrima vox ὁμοούσιος a Nicaenis Patribus contra Arianos inducta. Quae si extenditur ad Spiritum Sanctum contra Macedonianos, habetur ipsa formula de qua in articulo quaeritur: « Pater, Filius et Sanctus Spiritus, seu tres personae sunt unius

essentiae sive substantiae, id est, consubstantiales ». Audiatur S. Augustinus: « Pater ergo et Filius unius sunt eiusdemque « substantiae. Hoc est illud *Homousion*, quod in Concilio « Nicaeno adversus haereticos Arianos a catholicis Patribus « veritatis auctoritate et auctoritatis veritate firmatum est: « quod postea in Concilio Ariminensi propter novitatem verbi « minus quam oportuit intellectum, quod tamen fides antiqua « pepererat, multis paucorum fraude deceptis, haeretica im- « pietas sub haeretico Imperatore Constantio labefactare « tentavit. Sed post non longum tempus libertate fidei catho- « licae praevalente, posteaquam vis verbi, sicut debuit intel- « lecta est, *Homousion* illud catholicae fidei sanitate longe « lateque defensum est. Quid est enim *Homousion* nisi unius « eiusdemque substantiae? Quid est inquam, *Homousion* nisi: « Ego et Pater unum sumus? » [1]. - De vicissitudinibus formulae ὁμοούσιος, in fine articuli pauca adiungemus.

Ex ultimis verbis S. Augustini vides, doctrinam huius articuli corroborari per quotquot Scripturarum testimonia quae τὸ *Homousion* directe vel etiam indirecte vindicant.

In Corpore. Argumentum duplici parte constat. In priori S. Thomas exponit, ex analogia creaturarum, essentiam praedicari tanquam personarum formam. Quo posito in altera parte considerat modum praedicandi de formis, eumque quaesito applicat.

Appendix historica de dogmatico Vocabulo ὁμοούσιος.

Habitudo Verbi ad Patrem, ratione substantiae quatuor vocabulis exposita est ac vindicata, iuxta quatuor gradationes doctrinae circa hoc dogma propugnatae. Filius Patri proclamatur ὁμοούσιος a Catholicis, ὁμοιούσιος a Semiarianis, ὅμοιος ab Arianis moderatis, ἀνόμοιος a rigidioribus, inde Anomaeis dictis.

Patres contra Arium Nicaeni, anno 325, congregati Filium proclamarunt ὁμοούσιον τῷ Πατρί; quam fidem Nicaenam eidem Patres Antiocheni anno 341, sanciverunt, vocem autem

[1] *Cr. Maxim.* l. II, c. 14, n. 3. — *P. L.* t. XLII, col. 772.

« ὁμοούσιος » non adhibuerunt. Regnante porro Constantio Arianismi fautore acerrimo, depositoque Photino Sirmiensi, Patres ibidem collecti primam fidei formulam sensu orthodoxo ediderunt. At post infaustas insidias utriusque synodi Arelatensis (353) et Mediolanensis (355), ipsa victrix audacia schisma inter Arianos peperisse visa est. - Hinc Semiariani, duce Basilio episcopo Ancyrensi, Filium Patri similem in ipsa substantia ὁμοιούσιον proclamarunt; illinc Ariani puri, Aëthius, eiusque discipulus Eunomius Cisicensis Episc. cum suis, eum blasphemabant ἀνόμοιον, ἑτέρας οὐσίας, ἐξ οὐκ ὄντων. Urgente inde lucta inter utrasque partes, in altero concilio Sirmiensi (357) victoria a latere Eunomianorum stetit: secunda enim Sirmiensis formula Filium proclamat in omnibus Patre minorem. Sed ecce Caesar in partes Semiarianorum deflectit: tertium concilium ibidem adunatur (358), in quo tertia formula Sirmiensis sancitur, proclamans contra Arianos puros « Filium esse in omnibus Patri similem, Υἱὸν τῷ Πατρὶ « ὅμοιον εἶναι κατὰ πάντα ».

Heic agitatur famosa nimis *quaestio Liberiana:* utrum scilicet necne Papa Liberius, ab exilio redux, tanquam libertatis arrhae, Sirmiensi huic fidei subscripserit. Lis sub iudice [1]. Extra dubium interim tene, hanc fidem quoad verba haereticam non esse. Si enim mere vocabula inspicis, quid interest inter: « Patri in omnibus similis est Filius », et: « Philippe, « qui videt me videt et Patrem? » Scilicet si haec formula

[1] Ipsi Ruffino dubia res erat. « Liberius urbis Romae episcopus, Constantio vivente « regressus est. Sed hoc utrum quod adquieverit voluntati suae, ad subscribendum, « an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus, indulserit, pro « certo compertum non habeo » (*H. E.* I. 27). Ita Socrates, Theodoretus, Sulpitius Severus reditum Pontificis orationibus ac minis Romanorum adscribunt. E contra non sine aliqua vi Caesarem Liberium dimisisse, ostendunt verba S. Hilarii: « Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illum episcopum; et o te mi« serum, qui nescio utrum maiore impietate relegaveris, quam remiseris ». (*Ctr. Const. Imper.* c. 11). Hanc autem vim in subscribenda formula fidei constitisse, affirmat S. Athanasius: « φοβηθεὶς ὑπέγραψεν » (*Hist. Arian. ad Monach.* c. 41; — Cf. *Apol. ctr. Arian.* c. 89). Et maxime Hieronymus « Liberius taedio victus exilii, in « haereticam pravitatem subscribens... » (*Chron.* ad ann. 352; — Cf. *De viris illustr.* c. 97). Sozomenus pariter testatur, Liberium symbolo tertio Sirmiensi assensum dedisse (*H. E.* IV, 11 et 15). Quare hanc sententiam propugnavit Hefele. Formula autem quoad verba erat orthodoxa, licet in mente eam proclamantium esset semiariana; indeque ab Hieronymo, duplicitatem execrante, haeretica pravitas vocabatur. Nullatenus autem Liberium secundae formulae Sirmiensi subscripsisse, certo constat.

semiariana est, ipsum Imaginis nomen semiarianum esto. Caeterum quî potuisset circa fidem in hoc dogmate errare ille idem Pontifex, a quo haec est sententia: « Qui non con- « fitetur Filium Patri secundum substantiam in omnibus « similem esse: A. S.? » Imprudens egerit Liberius annuendo formulae ob originem vitandae [1], - damnaverat enim idem Concilium et quidem pravo sensu vocem ὁμοούσιος, - si tamen ei subscripserit; at ab haeresi sine dubio est proclamandus immunis [2].

Anno autem 359, iubente Constantio, Latini Patres Ariminum, Graeci Seleuciam convenerunt. Utrobique, sed non sine multa fraude ac vi, fides quaedam quarta Sirmiensis, ad normam tertiae subscripta est, in qua Filius praedicabatur Patri ὅμοιος κατὰ πάντα.

Demum in Synodo Constantinopolitana, in qua ex una parte Acacius Caesarensis episcopus Acthium supplantavit, ex altera Semiarianorum capita deposita sunt atque ab Imperatore exilio mulctata, doctrina triumphavit quae nec catholica, nec semiariana, nec pure esset ariana, sed aliquid medii inter semiarianismum et arianismum, damnans scilicet formulas ὁμοούσιος et ὁμοίουσιος, sed loco vocabuli ἀνόμοιος, praedicans ὅμοίος. - Brevis victoria, nec victoria, quam insuper obitus Constantii, praecipui haereseos fautoris (361), undequaque sterilem reddidit.

[1] Nec hoc unum exemplum quo ob fraudes a vocabulo aliunde sano sit abstinendum. Nec aequivoca tantum, sed et optima solent erroris astutiâ a genuino sensu detorqueri, ut mendacium specie veritatis duplicatum, per hanc ipsam appellationem iniuste assumptam incautos facilius laqueo capiat ac perdat. Quid nobilius doctrina vere *orthodoxa?* quid sanctius spiritu vere *evangelico?* quid salubrius vera christiana *libertate, fraternitate, aequalitate?* quid populis optatius vero « *risorgimento?* »

[2] Cf. de hac quaestione: Hefele (*Conc. Gesch.* t. I, p. 611); Reinerding (*Beiträge zur Honorius - und Liberiusfrage* p. 18 sqq.); Schneemann (*die Canones und Beschlüsse des Vatican. Conc.* p. 40, sqq.); Hergenröther (*Anti-Janus*, p. 49); Brück (*Lehrbuch der Kirchengesch*, I, p. 166, etc.); etc., etc.

ARTICULUS III.

UTRUM NOMINA ESSENTIALIA PRAEDICENTUR SINGULARITER DE DIVINIS PERSONIS.

I. De ipsa Quaestione. – 1) Vidimus supra, Patrem et Filium ad Spiritum Sanctum esse unum principium, sed duos agentes, ideoque dici non duos spiratores sed duos spirantes; quatenus spirator ponit aliquomodo substantiale fundamentum, spirans potius suppositum agens. Cuius praedicationis ulterius nunc est ratio extendenda et explicanda [1].

2) Iamvero hoc interest inter praedicationem substantivam et adiectivam, quod haec ponit substantiam, ista autem aliquid adiicit. Unde quum adiectum supponat subiectum in quo maneat, hoc autem sit subsistens: adiectiva afficiunt suppositum, substantiva substantiam.

Unde iam statim oritur lex. In ente in quo tot sunt substantiae quot personae, pari ratione praedicari possunt substantiva et adiectiva; in illo vero in quo non sunt tot naturae quot personae, considerandum est, multiplicari supposita per adiectiva, et substantias per substantiva.

3) Collige ex hoc, substantivum *per se* in recto ponere essentiam substantem, in obliquo autem illum qui habet eam, vel qui in ea subsistit. Quare ex eo quod nomen « *Deus* » multiplicari nequit, non licet concludere, quod excludat significationem subsistentiae. Ponitur quippe pro natura subsistente. Recolantur enim quae supra posuimus de modo praedicandi abstracte et concrete de Deo. Dico *per se;* nam hoc non valet de substantivis, quae, utpote ad personam exprimendam adducta, in recto ponunt subsistentiam, in obliquo naturam.

4) Caveas inde, ne ex dictis concludas, eodem modo Deum et personam vagam exprimere subsistentiam. Nam in persona vaga, etsi haec persona potius quam illa non exprimatur, tamen in recto ipsa formalis subsistentia exprimitur.

[1] Conf. solutionem ad finem articuli 5.

Communis inde potest esse secundum appellationem, non vero secundum determinationem. Quare liquet, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum eodem nomine personae appellari posse, quin et debere; et simul tres personas dici; dum e contra singulas personas Deum, et nonnisi Deum unum confitemur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Negligit discrimen inter praedicationem substantivam et adiectivam.

2. Obi. Supponit formam pluralem אֱלֹהִים involvere etiam significationem pluralem; de quo non conveniunt omnes. Quod si admitteretur, iam in hoc ipso nomine Dei veluti sub velamine contineretur et Trinitas, et « Elohim » esset appellatio implicite aequipollens voci quae latine sonaret « unus trinus ».

3. Obi. Dupliciter deficit: 1) quia non attendit ad transcendentalem significationem vocis « res »; quae si urgeatur, neque realem distinctionem involvit inter ea quae uti res enumerantur; 2) quia non considerat, personas, uti ad invicem oppositas realiter, tota divinae naturae realitate ab invicem distingui, quin inde triplicetur haec natura in se considerata.

4. Obi. Negligit dicta superius et in hac ipsa Quaestione de significatione « personae »; quae vox, quum inducta sit ad exprimendum ipsum principium subsistens, in recto ponit subsistentiam, ac ita, ubi plures sunt subsistentes, pluraliter praedicatur.

Sed contra est. Huc faciunt quaecumque superius attulimus ad unitatem divinae naturae probandam.

Huc spectat canon primus Conc. Lateranensis I: « Si quis « non confitetur.... unum Deum in tribus subsistentiis con- « substantialibus.... condemnatus sit »; necnon professio Symboli Athanasiani: « Quia, sicut singillatim unamquamque « personam, Deum ac Dominum confiteri christiana veritate « compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere catholica « religione prohibemur " ». Ipsa scilicet consubstantialitas vetat, quae substantiam significant, praedicari pluraliter: « Et in hac Trinitate.... totae tres personae coaeternae sibi « sunt et coaequales ».

In Corpore. Processus nitidus: S. Thomas legem 1) statuit; 2) explicat; 3) applicat.

1) Distinctione facta inter nomina essentiam significantia substantive et adiective, statuit legem: illa singulariter tantum, haec etiam pluraliter de personis divinis praedicari.

2) Iam fundamentum huius legis investigans, eam in ipsa ratione ostendit inveniri, qua illa praedicant per modum substantiae, haec per modum inhaerentis subiecto; ac ita per consequens illa substantialis formae, haec autem subsistentis multiplicationem in plurali involvere. Quod illustrat in creaturis per usum loquendi de formis multitudinis ordinatae; atque in rigore applicat divinae naturae numero uni in triplici subsistentia.

3) Demum applicat legem in initio positam: *a*) quoad praedicationem *substantivam,* ostendendo discrimen in creatis et in divinis; quia in solo Deo tres sunt in singulari substantia unum; *b*) quoad praedicationem *adiectivam*, distinguendo inter adiectivum proprie dictum, quod pluraliter praedicari potest; et improprie dictum quod, utpote pro substantivo positum, substantivae praedicationis legem sequitur.

ARTICULUS IV.

UTRUM NOMINA ESSENTIALIA CONCRETA POSSINT SUPPONERE PRO PERSONA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus hucusque: *a*) de fundamento identitatis (a. 1); *b*) de ratione formae quam habet essentia ad personam (a. 2); *c*) de modo multiplicandi essentialia ad omnes personas collective sumptas (a. 3). Nunc debemus inquirere *a*) quomodo essentialia - concrete vel abstracte - supponant pro persona; et *b*) quomodo e converso personalia praedicentur de essentialibus.

De primo in praesenti articulo.

2) Solutio huius quaestionis ab hoc pendet, utrum nomina essentialia concrete posita habeant, ut significent essentiam an personam. Quam ad quaestionem solvendam considerare oportet, quid intendatur in divinis per praedicationes con-

cretas et abstractas. Per abstracta praedicamus simplicitatem, per concreta praedicamus subsistentiam. Inde modus ipse significandi facit ut concreta, etsi quoad rem conveniant cum essentia, superaddant tamen subsistentiam eiusdem.

Et certe si philosophos gentiles interrogemus de nomine « *Deus* » et de nomine « *deitas* », reponunt: nomen « *Deus* » exprimit essentiam ut seipsa subsistentem, unde nomen « *Deus* » essentiae abstracte intellectae superaddit saltem in confuso subsistentiam [1].

3) At quaeres, nonne ex hoc sequitur, idem sonare vocem « *Deus,* » et vocem « *persona?* » - *Resp.* Nego, et quidem dupliciter: *a*) quia subsistentiam *Deus* exprimit in obliquo, *persona* vero in recto; insuper *b*) magis stricte: *Deus* addit formalitatem subsistentiae, quin addat, utrum sit unica, an multiplex; *persona* autem exprimit subsistentiam indistinctam et incommunicatam. Quare tres personae sunt unus Deus, quia sunt *una essentia* in tribus *subsistens.*

4) Hoc posito iam apparet fundamentum rationis propter quam verum sit affirmare: « Deus generat », et falsum negare: « Deus non generat ».

Etenim per « *Deus* » ponitur essentia divina saltem in confuso subsistens. Iamvero simpliciter est verum, essentiam divinam in aliquo subsistentem generare; Pater enim generat. Ut autem generationem posses negare, quia nec Filio competit, nec Spiritui Sancto, qui sunt Deus, deberes contrahere sensum « Deus » ad illas personas, quod utique potest obtineri per adiectivum, ut quomodo dices: « Deus « genitus non generat », vel per aliquod superadditum in praedicato quod proprietatem vel actum Filii indicaret, v. gr.: « Deus non generat post filiationem spirando ».

5) Ex dictis liquet, quid intersit inter habitudinem nominum « *Deus* » et « *homo* » ad nomina « *deitas* » et « *humanitas* »; « *Deus* » et « *deitas* », quoad rem conveniunt, quum nihil realiter inter utrumque intersit, propter ipsam divinam simplicitatem. « *Homo* » autem et « *humanitas* » non conveniunt, quia humana natura hominis singularis non est nec homo singularis, nec ipsa humana generica natura. Quare

[1] Et inde iuxta paulo superius dicta, aliquid interest inter sensum simplicis vocis « Deus » pro philosopho christiano et non christiano.

licet utrobique forma ponatur in recto, in nomine « *homo* » non intelligitur per se forma communis, nisi per additionem ad id contrahatur, dicendo v. gr.: « homo est species ». Nihilominus « homo » ponit in recto singularem naturam, dum « persona « humana » ponit in recto principium subsistentiae eiusdem.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit a pari a creatis ad divina; quum ipsa singularitas Entis Summi simul unius ac trini hanc paritatem excludat.

2. Obi. Supponit, nomen « *Deus* » per se nihil habere quod subsistentiam seu personam indicet; quod alibi et in statu Quaestionis falsum esse probavimus. - Insuper attende, quando dico: « Deus creat », etsi non pono actum aliquem personalem, non nego tamen Deum subsistentem creare; qui quum in tribus personis subsistat, trinus creat, licet per virtutem essentiae tribus communis. Non enim est Trinitas aliquod ornamentum ad intra deitatis, sed constitutio essentialis eiusdem, sine qua illam neque concipere possemus, si eam intueremur uti est.

3. Obi. Negligit dicta n. 4. et 5. - Ex hac doctrina habes, cur propius se habeat nomen « *homo* » quam nomen « *Deus* » ad nomen « *persona* ».

4. Obi. Defectus est in dilemmate: « genuit vel se Deum « vel alium Deum ». Posito enim quod Deus duo consignificat: essentiam et subsistentem in ea, praeter identitatem in subsistentia generantis et alietatem in essentia habetur identitas in essentia et alietas in subsistentia, quae exprimitur quando dicimus: « Deus genuit Deum », vel « Deus « genuit alium, qui et ipse Deus », et clarius: « Deus Pater « genuit Deum Filium ».

5. Obi. Aliter et aliter de formula heic opposita loquendum, secundum quod particula « *est* » sumitur in sensu copulativo aequationis, vel in sensu aequalitatis. *a*) Primo modo « Deus genuit Deum, qui est Pater », triplicem sensum habere potest. Obvius est falsus, ac ponit, Deum genitum esse Patrem. Alter est: Deus genuit Deum, qui Deus generans est Pater. Tertius: Deus genuit Deum, qui est Deus, qui Deus est Pater. Uterque verus, sed uterque longe petitus. Quare propositio simpliciter dicenda est falsa, sicuti opposita est praedicanda

simpliciter vera. *b*) Sumendo autem vocem « *est* » pro « *aequalis est* », vel « *eiusdem naturae* », affirmans formulae pars vera esset, sed obscura; falsa altera. Quomodo autem Praepositivus cogitaverit priorem partem iuxta sensum aequalitatis intelligi non posse, posse autem alteram, vix apparet, et videtur unice ideae praeconceptae tribuendum.

Sed contra est. Praeter auctoritatem Symboli heic allatam habes loca Scripturae in quibus « *Deus* » manifeste ponitur pro persona determinata SS. Trinitatis; v. gr.: « Verbum erat « apud Deum » et: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium « suum unigenitum daret ». In quibus locis « Deus » supponit manifeste pro Patre, sicuti in omnibus locis in quibus Verbum dicitur simpliciter « Filius Dei ».

Eadem lege B. V. Maria vocatur « Mater Dei »; scilicet mater, non Patris, nec Spiritus Sancti, nec divinae naturae, sed Filii, qui est Deus.

In Corpore. Argumentum huius *Corporis* duplici parte constat. - 1) In prima S. Th. solutionem suggerit, fundatam quidem in veritate, scilicet in identitate abstracti et concreti nominis divini ob ipsam divinam simplicitatem; at in qua confunditur res significata cum modo significandi. - 2) In altera parte veram sententiam exponit, fundatam in habilitate nominis « *Deus* », ut stet pro essentia vel pro supposito, iuxta adiuncta.

Corollarium. - Ex modo omnino singulari quo in Deo se habet essentia unica ad subsistentes in ea, vides, quid intersit inter « *hic homo* » et « *hic Deus* ». « *Hic homo* », quem indigito, necessario designat Petrum vel Paulum, vel alium quemvis; et non nisi hunc, non alium simul. At « *hic Deus* » potest significare vel tres simul personas, sive hanc Trinitatem, vel singillatim Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum. Ratio est quia Deus, etiamsi in ipso considero tres personas, semper, uti Deus, unus est, ac per consequens semper est « *hic Deus* ». Unde quando « *hic Deus* » supponit pro una persona prae alia, v. gr.: « Hic Deus-Homo », persona ponitur in recto; quando supponit pro tribus personis, in recto ponitur natura [1].

[1] Cf Caietanum hoc loco.

ARTICULUS V.

UTRUM NOMINA ESSENTIALIA IN ABSTRACTO POSSINT SUPPONI PRO PERSONA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus superius, in tractatu de divinis nominibus, legem praedicationis exigere ut in modo quo adhibetur, ipsa formalis ratio cuiusvis nominis servetur. Quo principio posito, quum ratio formalis abstractorum nominum sit, essentiam exprimere independenter ab existentia concreta; quae solummodo ad concretam subsistentiam pertinent, praedicari per essentialia abstracta non possunt. Atqui omnia quae personas substantive exprimunt, sunt nomina formaliter subsistentiae concretae; ergo.

Aliis verbis: hoc interest inter nomen « *Deus* » et « *essentia* », quod « *Deus* » (uti essentia in possidente eam) potest supponere pro persona, « *essentia* » vero non.

Proin dictio « essentia genuit essentiam » est vel destructio vocis essentiae, vel assertio multiplicationis essentiarum. Hoc peccat contra dogma, illud contra legem humani sermonis. Quare Concilium Lateranense IV, sub Innocentio III, litem solvens inter Petrum Lombardum et Abbatem Ioachim, damnavit formulam ab isto inductam [1].

2) Nihilominus, ad urgendam identitatem quae inter divinas personas habetur, quatenus personae procedentes sunt consubstantiales cum personis a quibus procedunt; si agendum sit cum adversariis qui admittant unitatem essentiae et processionem, sed negent consubstantialitatem, interdum legitimae et efficacissimae erunt locutiones in quibus haec abstracta identitas praedicetur. Ita contra Arianos agit Augustinus: « Pater et Filius simul una sapientia quia una essentia; « et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de es« sentia » [2]. In quo loco tria habemus: *a*) distinctos Patrem et Filium, - *b*) identitatem in una essentia, - *c*) processum

[1] Cf. textum in *Sed.* ctr. all..
[2] *De Trin.*, l. VIII, c. 2. — *P. L.* t. XLII, col. 936.

secundum identitatem. Iuxta mentem Patrum ita cum S. Augustino loquentium, intelligendus est Richardus Victorinus [1].

II. **Ad Textum.** *1. Obi.* Negligit scopum polemicum de quo n. 2. Caeterum neque, admisso scopo, omnino aequalitas est concedenda.

2. Obi. Canimus in Symbolo: « Genitum, non factum ». Certe si essentia generaretur, haec distinctio nulla esset, quatenus genitus esset factus. Igitur quod producitur, est relatio, non autem realitas eiusdem, quae ipsa essentia est.

3. Obi. Non distinguit inter rem significatam et modum significandi.

4. Obi. Eodem vitio laborat, quod et exemplo illustratur.

5. Obi. Dupliciter deficit: *a*) tum quia non attendit ad discrimen inter praedicationem per substantivum et adiectivum; *b*) tum quia non considerat duplicem sensum nominis « *res* »; quod nomen, uti supra vidimus, habet trascendenta-

[1] *De Trin.*, l. VI, c. 22, — *P. L.* t. CXCVI, col. 986 sq. Integrum hoc caput lege. Sequentia saltem verba adducere lubet, ut appareat, Richardum substantiam in duplici sensu adhibere: in sensu absoluto, et in sensu relativo, ita ut, in formula « " substantia de substantia " contrahatur ad sensum relativum. « Notandum, ait, « quoniam quod dicitur Filius ab Apostolo: " Figura paternae substantiae " *, idem « valet ac si diceretur figura substantiae ingenitae. Nihilominus autem si diceretur « figura ingenitae substantiae, idem esset ac si diceretur figura ingenitae personae. « Si Patrem dicis, si ingenitam substantiam, si ingenitam personam nominas, eamdem « procul dubio personam designas. Procul dubio nihil aliud est Patris persona quam « substantia ingenita; nihil aliud Filii persona, quam substantia genita ». Quo posito, invehit in theologos qui ab hac loquendi ratione abstinendum putant. « Sed « multi temporibus nostris surrexere, qui non audent hoc dicere, quin potius, quod « multo periculosius est, contra Sanctorum Patrum auctoritatem et tot attestationes « paternarum traditionum audent negare, et modis omnibus conantur refellere. Nullo « modo concedunt, quod substantia gignat substantiam, vel sapientia sapientiam. « Pertinaciter negant quod omnes sancti affirmant; ad id quod ipsi dicunt auctori- « tatem invenire non possunt ». Et pergit stylo sat acuto.

Quid ergo? Modus loquendi quem patrocinatur Richardus, in se quidem optime salvari potest; at quum ex una parte in errorem inducere possit ob neglectum discrimen inter abstractum et concretum, et ex altera Abbas Ioachim ex falso conceptu habitudinis personae divinae ad essentiam, hanc formulam erronea mente propugnarit, prudentia suadet ut ab ea abstineatur; neque post Concil. Lateran. IV. prudentia modo, sed et reverentia Ecclesiae oraculo debita.

Petavius autem non videtur discrimen inter modum loquendi Patrum et Abbatis Ioachim satis percepisse.

* HEBR., I.

liter ut significet relationem vel substantiam; unde quid mirum, si secundum unum alterumve sensum, affirmatio vel negatio legitima sit?

6. Obi. Deficit, quia ex triplici significatione quae formulae S. Augustini tribui potest, hanc unam admittit quae thesi huius articuli opponitur. Etenim falsa est utique formula, si intelligo: Patrem esse principium totius deitatis, quia generat deitatem. Vera autem est, si id intelligo, vel *a*) quia est principium aliarum personarum quae sunt in deitate; vel *b*) quia totam deitatem duplici processione communicat. - Quae ultima interpretatio minus erat ab Augustino intenta quam altera.

Sed contra est. Haec Hipponensis affirmatio, cuius vim iam superius laudavimus, multum nobis inserviet in Quaestione sequenti, ad principium constitutivum personarum divinarum recte intelligendum. Nam si nulla res generat seipsam, eo ipso quod concipimus essentiam divinam ponentem actum generationis per dictionem Verbi, iam superaddimus illam rationem subsistentem seu personalitatem cum termino suo ab aeterno in esse.

Doctrina huius articuli, sicut et praecedentium, declaratur a Concilio Lateranensi IV, Cap. *Damnamus:* « Damnamus « ergo et reprobamus libellum seu tractatum quem Abbas « Ioachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum, de « unitate seu essentia Trinitatis, appellans ipsum haereticum « et insanum, pro eo quod in suis dixit sententiis, quoniam « quaedam summa res est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, « et illa non est generans, neque genita, neque procedens.... « Nos autem, sacro approbante concilio, credimus et confi- « temur cum Petro Lombardo,... quia quaelibet trium perso- « narum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura « divina, quae sola est universorum principium, praeter quod « aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, nec « genita, nec procedens; sed est Pater qui generat, et Filius « qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones « sint in personis et unitas in natura ».

Ex quibus ultimis verbis habes, eatenus formulam Ioachim proscribi, quatenus hic distinguebat ubi non erat distinguendum, ac ita veluti quamdam quaternitatem inducebat.

Unde modus loquendi S. Augustini per se nullatenus cadit sub proscriptiones huius Concilii [1].

In Corpore. Argumentatio S. Th. non est nisi applicatio inversa principii in *Corp*. art. praec. allati [2]. Adverte brevem, at perpulchram definitionem: Deus significat divinam essentiam (in recto) ut in habente (in obliquo). Confer quae de hac re superius dicta sunt.

Ad rectam responsionis intelligentiam considera, nomen personale substantivum duplicem formalitatem habere: alteram, qua exprimitur subsistentia; alteram, qua exprimitur modus eiusdem. Haec secunda se habet veluti adiectivum additum priori. Quare contractio quae per illud adiectivum ponitur, nullomodo operatur circa essentiam, sed circa subsistentiam, quae iam per substantivum est adducta. Ex. gr., quando dico: « Pater est essentia », est quasi dicam: « Deus « generans vel persona generans est essentia »; per quod nullomodo pono personam esse essentiam generantem; sed personam, quae generans est, cum essentia esse unum.

Ex his quae de voce *res* dicuntur, habes quomodo, licet una sit in Deo essentia, tamen sunt tres res, quatenus sunt tres realiter distincti. Unde sub hoc respectu tres res sunt una res, sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres relativi et unum absolutum [3].

Corollarium I. - Si ambiguus loquendi modus quem Richardus tantopere urget, si errore permixta formula Abbatis Ioachim, nihil ex opposito absurdius sententia Calvini eiusque

[1] S. Augustini mens ad hoc reducitur: in divinis sunt verba, quae non possunt sumi nisi in sensu relativo ad intra, v. gr., Pater, Filius, Spiritus Sanctus; alia sunt, quae per se quidem absolutum sonant, possunt tamen ad relativum trahi, v. gr., sapientia. « Et Pater ipse sapientia est: et ita dicitur Filius sapientia Patris, « quomodo dicitur lumen Patris; id est, ut, quemadmodum lumen de lumine et utrum- « que unum lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia, et utrumque una sapientia « et una essentia, quia hoc est ibi esse quod sapere », etc.

Fatendum sane, et secundum hoc Richardus zelo optimo stimulabatur, locutiones huiusmodi efficacissimas esse ad consubstantialitatem divinarum personarum vindicandam. Recedatur itaque a formula Ioachim ob rationes superius allatas; servetur tamen quidquid in Patrum loquendi ratione eloquentius divinitatem procedentium proclamat.

[2] Observa nexum. Vitium propter quod ibi prior solutio reiiciebatur, idem est propter quod sententia Abbatis Ioachim heic reprobatur. Igitur concreta habent ex se ut stare possint pro utroque; abstracta, non.

[3] Cf. dicta superius de hoc modo loquendi.

discipuli Danaei, iuxta quos Filius haberet quidem a Patre personam, sed a seipso essentiam. E contra unicum quod Pater Filio non dat, est ipsa persona qua Pater est; nec Filius esse posset persona, nisi haberet a Patre essentiam divinam. Inde tam profunde dicit Christus: « Pater meus, « quod dedit mihi, maius omnibus est » [1]. Quid, quaeso, nisi ipsam essentiam divinam, quam per generationem Filio communicavit et iugiter communicat?

Corollarium II. - Ex dictis conclude, quam sapienter Ecclesia canat in Symbolo: « Deum de Deo, lumen de lumine, « Deum verum de Deo vero ». Quidquid enim efficaciae et virtutis est in formulis ab antiquis Patribus adhiberi solitis, in hac formula continetur; quod autem in eis, a contextu praesertim avulsis, interdum ambiguum sonat, aut ultra limites veritatis in formula Ioachim invenitur, ab ea prudenter abest. Lex orandi, lex credendi.

ARTICULUS VI.

UTRUM PERSONAE POSSINT PRAEDICARI DE NOMINIBUS ESSENTIALIBUS.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Postquam viderimus utrum et quomodo nomina essentialia possint supponere pro persona, quaerendum nobis est de lege praedicationis qua personalia de essentia praedicantur et e converso. Ubi distinctio iam in art. 3. facta inter substantiva et adiectiva, praesenti quaesito rursus applicanda est.

Quaeritur itaque: *a*) utrum nomina personalia adiectiva de essentia dici possint; *b*) utrum nomina substantiva de eadem praedicari valeant.

a) Ad primum respondetur negando; quae solutio, in responsione ad 5.m art. praeced. preoccupata, liquet. Nam tali praedicatione formaliter ad essentiam extenditur relativum, quod est principium multiplicationis; quare essentia non est generans neque spirans, nisi substantivo modo generans pro Genitore et spirans pro Spiratore sumantur.

[1] Ioann., x, 29.

b) Ad alterum respondetur affirmando, propter identitatem realem et vim significandi expositam in resp. ad 5.m art. praecedentis.

2) Quodsi ulterius quaeratur, utrum personalia abstracte sumpta possint de essentialibus praedicari; concedendum rursus est, propter eamdem identitatem. Itaque sicuti Pater est Deus, ita Paternitas est Deus, et Deus est Trinitas. Neque hoc facit contra doctrinam in articulo praecedenti statutam. Etenim aliud omnino est, essentialia abstracte nunquam supponi pro personis [1]; aliud, abstracta tum personalia tum essentialia non posse de invicem praedicari; quia hoc casu, quod vox per se non habet, per copulam praedicationis suppletur. - Recte igitur dicis: Paternitas est Deitas. Sed ab huiusmodi formulis potius abstinendum est, quum ob ambiguitatem facile in errorem inducant.

I. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Quoad utramque propositionem correptam deficit. Quoad priorem, quia negligit discrimen supra ostensum inter nomina « *Deus* », et « *homo* », quantum ad significationem naturae communis. Quoad alteram, quia non attendit ad duplicem sensum nominis « *Deus* ». Comple hanc alteram responsionis partem iuxta ea quae supra tum de significatione varia nominis « *Trinitas* », tum de nomine « *Deus* » exposuimus ac vindicavimus.

2. Obi. Arguit a gratuita ac falsa paritate. Adverte nihilominus: licet in SS. Trinitate nihil sit per accidens, in modo tamen praedicandi multa possunt esse per accidens. Ita « *persona* » et « *Deus* » poni possunt indiscriminatim pro Filio et Spiritu Sancto, sicuti pro Patre. Quare, quod in hoc vel illo loco pro una et non pro alia persona haec nomina ponantur, per accidens est, licet per se hoc possint.

Sed contra est. Doctrina huius articuli fundatur in perfecta identitate quae existit inter personas divinas, sive singillatim, sive simul sumptas et divinam naturam. Quare eisdem argumentis positivis saltem indirecte fulcitur. - Cf. declationem Concilii Toletani XI: « Recte dici potest, unus Deus « est Trinitas »; et Conc. Constantinop. VI. act. XI: « Trini-

[1] Nisi cum moderamine ibidem vindicato.

« tatem in unitate credimus et in unitate Trinitatem glorificamus » [1].

Cave tamen, ne confundas has duas formulas: « Deus est « Trinitas », et: « Divinitas est Trinitas ». Haec enim altera, qua abutebantur Gnostici et Priscillianistae, a Concilio Bracarensi I. sub Honorio I. can. 2. ita reprobata est: « Si quis « nomina introducit dicens, quod Divinitas sit Trinitas, sicut « Gnostici et Priscillianus dixerunt: A. S. ».

In Corpore. Argumentum doctrinae praecedentium articulorum superstruitur; et quidem ita, ut primo ex identitatis lege locutio vindicetur pro singulis personis; dein ex identitate essentiae cum tribus personis simul sumptis, extendatur ad locutiones totam SS. Trinitatem comprehendentes. Ratione prioris conclusionis vera est praedicatio: « essentia est Pater »; ratione posterioris, vera: « essentia est tres personae, vel Tri- « nitas ». - Demum vi duplicis sensus nominis « Deus » in art. 4. vindicati, vera quoque: « Deus est tres personae ».

Hanc universam doctrinam egregie exposuit S. Thomas in opusc. *Ctr. errores Graecorum* [2]. - Cf. inter recentes theologos Card. Satolli [3] et Cl. Billot [4].

ARTICULUS VII.

UTRUM NOMINA PERSONALIA SINT APPROPRIANDA PERSONIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hucusque de lege strictae praedicationis; nunc quaedam addenda supersunt de appropriatione et attributione. Et quidem antequam ad principaliores appropriationes accedamus, principium generale considerare iuvat, secundum quod talis praedicatio inducta est.

Et sane hunc loquendi modum de SS. Trinitatis mysterio natura ipsius mysterii vindicat, sermo Scripturarum consecravit et catholicorum Patrum usus extendit. De quibus

[1] Ad formulam « Deus est Trinitas » reducitur trita invocatio « S. Trinitas, unus Deus, miserere nobis ». Utraque tamen non omnino directe ad hunc articulum pertinet.

[2] C. 4.

[3] Hoc loco.

[4] Op. cit. p. 247, sq.

tribus breviter. In hoc igitur articulo praesertim de ipso fundamento dogmatico appropriationis agitur.

2) Et primo quidem oportet discrimen inter appropriatam et propriam locutionem rite perpendere. Certo certius, si res divinae in se considerentur, nihil est quod de eis per propria vocabula exprimere valeamus, quatenus divini nihil comprehendimus. Sunt tamen quae ex creatis ita ad SS. Trinitatem transferuntur, ut perfectiones huius mysterii immediate in Deo exprimant; quin imo per prius aliquid in Deo, secundum quod est in essentia unus, significent. Haec sunt vocabula propria. Quorum alia nobis a Deo ipso revelata sunt, ut quando dicimus: Patrem, Filium, Spiritum, Verbum, Donum, gignere, procedere; alia autem per Ecclesiae magisterium et scholas catholicas inducta: v. gr., relationes, spiratio, personae.

3) Quum tamen haec vocabula pauca sint numero et limitata sensu, ac insuper constitutionem distinctorum potius exprimant quam perfectiones singulorum; ideo placuit ad alia recurrere, desumpta scilicet a perfectionibus iam per prius a creatura ad Deum Unum translatis. Quae proin, quum servent primarium suum et fundamentalem sensum, iuxta quem ad essentiam communem pertinent, non possunt nisi per appropriationem attribui personis, non autem proprie de illis affirmari, ne vel unitas aequalitatis vel realitas distinctionis in discrimen vocetur.

3) Ex quo sequitur, appropriationem non immediate fieri a creatis ad divina, sed ab essentialibus divinis ad personalia. Neque ideo in Deo, quae communia sunt, re praecedunt personalia, ut ad haec illa appropriemus; sed praecedunt cognitione nostra, sicuti omnia creata iuxta nostrum cognoscendi modum praecedunt divina, ad quae per illa pervenimus.

4) Quum autem dicimus, hanc appropriationem non esse locutionem propriam, non intendimus negare per eam sensum intendi proprium, - quin et hoc requiritur; sed verba per se hanc vim non habere. Quo pulchrior tamen appropriatio, eo sensui proprio vicinior. Unde nil mirum, si quaedam dentur, quae ob maiorem venustatem quasi limitem merae appropriationis excedere videantur.

Huiusmodi exempla iam plura superius habuimus, ubi de

nominibus propriis divinarum personarum. Etenim nec Spiritui Sancto deest aliqua ratio imaginis, nec Filio doni. Sed hoc interiacet inter specialem usum horum vocabulorum et meram appropriationem, quod contractio Imaginis ad Filium, Doni ad Spiritum, iam continetur in pleno et perfecto sensu imaginis ac doni; dum e contra in vera appropriatione hoc ultimum deesse debet, nec potest iam sensus proprius in vi vocis per se contineri.

5) Hinc rursus duplicem tenes appropriationis gradum. Alter est ubi radix attributionis fundatur in vestigiis quae in creaturis cernimus, licet verba desumantur ex perfectionibus absolutis divinis; uti « potentia, sapientia et bonitas ». Alter habet fundamentum in modo quo personae se habent ad invicem in ordine ad ipsam creaturam, sicuti locutiones: « ex ipso, per ipsum, in ipso », iuxta modum loquendi Scripturarum. Prior gradus est ascendens a creatis ad Deum, alter descendens a Deo ad creata. In utroque tamen appropriatio invenitur: quae enim absoluta sunt et essentialia, in sensu relativo et personali utrobique assumuntur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit a falsa intellectione appropriationis. Utique non quaevis appropriatio iuvat; sed ea tantum quae respondet obiecto.

2. Obi. Sensus est: si, v. gr., in SS. Trinitate Pater est potentia, Filius sapientia, etc., Pater erit sapiens Filio, unde Filius erit forma Patris; unde tolletur discrimen suppositorum. At haec obiectio confundit sermonem proprium cum appropriato.

3. Obi. Falso procedit, identitatem terminorum non servans: prius enim et posterius non dicuntur iuxta idem de eodem. Quare ut appropriatio fieri possit, satis est, nos per ea quae forte posteriora sunt re, ad priora, sed nobis minus nota, pervenire: saepe enim ordo cognitionis et ordo realis invertuntur ad invicem [1]. Ita colores sunt a rebus, voces a cogitante, et nihilominus per colores et voces nobis res innotescunt.

Sed contra est. Supra diximus ipsum Scripturarum usum

[1] In hoc erraverunt ontologistae, quorum effatum: « primum ontologicum, primum logicum », in Deo utique verissimum est; in nobis de Deo, deficit.

appropriationem sacrasse. Quare iure S. Th. ex Scripturis appropriationem vindicat. Alia huiusmodi loca adsunt: v. gr., ubi Christus Dominus ait: « Ego sum via, veritas et vita » ; ubi Spiritum Sanctum vocat: « Spiritum Veritatis », Verbi scilicet veritatis, etc., etc.

In Corpore. Argumentum duplici parte constat. 1) In priori S. Th. appropriationem vindicat *a*) ex sua *necessitate* seu utilitate, quia per eam Trinitas magis manifestatur; *b*) ex suo *fonte,* seu ex sua veritate, quia recte ad hanc manifestationem adhibentur non solum vestigia seu imagines ex creatis, sed ipsa essentialia Dei. - 2) In altera parte ad duplex genus hanc appropriationem reducit: *a*) ad genus similitudinis et *b*) ad genus dissimilitudinis; quod ultimum maxime adducitur propter auctoritatem S. Augustini.

ARTICULUS VIII.

UTRUM CONVENIENTER A SACRIS DOCTORIBUS SINT ESSENTIALIA PERSONIS ATTRIBUTA [1].

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quaerere de convenientia appropriationis est quaerere de duobus: *a*) utrum non sit locutio propria; *b*) utrum sat apparens in ea sit ratio similitudinis cum propriis. Utrumque in reliqua Quaestione, Angelico Duce, penitius investigandum superest.

2) Inter usitatas attributiones, aliae habentur completae, scilicet tribus membris constantes, quorum unumquodque alicui respondet personae; aliae partiales, de una vel altera persona. Utrimque quatuor principaliores S. Th. adducit.

Inter partiales considerantur praesertim: *a*) *Virtus* quae dicitur tum de Spiritu Sancto tum de Filio; *b*) *Veritas, c*) *Liber vitae, d*) *Qui est,* quae dicuntur specialius de Filio.

Inter formulas completas pariter praecipuae sunt: *a*) *Aeternitas* in Patre, *Species* in imagine, *Usus* in munere. Ita S. Hilarius. - *b*) In Patre est *unitas,* in Filio *aequalitas,* in Spiritu Sancto unitatis aequalitatisque *concordia.* Ita S. Augustinus. -

[1] Coniunge doctrinae huius articuli duplicem appendicem in qua de quibusdam aliis nominibus Filii et Spiritus Sancti, quoad maximam partem appropriatis, disseruimus.

c) Patri *potentia,* Filio *sapientia,* Sp. S. *bonitas.* Ita rursus Hipponensis. - *d*) *Ex ipso, per ipsum* et *in ipso* [1], quod passim Patres tam graeci quam latini interpretantur dictum de Patre et Filio et Spiritu Sancto.

3) Quum hae quatuor formulae non ab eodem deriventur auctore, nil mirum esset, si nullus ordo praestabilitus in illis inveniretur. Nihilominus S. Thomas inquirens in *Corpore* de legitimitate traditionis Scholarum, quae quatuor has attributiones uti principaliores servavit, prius inquirit de synthesi qua se invicem tenent; dein ad explicationem uniuscuiusque formulae membratim accedit.

Nos vero in unum comprehendentes rationes impugnandi et defendendi singulas attributiones, formulas successive completas et partiales considerabimus.

A) De quatuor Formulis completis.

1) *De formula Hilarii: « Aeternitas in Patre, species in imagine, usus in munere ».*

a) *Ratio impugnandi.* Evidens est, *aeternitatem, speciem,* et *usum* essentialia indicare per se; at non ideo corruunt appropriationis iura. Hoc enim solum ostendit, locutionem non esse propriam.

b) *Ratio defendendi.* De Patre et de Spiritu Sancto sat evidens est. De Filio autem, qui ratione pulchritudinis species dicitur, quaedam sint.

Recolamus primo, quae supra vidimus, pulchrum scilicet pertinere ad causam formalem et movere intellectum. Intimius autem S. Thomas hic inquirens, tria in pulchro elementa reperit: *a*) unitatem seu integritatem *b*) proportionem sive consonantiam, demum *c*) claritatem. Quae trinitas elementorum potest ad Trinitatem summam reduci dupliciter; vel α) ita ut quaevis elementa ad respectivam personam applicentur, et tunc erit unitas in Patre, proportio seu veritas in Filio, claritas seu bonitas in Spiritu Sancto. Vel β) ita ut specialius de Filio pulchritudo praedicetur, quippe cui unitas

[1] Rom., ii, 36.

competit ratione identitatis cum essentia, proportio ratione imaginis, claritas ratione splendoris.

Unde adverte, definitionem a multis philosophis passim agnitam: « pulchrum est splendor veri », conformem esse definitioni D. Thomae; nam quid claritas, nisi splendor? quid verum, nisi integrum concordans? Idem valet de « splendore « ordinis ». Etenim, ordo est proportio; proportio autem supponit fundamentum unitatis. Et sane ita se habent haec tria ad invicem, ut proportio supponat unitatem, sicut claritas supponit unitatem et proportionem; unde nova accedit ratio cur haec tria Patri, Filio et Spiritui Sancto attribuantur. Quare Trinitas sub hoc respectu vocari posset: « pulchritudo Dei- « tatis ». De quo sermo infra recurret.

Quae autem dicitur proportio et consonantia, duplex intelligi potest: alia absoluta, alia relativa. - Absoluta est in illo in quo partes concordant harmonice cum toto; relativa est in relativo, si concordet cum termino relationis. Quare cum Filius dicatur relative ad Patrem, oportet ut ratione imaginis hanc ad suum principium concordantiam exhibeat.

Quod autem superius diximus, claritatem in Spiritu Sancto reperiri ratione bonitatis, noli ita intelligere ac si bonum et pulchrum essent prorsus idem. Bonum movet voluntatem, pulchrum autem intellectum; unde formaliter semper differunt. Materialiter autem quasi semper conveniunt [1]; quod videtur esse ab elemento claritatis. Unde hanc in re cum bonitate convenire diximus. - Et sane cur, quaeso, non posset una et eadem res movere simul intellectum ratione claritatis et volutatem ratione appetibilitatis? Neque bonum quia formaliter movet voluntatem ut appetibile, est incapax movendi intellectum ut cognoscibile et aestimabile.

Porro *usus* potest sumi ad intra et ad extra. Ad intra ponit exercitium voluntatis et fruitionem; et secundum utrumque convenit illi qui ex amore ac summa Patris et Filii delectatione procedit. Ad extra convenit Spiritui Sancto ratione *doni;* quam rationem vidimus fundamentum habere

[1] Hoc tantopere verum est, ut bonitatem ac virtutem sub specie pulchra, vitium autem et malitiam sub specie difformi nobis instinctive fingamus. Imo inde tanta allectio pulchri, quia boni secum fert praeiudicium. Nonne formosus aspectus iam displicere incipit, ubi turpitudinem indolis in eum gestante reperimus?

ad intra in dono infinito quod Pater et Filius veluti vicissim per mutuum amorem sibi conferunt.

2) *De formula S. Augustini: In Patre unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu Sancto unitatis aequalitatisque concordia* ».

a) *Ratio impugnandi* est in hoc ipso quod addit S. Doctor ex verbis quae in obiectionibus citantur. - Resp.: His verbis additis S. Augustinus ostendit praecise, se per appropriationem loqui, quum profiteatur, tres esse quid unum, aequale et concors. Hoc autem isti formulae proprium est, proprietates, scilicet aequalitatem, unitatem et concordiam, etsi communes, non tamen desumi ex absolutis perfectionibus sicuti sapientiam, bonitatem, etc., sed quasi ex ipso conceptu SS. Trinitatis effluere; unde iuxta dicta in art. praec., magis accedunt ad proprietatem.

b) *Ratio vindicandi.* Praeter perpulchra quae Angelicus hoc loco habet, consulatur splendida epistola Richardi Victorini ad S. Bernardum de duplici hac locutione Hipponensis [1]. In qua et hoc occurrit de concordia, quod, licet Pater aliter se habeat ad Filium et ad Spiritum Sanctum, Filius vero aliter ad Patrem et ad Spiritum Sanctum, concordant nihilominus ambo in modo quo se ad Spiritum Sanctum habent; unde ipse Spiritus Sanctus procedens dicitur utriusque concordia.

3) *De altera S. Augustini formula* in qua *Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas* attribuuntur.

a) *Ratio impugnandi* est quod potentia et virtus idem esse videntur, et quod Filius et Spiritus Sanctus in Scripturis vocantur *Virtus Dei* (vide loca citata in obiectionibus).

Responsio in promptu iacet. Virtus scilicet dicitur distingui a potentia sicut fructus ab arbore: nam potentia est virtutis principium. Quod et ex ipso usu Scripturae liquet. Quomodo enim Verbum simul vocaretur virtus Dei, nisi esset illius qui dicitur potentia et cuius sapientia in eodem loco proclamatur? Rursus virtus exibat de illo, qui omnem se a Patre potestatem accepisse testabatur.

b) *Ratio defendendi* quoad similitudinem est manifesta. Sed quid de dissimilitudine, per quam etiam S. Augustinus

[1] Vide in fine huius articuli.

hanc trilogiam fulcire conatur? Sane auctoritas huius principis Doctorum nimia videtur, ut ulla consideratio ab eo adducta ex toto parvi fiat. Nihilominus vix apparet solidum huius interpretationis fundamentum. Etenim si ex una parte consideras patrem iam senem et impotentem, quo iure ponis filium adhuc infantem et insipientem? - Igitur Filius dicitur qui est a Patre; Sapientia vel Verbum qui est a Dicente. Non autem Sapientia formaliter de Filio praedicatur quatenus est genitus, sed quatenus est Verbum prolatum. — Spiritus rursus dicitur ad exprimendum, non quidem per oppositionem, lenitatem amoris, sed emanationem ab amore diffusivo. Quare haec ingeniosa videntur nimis longe petita.

4) *De quarta formula* ex Apostolo desumpta et per Patres passim illustrata: « *Ex ipso*, *per ipsum* et *in ipso* ».

a) *Ratio impugnandi.* Desumitur ex causa finali quae competeret Patri tanquam principio. Vide Aquinatis solutionem. Addi potest et alia ratio, de qua S. Th. aliquid in *Corpore* habet; scilicet, videtur haec formula propria esse, non appropriata. Nam *ex ipso* proprio sensu convenit Patri, ex quo sunt aliae personae; *per ipsum* autem proprium esse Filio, supra probavimus; *in ipso* demum Spiritui Sancto proprie convenire, ex hoc sat constat, quod *in ipso* Pater et Filius sese mutuo amoris dono veluti coniungunt.

Resp. α) *Per se* potest haec formula sumi proprie, sed constructio, utpote imperfecta, aliquod complementum quaerit ex his quae sunt ad extra. Iam vero omnia quae personaliter in operatione externa praedicantur, per appropriationem praedicantur. β) Et re quidem vera sensus Apostoli in hoc loco vix dubius est. Incipit ab inscrutabilitate Dei et ab altitudine divitiarum eius; tunc considerat omnipotentiam eius, quam exprimit his verbis « *ex ipso, per ipsum et in ipso* « *sunt omnia.* » Quibus verbis certe respectus ad extra prae oculis habetur [1].

b) *Ratio defendendi.* α) *Ex ipso*, secundum efficientiam refertur ad illum, cui attribuitur potentia; - β) *per ipsum* ad illum, qui habet artem seu sapientiam in attributo; - γ) *in*

[1] Optimo proin iure S. Anselmus hanc formulam uti de creatis dictam interpretatur, et S. Basilius singulis personis SS. Trinitatis has tres simul particulas convenire demonstrat (Cf. locos supra citatos).

ipso ad illum, qui omnia conservat et gubernat. - Quando autem in sua oratione ad Areopagitas Apostolus ait: « In ipso vivimus, et movemur et sumus » [1], idem insinuat, licet de Deo essentialiter dicat. Nihilominus sine addito, haec operatio quae in ordine gratiae Spiritui Sancto tribuitur, ad ipsum quoque in ordine naturali pertinere merito dicitur. Per ipsum enim Spiritum inhabitantem sumus *in* Deo [2].

B) - De Appropriationibus partialibus.

1) *De virtute* attributa Filio et Spiritu Sancto iam vidimus.

2) *De veritate. a*) *Ratio impugnandi* est quod veritas videtur propria illi qui procedit per intellectum. - Resp.: Per se non magis est propria *veritas* quam *intelligere*. Proprium autem est Filio *Verbum*, sicut Patri est propria *dictio*.

b) *Ratio defendendi* satis apparet ex modo procedendi.

3) *De libro vitae. a*) *Ratio impugnandi* est duplex. α) Vita potius pertinet ad Spiritum Sanctum qui eam nobis illapsus confert. - Resp.: Christus nobis eam meruit et applicat « Ego sum vita ». - β) *Liber* proprie dicitur de Christo vel Verbo, quia est relativus ad illum qui eum scripsit. - Resp.: Hoc non est de essentia libri, sed quod notitiam contineat et conservet.

b) *Ratio* inde *defendendi* est manifesta. *Liber* enim *vitae* dicitur *notitia* eorum qui habituri sunt vitam aeternam. Atqui notitia pertinens ad intellectum, ad sapientiam, ad Verbum, optime de Filio dicitur. Insuper accedit, Patrem praedestinare et Filium praedestinatos per vocationem et gratiam ad Patrem perducere; ad quod oportet ut eorum notitiam per librum vitae conservet [3].

4) *De nomine* « *Qui est* ». - *Ratio impugnandi* videtur esse nomen proprium illius *qui est* ab alio: nam *qui* designat subsistentem, et non potest sumi pro essentia, quae insuper nonnisi in personis subsistit; nec sumi potest pro tribus per-

[1] Act., xvii, 28.

[2] Conferri potest haec formula cum formula quae de Christo praedicatur in Missa: « *per ipsum, cum ipso* et *in ipso* »; quae et ipsa referri potest ad haec alia Christi Domini: « Ego sum via, veritas et vita ».

[3] Recole quae de *Libro vitae* in tractatu *De Deo Uno* fuse diximus.

sonis ac si non essent nisi una. - *Resp. Qui est* demonstrat subsistentem logice consideratum; eo modo quo *Deus* ponit essentiam ut in habente. Caeterum *Qui est* in sensu relativi non magis potest probari proprium esse Filio, quam Spiritui Sancto.

Ratio defendendi duplex: *a*) Propter praefiguratum in Veteri Testamento Salvatorem, pro ipso stat ius significationis in nomine: et ita Glossa; - *b*) Propter sensum relativum per prius stat pro illo qui originis ordine prior a Patre procedit.

II. **Ad Textum.** - Argumentum *Corporis* quoad formulas completas hac tabella contrahitur.

Interim observa, appropriationes in Ecclesia receptas nullatenus ad eas quas in hoc articulo tetigimus, contrahi. Ita, v. gr., in formula ritus baptismalis datur benedictio per Deum « vivum », « verum », « sanctum », in qua manifesto vita tribuitur Patri, veritas Filio, sanctitas Spiritui. Nec procul iacet ratio. Pater enim, uti fontale principium processionis utriusque, vitam summam maxima virtute manifestat. De reliquis vix aliquid dicendum superest. Quid magis respondet perfecte procedentibus per intellectum et per amorem quam veritas et sanctitas?

Est et alia appropriatio usu trita, qua scilicet Patri tribuitur opus creationis, Filio opus redemptionis, Spiritui Sancto opus sanctificationis; quae sane appropriatio fulcitur auctoritate Ecclesiae, quum in Symbolo fidei sat aperte contineatur. Observa tamen, in hac trilogia inaequalitatem dari, quatenus in opere creationis et in opere sanctificationis nihil est quod non trium sit personarum simul; in opere autem redemptionis ipsa incarnatio et passio, non tantum appropriative, sed et proprie solius Filii est [1].

[1] Cf. dicenda in fine ultimae Quaestionis de personarum missione. — Alias appropriationes sane perpulchras habet B. Alcuinus in sua saepe laudata *Invocatione*.

Appropriantur in divinis, in quantum in Deo consideratur:

- I **ens:** (formula S. Hilarii)
  - 1) *aeternitas* Patri: principio non de principio;
  - 2) *species* Filio:
    - *a*) ratione integritatis (vero Filio),
    - *b*) ratione proportionis (imagini),
    - *c*) ratione claritatis (Verbo lucenti);
  - 3) *usus* Spiritui S.:
    - *a*) ad intra (amori fruenti),
    - *b*) ad extra (dono);
- II. **unum:** (formula S. Aug.)
  - 1) *veritas* Patri: absolute principio sine principio: - unde Filius et Sp. S. *unum* propter Patrem;
  - 2) *aequalitas* Filio: relative, principio de principio: - unde Pater et Spiritus S. aequales propter Filium;
  - 3) *concordia* sive *connexio* Spiritui Sancto: coniunctioni utriusque: - unde Pater et Filius connexi propter Spiritum Sanctum;
- III. **virtus ad operandum:** (altera form. S. Aug.)
  - 1) *potentia* Patri:
    - *a*) ratione similitudinis - principio in divinis,
    - *b*) dissimilitudinis - ob senectutem in creatis;
  - 2) *sapientia* Filio:
    - *a*) similit. - Verbo genito,
    - *b*) dissimilit. - ob iuventutem;
  - 3) *bonitas* Spiritui S.:
    - *a*) similit. - procedenti per amorem,
    - *b*) dissimilit. - ob violentiam;
- IV. **habitudo ad causata:** (form. S. Pauli)
  - 1) *ex quo* Patri:
    - *a*) non causae materiali,
    - *b*) sed efficienti ratione potentiae;
  - 2) *per quem* Filio:
    - *a*) non ratione medietatis, ita enim proprium,
    - *b*) sed ratione formae, per artem;
  - 3) *in quo* Spiritui S.:
    - *a*) non ratione continentiae per similitudines, ita proprium Filio;
    - *b*) sed ratione bonitatis servantis et gubernantis.

De Doctrina Richardi Victorini.

Iam p. 685. citavimus epistolam sane pulcherrimam quam Richardus Victorinus « ad divum Bernardum abbatem Cla- « revallensem » direxit, et cui titulus: « De tribus appro- « priatis personis in Trinitate » [1]. Placet penitius in hanc expositionem inquirere: exponit enim in ea, quo sensu intelligat duplicem appropriationem a S. Augustino derivatam et in hoc articulo vindicatam. Videamus igitur de utraque quid senserit Richardus.

I) **De prima formula.** - 1) *Unitatem* Patri inde tribui dicit *a*) quia « Subsistentia ingeniti quae ab alia aliqua non est, « in eo quod substantialiter ac personaliter est, nullam plu- « ralitatem ingerit, nullam pluralitatem concludit: nam in eo « quod gignit, nihil sibi, sed soli Filio confert, ut sit geniti « autem subsistentia, quae ab alia accepit quod habet, sicut « nec esse per seipsam, sic nec per seipsam intelligi valet. « Si igitur pluralitatem ingerit subsistentia Filii, quanto magis « quae a duobus est subsistentia Spiritus Sancti ». Optima sane consideratio, modo Pater primo consideretur uti Ingenitus; nam Pater non minus appellat Filium, quam Filius Patrem. - *b*) Pariter unitas maxime Patri convenit, quia habet a se, secundum principalitatem, quod possit dici substantialiter.

2) *Aequalitas* specialiter tribuitur Filio, quia aequale supponit plurale, et a Filio pluralitas incipit. Inde aequalitas ipsi convenit sicuti esse imago, quod nec de Patre, nec pari titulo de Spiritu Sancto praedicatur. Advertit autem Richardus: « Si in huiusmodi loquendi proprietas servaretur, magis « *identitas* quam aequalitas diceretur ». Quae animadversio habet de vero et de minus vero. Verissima est, quatenus insinuat summum gradum aequalitatis; minus vera, quatenus identitas absoluta tolleret distinctionem personarum, quam aequalitas etiam perfectissima necessario supponit.

3) *Concordia utriusque* demum convenit Spiritui Sancto « singulariter quantum ad reliquas in divinitate personas,

[1] *P. L.* t. cxcvi, col. 991-994.

« primordialiter etiam quantum ad creaturas ». *a*) *Singulariter* ad intra, quidem propter tria: α) Quemadmodum ad aequalitatem requiruntur duo, ita ad nexum concordiae inter duos requiritur tertius, qui Spiritus Sanctus est. β) Et sane aliter se habet Pater ad Filium et ad Spiritum Sanctum, et aliter Filius ad Patrem et ad Spiritum Sanctum; sed eodem modo se habent uterque ad Spiritum Sanctum, et vicissim is ad utrumque. γ) Demum concordia est in conformitate voluntatis per idem velle et idem nolle; convenit ergo optime ut tribuatur illi qui procedit uti amor. - *b*) *Primordialiter* quoque relate ad creaturas Spiritus Sanctus concordia dicitur, « nam quod in creaturis connexio solet inveniri, est de imi- « tatione vel similitudine Spiritus Sancti ».

II. **De altera formula.** - Praemissis ingeniosis considerationibus de nexus relatione quam habent ad invicem potentia sapientia et bonitas, Richardus hanc partem inquisitionis his verbis absolvit: « In hac itaque rerum Trinitate sola potentia « non est de reliquarum aliqua, sapientia autem est de potentia « sola, bonitas vero de potentia simul et sapientia ». Sequitur iam applicatio ad SS. Trinitatem: « Vides certe quomodo in « hac rerum Trinitate expressae sunt proprietates Trinitatis « illius summae et aeternae. Ibi est persona ingeniti, quae « non est ab alio aliquo; ibi est persona geniti, quae est ab « ingenito solo; ibi est persona Spiritus Sancti, quae est tam « a genito quam ab ingenito. Quoniam ergo in *potentia* expri- « mitur proprietas ingeniti, speciali quodam considerationis « modo merito adscribitur illi. Sed quoniam in *sapientia* « exprimitur proprietas geniti, merito et illa iuxta eumdem « modum adscribitur ipsi. Item quia in *bonitate* proprietas « Spiritus Sancti invenitur, merito et ei bonitas specialius « assignatur ». Ingeniosissima sana deductio ex nexu quam haec tria habent ab invicem. Cui considerationi ex ipsa processione deductae, facili negotio addi potuissent virtus initialis principii sine principio, necnon propria indoles utriusque modi procedendi.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) In divinis essentia re est idem cum persona, propter divinam simplicitatem; non ideo tamen perit realis distinctio personarum, quia haec obtinetur per oppositionem relationum quas utraque processio secum fert: essentia proin et persona, re idem, ratione distinguuntur propter respectum duplicem personarum ad naturam et ad invicem (a. 1).

2) Consequens huius identitatis est, tres personas rectissime dici unius essentiae; essentia quippe consideratur ad modum formae personarum (a. 2).

3) Iam vero quum ex lege sermonis substantiva praedicatio afficiat formam, adiectiva vero eum qui formam habet: essentialia non possunt in divinis praedicari pluraliter substantive, possunt autem adiective, nisi in neutro ad modum substantivi sumantur [1]. Tres igitur sunt unus Deus; tres quidem aeterni, et unum aeternum (a. 3).

4) Nomina insuper essentialia concrete sumpta possunt supponere pro persona; habent enim ex se ut supponant pro natura vel persona secundum adiuncta. Filius igitur est Deus de Deo (a. 4).

5) Hoc autem non habent nomina essentialia in abstracto significata, esset enim destructio legis sermonis; quare eadem pro persona supponere nequeunt; unde falsa est ista: « essentia est generans » (a. 5).

6) Rursus propter identitatem essentiae divinae cum personis sive seiunctim, sive simul sumptis, licet personas praedicare de nominibus essentialibus: essentia igitur est Pater, et tres personae (a. 6).

7) Ad maiorem autem SS. Trinitatis illustrationem, possunt ad personas divinas ob similitudinem (sive etiam dissimilitudinem) ea transferri, quae ex creaturis accepta, proprio sensu divinae naturae in communi tribuuntur (a. 7).

8) Quae appropriatio ex usu Scripturae ac Patrum multiplex ostenditur, praesertim iuxta quod in Deo consideratur ens, unum, virtus causalis, aut habitudo ad effectus (a. 8).

[1] Hoc non exclusive admittendum esse de forma neutri, ostendit ipsum Symbolum Athanasianum: « Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus; sicut non tres

II. MEMBRUM.

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD RELATIONES.

QUAESTIO XL.

Ordo Quaestionis. - Quaesivimus de modo quo personae se habent ad essentiam; subtilius nobis nunc quaerendum est, quomodo sese habeant personae ad relationes. In qua inquisitione oportet primo sternere fundamentum identitatis inter personam et relationem, sicuti supra pro persona et essentia egimus (a. 1). - Posita identitate, investigandum erit, quodnam sit constitutivum personarum, utrum origines an relationes (a. 2). Quodsi relationes sint, utrum abstrahendo relationes, corruat personalitas, ac non remaneat nisi essentia; an vero possit aliquomodo subsistere hypostasis, quae non sit mera essentia, et tamen non amplius sit persona (a. 3). - Demum perscrutandum, quonam ordine se habeant inter se, quae in art. 2. posita sunt, scilicet originis actus et relationes.

Ipse Quaestionis discursus apertius ostendet, quantopere in hac subtili inquisitione Angelicus lucide incedat.

ARTICULUS I.

UTRUM RELATIO SIT IDEM QUOD PERSONA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ne qua confusio oriri possit, praemittendum, S. Thomam in hac tota Quaestione relationes et proprietates quasi indifferenter usurpare; distinguendo utique sedulo, praesertim in art. 3. proprietates personales a proprietatibus quae personales non sunt.

« increati, nec tres immensi, sed unus increatus et unus immensus... Et tamen non « tres omnipotentes, sed unus omnipotens ». In quibus formulis adiectiva in sensu substantivo sumuntur, ut ex sequentibus patet.

2) Iam vero recolantur duae opiniones superius a S. Th. confutatae. *a*) Prior est Gilberti Porretani asserentis, relationes esse mere assistentes; *b*) altera est Praepositivi contendentis, notiones non esse formaliter distinctas a personis. Opinio Gilberti ad praesens quaesitum applicata concludit ad negandam identitatem inter personas et relationes; altera destruit distinctionem formalem et negat eas esse in personis. Nos autem propugnantes, relationes idem esse *re* cum personis, distinctas autem *ratione*, dicimus eas esse simul *personas*, et *in personis*.

3) Attende iam ad rationem huius particulae *in*. Sumitur quippe sensu stricto [1]. Nam lato sensu potest usurpari ad significandam meram identitatem; et ita possunt dici relationes esse in essentia, quatenus sunt idem cum personis, et personae idem cum essentia; stricto autem sensu praedicantur proprietates esse in personis, quatenus concipiuntur ad modum formarum, quarum est esse in suppositis.

4) Porro observa, duplicem dari in divinis rationem identitatis, utramque ex simplicitate divina petitam: unam, qua excluditur compositio ex materia et forma; alteram, qua excluditur compositio ex subiecto et accidente. Ratione prioris, deitas est Deus; ratione alterius, sapientia est Deus. Iam vero quum proprietates sint aliae personales, aliae mere personarum, identitas proprietatum cum personis praedicatur de personalibus ad modum prioris: « paternitas est Pater »; de non personalibus ad modum alterius: « spiratio est Pater ».

II. **Ad Textum.** *1. Obi.* Valet in sententia Praepositivi; non autem in sententia quae distinguit inter idem re (quod iste concedit) et idem ratione (quod negat).

2. Obi. Non considerat dicta n. 3.

3. Obi. Praetermittit sermonis legem, quae non sinit verba usurpari contra rationem ob quam inducta sunt.

Sed contra est. De fundamento huius doctrinae superius actum est, ubi de sententia Gilberti et Praepositivi [2].

In Corpore. Reiecta utraque sententia, priore quia non

[1] Cf. dicenda infra de inexistentia personarum invicem, et vide ibi schema περιχωρήσεως.

[2] Cf. praesertim QQ. XXVIII, et XXXII.

attendit nisi ad elementum *ad aliquid* relationis, altera quia non considerat formalem rationem praedicationis per proprietates, S. Thomas tenet sententiam mediam, iuxta quam relationes sunt quidem personae, at etiam in personis; neque id tantum lato sensu, ratione solius identitatis, sed sensu magis stricto, ratione habitudinis formae ad subiectum.

Resp. ad 2.m Hic iam S. Th. introducit discrimen inter relationes personales et non personales. Illae sunt ad personas sicuti abstracta essentia ad Deum, nempe deitas. Hae autem sunt sicut attributa ad essentiam. Nam licet re conveniant et identificentur cum essentia, nihilominus praedicantur ad modum accidentium; et ita personae per personalem relationem constitutae adveniunt, ut ita dicam, relationes non personales, quae tamen re identificantur cum ea.

Resp. ad 3.m « Pater generat », et « paternitas generat ». Quaerendum de discrimine inter utramque formulam. Actiones sunt suppositorum, et non solum formarum quae significantur tamquam distinctae saltem ratione a subiecto. Unde quando dico: « Pater generat », habeo in supposito « *Pater* », subiectum quod, et formam vi cuius generat. In altera vero non habeo nisi formam. Quod non sufficit ad actionem. Nam licet agens agat per formam, forma tamen, nisi sit per se subsistens, non agit. Quare dicere possum: « Pater per paternitatem generat »; non autem proprie: « paternitas generat ».

ARTICULUS II.

UTRUM PERSONAE DISTINGUANTUR PER RELATIONES.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ecce iam accedimus ad subtiliorem inquisitionem quae tribus articulis protrahitur. Quo facilior appareat Aquinatis processus, eiusque sententia firmior, non erit abs re praemittere breviter modum procedendi adversariorum, quos confutat; ostendendo scilicet, undenam isti opinionem suam conceperint, eamque firmaverint.

2) Concedunt Theologi quibuscum heic nobis res est, non posse personas constitui per essentiam communem; ergo vel per originem vel per relationes constituantur oportet. Iam

vero, aiunt, si consideremus modum quo origo et relationes se habent ad invicem, invenimus originem praecedere relationes, quum istae per originem constituantur, eiusque consequens sint. Aliunde autem actiones nequeunt concipi nisi suppositorum. Ergo supposita praecedunt logice origines, quas relationes sequuntur. Quare demum suppositum logice praecedit actum notionalem, et relationes nonnisi manifestant personas.

Confirmant suam sententiam ex modo quo ipse S. Th. in fine articuli quarti concedit, relationem personalem primae personae praecedere generationem, licet non quatenus est relatio. Ergo, aiunt, est suppositum quod nondum est Pater; suppositum logice praecedens originis actum ex quo ad Filium relatio fluit.

3) Responsio ad hoc systema obtinetur absque magno labore, si quaedam distinctiones praemittantur.

Itaque *a*) origo sumitur dupliciter: vel α) *active* pro actu originandi et tunc ponit actum notionalem processionis; vel β) *passive,* et tunc ponit ipsius effectum primario quidem in termino orto, secundario in termino a quo, ac ita identificatur cum relatione, uti relatio dicit *ad aliquid.*

b) « Actus originales praecedunt relationes ». - Distinguo: in illis in quibus motu fit actus, concedo praecedere realiter; in illis in quibus fit sine motu, subdistinguo: praecedunt logice relationem in termino *a quo,* iterum subdistinguo; quatenus est ad alium, transeat; quatenus est in ipso termino, rursus subdistinguo: in secunda processione, concedo; in prima, nego; - praecedunt in termino *ad quem* logice, ita ut ideo terminus ad quem per actum constituatur, nego; ita ut sint fundamentum relationis, et ipsa relatio fundamentum distinctionis, concedo. - Quae argumentatio si bene prae oculis habeatur, continet in se quomodo isti theologi decepti fuerint, et quomodo S. Th. argumentum ipsorum solvat ex hoc quod sola relatio est *intrinseca,* realiter *in* relativo; origo autem *extrinseca.*

4) His positis videtur doctrina per sequentem formulam statui posse: « Personae distinguuntur per relationes; relationes vero, ut tales, consequuntur origines ». Vel unica formula: « Personae distinguuntur relationibus per viam originis ».

5) Caeterum, non potest ex consideratione mentis exire illud quod in capite sequentis Quaestionis demonstrabitur, nimirum actum notionalem idem esse cum relatione. - Et ita origo et relatio, si originem dicis actionem et passionem (logice utique dictam), nonnisi formaliter differunt. Quo sensu iam aliquomodo concedi posset sententia affirmantium, personas constitui per origines; in relatione enim personali tunc consideratur formalitas duplex: alia in fieri, et est origo; alia in facto esse, et est relatio. Iam vero quaerendo quomodo constituantur, si quaeris de operatione in fieri, respondes prius; si de ipsa constitutione iam facta, alterum. Hoc autem non valet de persona Patris, uti in art. 4. demonstrabimus [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat, personas esse ipsas relationes subsistentes.

2. Obi. Dupliciter peccat: *a*) Negligit subsistentiam relationum divinarum; *b*) negligit perfectam eorum identitatem secundum *quid,* vi cuius identitatis nequeunt aliter distingui quam secundum *ad aliquid.*

3. Obi. Prioritas in distinctione debet attendi non secundum absolutum ad relativum, sed secundum approximationem ad unitatem. Atqui secundum hanc prima est distinctio per relationes. Caeterum in divinis relativum est re simul absolutum.

4. Obi. Dupliciter deficit: tum *a*) quia non attendit ad subsistentiam relationis divinae; tum *b*) quia non considerat simultaneitatem naturae in terminis ad invicem relatis.

Sed contra est. Concordat cum doctrina S. Thomae modus loquendi Conciliorum. Ita Conc. Lateran. IV. habet: « Trinitatem esse discretam proprietatibus personalibus » [2]. In Florentino legitur: « Relatio apud omnes, tam graecos quam « latinos doctores, personas multiplicat » [3]. Cui doctrinae ex dictis superius sat patet subscribere S. Augustinum [4], S. Damascenum [5], Boëthium et S. Anselmum. Inde nullo reclamante

[1] Cf. dicenda in fine art. de S. Bonaventura.
[2] Cap. *Firmiter,* — DENZINGER (loc. cit. n. 52).
[3] Sess. XVIII, ibid.
[4] Praesertim *de Trin.,* l. V, 5.
[5] Cf. l, I, c. 10 et 11.

Iohannes ille praeclarus theologus Concil. Florentini asseruit: « personam divinam constare essentia et proprietate ».

Hinc iam dimetiri licet, quid valeat absona sententia Ioannis de Ripa, cuius meminit Scotus [1], qua personae constituerentur et distinguerentur proprietatibus absolutis. Tale quid ponere absoluti praeter ipsam divinam essentiam, non modo universam traditionem offendit, sed et subvertit divinae simplicitatis conceptum.

In Corpore. Praemisso fundamento communi, utpote in quo conveniunt omnes, S. Th. primo breviter exponit systema adversariorum, dein illud confutat, et quidem per duplex argumentum; de quo utroque aliqua sint.

a) Primum argumentum. Illud quo personae distinguuntur, debet illis inesse; atqui origo non inest. De valore huius argumenti. Quomodo non inest origo? - Resp.: Origo est medium inter terminos, quatenus nominat ipsum motum; unde non inest. Quodsi tamen origo sumatur in sensu de quo in art. 1. Quaest. seq., quatenus origo idem est cum actu notionali, tunc non minus quam actus inerit. Iam vero ipse S. Th. concedit distinctionem considerandam esse secundum originem. Ergo. - At verum remanet, originem quatenus distinguitur a relationibus, non inesse formaliter. Quod ad valorem huius argumenti sufficit.

b) Secundum argumentum se habet ad primum tanquam disiunctio, hoc modo. Vel origo est intrinseca, quae non sufficit; vel est extrinseca, et ponit divisionem materialem, quae repugnat. Hoc argumentum tangit cardinem quaestionis. Illud enim debet esse distinctivum quod non est commune, hoc autem est relatio qua opposita subsistunt. Origo autem non facit subsistere. Nam activa, supponit; passiva praecedit subsistentem. Quare vel per vocem originis nihil intelligis nisi relationes secundum quod sunt ab invicem, et tunc vera est sententia, modo explicetur; vel actum motivum concipis medium inter agentem et patientem: et tunc, si verum motum concipis, erras vehementer; si mere logicum, non amplius potes ponere originem uti distinguentem personas, sed ordini logico stare debes quem ipse statuisti.

[1] I. Sent. Dist. XXVI, et XXVII.

De Mente S. Bonaventurae.

Quaestio movetur inter theologos, utrum necne S. Thomas in hoc articulo doctrinam S. Bonaventurae reiicere voluerit. Negant recentes editores operum Seraphici.

Certum est, nec Scotum S. Bonaventurae opinionem Ripensis tribuisse, nec ipsum eam probasse, licet in eam sat pronum se monstraverit. Subtilis autem Doctor sententiam Seraphici ad hoc contrahit, quod « origines non distinguunt « personas *formaliter*, sed quasi principiative ». Et recte quidem, ut nobis videtur. Quae conclusio ut magis legitima appareat, ex integro dissertatio Seraphici exhibenda est.

Quaerit nempe (I. Sent., Dist. XXVI, art. 1, q. III), utrum actus personalium proprietatum sit hypostases distinguere, an distinctas ostendere. Et respondet: « Dicendum quod circa « hoc duplex opinio fuit. Quidam enim dixerunt quod abstrac- « tis proprietatibus, impossibile est intelligere hypostases « distinctas, quia huiusmodi proprietates in divinis non solum « dant personis innotescere, imo dant etiam esse; unde ipsis « abstractis, abstrahitur esse, et esse distinctum. Aliorum « opinio fuit, quod proprietatibus abstractis, adhuc est intel- « ligere distinctionem in hypostasibus, quoniam proprietates « secundum ipsos non sunt ratio distinguendi secundum rem, « sed distinctionem manifestandi. Unde dicunt quod abstracta « paternitate et filiatione adhuc contingit intelligere *qui ab* « *alio* et *a quo alius*. Et si quaeras quomodo distinguuntur, « dicunt quod seipsis, sicut principia et genera generalissima « seipsis distinguuntur et differunt. Unde haec est immediata: « " substantia non est quantitas " ». — Ecce utramque opinionem S. Bonaventura refert, quam S. Thomas in articulo sequenti. Ubi autem Angelicus hanc alteram sententiam simpliciter excludit, S. Bonaventura mediam aliquomodo viam incedit. Pergit autem subtiliter: « Et si respiciamus interius, « utraque opinio continet aliquid probabilitatis; et hoc patet « sic. In divinis enim hypostasibus intelligimus originem sive « emanationem; intelligimus etiam habitudinem. Secundum « rationem intelligendi origo praecedit ipsum qui oritur, et « secundum rationem intelligendi habitudo consequitur ipsum

« qui refertur. Potest igitur proprietas relativa importare « solum habitudinem, et hoc modo consequitur rationem « distinctionis, et est ratio innotescendi distinctionem, non « distinguendi, sicut dicit secunda opinio.... Potest enim intel- « ligi tunc distinctio, quia intelligitur *qui ab alio* et *a quo* « *alius*. Potest etiam utrumque proprietas importare, scilicet « habitudinem et originem: et tunc non tantum est ratio inno- « tescendi, sed etiam distinguendi. Circumscripta enim ori- « gine, sive emanatione impossibile est intelligere in divinis « pluralitatem: imo sicut est essentia una, ita etiam intelli- « gitur hypostasis una. Et sic procedit prima opinio... ».

Igitur hoc inter doctrinam S. Thomae et S. Bonaventurae interest, quod S. Thomas simpliciter concedit personas distingui relationibus; S. Bonaventura autem distinguit in relationibus elementum duplex: scilicet merae habitudinis, et secundum hoc negat; habitudinis et originis, et secundum hoc concedit.

Componi possunt ambo Doctores distinguendo duo tum in relatione, tum in origine. In relatione, habitudinem meram et habitudinem cum origine; in origine, merum actum seu motum sive ad modum motus, et actionem cum termino. Haec autem quatuor ita se habent ad invicem, ut, licet distinguantur relatio ut habitudo, et origo ut actus sive motus, conveniant nihilominus habitudo cum origine et origo cum termino, utique sub duplici respectu.

	1	2		
relatio →	habitudo	habitudo cum origine		
		actus cum termino	actus ←	origo.
		2	1	

Absit autem ut, quae ita secundum rationem distinguuntur, reali habeantur successione distincta. Audiantur ultima verba quibus S. Bonaventura magis iam se ad modum loquendi S. Thomae recipit, imo in eiusdem conclusionem init. «Sed notandum quod, cum idem sit divinis personis oriri, « et esse, et ad alterum se habere, tamen secundum rationem « intelligendi sunt ordinata, ut primum sit oriri, deinde esse « intelligatur in his quae habent esse ab alio, et deinde se

« ad alterum habere. Quia vero idem sunt in Deo, ideo « eodem nomine designantur. Unde generatio dicit originem « et habitudinem. Tandem proprie loquendo generatio dicit « originem, et paternitas habitudinem. Quoniam igitur pro- « prietas divina secundum communem usum loquendi impor- « tat *habitudinem et originem*, ideo tenendum quod proprie- « tates non solum sunt ratio innotescendi distinctionem, sed « etiam distinguendi ».

Ex quo vides, ipsam quaestionem quae movetur, aliter et aliter intelligi posse. Nam si per illud quo distinguuntur personae, intelligis ipsum actum distinguentem: recte respondetur, esse originem; si intelligis statum τοῦ esse distincti: recte dicitur, esse relationes. Iam vero subsistentia potius modum essendi quam modum fiendi exprimit. Ergo etiam quantum ad hoc per relationes magis quam per origines personae distinctae praedicantur.

ARTICULUS III.

UTRUM ABSTRACTIS PER INTELLECTUM RELATIONIBUS A PERSONIS, ADHUC REMANEANT HYPOSTASES.

1. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quaestio haec sese immediate offert perpendenti, originem active praesupponere personam subsistentem: actiones enim sunt suppositorum. Nam quaerendum est quomodo possit esse persona sine relatione, quum terminus ad quem nondum detur. Licetne igitur abstrahere relationes, et adhuc servare personas? An forte abstracta relatio personalis tollit quidem personalitatem, relinquit autem subsistentiam vel hypostasim?

2) Ad cuius quaesiti solutionem recolatur distinctio inter relationes personales, et non personales. Personalis relatio se habet ad modum particularis contrahentis universale essentiae divinae; relatio vero seu proprietas non personalis se habet potius ad modum formae accidentalis adiectae subiecto. - Iamvero sublata ratione particulari, non remanet nisi universale; at sublata accidentali forma, remanet subiectum. Ergo sublata relatione personali, tollitur distincta personalitas et non remanet nisi nuda essentia; sublata autem

relatione seu proprietate non personali, remanet subiectum, nempe persona per proprietatem personalem distincta. Ratio autem cur proprietas personalis non possit ita abstrahi, est quia formaliter facit personam, ut forma non adiecta sed constituens.

3) Porro universale et particulare possunt se habere formaliter respectu variarum partium alicuius definitionis. Ex gr., ecce definitionem hypostaseos et personae: persona contrahit respectu ad naturam materialem, in qua potest dari hypostasis; non autem ratione subsistentiae distinctae, quae est utrique essentialis. Persona autem et *haec* persona differunt ratione distinctionis in subsistentia (dato et non concesso quod *huius* personae aliqua definitio sit).

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Quod persona contrahit supra suppositum, pertinet non ad indistinctionem substantiae, sed ad substantiam indistincti: ponitur nimirum substantia rationalis.

2. Obi. Quaevis relatio duo facit: esse personam, et talem personam. In primo conveniunt omnes relationes; in altero non, sed secundum illud distinguuntur.

3. Obi. Haec difficultas melius infra solvetur, in fine articuli sequentis. Interim iam haec observa. In intellectione divinarum personarum possumus aliquomodo progredi dupliciter. *a*) Uno modo, considerando essentiam divinam intelligentem et volentem; et tunc eodem momento oriuntur Pater et Filius in intellectione distinctorum subsistentium; - *b*) alio modo, contemplando Deum iam in sua essentiali perfectione positum et in confuso uti subsistentem, producentem - quia omnipotens est et summe bonus - aequalem sibi; et tunc conceptus personae distinctae sequitur conceptum subsistentis indistincti. Iuxta hunc alterum modum processit Richardus a S. Victore [1]; secundum quem videntur etiam illi aliquatenus rem concepisse, qui docent origines facere distinctionem personarum.

In Corpore. Praemissa duplici abstractione, totali et formali; et praedeterminato quomodo in divinis utraque intel-

[1] *De Trinitate*, libri VI; quorum duo primi agunt de *Deo* uti *Uno*. — *P. L.*, t. CXCVI, col. 887, sqq.

ligenda sit, S. Th. ad argumentum transit, et in fine accedit ad confutationem. Habetur ergo duplex praeambulum et duplex argumentatio.

Ad 2.m Praeambulum. Adverte quomodo, iuxta varium respectum, essentia sit forma personarum, et relatio forma earumdem. De forma tanquam natura satis diximus in art. 2. praec. Quaestionis; de relatione loquendum superest. Iamvero forma heic intelligitur non ea quae constituit, ut ita dicam, substantiam rei; sed quae complet et constituit conceptum.

Quaestio igitur est, quomodo et quousque relatio sit forma personarum. - Resp.: Relatio personalis ita forma est, ut constituat; relatio vero non personalis accedit veluti ad complementum (in nostro utique conceptu, nam re identificatur cum relatione personali). Quo posito, iam facilis solutio evadit.

Ad 1.m argumentum. Adverte, Gilbertum quando dicebat relationes esse mere assistentes, non directe hoc affirmasse de relatione in ordine ad suppositum, sed ad essentiam. Quare sententia reiecta superius non ea est quae per *Corpus* praesens etiam depellitur. Potuit tamen iste error ansam praebere doctrinae quae heic in fine confutatur, quatenus introducit distinctionem, virtute cuius accedit forma personalitatis, quae in praesenti opinione consideratur uti accedens ad ipsum suppositum iam in subsistentia positum. Cf. sententiam Ripensis in art. praec. allatam.

Ad 2.m argumentum. Licet falsa omnino sit distinctio inter suppositum et personam, ac si non omne suppositum intellectualis naturae esset persona; fatendum tamen, in utroque termino inveniri posse respectum aliquantulum diversum quoad modum subsistendi: quatenus scilicet suppositum videtur directius respicere subsistentiam, persona autem subsistentiam uti ab alia distinctam. Ita ut, si Deus subsistentia unus esset, adhuc tanquam suppositum conciperetur, quin tamen vocaretur persona, deficiente termino distinctivo.

Caeterum observa, ex dictis verum praedicari quando affirmatur, abstractis relationibus in Deo remanere hypostasim, si intelligitur hypostasis in singulari. Etenim philoso-

phus Deum cogitat certe subsistentem, quin de relationibus divinis sit sollicitus. At in rigore sermonis hic Deus, unica subsistentia subsistens, posset vocari persona. Insuper in Deo Patre verum aliqualiter est, abstracta relatione, remanere subsistentem, quatenus in Patre conceptus subsistentis praecedit ipsam generationem. De quo in art. sequenti.

En autem argumentum huius *Corporis* schemate expressum:

- **Abstractis per intellectum relationibus**
  - I) secundum universale et particulare: remanet sola essentia non persona;
  - II) secundum abstractionem formae a materia:
    - 1) proprietatibus non personalibus, remanet intellectus hypostaseos seu personae: ita remoto spirante, remanet Pater.
    - 2) proprietate personali, tollitur intellectus hypostaseos: ita remota paternitate, non remanet Pater.

Utiliter cum hac argumentatione conferes doctrinam S. Thomae I. Sent., Dist. XXVI, Q. I, a. 2.

ARTICULUS IV.

UTRUM ACTUS NOTIONALES PRAEINTELLIGANTUR PROPRIETATIBUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ad rectam huius ultimi articuli intelligentiam animadverte, S. Th. proprietates heic sumere in sensu notionum, scilicet, pro distinctivo elemento quod origo in utroque termino *a quo* et *ad quem* processionis ponit, non autem in sensu strictiori.

2) Rursus recolatur, actus notionales - licet sint *sine motu vero* (de quo in art. sequenti) - nihilominus ad modum motus concipi. In quo motu habemus: *a*) terminum a quo; *b*) motum mobilis; *c*) terminum ad quem. - Qui motus dicitur origo. Iamvero si consideratur mere *a*), oportet personam vel hypostasim praehaberi: actus enim sunt personarum; - si consideratur respectus *a*) ad *b*), prior est personalitatis

proprietas in *a*), quam motus *b*) sive via ad terminum; - si consideratur respectus *b*) ad *c*), prius est *b*) quam *c*). - Tandem si consideratur *a*) ad *c*), prius est *b*) sive origo, quia *a*) per *b*) transire debet, ut respectus ad *c*) haberi possit. Haec omnia utique ordine logico.

3) Quare tota doctrina hisce continetur. Prima persona praesupponitur constituta in subsistentia antequam actum exerceat notionalem. Actus ille praecedit intellectu terminum ad quem seu proprietatem procedentis personae; imo praecedit respectum formalem ad aliam in persona originante.

4) Ex quibus, ni fallor, apparet undenam decepti fuerint theologi supra confutati, iudicando nimirum de tota SS. Trinitatis constitutione secundum aliquam logicam prioritatem, quae in solo Patre admittenda est [1].

5) Collige, in solo Patre triplex veluti logicum instans conceptionis dari [2]: *a*) instans quo mere concipitur uti logice praecedens actum notionalem generandi; *b*) instans generationis ut in actu originis; *c*) relationem ad terminum generationis: sive Patrem, generantem, paternitatem.

6) Collige rursus, - quod ex modo arguendi in obiectionibus fit manifestum, - in quavis relatione duplex elementum reperiri, alterum subsistentiae sive *quid,* alterum relationis *ad aliud.* Ita paternitas, quatenus constituit subsistentem Patrem, praecedit generationem; quatenus vero respicit ad Filium, eamdem sequitur. In Filio autem filiatio utroque modo sequitur, utique logice, actionem Patris; et ideo aliter et aliter de Patre ac de Filio loquendum est. Utraque tamen relatio in Patre et in Filio in eodem instanti etiam logico sibi correspondent.

7) De Patre et Filio relate ad Spiritum Sanctum rursus aliter est iudicandum. Nimirum ad concipiendum actum spirandi sufficit utique subsistentia per paternitatem et filiationem; quare respectus spirationis, sive quatenus identificatur cum subsistentia, sive quatenus ponit relationem ad Spiritum, sequitur actum spirandi in spirantibus, sicuti in ipso Spiritu Sancto, ita ut in hac altera processione eodem modo de tribus personis sit loquendum.

[1] Cf. dicenda in Q. XLII, art. 3.

[2] Haec utique nonnisi cum magna cautela praedicanda sunt, uti ex sequentibus adhuc magis apparebit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit discrimen inter 1. et 3. n. 5.

2. Obi. Eodem vitio laborat.

3. Obi. Non considerat ordinem inversum in quo via se habet ad principium et ad terminum.

Sed contra est. Argumentum hic adductum, sicuti tres praecedentes obiectiones, ostendunt, S. Thomam huius articuli cardinem invenire in modo speciali quo de Patre, tanquam de principio totius Trinitatis, est loquendum.

Vis autem argumenti heic adducti praecise desumitur ex hoc quod paternitas duplicem sensum habet. Nam secus aliquis posset arguere ex opposito: Paternitas sequitur generationem, quia respectum dicit ad Filium qui generatur; atqui generatio est actus notionalis et paternitas proprietas; ergo actus notionalis etiam in Patre praecedit proprietatem.

In Corpore. En schema huius expositionis:

- **Secundum modum intelligendi, relationes**
  - I) si personas mere *manifestant*, sequuntur actus notionales: quia generat, Pater; sed hoc exclusum est;
  - II) si personas non modo manifestant, sed *constituunt*,
    - 1) etiam personales sequuntur originem passivam, simpliciter, uti terminus viam.
    - 2) originem vero activam
      - *a*) sequuntur non personales: v. g., esse spirantem sequitur spirare;
      - *b*) *personalis autem Patris*
        - α) uti relatio sequitur,
        - β) uti constitutiva personae praecedit.

Conclude utrumque verum esse: Pater est, quia generat; et: generat, quia Pater est. Prior sententia sumit Patrem in sensu α); altera, in sensu β).

Ne videatur concessio facta in fine argumenti esse contra ea quae supra ostensa sunt, haec duo considera: 1) S. Thomas concedit, non solum Patrem praecedere logice ut suppositum, sed etiam ut personam. - 2) In hoc momento, utique mere logico, nihil deest Patri ut subsistat: nam habet totam realitatem divinae essentiae et totum esse distinctum; utpote solus; accedente Filio, - utique in nostra intelligendi ratione, qua instantaneum logico nexu texere conamur, - illud quod

erat mere reale subsistens, fit *relatio realis subsistens,* ratione cuius relationis subsistens in divina natura, ad designandam distinctionem inter naturam et subsistentiam, vocatur persona.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Relatio re quidem idem est cum persona, ratione autem differt, quatenus concipitur ad modum formae: quare paternitas est simul persona et in persona (a. 1).

2) Relationes autem non solum sunt manifestativae personarum veluti per originem constitutarum, sed constituunt ipsas personas in sua subsistentia distincta, ad quam origo uti talis se potius uti extrinseca habet (a. 2).

3) Quare, abstractis per intellectum relationibus, abstractione veluti particularis ab universali, non remanet nisi nuda essentia; abstractione veluti formae a materia, si relatio abstracta sit personalis, pariter persona tollitur; remanet autem si abstrahitur mere relatio non personalis. Sublata autem persona, tollitur et hypostasis (a. 3).

4) Ordo autem inter actus notionales et proprietates, in nostro modo intelligendi talis est, ut originem passivam relationes simpliciter sequantur; activam autem sequatur relatio non personalis, praecedat vero relatio personalis, non quidem uti relatio, sed uti personae constitutiva (a. 4).

III. MEMBRUM.

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD ACTUS NOTIONALES.

QUAESTIO XLI.

Ordo Quaestionis sequenti schemate exprimitur:

- **De actibus notionalibus quaeritur**
  - I) *an* et *quid* sint (art. 1.);
  - II) *quomodo* sint
    - 1) quoad causam
      - *a*) efficientem (art. 2.),
      - *b*) materialem (art. 3.);
    - 2) quoad potentiam
      - *a*) an sit (art. 4.),
      - *b*) quommodo sit (art. 5.);
    - 3) quoad terminum (art. 6.).

II. 1) et 2) coniungi possunt, quatenus considerant actus notionales a parte *principii;* vel 2) potest sumi ad modum *viae;* tunc haberemus in 1) principium causale, in 2) viam potentialem, in 3) terminum.

ARTICULUS I.

UTRUM ACTUS NOTIONALES SINT PONENDI IN DIVINIS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Quemadmodum supra demonstratum est, in Deo personarum distinctionem dari non posse nisi secundum appositionem originis; ita impossibile est, in divinis dari relationes, neque personas relationibus distinctas, nisi praedicentur in Deo actus notionales. Qui actus notionales nihil aliud sunt quam duplex processio considerata uti activitas principii quod habet auctorem.

2) Neque dicas, actus notionales ponere aliquid tertium veluti medium inter essentiam et personas. Actus enim divini alii sunt ad extra, alii ad intra. Actus ad extra utpote communes tribus personis, identificantur cum ipsa divina natura tum re, tum ratione. Actus autem notionales identificantur

quidem cum ipsa natura divina in personis quibus insunt, identificantur enim cum persona, quae identificatur cum natura; at quum nequeant a suo termino separari, ac ita relativum sonent, reducuntur ad relativa. Verbo, actus notionales reducuntur ad naturam ratione potentiae a qua sunt, dicunt autem relativum ratione personarum quorum sunt et terminorum qui ab eis sunt.

3) Neque magis attendenda est imaginatio ac si actio stare non posset sine passione; ac proin, quum haec in Deo repugnet, illa quoque esset semovenda. Scilicet aliud etymon vocis, alia essentia significationis eiusdem. Utique etymologice *actio* derivatur a conceptu motus, quo ab agente in termino passio producitur. Sed supra conceptum causati sive producti per motum et passionem, remanet conceptus altior, scilicet simplicis originis, in quo certo continetur et essentialiter servatur ratio principii et principiati; attamen sine ulla mutatione neque motu, ac per consequens quin ei respondeat passio proprie dicta.

4) Non ideo tamen grammaticalis etiam forma passionis a termino processionis sive actus notionalis omnino removenda est. Sicut enim Pater vocatur generans, ita Filius genitus; et recte quidem, licet forma huius nominis passionem involvat. Alia scilicet passio proprie dicta, alia improprie dicta. Illa terminus actionis cum motu, haec terminus actionis cum mera origine. Haec autem passio improprie dicta duos gradus habet, alterum ad extra, alterum ad intra. Ad extra quidem terminus creationis nequit dici per passionem poni; passio enim praesupponit illud cui tribuitur; at ex toto per summam mutationem ponitur a non esse ad esse. Ad intra autem non solum passio proprie dicta, sed et mutatio removetur. Terminus enim actionis notionalis, sicuti principio seu agenti est coaeternus, ita aeque participat eiusdem immutabilitatem, simplicissimumque actum. Procedit ergo Filius uti actus purus, at simul uti originis terminus; ac per consequens per actum notionalem Patris *generantis,* relate ad quem vocatur et est vere *genitus.*

5) Ex dictis apparet nexus inter praesentem Quaestionem et ultimum articulum Quaestionis praecedentis. Ibi enim distinguebatur origo passive et active sumpta. Iam vero origo

active sumpta est ipse actus notionalis. Quum ergo personae nequeant distingui nisi per relationes; relationes autem non haberi nisi per viam originis; in origine secundum intelligendi modum praecedat origo active sumpta; haec autem sit ipse actus notionalis: collige, quantopere actus notionalis in divinis ponendus sit, ut ad aliqualem Trinitatis intelligentiam mens nostra assurgere valeat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter ordinem originis ad extra et ordinem originis ad intra; nec attendit, quoad hunc alterum, de quo mere quaestio movetur, actus notionales ad relativum pertinere, quum sint ipsarum relationum logicum fundamentum.

2. Obi. Non considerat relationem et actum notionalem identificari re, licet differant ratione. Si enim neque ratione differrent, quo spectarent subtiliores quaestiones in praecedenti argumento motae? Ut autem pateat, relationes et actus notionales re convenire, oportet ostendere quomodo hi actus non involvant in Deo nisi originem, quam re convenire cum relatione manifestum est. Inde longior processus Aquinatis in responsione.

3. Obi. Praetermittit dicta n. 3. et 4.

Sed contra est. Haec doctrina continetur aperte in Scripturis. De prima processione: « Dominus dixit ad me, Filius « meus es tu, ego hodie *genui* te » [1]; et: « Pater meus, quod « *dedit* mihi, maius omnibus est » [2]; et: « Pater diligit Filium, « et omnia *demonstrat* ei quae ipse facit » [3]. Quibus verbis *genui, dedit, demonstrat,* nihil aliud significatur nisi actus notionalis generandi, cuius terminus est Filius, *Unigenitus,* habens uti *acceptum* a Patre totum esse divinum, totamque sapientiam Patris. - De altera processione: « Quaecumque « *audiet,* loquetur.... quia de meo *accipiet* » [4]. In quo loco ipsa terminatio spirationis ad Spiritum Sanctum, exprimitur per verbum actionem in eodem Spiritu ponens; ad efficacissime nobis ostendendum, in Spiritu quidem haberi propter ipsam

[1] Ps. II, 7.
[2] Ioann., x, 29.
[3] Ioann., v, 20.
[4] Ioann., xvi, 13, 14.

originem rationem termini, attamen seclusa passione, imo cum actu, est quippe ab aeterno Spiritus Sanctus actus purus, haud secus ac Pater et Filius.

Actus autem notionales re convenire cum ipsis relationibus, ostendit S. Augustinus ex modo quo sequens argumentum inducit: « Propter eos quibus ideo videtur, non « eamdem Patris et Filii esse substantiam, quia omne quod « a Deo dicitur, secundum substantiam dici putant, et prop- « terea *gignere* et *gigni,* quoniam diversa sunt, contendunt « substantias esse diversas: demonstratur, non omne quod « ex Deo dicitur, secundum substantiam dici.... sed dici etiam « *relative* »[1]. Ergo iuxta Augustinum actus notionales (gignere) ponendi sunt in Deo, uti fundamentum τοῦ relativi; nec re inter relationes ac istos actus interest.

In Corpore. Argumentum liquet. Observa verba: « Origo « autem convenienter designari non potest », etc. Scilicet sentit optime S. Th., nihil de creatura et de Deo univoce exprimi posse. Quare inter omnia vocabula humani sermonis illud eligendum est, quod, uti latius patens, melius ad standum pro processione activa extendi potest. Hoc autem est actus, quod per additum *notionalis* ad intentum contrahitur. Reliqua patent.

ARTICULUS II.

UTRUM NOTIONALES ACTUS SINT VOLUNTARII.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quatuor hic quaeri possunt. 1) Utrum Pater (et quod de Patre ad Verbum dicimus, de Patre et Verbo ad Spiritum pari modo extendi volumus), utrum igitur Pater *libere* generet; 2) utrum *voluntarie;* utrum *necessario;* 4) utrum *coacte.* Quae quaestiones magni momenti sunt propter errorem Arianorum. Ante omnia autem sensus terminorum sedulo determinandus est.

a) *Liberum* in oppositione ad voluntarium dicitur, quod ita fit, ut possit etiam omitti.

b) *Voluntarium,* in oppositione ad *liberum,* dicit id quod,

[1] *De Trin.* l. xv, c 3, n. 5. — *P. L.* t. xlii, col. 1059.

etiamsi non possit non fieri, sive omitti, tamen fit cum consensu seu adhaesione voluntatis. - In oppositione autem ad *necessarium,* dicit idem ac liberum, seu quod fit ex deliberatione voluntatis.

c) *Necessarium* sicuti et *voluntarium* potest duplici termino opponi. In oppositione ad *liberum* dicit *necessitatem* in genere, seu id ad quod aliquid impellitur non ex motu voluntatis sed ex aliquo alio agente, sive sit natura intrinsecus, sive cogens extrinsecus; quare *necessarium* oppositum *libero* dicit indifferenter necessitatem internam seu naturae, et externam seu coactionis. In oppositione autem ad *coactum,* restringitur ad necessitatem internam seu naturae, sive ad id quod ex intima dispositione subiecti non potest non esse.

d) *Coactum* dicit necessarium, sed necessitate externa, propter agens extrinsecus. Qui coacte agit, se habet ad modum *patientis,* quod non est in eo qui agit necessitate naturali; nisi dicatur esse patiens relate ad suam naturam; quae relatio concipi potest in omnibus creatis, quae non sunt sua natura; nullo modo vero in Deo, utpote qui est sua natura.

Quare *coactum* in oppositione ad necessarium dicit partim plus, partim minus: plus, quatenus excludit undequaque voluntarium; minus, quatenus non ponit tam absolutam necessitatem. Coactum enim potest non esse; non autem necessarium, nisi quatenus ipsum subiectum est contingens.

2) Ex dictis iam patet, in solo *coacto* esse essentialem imperfectionem, non autem in *necessario,* nisi in quantum ponit defectum naturae necessitantis vel saltem limitationem eiusdem. In Deo vero omne illud quod necessario sequitur ex essentia divina sive natura, summa perfectio est.

3) Quando ergo quaerimus, utrum Deus Pater voluntarie vel necessario genuerit, utrumque potest esse verum et utrumque falsum.

a) Verum est, Patrem *voluntarie* genuisse, si intelligis *concomitanter,* seu cum voluntate, id est volentem, non reluctantem; falsum vero, si intelligis ex libera voluntatis electione, seu *causaliter,* sive ita quia voluit, quum potuisset non velle.

b) Pariter verum est, Patrem genuisse *necessario,* si intelligis necessitatem naturae ratione perfectionis essentialis

eiusdem; falsum vero, si intelligis necessitatem *coactionis* externae aut caeci alicuius fati.

4) Sed instabis: nonne *libertas* est perfectio, et *necessitas* imperfectio? - Respondeo distinguendo multipliciter.

a) *Libertas* α) ab *alio ente* aequali vel inferiori, sive independentia, perfectio est, concedo; - β) libertas seu independentia ab *ente superiore*, subdistinguo: quatenus implicat limitationem concedo: quatenus huic enti limitato non convenit, nego; imo perfectio creaturae consistit in hoc ut Deo subiiciatur; quare perfectius est homini beato libertatem peccandi non amplius habere, quam viatori eadem libertate gaudere; - γ) libertas *a natura*, subdistinguo: a natura *limitata*, concedo, sed relative, quia ponit ens limitatum; a natura *vitiata*, rursus concedo, quia ponit culpam; a natura *perfecta et infinita*, nego; imo perfectio est, ut natura talis necessitatem secum ferat. Quaenam enim maior perfectio Dei, quam non esse non posse, nec posse non esse quod est?

b) *Necessitas* proin a tali natura, nedum implicet imperfectionem, summam perfectionem continet. Unde nihil Deo perfectius est quam esse SS. Trinitatem. Naturis insuper limitatis *necessitas* fluens ex bonis huius naturae, perfectio est: ita nobis perfectio est in bonum et in verum necessario esse factos; fluens autem ex vitiis huius naturae vel ex pravis habitibus, imperfectio est: ita concupiscentiam vocat Paulus necessitatem, et alibi peccatum, peccatique legem.

5) Ut igitur ex naturalibus ad aliqualem conceptum mysterii assurgamus, recurrendum nobis est ad imaginem SS. Trinitatis quam in se fert homo, utpote ad imaginem et similitudinem Dei conditus. Intellectus hominis necessario impellitur ad verum; et voluntas necessario movetur in bonum. Nihilominus *volentes* intelligimus vera, et volentes appetimus in genere bonum, licet non simpliciter *quia* volumus. Quae proin operationes, sive notionales ut ita dicam actiones facultatum, sunt voluntariae concomitanter, et necessariae causaliter. Et ita in Deo, gradu utique infinite maiori tum necessitatis tum voluntarii.

II. **Ad Textum.** - Doctrina huius articuli potest impugnari 1) ex auctoritate sive Scripturae (obi. 2.), sive Patrum (obi. 1.);

2) ex falso dilemmate, ac si nihil medii daretur inter voluntarium in sensu liberi et necessarium in sensu coacti (obi. 5.); 3) ex analysi actuum notionalium, tum intelligendi (obi. 4.), tum volendi (obi. 3.). De singulis verbulum.

1. Obi. Falso interpretatur exclusionem necessitatis, ac si involveret voluntarium, uti liberum. Quod tum ex scopo, tum ex ipsis verbis Hilarii ostenditur falsum.

2. Obi. Dupliciter deficit: *a*) abstrahit a dilectione libera, cuius Christus homo erat obiectum; *b*) confundit dilectionem concomitantem cum dilectione causali.

3. Obi. Duplici pariter vitio laborat. *a*) Non distinguit inter obiectum in quod amor fertur naturaliter, et in quod libere; *b*) non considerat, in amore naturali non deesse voluntarium concomitans.

4. Obi. Non distinguit inter verba libere prolata et verbum quod est veluti radicaliter, naturaliter menti insitum. Iamvero prolatio Verbi divini ad intra se habet ad modum huius, non illius. Sed et hoc Verbum cum voluntatis pleno assensu profertur. Difficultas scilicet praecedens ex voluntario amoris petita, valet et de voluntario Verbi; at utraque solvitur ex comparatione cum humano intellectu vi naturae necessario in verum et cum voluntate necessario ad bonum directis, licet concomitante assensu voluntatis.

5. Obi. Utrumque deficit, tum quia voluntarium ad liberum contrahit; tum quia omne voluntarium a necessario excludit.

En schemate expressa solutio huius obiectionis.

Necessarium est	1) *per aliud:*	*a*) per causam agentem et cogentem: violentum; *b*) per causam finalem, ut res sit vel bene sit ad finem suum; — Deus autem est sibi finis et non coactus.
	2) *per se:*	quod non potest non esse. — Et ita sicut Deus ipse est necessario, ita operationes notionales et SS. Trinitas sunt necessariae.

Sed contra est. Quemadmodum in mente Arii et Eunomii affirmatio voluntatis causalis tanquam principii generationis Verbi, erat via ad affirmandam eiusdem Verbi effectionem; ita catholica doctrina declarans Filium genitum,

non factum, affirmat implicite, Patrem naturaliter ac nonnisi concomitante voluntate Filium genuisse.

Ad depellendam hanc impietatem Arianorum S. Hilarius ait: « Si quis voluntate Dei, tanquam unum aliquid de crea- « tura factum dicat Filium: A. S. » Et: « Omnibus creaturis « substantiam Dei voluntas attulit, sed naturam Filio dedit « ex impassibili ac non nata substantia perfecta nativitas » [1]. Et Patres Concilii Toletani II. declararunt: « Voluntas sapien- « tiam genitam non praevenit ».

In Corpore. En graphice hanc argumentationem expressam:

- **Voluntarie**
  - I) scilicet *cum* voluntate, seu concomitanter, — Deus genuit Filium (non enim reluctans, nec coacte);
  - II) scilicet *ex* principio causali voluntatis,
    - 1) Deus fecit omnia alia a se: — sunt enim iuxta liberas formas quas praestatuit volens et qualia Deus esse *voluit;*
    - 2) non autem genuit Filium, sed naturâ (contra Arianos definitum): — Filius enim *a*) est a natura uti forma; *b*) non posset esse aliter, sicuti nec non esse; *c*) est qualis Deus *est.*

Quaeres I. - Quum voluntas concomitetur generationem Verbi, quaeritur (et hoc de altera processione valet), utrum haec voluntas sit logice antecedens, an consequens actum notionalem generandi. Dissentiunt theologi. Ferrariensis, Capriolus, Suarez, Vasquez, hoc alterum tenent; Henricus Gandavensis, Marcus Ferrus, Caietanus, quos sequitur Cardinalis Satolli, priori sententiae adhaerent. Quam et nos, uti magis naturae divinae consonam, atque profundiorem eligendam putamus. Haec enim voluntas de essentia divina immediate, ut ita dicam, profluens, nequit ab ea interiecto notionali actu, separari. Nec ullo modo obest huic sententiae ordo logicus inter intellectum et voluntatem servandus. Hic enim ordo valet de essentialibus sive notionalibus

[1] *Lib. de Synodis.* — *P. L.* t. x, col. 512, 520.

actibus ad invicem, non autem permixtim. Quare huic ordini non obest quod essentialis voluntas concomitans concipiatur tanquam logice praecedens intellectus actum notionalem [1].

Quaeres II. - Nonne saltem teneri potest, Spiritum Sanctum, utpote procedentem per amorem, simul procedere cum voluntate et per voluntatem, ac ita simul necessario et libere?

Scotus docuit, processionem Spiritus Sancti esse simul necessariam et liberam, sive Spiritum Sanctum procedere delectabiliter et deligibiliter. Similiter Henricus Gandavensis docuit, Spiritum Sanctum procedere naturalitate concomitante, sed libere. Sed haec opinio deceptio videtur. Utique hoc inter processionem Filii et Spiritus Sancti interest, quod ille procedit per viam intellectus, hic per viam voluntatis; ac ita per intellectum ille, hic per voluntatem. At multum interest inter « per voluntatem », et « per liberam electionem voluntatis ». Hoc alterum tolleret Spiritui Sancto illam sanctam necessitatem qua, ob infinitam amabilitatem Entis Supremi seu Patris et Filii, nequit non procedere uti infinitus terminus necessarii infiniti amoris. Ponere per consequens in Deo liberam electionem a qua Spiritus Sanctus procedat, est in sanctitatem eiusdem Spiritus peccare, quatenus haec libera amoris faecundi electio destruit proportionem inter amorem et titulum divinae essentiae ad eumdem. Iamvero in hac aequalitatis proportione sanctitas substantialis residet.

Falsa haec imaginatio provenit a non satis agnita intensissima voluntatis concomitantia, ratione cuius necessarium non minus fit volitum quam si esset liberum. E contra magis voluntaria praedicatur Spiritus Sancti spiratio si necessaria, quam si libera. Obiectum enim liberae dilectionis nequit esse infinitum ac per consequens nequit infinita volitione diligi; infinita autem voluntatis adhaesione diligitur, quod, quia infinitum, necessario diligitur [2].

[1] Plura lege de hoc argumento apud Ioannem a S. Thoma (hoc loco Disput. XVI, art. 2).

[2] Quanti momenti sit hoc principium pro analysi meriti, in tractatu de Verbo Incarnato maxime apparebit.

Doctrina S. Cyrilli Alexandrini.

Quum maiori sermonis abundantia S. Cyrillus Alex. in secundo *Dialogo* de SS. Trinitate argumentum huius articuli pertractaverit, placet principaliora ex eius disputatione lectori apponere [1].

En quomodo Hermias difficultatem adducit ac stringit: « B. Percontaturos utique scias (acuti enim sunt), utrum tan- « dem voluntate, an praeter voluntatem Filium Deus ac « Pater genuerit? - A. At scire pervelim, quonam demum « ferantur tam perniciosa eorum commenta. - B. Addent nimi- « rum, ut existimo, quod, si Filius Patri sit involuntarius, « illum non sponte genuit, sed ab aliquo ad hoc adactus, aut « necessitate, verbi gratia, vel quiddam praeter voluntatem « passus comperietur. Hoc autem pacto ad absurdum oratione « deducta, eo demum illam redigent, ut confitendum sit haud « citra voluntatem genitum esse a Patre Filium; tandemque « inferunt: si non citra voluntatem genuit Pater Filium, sed « voluntate et ex deliberatione, utique Patris voluntas gene- « rationem Filii praecedet ac prius existet. Si autem prius « existit iis de quibus deliberat, inquiunt, etiam antiquiorem « habet generatione voluntatem ».

Obiectionem Cyrillus indignabundus uti absurdam ac impiam, rhetoricis prius exclamationibus, quas omitto, de more depellit; dein ad solutionem ipsam accedit. Utrumque conciliat, Filium scilicet non esse genitum citra Patris voluntatem, ac nihilominus Patrem esse non posse sine Filio. Imo retorquet difficultatem ex hoc, quod Patris voluntas non potuerit esse sine sapientia et Verbo, et ipse Filius sit sapientia et Verbum Patris. Quae retortio ingeniosior forte quam solidior, quum non videatur distinguere inter sapientiam essentialem et notionalem. En verba ipsius Cyrilli. « Age, nunc rectum veri- « tatis iter capiamus, dicamusque Patrem, qui aeternus est « ac principio caret, haud absque Filio, qui ei insit ac simul « subsistat, intelligi posse [2]. Verum, tametsi est non citra « voluntatem Filii Pater, non tamen prius exsistet voluntas

[1] *P. G.* t. LXXV, col. 774-779.

[2] Aurea sane sententia!

« quam Filius, ac prius emerget. Si enim erat in sapientia et « verbo Patris voluntas (non enim sapientia et verbo carere « dicent divinam voluntatem), sapientia autem ac Verbum « Dei Patris est Filius: ipse utique est is, in quo est omnis « voluntas Patris. Quocirca istiusmodi triconum evertitur « quodammodo propositio, et acutum illud, quod in nos com- « paraverant argumentum ».

Imo ulterius hanc retortionem protrahit, urgens de Patre difficultatem motam de Filio, ac ita ad hominem demonstrans, Filium praecedere ipsum Patrem. In qua parte argumentationis illud sane optimum, quod eadem difficultas urgetur pro Patre; minus vero firma deductio ad absurdum per prioritatem Filii. Etenim eodem defectu haec deductio laborat: supponit enim sapientiam necessario esse notionalem, seu Verbum, seu Filium. Audiatur ipse S. Doctor. « Nihil enim, « ut videtur, prohibuerit quominus etiam nos, contempta « rationum absurditate, percontemur, utrum voluntate, an « contra existat et sit Pater. Quod si non ex voluntate qui- « dem est, necessitate igitur ad existendum adactus est. Si « vero non necessario, sed ex voluntate est, praecedet utique « voluntas ipsius existentiam. Cumque voluntatem perfecerit, « sapienter nimirum, nec absque verbo; sapientia vero sit ac « Verbum Filius; Patre prius existet ».

Nec ista retortione contentus, S. Cyrillus eam urget quoad ipsum opificium ad extra, quatenus ex eo quod Deus creaverit volens, non sequitur, aliquid ipsi per hanc voluntatem accessisse. Bona quidem consideratio ad hominem contra insulsam obiectionem Arianorum; in se autem paritate carens, quum fructus huius voluntatis creatricis sit contingens, cum initio; fructus autem generationis ad intra necessarius, ab aeterno.

Demum S. Cyrillus ipsam medullam quaestionis attingit, ostendens Patrem generare Verbum ex ipsa insita faecunditate divinae naturae. Ubi perpende ultima verba quae difficultatem optime solvunt. « An enim fatendum putabunt, « Patrem esse genitorem secundum naturam et id ei substan- « tiale esse dicent, an vero istud negabunt impie admodum « sentientes? Si enim non esse dicunt substantialiter genito- « rem, naturam Filii tollent funditus, qui non citra genera-

« tionem esse nactus est, sed est et existit ex Patre, iuxta « fidem sacrarum Litterarum. Quod si naturam non habens « generativam, revera Deus ac Pater voluntate motus est « ad hoc ut posset generare, utique dicendum erit, suam « ipsum forte naturam generativam fecisse ac reddidisse et « in quod non erat adduxisse, adeoque seipso antiquior iure « censebitur, si, cum esset ac subsisteret, voluit esse id quod « est, nimirum Pater. Sed in montem ac undas proiiciantur « isthaec, intolerabili prorsus absurditate plenissima. Nos « autem rectam doctrinam sequentes, asserimus superva- « caneum et stultum esse, putare Patrem esse genitorem, « citra voluntatem aut ex voluntate, sed natura potius ac « substantialiter. Neque enim praeter voluntatem est id quod « est naturaliter, cum velle esse id quod est, eius naturam « comitetur ». Praeclare!

De Mente S. Bonaventurae et Richardi Victorini.

I. Iam ab exordio huius tractatus vidimus [1], S. Bonaventuram non omnino eodem modo quo S. Thomam de utraque processione loqui. Dum enim Angelicus utramque dicit esse processionem naturae, alteram per viam intellectus, alteram per viam voluntatis, Seraphicus ad priorem potius contrahit appellationem *naturae,* alteri reservans appellationem *voluntatis.* Mirum inde non est, si in modo loquendi de processione Spiritus Sancti idem Doctor aliquid amplius electioni tribuisse videatur. Quousque autem in hac via progressus sit, heic sedulius investigandum superest.

Praeter loca superius iam citata et discussa [2], S. Bonaventura mentem suam de hoc argumento aperit in I. Sent., Dist. X, art. 1. Praesertim Q. I, cuius titulus: « An in divi- « nis necessario ponenda sit persona per modum liberali- « tatis procedens », iam nobis indicat, agi heic de aliqua liberalitate quae non excludat necessitatem. Et responsio Corporis ita sonat: « In divinis est ponere tertiam personam « procedentem per modum liberalitatis, quae dicitur Donum.

[1] Cf. expositionem primae Quaestionis, ubi doctrinam Angelici et Seraphici ad invicem contulimus; maxime p. 87.

[2] Cf. praesertim p. 84. sq.

« Et ratio huius est perfectio dilectionis, perfectio emana-
« tionis et perfectio voluntatis: qua existente liberalissima,
« *non potest non producere personam,* sicut natura, existente
« faecundissima non potest non producere personam; et haec
« est ratio propria huius emanationis ». Ergo iuxta S. Bonaventuram est quidem altera processio per modum liberalitatis, ita tamen ut non possit non esse. Iamvero quid hoc dicit, nisi aliis verbis idem ipsum quod docet S. Thomas?

Ne autem quis putet, S. Bonaventuram aliquid amplius intellexisse his verbis « per modum liberalitatis », legat attente distinctionem quam adducit in resp. ad 3. ibidem: « Processus per modum liberalitatis est dupliciter: aut sicut « ratio liberalitatis sive ipsa liberalitas, aut sicut liberaliter « factum. Similiter et in arte, aut sicut ipsa ars sive ratio « artificiandi, aut sicut artificiatum. Et primo modo potest « cadere in divina persona, secundo modo non » [1]. Verificatur scilicet de ratione artificiandi in Filio, de ratione liberalitatis in Spiritu Sancto. Haec autem comparatio ostendit, in mente S. Bonaventurae non minus esse necessariam processionem Spiritus Sancti, quam prolationem Verbi; haec autem ab eo vocatur naturalis, id est non libera, eo sensu quo voluntarium contra liberum distinguitur; ergo eodem gradu S. Bonaventura tenet spirationem Spiritus Sancti esse naturalem ac proin necessariam.

II. Porro si iam S. Bonaventura a S. Thoma distat quoad modum loquendi, quatenus ubi S. Thomas utramque processionem dicit esse naturae, aliam per viam intellectus, aliam per viam amoris, S. Bonaventura applicationem naturae potius reservat processioni intellectuali; maius longe apparet discrimen inter Angelicum et Richardum Victorinum. Hic enim utramque processionem explicat per modum amoris [2]: ita ut in Patre sit plenitudo amoris gratuiti, in Spiritu Sancto plenitudo amoris, in Filio utpote medio plenitudo amoris simul gratuiti et debiti. Quae sane appellatio « amo-
« ris gratuiti » in persona termino a quo, insinuat spatium

[1] Cf. et q. 2. eiusdem art; vide superius p. 85.

[2] Filius procedit ex amore se communicante, Spiritus a Patre et Filio ex, amore aeque ac mutuo condilectum exposcente (*De Trin.* l. II. — *P. L.* t. CXCVI col. 915, sqq.).

in processione servari libertati. Ita ait: « gratuitum amorem « se habere ostendit, qui procedentibus de se plenitudinis « abundantiam tam largiter quam libenter et gratis impen- « dit » [1]. Sed haec tota expositio Richardi ingeniosa magis quam solida.

ARTICULUS III.

UTRUM ACTUS NOTIONALES SINT DE ALIQUO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus cum praecedenti articulo multipliciter ostenditur. *a*) De principio causali dictum est, nunc de materiali. - *b*) Arianorum obiectionem confutavimus asserentium, Filium esse *libere* factum sicut creaturas; alteram nunc confutamus, qua contendunt Filium esse sicut creaturas *ex nihilo*. - *c*) Gnosticos et Pantheistas simul in utroque articulo refellimus, probando, in divinis non dari neque necessariam emanationem exclusa voluntate, neque substantiae divisionem.

2) Tota nostra quaestio sequenti syllogismo comprehenditur. Pater generat vel ex nihilo, vel ex aliquo. Si *ex nihilo,* ergo Filius est in ordine creaturarum, quia est factus, - scilicet post nihilum, saltem logice (ut nihil de aliis consectariis quoad Spiritum Sanctum dicamus). Ergo *ex aliquo*. - Iamvero si ex aliquo, erit vel *ex alio*, vel *ex seipso*. Si *ex alio,* ergo aliud erat ante Filium, distinctum a Patre, et Filius non est unum cum Patre, et est in ordine factorum; nisi illud ipsum ex quo est Filius, sit infectum et absque divisione se communicet, et tunc idipsum erit Deus, et Dii erunt plures. Ergo Pater generat *ex seipso*. - Iamvero generat a seipso vel per partialem emanationem, vel per integram communicationem. Non prius, quia tollit indivisibilitatem et identitatem numericam essentiae seu naturae utriusque personae. Ergo Pater generat Verbum per communicationem *totius essentiae;* et pari ratione per communicationem totius communis essentiae Pater et Verbum spirant Spiritum Sanctum.

[1] Ibid. l. v, c. 16, col. 962.

3) Quaeritur iam de discrimine inter generationem divinam, effectionem naturalem et creationem. - Resp. *a*) *Effectio* praesupponit substantiam, et ponit transformationem eiusdem sive per divisionem, sive per informationem. *b*) *Creatio* non praesupponit substantiam, sed illam ponit. *c*) *Generatio* naturalis, α) in *creatis,* praeter substantiam, quam supponit ponit communicationem partialem eiusdem, et identitatem naturae communicatae cum communicante; β) *divina* autem generatio ponit substantiam et terminum absque mutatione neque divisione.

4) Conclude, in generatione divina simul inveniri perfectiones creationis et generationis naturalis. Creationis quidem, quia terminus a quo non mutatur; generationis, quia terminus ad quem est eiusdem naturae. Quare analogice in Scripturis Sapientia vocatur simul creata et genita, ut ita ex coniunctione utriusque conceptus ad aliqualem intelligentiam operationis divinae assurgamus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ex falso conceptu principii de quo agitur. Aliud principium materiale *ex quo,* aliud principium *ex quo* et *de quo,* aliud divinum principium *generans. a*) Principium materiale *ex quo* manet in termino cum nova forma, quae potest de principio praedicari; *b*) Principium *ex quo* et *de quo* iam ponit duo, addens notionem consubstantialitatis; ita principium generans naturale, ubi iam non verum est assertum in obiectione: puta de filio non dicitur eum esse patrem. *c*) Demum principium *generans* divinum super consubstantialitatem et hoc addit: *unitatem,* licet cum distinctione reali. Unde etsi Filius sit natura Patris, ratione cuius sunt unum, non est tamen Pater ipse, ratione cuius sunt duo.

2. Obi. Instantia est hoc modo. Atqui si ratione consubstantialitatis unum est ex altero, essentia ex essentia generat; quod est falsum. - Resp.: Aliud est, consubstantialitatem praedicari; aliud, eamdem ratione consubstantialitatis dici generationem. Unde propter actionem quae est agentis et personae, dicitur Filius ex Patre genitus, et non ex essentia Patris; nisi intelligatur ex Patre essentia. Ast propter identitatem essentiae seu consubstantialitatem dici-

tur Filius de essentia, sicuti filius est de patris sui substantia.

En schemate solutionem S. Th. expressam:

- **Filius de essentia Patris**
  - 1) ratione principii activi: de essentia Patris = de Patre essentia (impropria locutio: creatura ex Deo essentia, non ex essentia Dei);
  - 2) ratione consubstantialitatis:
    - *a*) sive uti principio activo: filius de patre;
    - *b*) sive uti principio materiali: cultellus de ferro (repugnat in Deo);
    - *c*) sive ut principio formali in forma subsistente: Filius de essentia Patris.

Igitur formulae 2) *a*) et *b*) aeque licent: Filius est de Patre; Filius est de essentia Patris. Prior licet quoque in creatis; altera dumtaxat in generatione divina.

3. Obi. Ad solutionem tertiae obiectionis sufficit animadvertere quod, si nulla est distinctio realis inter Patrem et essentiam Patris, inter Filium et essentiam Filii, non ideo nulla realis distinctio est inter Patrem et Filium. Quare etsi falsum sit dicere, tres personas esse ex una essentia, ac si ipse Pater esset ex eadem; omnino dicere licet, Filium esse ex substantia Patris, quia additum « Patris », iam ponit originis principium; quod non habetur, quando simpliciter ponitur essentia divina.

4. Obi. En solutionis schema:

- **Creatura dicitur**
  - I) *sapientia:*
    - 1) in sensu verae creationis:
      - *a*) de sapientia creaturis communicata,
      - *b*) de humana natura assumpta in Christo;
    - 2) in sensu improprio: de ipso Verbo genito, ad significandam immutabilitatem Patris generantis;
  - II) *spiritus:*
    - 1) in sensu multiplici huius vocis praeter tertiam personam SS. Trinitatis, concedo,
    - 2) ipse Spiritus Sanctus, nego.

Sed contra est. Doctrina praesentis articuli pertinet ad dogma catholicum contra Arianos ac Macedonianos constantissime ab Ecclesia vindicatum. Quare argumentis ex Scrip-

turis et ex traditione desumptis validissime fulcitur: 1) *Scripturae* eam affirmant directe et indirecte: *a*) *directe* verbis: « Ex utero ante luciferum genui te » [1]; *b*) *indirecte* omnibus sententiis quibus vera ac propria filiatio Verbi affirmatur [2]. 2) Traditionis argumenta maxime sunt sequentia: *a*) Concilium *Nicaenum* definit: « Credimus... in unum Domi-« num Iesum Christum Filium Dei natum ex Patre unige-« nitum, hoc est *ex substantia* Patris, Deum ex Deo, lumen « ex lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri... » [3]. *b*) Idem statuit Concilium *Romae* a Papa Sylvestro ad confirmandam fidem Nicaenam collectum. *c*) Professio fidei a Papa *Damaso* ad Paulinum in Macedonia episcopum missa [4], sequentes canones habet: « Si quis non dicat Filium genitum ex Patre, hoc est ex « substantia eius divina: A. S. » [5]. « Si quis non dicat Spiritum « Sanctum vere et proprie ex Patre esse, quemadmodum et « Filium, eumdemque Deum verum ex divina substantia: « A. S. » [6]. « Si quis dicat Spiritum Sanctum creaturam, « aut per Filium factum esse: A. S. » [7]; *d*) Concil. Toletanum I: « Credimus Filium Dei non esse Patrem, sed de « Patris esse natura ». *e*) *Symbola* quoque idem praedicant: α) Nicaenum: « Genitum, non factum, consubstantialem Patri, « per quem omnia facta sunt ». β) Athanasianum: « Filius a « Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus. Spi-« ritus Sanctus a Patre et Filio; non factus, nec creatus, nec « genitus, sed procedens ». Et: « Est ergo fides recta ut cre-« damus et confiteamur, quia D. N. I. Ch. Dei Filius, Deus « et homo est. Deus est ex substantia Patris ante saecula « genitus; et homo est ex substantia matris in saeculo « natus ».

f) Solemniter idem proclamat *Conc. Lateranense IV.* in

[1] Ps. cix, 3.

[2] Cf. huiusmodi textus supra allatos, praesertim p. 127, sqq.

[3] Vide textum graecum ap. Denzinger (Op. cit. n. 17.).

[4] Hi canones seu anathematismi summae auctoritatis habentur, utpote a Summo Pontifice solemniter emissi, ab universo Oriente, et, uti videtur, a Concilio Constantinop. I suscepti, atque pro lege a Rom. Pontificibus Caelestino et Vigilio agniti ac laudati.

[5] Can. 11. — Denzinger (Op. cit. n. 33).

[6] Can. 16. — Ibid. n. 38.

[7] Can. 18. — Ibid. n. 39.

capite « *Damnamus* » : « In quod est Pater, est Filius et Spi-
« ritus Sanctus, idem omnino; ut secundum orthodoxam et
« catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater
« enim ab aeterno Filium generando suam substantiam ei
« dedit, iuxta quod ipse testatur: " Pater quod dedit mihi,
« maius omnibus est ". Ac dici non potest quod partem
« substantiae suae illi dederit, et partem ipse sibi retinue-
« rit: cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex
« omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtu-
« lerit substantiam suam generando, quasi sic dederit eam
« Filio, quod non retinuerit ipsam sibi: alioquin desiisset
« esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione
« Filius nascendo substantiam Patris accepit, et ita Pater et
« Filius, habent eamdem substantiam: et sic eadem res est
« Pater et Filius, nec non et Spiritus Sanctus ab utroque
« procedens » [1].

3) Ex Patribus plura congerere testimonia, post doctrinam superius expositam, vix operae pretium est. Quo spectabant magnae illae controversiae doctorum catholicorum cum Arianis ac Macedonianis, nisi ut probarent vere Patrem generasse Filium de propria sua substantia, Spiritum Sanctum haud secus ac Filium, procedere de substantia Patris? Pervolve, inter alia Orientalium scripta, S. Cyrilli Alex. *Thesaurum* aut *Dialogos* aut commentarium *in Ioannem;* lege tractatum S. Basilii de Spiritu Sancto, centies hanc veritatem expressam reperies. Placet saltem sequentia S. Cyrilli verba afferre quibus elegantissime probat Verbum et Spiritum Sanctum de propria esse substantia Patris. Audi quomodo ex appellatione « digiti Dei » iucunde ac strenue arguat: Christus Iudaeos alloquens ita alicubi loquitur: « Si vero in
« digito Dei ego eiicio daemonia, venit ergo in vos regnum
« Dei? [2] Digitum Dei hic Spiritum Sanctum vocat, qui quo-
« dammodo ex divina essentia oritur et naturaliter (φυσικῶς)
« ex ea dependet, sicut digitus ex humana manu. Brachium
« enim et dexteram Dei sacrae Scripturae Filium vocant
« iuxta illud: " Salvavit eum dextera eius et brachium sanc-

[1] Denzinger (Op. cit., n. 358.).
[2] Luc., xi, 20.

« tum eius " [1]. Et rursum " Domine sublime est brachium « tuum et nesciverunt; ubi autem cognoverint, confunden- « tur " [2]. Quemadmodum igitur brachium naturaliter coapta- « tum est integro corpori, omniaque operatur quae menti « placent, et inungere solet digito utens: ita et Verbum Dei « ex ipso et in ipso naturaliter coaptatum, ut ita dicam, « atque emanantem existimemus, et *in Filio naturaliter* « *atque essentialiter* (φυσικῶς τε καὶ οὐσιωδῶς) *procedere a* « *Patre* Spiritum, per quem omnia ungens sanctificat. Quo- « circa non est alienus vel extraneus a divina natura Spi- « ritus sanctus, sed ex ipsa et in ipsa naturaliter. Sicut « digitus in manu eiusdem naturae cum ipsa est et vicis- « sim manus in corpore nequaquam diversae substantiae « (ἑτερούσιος) ab ipso corpore est » [3]. - Paulo inferius ita arguit ex voce « *Spiritus* »: « Cum igitur Spiritus Sanctus nobis « immissus conformes nos Deo efficiat [4]; procedat vero is « a Patre et Filio: manifestum est ex divina essentia (οὐσία) « ipsum esse, essentialiter (οὐσιωδῶς) ex ipsa et in ipsa pro- « cedentem, sicut et spiritus, qui ex humano ore prodit, « tametsi humile hoc atque indignum tanta re exemplum « videatur; Deus enim omnia excedit » [5]. — Et rursus ex " *Veritate* ": « Salvator alicubi in Evangeliis ita de seipso « ait: " Ego sum veritas " [6]. Beatus vero Ioannes ostendens « *ex essentia* (οὐσία) *Patris et Filii* esse Spiritum, in Evange- « liis quidem ait: " Spiritus veritatis, qui a Patre procedit " [7]. « In epistola vero: " Spiritus est veritas " [8]. Quomodo igitur, « cum procedat ex Patre et sit Spiritus veritatis, tantamque « habeat cum Filio similitudinem propter essentiae identi- « tatem, ut ipse quoque vocetur veritas: quomodo inquam « possit esse factus vel creatus? At hoc absurdum est. Spi- « ritus itaque Deus est, siquidem revera est veritas et ex

[1] Ps. XCVII, 1.

[2] Is., LIII, 1.

[3] *Thesaur.* Ass. 34. — *P. G.* t. LXXV, col. 575, sq. Pro divinitate Spiritus Sancti: Inscribitur alia series argumentorum ibidem. « Quod Spiritus Sanctus sit ex essentia (οὐσία) Patris et Filii » p. 583.

[4] GEN., II, 7. IOANN., XX, 22.

[5] Ibid., col. 586.

[6] IOANN., XIV, 6.

[7] Ibid. XV, 26.

[8] I. IOANN., V, 6

« Patre procedit » [1]. — Et ex " *Luce* ": « Cum itaque Verbum « sit lux vera [2], illuminet vero Spiritus Sanctus [3]: necessarium « plane est Spiritum esse *de essentia* (οὐσία) *Verbi*, per quod « illuminat omnem hominem, veluti quemdam propriae natu- « rae radium emittens, Spiritus illuminationem » [4].

E latinis Patribus satis sit tria testimonia attulisse. Blasphemiam Arianorum, Verbum esse factum ex nihilo, ita S. Hilarius depellit: « Unigenitus Deus, cum natus sit, Pa- « trem testatur auctorem: cum ex manente natus est, non « est natus ex nihilo » [5]. - S. Augustinus contra Maximinum disputans, propriam sed altissimam generationem Verbi his verbis urget: « Carnalibus cogitationibus pleni Dei substan- « tiam de seipsa gignere Filium non putatis, nisi haec patiatur « quod substantia carnis patitur quando gignit. Erratis ne- « scientes Scripturas neque virtutem Dei.....; nullo enim modo « verum Dei Filium cogitatis, si eum natum esse de sub- « stantia Patris negatis » [6]. - Et S. Fulgentius: « Pater Deus « de nullo genitus Deo, semel de sua natura sine initio genuit « Filium Deum sibi aequalem, et eadem qua ipse naturaliter « aeternus est, divinitate coaeternum » [7]. Quare iuxta Patres verus Dei Filius praedicari nequit, nisi sit de essentia Patris; quemadmodum et Concilia ab hac communicatione essentiae consubstantialitatem Filii et Spiritus Sancti repetunt. Est ergo huius articuli doctrina quam maxime fundamentalis.

[1] Ibid., col. 590.

[2] Ioann., I, 9.

[3] II. Cor., IV, 6.

[4] Ibid. — Cf. *In Ioann.* l. I. — *P. G.* t. LXXLII, col. 55: « Instabunt vero (Euno- « miani), et in suum ipsi caput invalescent, dicentes, aliud quidem esse illud insitum « in Deo Patre Verbum, aliud insito longe simillimum Filium, et Verbum, per quod « Deus omnia operatur, ut sic verbum Verbi, et imago imaginis, et splendor splen- « doris intelligatur. Quasi ergo iam illos impia ista praedicantes audiret, et adversus « immanem scriptorum ipsorum furorem merito commotus beatus Evangelista, post- « quam multis verbis iam statuit, et, ut decebat, significavit unum, ac solum, et « verum de Deo, et in Deo et apud Deum esse Verbum, statim infert: " Hoc erat « in principio apud Deum ", ut Filius nimirum apud Patrem, ut insitum, *ut ex eius « substantia,* ut Unigenitum, " Hoc " cum non sit secundum ».

[5] *De Trinit.*, — *P. L.* t. X.

[6] L. II, 14. — *P. L.* XLII, col. 771.

[7] *De fide ad Petrum,* 10. — *P. L.* t. LXV, col. 676.

In Corpore. En schema huius argumenti:

Verbum, quum sit verus Filius Dei,	I) *non* est *artificiatum:*	1) nec de exteriori materia, uti in arte humana, 2) neque ex nihilo, uti in arte divina creante;
	II) sed *genitum:*	1) non solum metaphorice sicuti Sancti, relate ad quos dicitur primogenitus, 2) sed proprie, ac ita ex tota substantia divinitatis, modo unico, ratione cuius dicitur *unigenitus.*

Ad plenam rationem alterius partis *Corporis* percipiendam, oportet considerare, Arianos ex modo loquendi Scripturarum, α) quando sanctos vocant filios Dei, et β) quando Verbum vocant primogenitum, arguisse contra divinitatem Verbi. - Responsio S. Th. ad haec reducitur. Sancti vel iusti vocantur filii Dei proprio sensu, nego; metaphorico, concedo. Verbum vocatur Unigenitus proprio sensu; primogenitus, metaphorico, respectu scilicet ad alios Dei filios ob assimilationem ad Verbum hoc nomine metaphorice insignitos.

Rursus observa, argumentum S. Thomae licet directe ostendat, Filium esse de substantia Patris, non minus evincere, Spiritum Sanctum esse de substantia Patris et Filii. Directius autem quaerit de Filio, tum quia de Filio acrior controversia olim movebatur; tum quia processio Filii logice prior est, [1] cuius dignitas secum trahit necessario indolem processionis alterius; nam si illa sit de substantia divinitatis, et haec de eadem teneatur oportet. Quare Patres arguentes contra Pneumatomachos, ex perfecta inter utramque processionem dignitatis aequalitate divinitatem Spiritus Sancti vindicare solebant [2].

De Errore Abaelardi et Doctrina S. Bernardi.

Quem superius, in formali distinctione inter utramque processionem inquirentes, Abaelardi errorem breviter innuimus, iam fusius exponere atque cum verbis S. Bernardi convellere iuvat.

[1] De hac ordinis prioritate in Q. XLII. ex professo agetur.
[2] Lege inter alios S. Basilium *de Spiritu Sancto.*

Quum ex una parte videret, processionem veram Spiritus Sancti eiusque consubstantialitatem cum Patre et Filio apertissime in traditione catholica doceri; ex altera tamen parte intelligere non posset, quomodo, si Spiritus Sanctus procederet haud secus ac Filius de substantia Patris, non aeque Patris Filius esset dicendus; Abaelardus processionem et consubstantialitatem tenuit, at processionem Spiritus Sancti de substantia Patris negavit, sed eum ad modum potentiae finxit, sapientiae scilicet, qua Deus per amorem se extendit in creaturam. En ipsius verba: « Cum itaque tam Filius, quam « Spiritus Sanctus ex Patre sit, hic quidem genitus, ille pro- « cedens; differt in eo generatio ipsa a processione, quod « is qui generatur ex ipsa Patris substantia est, cum ipsa, « ut dictum est, Sapientia hoc ipsum esse habeat, ut sit « quaedam potentia ». Et post pauca: « Spiritus vero quam- « vis eiusdem substantiae sit cum Patre et Filio, unde etiam « Trinitas ipsa homousion, idest, unius substantiae, prae- « dicatur, minime tamen ex substantia Patris est aut Filii, « quod esset ipsum ex Patre vel Filio gigni: sed magis ex « ipsis habet procedere, quod est Deum se per charitatem « ad alterum extendere. Quodammodo etenim per amorem « unusquisque a se ipso ad alterum procedit, cum proprie, « ut dictum est, nemo ad seipsum charitatem habere dica- « tur, ut sibi ipsi benignus esset, sed alteri: maxime autem « Deus, qui nullius indiget, erga seipsum benignitatis affectu « commoveri non potest, ut sibi aliquid ex benignitate im- « pendat, sed erga creaturas tantum » [1].

Audiamus iam quomodo S. Bernardus hanc incohaerentem fictionem Abaelardi explodat. Et primo quidem nervose demonstrat, per eam tolli consubstantialitem licet verbis teneatur: « Miror autem hominem acutum et sciolum, ut « quidem ipse sibi videtur, quomodo cum Spiritum Sanctum « fateatur Patri et Filio consubstantialem, neget tamen ex « Patris Filiique prodire substantia. Nisi forte illos ex ipso « procedere velit: quod quidem inauditum est, et nefandum. « Si autem nec is de illorum, nec illi de huius substantia sunt; « ubi, quaeso, consubstantialitas? Aut ergo fatetur cum Eccle-

[1] Cap. haeres. Abael. 2. — *P. L.* t. CLXXXII, col. 1049.

« sia, Spiritum Sanctum de substantia illorum esse, a quibus « non negat procedere; aut certe cum Ario consubstantiali- « tatem deneget, et praedicet aperte creationem ».

Hinc acute urget essentialem differentiam quae per hanc negationem exsurgit inter Patrem et Filium: « Deinde si « Filius de substantia Patris est, Spiritus Sanctus non est: « differant necesse est a se invicem, non solum quia Spi- « ritus Sanctus genitus non est, quod Filius est; sed etiam « quod Filius de substantia Patris est, quod Spiritus Sanctus « non est. Quam quidem posteriorem differentiam Catholica « hucusque nescivit ».

Consequens est, non amplius haberi in Deo trinitatem personarum et unitatem essentiae, sed geminam dualitatem: Patrem et Filium, uti vere consubstantiales in eadem linea; essentiam Dei et id quod est Spiritus, quod nequit esse eiusdem essentiae, quum de Patris substantia Spiritus non procedat: « Si eam admittimus, ubi Trinitas, ubi Unitas? « Siquidem Spiritu sancto Filioque nova a se differentiarum « numerositate distantibus, unitas dissipatur: praesertim cum « substantialem esse pateat differentiam, quam iste conatur « inducere. Porro autem Spiritu Sancto a Patris Filiique sub- « stantia recedente, non Trinitas remanet, sed dualitas. Neque « enim dignum est in Trinitate admitti personam, quae nil « habeat in substantia commune cum reliquis. Desinat ergo « Spiritus Sancti processionem a Patris Filiique substantia, « separare; ne duplici impietate numerum et Trinitati minuat, « et tribuat Unitati: quod utrumque fides abnuit christiana ».

Demum ostendit, quantopere haec inaudita innovatio antiquae traditioni catholicae adversetur: « Et ne de re tanta « solis videar humanis inniti rationibus, legat epistolam « Hieronymi ad Avitum: et certe videbit, inter caeteras « quas redarguit Origenis blasphemias, etiam hoc eum dete- « stantem quod dixerit, Spiritum Sanctum de substantia « Patris non esse. Beatus Athanasius in libro de unita Tri- « nitate ita loquitur: " Solum Deum ubi memoratus sum, « non solam personam Patris indicavi: quia Filium et Spi- « ritum Sanctum de hac ipsa sola substantia Patris esse non « abnegavi ". Hoc Athanasius » [1].

[1] *Tract. de error. Abael.* loc. cit. c. I, n. 3. — *P. L.* t. CLXXXII, col. 1056, sq.

ARTICULUS IV.

UTRUM IN DIVINIS SIT POTENTIA ACTUUM NOTIONALIUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus inter praecedentes articulos et hos duos sequentes est manifestus. Stamus semper in analysi principii *a quo*. Exclusimus in art. 2. voluntatem uti causalem; in art. 3. tum effectionem e materia exteriori, tum productionem ex nihilo. Iam sedulius investigare oportet, quid sit illa productio e substantia totali producentis, qua scilicet virtute haec obtineri possit. Quod idem est ac quaerere de actuum notionalium potentia. Et primo quidem, utrum sit admittenda, deinde penitius quid significet.

2. Ratio dubitandi facile solvitur, ac ipsa simul quaestio nitide illustratur, modo id recte attendatur, quod in *potentia* includitur *necessario*. Iam vero potentia, uti hic intelligitur, dicit *principium efficax actionis*.

a) *Principium* in creatis est ab esse rei realiter distinctum, in divinis autem distinguitur dumtaxat ratione; - *b*) *efficax*, in creatis poterit esse partialiter vel ex integro; in divinis intelligitur plenum per se; - *c*) *actionis*, quae actio erit modificatio circa res existentes, uti in creatis; vel productio rerum extra agens divinum, uti creatio; vel quaedam actio intra limites divinae essentiae ab eadem essentia producta, uti in SS. Trinitate.

3) Iam vero tali *principio* in actu respondet principiatum. Aliis verbis: *potentiae* respondet terminus productus, quod dicitur possibile. Quaeritur ergo quomodo et quousque haec in SS. Trinitate admitti possint.

Resp.: *a*) Non datur in divinis actio cui respondeat vera *passio*. - *b*) Talis productio qua a mere *possibili* aliquid ad esse deducatur (quod rursus implicat passionem), in divinis pariter est impossibilis. - *c*) Potest tamen dari et datur principiatum, (seu terminus ad quem): necessarium quidem, quia non potest non esse; possibile tamen, quia est terminus potentiae, idemque solum ratione a suo esse distinctum, sicuti principium re cum suo esse identificatur.

II. **Ad Textum.** – *1. Obi.* Negligit secundam partem *Corporis* art. praecedentis. Potentiae activae non respondet necessario terminus *factus,* sed terminus *procedens.*

2. Obi. Sumit *potentiam* in oppositione ad *necessarium;* sed non hoc sensu heic sumitur. Cf. dicta n. 3.

3. Obi. Cf. dicenda in *Sed contra est.*

Sed contra est. Adverte vim argumentationis S. Augustini, a posse aliquomodo ad esse. Etenim haeretici, inter quos Maximinus, ideo forte negabant generationem Filii, quia posse rei non intelligebant. Unde verissime Hipponensis ait, divinum intellectum tam omnipotentem esse, ut realem suum infinitum terminum ponat.

Si quis autem forte dubitet, quomodo hoc pertineat ad intellectus potestatem, consideret id quod apud nos producitur quotiescumque mente aliquid concipimus. Datur quidem vera productio; sed praeterquam quod sit extra facultatem concipientem et essentiam concipientis, non repraesentat nisi obiecti modum sine realitate rei. In Deo autem conceptus divinus est efficax illius quod concipit. Etenim si quando Deus per potentiam suam concipit creaturas producendas: « dicit « et facta sunt »; a fortiori quando suam propriam essentiam intuetur, dicit et producit: quid? alterum seipsum, generando Filium sibi aequalem, ac proin distinctum a se, quia genitum, at unum secum, quia aequalem et Deum.

Hinc iam adverte, - quod et habet S. Th. in resp. ad 3.m, - simul dici posse, Deum habere potestatem generandi, et potestatem creandi; sed priori loco « Deus » stat pro « Patre »; altero vero simul pro « Patre et Filio et Spiritu Sancto ». Sub hoc respectu verum est, potestatem non eodem sensu utrobique intelligi: illa enim notionalis, haec essentialis.

In Corpore. Omnia patent. Observa nexum inter hanc doctrinam et ea quae supra vidimus, ubi de principio.

Obiicies. Nonne haec argumentatio contradicit doctrinae superius vindicatae de indemonstrabilitate SS. Trinitatis? Etenim si ex potentia Dei recte concluditur ad actus notionales, nonne videtur ipsa divina omnipotentia argumentum SS. Trinitatis continere.

Resp.: 1) Utique, a parte rei, nisi esset SS. Trinitas, Deus non esset omnipotens; sed hoc non potest naturali lumine

evinci. - 2) Aliud est, ab ipsis actibus notionalibus aliunde demonstratis, ad potentiam eorumdem concludere; aliud, ex divina potentia concludere ad ipsos actus notionales. Prius licet, et in hoc articulo fit; alterum autem, a quo procedit obiectio, nequaquam.

ARTICULUS V.

UTRUM POTENTIA GENERANDI SIGNIFICET RELATIONEM ET NON ESSENTIAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus cum praecedenti articulo patet. Quemadmodum, ubi de divina persona agebamus, demonstrata legitimitate huius praedicationis in divinis, de propria significatione huius termini quaesivimus, utrum essentiam, an relationem poneret; ita et heic. Postquam ostendimus in art. 4, dari in Deo potentiam generandi, superest investigare, utrum haec potentia significet relationem an essentiam.

2) Porro, licet forte primo intuitu utraque quaestio eodem modo solvenda videatur, propter identitatem re inter personam et potentiam; contrarium nihilominus obtinet. Persona enim dicit in recto relationem, potentia autem generandi vel spirandi dicit in recto, sive principaliter, essentiam. Cuius veritatis ratio manifesta fit distinguenti inter principium *quod* et principium *quo*. Utrumque continetur tum in persona, tum in actu generandi; sed persona dicit in recto principium *quod;* potentia vero principium *quo*.

3) Unde patet confusio qua ex identitate principii cum persona processionis auctore, ad similem rationem significandi principii processionis et personae concluditur. Ex una scilicet parte sumitur principium *quod*, ex altero principium *quo*.

4) Porro quaestionem solvi debere sicut diximus, iuxta doctrinam in quam S. Thomas uti veriorem inclinat, apparet maxime ex ratione qua natura divina seu essentia se habet ad relationem sicuti forma ad subiectum. Forma autem, quum communicetur termino, oportet ut sit actionis principium *quo*. Quare si potentia generandi diceret principaliter relationem

gravissimum inde sequeretur inconveniens, Patrem scilicet generare non Filium sed Patrem.

5) Instabis: si potentia significet essentiam uti *quo,* non autem relationem uti *quod,* videtur essentia generare, non Pater. - Negatur conclusio. Etenim aliud est dicere, essentiam generare; aliud, Patrem generare per potentiam divinae essentiae. Prius supra exclusum est; non autem alterum. Sed illud prius nullo modo sequitur ex solutione quam heic propugnamus. Imo ab eadem excluditur. Etenim pone essentiam generare: iam propter ipsam relationis oppositionem quam generatio involvit, haec eadem essentia a generato distingueretur. — Plura de statu huius controversiae vide in expositione *Corporis.*

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit principium *quod* et principium *quo.*

2. Obi. Non attendit ad distinctionem rationis.

3. Obi. Arguit ac si potentia generandi nullo modo significaret generationem: quod ex *Corpore* falsum apparet.

Sed contra est. Ad confirmandam doctrinam huius articuli auctoritates Patrum adduci possunt, ubicumque essentiam actu notionali communicatam exhibent uti principium *quo.* Ita ait S. Anselmus: « Non ex eo procedit (Spiritus Sanctus) « in quo plures sunt Pater et Filius, sed ex eo in quo unum « sunt. Nam non ex relationibus suis, quae plures sunt, alia « est enim relatio Patris, alia Filii; sed ex ipsa sua essentia, « quae pluralitatem non admittit, emittunt Pater et Filius « tantum pariter bonum » [1]. Et S. Damascenus: « Generatio « quidem in hoc consistit, ut ex gignentis substantia proles « eiusdem cum gignente substantiae producatur » [2].

In Corpore. Quo facilius percipiantur argumentationis vis ac ratio, quaedam praemittenda visa sunt de controversiae huius statu. Quaeritur itaque utrum potestas generandi (idem dic de potestate spirandi) significet essentiam an relationem. Posito problemate, iam apparent multiplices sententiae. Etenim tenetur, potentiam dicere: vel 1) mere relationem,

[1] *Monol.,* 54. — *P. L.* t. CLVIII, col. 202.
[2] *De Fide orthodoxa,* I, c. 8. — *P. G.* t. XCIV, col. 811.

vel 2) mere essentiam, vel 3) ex aequo utrumque, vel 4) principaliter relationem, vel 5) principaliter essentiam.

1) Prima sententia Durandum habet patronum [1], qui per consequens tenet, potentiam esse formaliter proprietatem personalem.

2) Secundam sententiam a Gregorio Arim. propugnatam Scotus, at immerito, tribuit S. Thomae; alii, Magistro Sententiarum. Ad quam sententiam valde appropinquat sententia ipsius Scoti tenentis, potentiam in se esse mere essentiam divinam absolutam; conditionem autem ut faecunda sit, esse proprietatem.

3) Tertia sententia, quae ab ipso S. Thoma hoc loco enumeratur et reiicitur, specie accedit ad sententiam quam ipse S. Thomas antea docuerat, non tamen est eadem; de quo in fine *Corporis,* sicut et de sententia S. Bonaventurae disseremus.

4) Quartam sententiam defendit Henricus Gandavensis, contendens, tum essentiam tum relationem in recto significari per potentiam, principalius tamen relationem sive proprietatem [2].

His praemissis iam ad S. Thomae argumentationem accedamus. Quum, iuxta praenotata, confusio proveniat a non distincto principio *quo* a principio *quod,* S. Thomas primo confutat sententiam quae hac confusione maxime laborat, scilicet primam superius enumeratam. Quo praestito, iam vi eiusdem distinctionis, reiicit etiam sententiam tertiam, atque propugnat sententiam quintam, per quam simul excluduntur secunda et quarta.

Iuvat cum hoc *Corpore* conferre doctrinam ab ipso Angelico, in I. Sent. Dist. VII, q. 1, a. 2, propugnatam. Ibi quaerit, utrum potentia generandi sit *ad aliquid.* Et respondet: « Quidam dixerunt quod potentia generandi simpliciter est « ad aliquid non tantum ex parte actus, sed etiam ex parte « ipsius potentiae: potentia enim dicit relationem principii. « Sed hoc nihil est; quia potentia non est relativum secun- « dum suum esse, sed solum secundum dici: immo potentia

[1] I, Sent. Dist. 7.

[2] Ita quidem in *Quodlibetis;* nam in *Summa* (art. 45, c. 8. n. 19, 20, 21.) magis ad sententiam S. Thomae sese recipit.

« significat etiam illud quod est principium et non tantum « relationem principii. Sic enim quaerimus hic de potentia « generandi ». - Igitur excluditur sententia quae et in hoc *Corpore* ab exordio repellitur. Sequentibus iam evolvit sententiam tertiae persimilem, iuxta quam potentia dicit quasi medium inter essentiam et relationem. « Principium autem « cuiuslibet operationis divinae est essentia divina; sed ab « essentia egreditur; aliquis actus, secundum quod essen- « tia est sapientia; et aliquis secundum quem est voluntas; « et sic de aliis attributis. Similiter dico, quod, cum pro- « prietas realiter sit essentia, essentia secundum quod est « ipsa paternitas, est principium huius actus qui est gene- « rare, non sicut agens, sed sicut quo agitur: unde *princi- « pium generationis est essentia sub ratione relationis:* unde « est quasi medium inter essentiale et personale; ex parte « enim illa qua potentia, quae est media inter essentiam et « operationem, radicatur in essentia, est absolutum; ex parte « autem illa qua coniungitur operationi, est relativum ».

Quaeres, utrum S. Thomas censendus sit quoad hoc doctrinae punctum seipsum in *Summa* retractasse. Aliqui id censent; nobis autem verius videtur, in *Summa* S. Thomam sententiam hanc ex commentario Lombardi non retractasse, sed complevisse; non retractasse, quia pariter utrobique reiicit sententiam primam; complevisse, quia tenens quidem utramque significari essentiam et relationem, addit in *Summa*, principaliter significari relationem.

Quod dicimus de doctrina Aquinatis in I. Sent. valet et de Pot. II, q. a. 2, ubi reiecta sententia 1ª et 2ª, ita concludit: « In ratione potentiae includitur quodammodo pater- « nitas, etiam quantum ad id quod est generationis prin- « cipium. Et propter hoc cum aliis dicendum est, quod potestas « generandi simul essentiam et generationem significat ». Lege hanc integram expositionem: aurea quippe sunt argumenta quibus S. Doctor utriusque sententiae 1ae. et 2ae. ex supra enumeratis sententiis falsitatem demonstrat.

De Mente Sancti Bonaventurae.

Ob quaestionis agitatae simul ac Seraphici Doctoris momentum, utile visum est ex integro locum referre ubi praesens argumentum S. Bonaventura exagitat: I. Sent. Dist. VII, art. 1, q. 1. « Circa hoc problema, ait, tres fuerunt positiones [1]. « 1) Fuerunt quidam qui distinxerunt potentiam generandi, « dicentes quod potentia generandi potest dici potentia nuda, « vel potentia disposita. *a*) Si dicitur potentia *nuda*, sic volue- « runt aliqui dicere, quod dicit *quid*, et in omnibus personis « est, quoniam haec potentia sic dicta consequitur naturam. « Unde cum natura sit in qualibet persona, similiter et potentia « huiusmodi. - *b*) Secundum autem quod dicit potentiam *dispo-* « *sitam*, quia non habet dispositionem nec convenientiam, ut « exeat in actum generationis nisi in sola persona Patris, « voluerunt dicere, quod dicit *ad aliquid*. - Sed verba istius « positionis non videntur vera, nec sana. Non, inquam, *vera*, « quoniam cuius potentia est nuda, nata est pariter disposita « esse; si ergo trium est potentia generandi, ut est potentia « nuda, similiter et disposita, et ita quaelibet posset generare. « Praeterea non videtur *sana:* ponere enim potentiam nudam « quae similiter se habet ad esse et non esse respectu gene- « rationis, quam omnino necessarium est esse, non videtur « sane dictum esse sive proprie ».

Viderit lector, quid haec prima sententia a S. Bonaventura duplici argumento reiecta, habeat commune cum sententia quam superius Scoto tribuimus.

Pergit S. Doctor exponendo sententiam Magistri, quam non reiicit quidem, sed nec amplectitur. « 2) Fuerunt etiam « alii qui dixerunt, quod cum in divinis sit idem posse et « esse et potentia et essentia, quod, quemadmodum potentia « et essentia dicunt *quid*, similiter esse et posse. Et quemad- « modum cum dico: " essentiam Patris et essentiam Filii et « Spiritus Sancti ": sive: " esse Patrem, sive esse Filium, sive « esse Spiritum Sanctum ", non dico aliam essentiam, nec « aliud esse, sed alterius; ita quando dico: " potentiam Pa-

[1] De more rursus membra huius longioris expositionis litteris ac numeris claritatis causa distinguere liceat.

« tris ", sive: " Patrem posse generare, Filium posse gigni ", « non dicitur aliud et aliud posse, sed alterius. Et huius- « modi positionis fuit Magister, sicut evidenter apparet in « littera. Unde isti dicebant, quod posse generare non tantum « dicit *quid,* sed etiam respectum *ad aliquid,* quia est essen- « tiale tractum ad personam. Cum enim non sit omnimodae « abstractionis, potest ad personam trahi. Et ista positio satis « est probabilis; et satis bene videtur sustineri posse ».

Demum Seraphicus propugnat sententiam quae ipsi magis arridet, eamque argumentis fulcit. 3) « Fuerunt etiam tertii « moderniores, qui dixerunt quod potentia generandi dicit « *ad aliquid* in divinis de se; et ratio eorum est, quoniam « potentia dicit habitudinem originalis principii ad princi- « piatum. Et quoniam habitudo potest esse personae ad per- « sonam (et tunc vere ut habitudo) et essentiae ad creaturam « (et tunc secundum modum dicendi sive intelligendi), hinc « est quod principium de sui ratione non tantum est essen- « tiale appropriatum per additionem, imo etiam dicit pro- « prium personae. Pari ratione, cum potentia dicit originalem « habitudinem, non tantum essentialiter dicitur, vel trahitur « ad personam, ut dicat essentiam personaliter; imo dicit « proprium, et ita *ad aliquid, de se.* Et positio ista sine prae- « iudicio videtur probabilior. Nam potentia generandi non « videtur dicere nisi faecunditatem ad actum generationis, et « illa est proprium personae, unde similiter et potentia. Nec « est simile posse et esse nisi uno modo. Hoc enim verbum « *est* aliquando per se praedicatur, aliquando est tertium « adiacens. Quando *per se* dicitur, tunc dicit actum absolutum, « quia dicit actum entis ratione essentiae, et tunc oportet « quod dicatur absolute, et quod dicat *quid.* Quando vero « est *tertium adiacens,* ut quando dicitur: " Pater est Pater ", « tunc verbum *est* dicit habitudinem praedicati ad subiectum. « Et quoniam potest dicere habitudinem ad praedicatum « essentiale, vel personale: ideo potest dicere esse essentiale « et modum essendi personalem. *Posse* autem de sui ratione « propria, dicit habitudinem secundum originem; et hinc est « quod specificatur per adiunctum, ut dicat conditionem prin- « cipii essentialis vel personalis ».

Patet, quantopere distent inter se sententiae S. Bonaven-

turae et S. Thomae. Quam enim ille uti probabiliorem propugnat, hic in prima parte *Corporis* reiicit. Et quidem iure, uti nobis videtur. Rationes enim a Seraphico allatae servantur in sententia S. Thomae contendentis, potentiam generandi simul dicere *quid et ad aliquid*. Minus autem vitantur inconvenientia quae Angelicus ostendit, si contrahitur potentia *ad aliquid*.

De sententia Lombardi redibit sermo in Quaestione sequenti.

Collige ex dictis, analysim potentiae actus notionalis redire ad analysim principii *quo* utriusque processionis. Quare, sicuti de hoc principio investigantes [1] diximus, principium *quo* remotum ipsam esse divinam naturam; *proximum* autem non esse ipsam relationem, nec ipsum actum gignendi sive spirandi, sed faecunditatem intellectus et voluntatis, cum adsignificatione relationis oppositae; ita hic, iuxta S. Thomam, dicendum est, potentiam generandi et spirandi esse ipsam naturam divinam, uti faecundam per intellectum et voluntatem, ita ut haec ipsa foecunditas originem et relationum oppositionem secum ferat. Verbo: principaliter, uti *quod,* dicit essentiam; at nihilominus simul ac inseparabiliter, uti *in quo,* dicit proprietatem seu relationem, scilicet active sive in termino *a quo*.

ARTICULUS VI.

UTRUM ACTUS NOTIONALIS AD PLURES PERSONAS TERMINARI POSSIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Sensus tituli apprime distinguendus est. Actus enim notionalis potest intelligi dupliciter: *a*) *generice*, si consideratur abstractione facta a persona cuius est; - *b*) *specifice,* si consideratur uti huius personae. Si priori modo actum notionalem intelligo, quaeritur utrum actus generandi possit ad plures personas terminari, ita v. gr., ut Pater generet Filium, qui rursus Filium generet, etc. Si altero modo, quaeritur, utrum in solo Patre generandi actus possit

[1] Cf. p. 452, sq.

ad plures filios terminari. Ratio huius distinctionis ex mox dicendis apparebit.

2) Nexus huius articuli praesertim duplex est.

a) In praecedentibus articulis consideravimus actus notionales secundum terminum *a quo,* sive principium; superest ut considerentur secundum terminum *ad quem.*

b) Insuper praesens articulus se habet ad praecedentem uti instantiam, hoc modo. Si potentia generandi diceret *ad aliquid,* facile intelligeretur quomodo in solo Patre adesset, non in Filio, nec in Spiritu Sancto [1]. Quum autem dictum sit, eamdem potentiam principaliter significare *quid* seu naturam, cur non aliae personae, utpote eiusdem naturae participes, eadem potentia gaudent?

Quae instantia urgetur ex comparatione cum generatione humanae: filius enim recipit a patre, cum natura humana, potentiam generandi seu fundamentum paternitatis.

3) Comparatio autem, nedum acuat difficultatem, solutionem praesertim quadruplicem suggerit. Quod ita redditur manifestum. *a*) In generatione humana aliud est hic generans habens naturam, aliud ipsa natura. - *b*) Ipsa generatio fit per communicationem materiae multiplicabilis. - *c*) Imperfectio insuper actus per multiplicationem aliqualiter corrigitur. - *d*) Demum per hanc ipsam multiplicationem natura tendit in unum, nimirum, ut transfundat totum communicabile quod habet.

4) Haec iam si applicentur SS. Trinitati, habemus sequentia: *a*) In Deo sicuti idem est esse et hoc esse divinum, ita paternitas quaevis possibilis est haec paternitas. - *b*) Generatio fit per actum purissimum intellectus et voluntatis, sine ulla decompositione vel divisione. - *c*) Filius est Filius perfectus omnia in se continens quae Deus Pater potest Deo Filio communicare. - *d*) Natura tendit in unum completum et absolutum, ubicumque adest capacitas illud unico actu attingendi [2].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit iuxta alterum nexum expositum n. 2. - *b*) Vitium autem est in hoc, quod abstrahit

[1] Cf. dicenda mox, ubi de aequali potentia divinarum personarum.

[2] Cf. quae superius pro opportunitate de his singulis punctis fuse exposuimus.

a significatione *ad aliquid,* quam S. Th. potentiae generandi inesse contendit. Quare eadem potentia in quantum dicit *quid,* aliter se habet in Patre et in Filio in quantum dicit *ad aliquid.* Etenim in Patre est potentia ut generet, in Filio ut generetur.

2. Obi. Sumit Augustinus « non potuit » in sensu impotentiae absolutae, quae in Filio non magis potest praedicari, quam recusari divinitas. At ita imbellis iacet obiectio.

3. Obi. Non attendit ad disparitates multiplices.

Vides, obiectiones 1m. et 2m. procedere ab actu notionali intellecto priori modo (n. 1. *a.*), 3m. altero modo.

Sed contra est. Recole auctoritates in ultimo articulo primae Quaestionis allatas. Recole insuper quae in tractatu de *Deo Uno* diximus ubi de pluralitate deorum. Hoc modo arguimus: Si plures dii possunt esse, debent esse; rursus si plures, infiniti; unde infiniti de facto simul essent, quod per se iam repugnat. - Iam vero de generatione, ac de spiratione idem prorsus hic dicendum est [1].

In Corpore. Rationes quatuor quas hic S. Thomas adducit, argumentum mirabili modo comprehendunt. In divinis tota distinctionis ratio residet in relatione ac origine. In origine autem consideratur principium, via, terminus ad quem. En igitur quatuor rationum successio simul ac nexus. Prima petitur a subsistentia relationum, quae non patitur multiplicationem; secunda a perfectione in principio; tertia a naturali indole viae; quarta a perfectione actus notionalis in termino.

Si iam has quatuor rationes conferas ad duplicem modum, quo potest quaesitum intelligi (cf. n. 1), secunda et quarta ratio magis procedunt iuxta modum alterum; prima et tertia aeque iuxta utrumque.

Ad primam rationem *Corporis* plenius intelligendam, recole quae agentes de Deo Uno, diximus de simplicitate divina. Nam si per absurdum conciperetur quaedam generatio angelica, non ideo angeli, quia non habent materiam corpoream, non possent multipliciter generare. Sufficit enim eos compositos esse eatenus, quatenus angelica natura per se non

[1] Cf. simillimum argumentum S. Aug. inferius citandum, ubi de aequalitate divinarum personarum quoad potentiam.

haec est natura determinata. Confer complenda de hoc argumento, ubi de distinctione inter angelos ex professo agemus [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Propter geminam originis viam ponendi sunt in Deo actus notionales, qui quidem re cum relationibus atque personis identificantur, differunt tamen quoad modum intelligendi (a. 1).

2) Actus autem hi sunt simul necessarii ac voluntarii: necessarii, quatenus abesse nequeunt; voluntarii, quatenus infinita volitio eos comitatur; non autem coacti, exclusa voluntate, nec liberi, exclusa necessitate (a. 2).

3) Porro sicuti nec Verbum, nec Spiritus Sanctus praedicari possunt ex nihilo effecti, ita quoque hi actus notionales praedicari debent de substantia, imo de tota substantia divinitatis (a. 3).

4) Iam vero quum nullus sit actus, cui non tanquam principium respondeat potentia, ad notionales quoque actus in Deo potentia praedicanda est (a. 4). - Quae potentia significat quidem *ad aliquid*, ratione personae cuius est actus ipse; at principaliter *quid*, sive essentiam tanquam principium *quo* agit (a. 5).

5) Terminari autem ad plures terminos actum notionalem repugnat: tum ex parte subsistentium relationum, tum ex parte principii, viae ac termini ipsius actionis (a. 6).

[1] In tractatu *de Deo Creante* quem post tractatum *de Verbo Incarnato* proxime edendum molimur.

IV. MEMBRUM.

DE DIVINIS PERSONIS RELATIS AD INVICEM.

Ordo huius quarti membri ab ipso Sancto Thoma ita statuitur ut conferantur ad invicem divinae personae 1) *ad intra* quoad aequalitatem et similitudinem, 2) *ad extra* quoad missionem. Quum autem peculiare momentum quaestioni de missione accedat, non inutile diximus quartam eidem argumento partem assignare.

DE AEQUALITATE ET SIMILITUDINE DIVINARUM PERSONARUM.

QUAESTIO XLII.

Ordo huius Quaestionis hac tabella exprimitur.

Aequalitas et similitudo divinarum exponitur	1) in *genere*, seu in communi (1);		
	2) in *specie* seu in particulari:	*a*) quantum ad *aeternitatem*:	α) in se (2),
			β) relate ad ordinem (3);
		b) quantum ad *magnitudinem*:	α) in se (4),
			β) relate ad mutuam continentiam (5);
		c) quantum ad *potentiam* (6).	

Cave, ne verba tituli ita intelligas, ac si in primo articulo directe ageretur de aequalitate, in reliquis de similitudine; haec enim uti synonyma sumenda esse, ex ipsis titulis sequentium articulorum necnon ex indole argumenti patet. Imo, - ut ipse S. Th. habet in art. 1, resp. ad 2, - aequalitas superaddit similitudini exclusionem excessus. - Porro nexus intimus articulos inter se colligans decursu expositionis magis illustrabitur.

ARTICULUS I.

UTRUM AEQUALITAS LOCUM HABEAT IN DIVINIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Aequalitas fundatur in quantitate. Solet autem quantitas distingui in intrinsecam et extrinsecam: *a*) *extrinseca* est locus et duratio, vel spatium et tempus; *b*) *intrinseca* est proprie magnitudo. Utraque autem quantitas est alia continua et realis; alia discreta et nominalis [1], quae in numero consistit.

2) Iam vero quantitas magnitudinis alia est *virtualis*, in perfectione, in virtute, in potentia, verbo in perfectione posita; alia *dimensiva,* in mensura corporeitatis sita.

Accipe tabellam:

Quantitas est
- I) *continua:*
  - 1) *intrinseca* magnitudinis:
    - *a*) virtualis, sita in mensura perfectionis,
    - *b*) dimensiva, sita in mensura corporeitatis;
  - 2) vel *extrinseca:*
    - *a*) locus sive spatium,
    - *b*) duratio sive tempus;
- II) vel *discreta*, quae sita est in numero.

3) Iam apparet, repugnare in Deo: *a*) quantitatem *dimensivam*, utpote sitam in mensura corporeitatis; insuper *b*) quantitatem *discretam,* utpote oppositam simplicitati; imo *c*) quantitatem *extrinsecam*, loci et spatii, nisi supereminenter, per modum qui et locum et spatium, utrumque continendo, excedat. Restat igitur *c*) *quantitas virtualis,* sive mensura perfectionis. Quaerere igitur, utrum divinae personae sint aequales, quaerere est, utrum sint eiusdem perfectionis, sive eiusdem infinitae essentiae.

4) Porro, ut intimam rationem ordinis huius Quaestionis ab initio perpendas, adverte cum S. Th., quantitatem virtualem attendi posse vel in radice, vel in effectibus. *a*) In *radice*

[1] Nominalem dicimus, quia abstrahit per se a realitate obiecti cui attribuitur; licet, quando de ente reali praedicatur, quantitatem realiter augeat.

quidem, est ipsa forma, cuius quantitas virtualis per magnitudinem, sive per bonitatem, quae est mensura formae absolutae, mensurari solet. - *b*) In *effectibus* formae considerari potest tum quoad esse, tum quoad operari: α) quoad *esse*, ipsa est duratio rei; β) quoad *operari*, est potentia qua agit.

Quae doctrina rursus sequenti tabella exprimitur.

Quantitas virtutis attenditur	I) in *radice* seu forma seu *magnitudine* (art. 4 et 5.);		
	II) in *effectibus* formae:	1) quoad esse seu *durationem* (art. 2. 3.),	
		2) quoad operari seu *potentiam* (a. 6.).	

5) Si autem quaeras, cur S. Th. in evolutione Quaestionis hunc ordinem non sequatur, sed de aeternitate agat ante magnitudinem, interponens radicem inter effectus; solutio habetur in textu allato in resp. ad 1m, quem textum Angelicus tanquam tesseram articulorum sequentium adhibuit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter peccat: *a*) non attendit ad quantitatem virtualem, cuius radix est magnitudo, sive perfectio formae spiritualis quovis loco superior; *b*) neque considerat, dari durationem ipso tempore eminentiorem.

2. Obi. Facillime retorquetur ex eo ipso quod aequalitas non solum ponit similitudinem, sed talem quae excludat excessum. Unde non dantur aequalia quin sint similia; dantur autem similia quin sint aequalia.

3. Obi. Non attendit ad discrimen quod interest inter praedicationem aequalitatis per nomina [1] et per verba. Per nomina enim praedicatur uti in statu; per verba, cum actu quo ponitur. Quare per nomina in divinis reciprocitas aequalitatis per inversionem potest praedicari: v. gr., Patri *aequalis* est Filius, sicuti Filio aequalis Pater. - Non autem per verba; ibi enim reciprocitas perverteret ordinem Trinitatis, permiscendo actus notionales. Quare Filius Patri *coaequatur*, non autem Pater Filio.

Nota autem, similitudinem magis accedere ad imaginem quam ad aequalitatem: unde propter prioritatem formae, non

[1] Nomen hic intellige vel substantivum vel adiectivum.

reciproce invertitur in creatis praedicatio similitudinis, licet possit inverti praedicatio aequalitatis [1].

Ecce tabellam:

Mutuam aequalitatem sive similitudinem praedicare	I) per *nomina*	1) in divinis licet.	
		2) in causatis creatis	de similitudine minus, propter ipsam causati subordinationem.
	II) per *verba*	non licet, proper relationem originis, quae inverti nequit.	

4. obi. Confundit relationem uti dicit oppositionem reciprocam, et relationem uti dicit in natura divina subsistens. Repugnat quoad primum dari elementum commune in divinis, tolleretur enim ipsa personarum distinctio; quoad alterum vero, non solum non repugnat commune elementum dari, sed et non dari repugnat, tolleretur enim unitas naturae. Unde aequalitatis materiale est quidem relatio, qua plures distinguuntur; formale autem est communitas essentiae, qua distincti sunt aequales.

Ut quaedam fieri possit comparatio inter duo, sufficit ut aliquo modo sint distincta. Oritur quidem ex ipsa collatione quaedam relatio logica inter ea quae ad invicem conferuntur; nullo autem modo praeexigitur quaedam alia relatio collationem praecedens. Ad nostrum casum. Habemus tres personas per relationes oppositionis realiter distinctas in unitate essentiae communis. Quid impedit, quominus illas inter se conferamus? Sed ex ipsa collatione oritur in mente nostra quidam respectus. Hic autem, quatenus supponit distinctos, identificatur cum relatione; quatenus autem praedicat aequalitatem, identificatur cum una communi essentia. Unde nihil aliud est in SS. Trinitate quam essentia absoluta et processio relativa.

Sed contra est. Quemadmodum aequalitas divinarum personarum fluit ex earumdem consubstantialitate, ita negata aequalitate, et consubstantialitas negetur oportet, et vicissim. Quare absona nimis est positio Crellii, viri cuiusdem Soci-

[1] Scil. quoad elementum relativum; secus oppositum potius valet ob dicta in praeambulo.

niani, affirmantis Filium, eo ipso quod Patri aequalis sit, non esse ei consubstantialem [1].

Utrumque coniungit S. Paulus ad Philippenses de Christo scribens: « Qui cum in *forma* Dei esset, non rapinam arbi-« tratus est esse se *aequalem* Deo » [2]. Ecce Filius praedicatur aequalis, quia in eadem divinitatis forma, sive quia consubstantialis. Idem eruitur ex sententia Christi: « Philippe, qui « videt me, videt et Patrem ». Nam quum ratio huius affirmationis non possit esse identitas personae, oportet ut sit aequalitas, et quidem summa, essentiae.

Vides proin, aequalitatem hanc, - dummodo in vocis rigore intelligatur perfectissima, - truncare Arianismum, Semiarianismum, Macedonianismum. Nam non solum aliquis similitudinis gradus per eam praedicatur, - quam nec Semiariani negabant, unde Filium asserebant ὁμοιούσιον, - sed et similitudo perfecta; absoluta scilicet aequalitas qua Nicaeni Patres eum proclamabant ὁμοούσιον. Quare vox ὁμοούσιος simul exprimit processionem de substantia, et aequalitatem personarum ob hanc ipsam processionem ad intra. Nec mirum, si Patres tum Graeci tum Latini certatim hanc aequalitatem seu consubstantialitatem vindicant.

Ad rem S. Basilius: « Ego vero, si quid privatim sen-« tiam dicendum mihi est, haec vocabula *simile substantia,* « dummodo adiunctum habeant, citra ullam varietatem, « prorsus amplector, tanquam eadem cum *homoousio,* id est « consubstantiali pertinentia, secundum sanam *homoousios* « notionem; qua ratione Nicaeni Patres cum dixissent, lumen « de lumine, et Deum verum de Deo vero, et id genus, atque « unigenitum appellassent, consentaneo *homoousion,* id est, « consubstantiale subiecerunt. Sane neque luminis ad lumen, « neque veritatis ad veritatem, unquam, neque unigeniti sub-« stantiae ad Patris substantiam comparatae, ulla potest vel « fingi cogitatione diversitas. Quare si quis, ita ut dixi, « intelligat, eius vocem admitto. Scilicet ὁμοιούσιος ita intel-« lectum idem est ac ὁμοούσιος » [3].

[1] Cf. Petav., op. cit., l. v, c. 6, n. 16.

[2] II, 6.

[3] De voce ὁμοούσιος lege etiam inter alias S. Cyrillum Alex., Dial. I, *De SS. Trin.* — Cf. addenda de S. Cyrillo in appendice.

Et S. Leo M. aequalitatem Patris et Filii his verbis illustrat: « Cum Deus et omnipotens et Pater creditur consempiternus eidem Filius demonstratur, in nullo a Patre « differens, quia Deus de Deo, de omnipotente omnipotens, « de aeterno natus est coaeternus, non posterior tempore, « non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus « essentia » [1].

Hanc divinarum personarum aequalitatem publice profitetur Ecclesia, tum in Symbolo Athanasiano: « Et in hac « Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus; « sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales »; tum in praefatione SS. Trinitatis: « Ut in personis proprietas, « et in essentia unitas, et in maiestate adoretur aequalitas ».

Haec autem aequalitas tantae virtutis est, ut non solum valeat de una persona collata ad alteram, sed de una ad alias ambas, vel ad totam SS. Trinitatem, iuxta doctrinam Conc. Tolet. XI: « Nec minus aliquid habet, cum unaquaeque « persona Deus singulariter dicitur, nec amplius, cum totae « tres personae unus Deus enuntiantur » [2]; necnon Augustini: « Tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus « Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater et Filius et Spi« ritus Sanctus » [3]. - « Haec vero Sancta Trinitas, dicit elo« quenter B. Alcuinus, nil maius est in tribus personis simul « nominatis, quam in una qualibet persona semel dicta; quia « unaquaeque persona plena est substantia in se, non tamen « tres substantiae, sed unus Deus, una substantia, una poten« tia, una essentia, una aeternitas, una magnitudo, una boni« tas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus » [4]. Optime etiam S. Bernardus: « Totum nempe est Pater, quod Pater et Filius « et Spiritus Sanctus; totum Filius, quod ipse et Pater et « Spiritus Sanctus; totum Spiritus Santus, quod et ipse et « Pater et Filius. Et totum, unum est totum, nec superabun« dans in tribus, nec inminutum in singulis. Nec enim verum « summumque bonum quod sunt, inter se particulariter divi« dunt: quoniam nec particulariter id possident, sed hoc

[1] Ep. 28, ad Flavian. c. 2. — *P. L.* t. LIV, col. 757.
[2] DENZINGER (Op. cit, n. 226).
[3] *De Trin.*, l. VI, c. 8. — *P. L.* t. XLII, col. 929.
[4] Op. cit.

« ipsum essentialiter sunt. Nam quod alter ex altero, vel « alter ad alterum veracissime dicitur, personarum sane « designatio est, non unitatis divisio » [1].

De doctrina S. Anselmi in fine huius Quaestionis e professo dicetur.

In Corpore. Discursus S. Th. hoc simplicissimo argumento constat. Negare in Deo aequalitatem, est ponere maius et minus; atqui haec intelliguntur in Deo de perfectione essentiae; ergo est ponere in Deo differentiam in essentia, ac ita destruere essentiae unitatem seu consubstantialitatem.

Richardus Victorinus hanc divinarum personarum omnimodam aequalitatem a perfectione utriusque processionis ita derivat: « Sicut charitas vera exigit, personarum pluralita- « tem [2], sic charitas summa exigit personarum aequalitatem. « Summa autem charitas necdum esse convincitur, ubi vere « dilectus summe non diligitur. Discretus vero amor non « est, ubi summe diligitur, qui summe diligendus non est. « Sed in summe sapienti bonitate amoris flamma, sicut non « aliter, sic non amplius flagrat quod summa sapientia dictat. « Quem itaque secundum illam summam charitatis abundan- « tiam oportet summe diligere, necesse est absque dubio « secundum summam illam discretionis regulam summe « diligendum esse. Sed ipsius amoris proprietas convincit, « quoniam summe diligenti non sufficit, si summe dilectus « summam dilectionem non rependit. In mutuo itaque amore « plenitudo charitatis exigit, ut uterque ab altero sit summe « dilectus, et consequenter secundum praedictam discre- « tionis normam uterque sit summe diligendus. Ubi autem « uterque est aeque diligendus, oportet uterque sit aeque « perfectus. Oportet itaque utrumque esse aeque potentem; « aeque sapientem, aeque bonum, aeque beatum. Sic summa « plenitudo dilectionis in mutue dilectis exigit summam « aequalitatem perfectionis. Sicut itaque in vera divinitate « charitatis proprietas exigit personarum pluralitatem, sic « eiusdem charitatis integritas in vera pluralitate requirit

[1] *Tract. de error. Abaelardi.* c. 2. — *P. L.* t. CLXXXII, col. 1058.

[2] Hic non inquirimus de valore expositionis Richardi quoad ipsarum processionum indolem atque necessitatem. Cf. dicta superius.

« summam personarum aequalitatem. Ut autem sint per « omnia aequales, oportet ut sint per omnia similes. Nam « similitudo potest haberi sine aequalitate, aequalitas vero « nunquam sine mutua similitudine [1]. Qui enim in sapientia « nihil similitudinis habent, quomodo in ea pares esse va- « lent? Quod autem dico de sapientia, idem dico de potentia; « idem vero invenies in caeteris omnibus, si curras per sin- « gula » [2].

Quid de valore huius argumenti? Sane dubitandum non est, a perfectione utriusque processionis deduci nexu necessario divinarum personarum perfectissimam aequalitatem. Modus autem quo Richardus ratiocinationem instituit, non videtur omnino a circulatione immunis.

APPENDIX.

De Vi dogmatica ac Legitimitate Vocabuli ὁμοούσιος.

Praeter ea quae superius historice potius de origine huius vocabuli notavimus, placet hic nonnulla addere de eiusdem vi dogmatica ac legitimitate.

I. Ex modo quo Patres a primis saeculis aequalitatem divinarum personarum contra omnes impugnationes strenue vindicarunt, apparet quo sensu Nicaenum Concilium vocabulum ὁμοούσιος induxerit; ut scilicet una voce simul exprimeret distinctionem personarum et unitatem numericam, non tantum specificam eiusdem communis naturae. Non defuerunt quidem qui in unam alteramve falsam interpretationem ὁμοούσιον detorquerent. Inde S. Hilarius tum sensum sabellianum tum sensum subordinatianum nervose depellit [3]. Quae animadversio magni momenti est, quum usque ad nostra tempora dubium circa Nicaenorum Patrum mentem perdurarit, idque non solum apud viros non catholicos, uti Cud-

[1] Hoc effatum intellige de aequalitate secundum idem. Secus non valet prorsus. Duo enim homines valde dissimiles, niger unus, rufus alter, staturae altae unus, alter pusillae, possunt nihilominus esse pondere aequales.

[2] *De Trin.*, l. III. c. 7. — *P. L.* t. CXCVI, col. 919 sq. — Ibid. c. 21, col. 918.

[3] *De Trin.*, IV, 4. — *P. L.* t. X, col. 98

worth, Corcelaum, Clericum [1], Münscher [2]; sed et apud quosdam incautos catholicos, uti Petrum Faidit, et Placidum Stürmer [3], qui omnes opinantur, Nicaenos Patres non de numerica sed de specifica unitate fuisse sollicitos. Nec mirum, si ob falsum suum SS. Trinitatis conceptum Güntherus putaverit, eamdem Patrum, maxime S. Gregorii Nyss. et S. Basilii, fuisse sententiam [4].

Verum quidem est, vocem ὁμοούσιος per se non ita dicere distinctionem personarum nec unitatem naturae, ut ad alterutrum errorem supra expositum conducere nullatenus possit. Intellige οὐσίαν in sensu personae, et praefixum in sensu unitatis numericae: habebis primum; concipe οὐσίαν recte in sensu naturae, sed praefixum in sensu aequalitatis, non identitatis: habebis alterum.

Inde nullo modo mirandum, ex una parte catholicos quosdam verum sensum vocabuli non satis in eo expressum putantes, innovationi potius adversatos esse; et ex altera parte haereticos vocabulis omnino similibus suam impietatem propugnasse. Quid, quaeso, per se tantopere interest inter ὁμοούσιος, συνούσιος, ταυτούσιος, μονούσιος, ut nonnisi primum vocabulum fieret tessera catholicae veritatis, reliqua sabellianam arianamve fraudem saperent? Imo, re in se inspecta, et admissa οὐσία in sensu naturae, nonne μονούσιος unitatem numericam efficacius exhibet? nonne συνούσιος ad minus tam efficaciter exprimit participationem eiusdem naturae quam ὁμοούσιος?

Sed in mente Patrum Nicaenorum duo contra Arianos, imo cum Arianis constabant: *a*) alium esse Patrem, alium Filium; *b*) unam tamen esse divinam naturam; et quaestio erat, utrum necne Filius esset huius divinae naturae vere particeps; ad quod clare affirmandum vix poterat efficacius inveniri vocabulum quam ὁμοούσιος [5].

[1] Hos confutavit egregie MARANUS (Div. I. Ch., l. IV, c. 29).

[2] Contra Münscher efficaciter scripsit KUHN (*Trin.-Lehre*, p. 448).

[3] Vide contra hunc *Theol. Wirceburg.* (*De Trin.*, c. 2, a. 3, 2).

[4] *Vorschule d. spec. Theol.*, t. II, p. 365 sqq.

[5] Haec ipsa efficacia demonstratur ex odio quo impii aetatis illius, quin et nostrae, hanc vocem prosecuti sunt ac iugiter prosequuntur. Protervus ille rerum divinarum derisor Voltaire Christum Dominum quasi per respectum appellare solebat: *Le Consubstantiel.*

II. Porro *legitimitatem* huius vocabuli inter alios eloquenter propugnavit S. Cyrillus Alexandrinus in suis Dialogis de SS. Trinitate.

1) Et primo quidem obiicienti sibi Hermiae, hanc vocem in Scripturis non occurrere, reponit initio Cyrillus id parum referre, modo veritatem in Scripturis contentam recte exhibeat. « B. Iure enim reprehendemus ὁμοουσίου vocabulum, « asserendo recens excogitatum esse, et non scriptum, hoc « est in Scripturis divinis nequaquam reperiri. — A. Stul- « tissime haec dixerint, amice. Nihil enim officit vocabulum, « ubi verum plane est id quod illo significatur. Annon id « verum esse ipse quoque fateberis? — B. Maxime » [1].

2) Nec his contentus Cyrillus vindicat ipsum vocabulum ex fundamento Scripturarum et ex lege humani sermonis. Ex fundamento Scripturarum, per nomen ὤν, quod ipse Deus de se revelavit, a quo οὐσία desumptum; ex lege sermonis, quia vocabula composita indolem radicis ac sensum participant.

« B. At enim, inquiunt, ubinam Scriptura consubstantialis « voce (τὸ ὁμοούσιον) utitur? — A. Eodem revolvi orationem « nostram cogis, amice. Ubi enim nuncupavit illum universi « Deum, incorporeum, figurae expertem, incircumscriptum et « nullius imperio subdictum. At is natura haec est, velint no- « lint ipsi. Si ergo recte sentimus, non excludenda sunt ea vo- « cabula, quae ad veritatis cognitionem attinent. Numquid « enim mentitum Deum putaverint, in eo quod Moisi ait. « " Ego sum qui sum ". Hoc enim est nomen meum, inquit, « et memoriale aeternum in generationes generationum. Sed « non arbitror illos eo vecordiae prolapsos, ut in animum « inducere audeant Deum non esse qui est. Est enim revera « ὤν; illudque nomen ei soli proprie ac peculiariter conve- « nit, licet ad alia forsan abusive traducatur. Ex hoc vero, « οὐσίας quoque vocem formasse veteres dicimus, idque iure « optimo, ita ut licet aliquis ὁμοουσίαν et ὁμοούσιον Patri Fi- « lium esse dicat, nequaquam illum insolens vocabulum « confinxisse censeamus, sed eiusmodi dictione uti qui pri- « mam sedem, ut ita loquar, obtinet in sacra Scriptura No-

[1] *De SS. Trin. Dial.* I. — *P. G.* t. LXXV, col. 670.

« mina enim derivativa in semetipsis utique non haerent ut « in loco proprio, sed e prima veluti radice et primitivo nata « sunt. Quamobrem si vocabulum illud ὁμοούσιον, a sacra « consuetudine et usu alienum esse contenderint, in verum « ac legitimum derivandarum dictionum modum utique pec- « cant. Ex ὄντος enim fit οὐσία, et ὁμοούσιον. Tanta autem « imperitia cum laborent, una cum hac voce tollunt quoque « caeteras, per quas nobis liceat per speculum certe et « aenigma contemplari, et subtiles divinitatis imagines animo « concipere » [1].

3) Iam inquirens de voce ὁμοιούσιος quam Ariani, reiecta ὁμοουσίῳ, patrocinabantur, egregie demonstrat, eam in se esse adulteram, et ad hominem contra haereticos, non magis eam in Scripturis quoad formam inveniri. — « B. Quid vero, « si non ὁμοούσιον quidem Patri Filium, sed potius ὁμοιούσιον « esse dicant? — A. Non recte dicent, o bone, sed ipsi pri- « mum secum dissentire deprehendentur, reiecto malitiose « hoc vocabulo, quasi minus exstet in Scripturis. Etsi enim « ὁμοούσιον Filium, aut si non hoc quidem, sed ὁμοιούσιον « ex eorum mente dicendum esse quispiam existimet, nihi- « lominus tamen nobis per utrumque tendit vox οὐσίας. Illi « autem adulterantes vocem, nimirum ὁμοούσιον, postquam « eam spuriam et depravatam, ac divinis Litteris absonam esse, « nihilque non eiusmodi vociferati sunt, rursus eam admit- « tunt et inter probatissimas ascribunt. Si quis ergo permittat « ipsis dicere Filium esse Patri ὁμοιούσιον, quid hi tibi demum « facere videntur? — B. Non mediocriter peccare, et vim « istius vocis pertimescere, quippe quae egregie et clare « admodum veritatem demonstret » [2].

4) Demum insistit in comparationem utriusque vocabuli, strenue ostendens tum impietatem vocabuli ariani, tum virtutem vocabuli catholici.

« A. Itaque vox haec ὁμοούσιον, quamvis identitatem natu- « ralem imprimis significet, ceu futili praetermissa, homines « perversae mentis admittunt quidem libentissime eam quam « excogitarunt, nimirum ὁμοιούσιον, externam similitudinem « verbo effingentes, et per summam vafritiem occultantes

[1] Ibid col. 671.
[2] Ibid col. 674.

« blasphemiam, et Deum, et Filium nominant, necnon Ser-
« vatorem ac Redemptorem, neque secundum naturam Fi-
« lium, neque secundum veritatem Deum esse ipsum, miseris
« nescio quibus ratiunculis persuasi, quas ex saeculari sapien-
« tia colligunt, eum demum quantum in se est inter homi-
« nes, propositi ac voluntatis similitudine ad Dei imaginem
« formatos, et inter creaturas miseri conscribunt, nihil veriti
« universitatis Opificem, ὁμοούσιον quidem eum non esse
« dicentes, sed ὁμοιούσιον. At cur demum, quaeret aliquis,
« reiecto ὁμοουσίου vocabulo, et tanquam peregrino et inso-
« lenti repudiato, non illaudatum dimittitis eum qui ὁμοιούσιον
« vobiscum dixerit? Opinor ad hoc ipsos haesuros. Quippe
« difficile non erit intelligere vel si taceant, ὁμοουσίου signi-
« ficationem ipsos reformidare et adulterare, non quod a nobis,
« ut arbitrantur ac dicunt, ex dictione conflata sit quae in
« Scriptura sacra non reperiatur, sed quod veritatem repraesentet, demonstrando non esse alterius naturae Filium,
« quam ex ipsa vere Dei ac Patris natura » [1].

ARTICULUS II.

UTRUM PERSONA PROCEDENS SIT COAETERNA SUO PRINCIPIO, UT FILIUS PATRI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quam in suo principio fundamentali aequalitatem in art. 1, demonstravimus, iam quoad varios respectus penitius considerare iuvat, scilicet, duce Fulgentio, quoad aeternitatem, quoad magnitudinem et quoad maiestatem.

2) Æternitatem Christo non solum denegarunt Paulus Samosatenus et Photinus, sed et Verbo Gnostici, atque imprimis Ariani; quorum omnium blasphemias S. Ioannes ab exordio Evangelii sui prae oculis habuisse videtur atque truncare voluisse, Verbum ita ab initio apud Patrem describens, ut nullum instans cogitari possit, quo non iam ibi fuerit. Unde S. Ambrosius haereticos urgebat: « Ecce quatuor *erat;* « ubi invenis, impie, quod non erat? Quidquid excogitaveris,

[1] Ibid. col. 675, 678.

« *erat* Filius. Quando enim erat in principio, non includitur « tempore, nec principio praevenitur. Ergo Arius conti- « cescat » [1].

3) Et re quidem vera aeternum esse Filium, id est Patri coaeternum, a priori demonstratur ex eius divinitate atque consubstantialitate. *a*) Ex *divinitate:* nam quidquid in tempore incepit, factum sit oportet; nihil autem factum Deus esse potest. *b*) Ex *consubstantialitate:* etenim qui possent eiusdem esse substantiae aeternum et non aeternum, quum duratio rei naturam eiusdem sequatur, totoque caelo aeternum a non aeterno distet? Rursus aequalitas in art. 1. vindicata demonstrat, Patri Deo Filium verum aeternitate aequari.

4) Sed et directius idem evincitur, per analysim divinae generationis, cum humana generatione collatae. Verum est, - et secundum hoc recte dicebant Ariani, - nullam dari in creatis generationis sive propriae, sive metaphoricae speciem, quae non ab aequalitate deficiat. At mirum foret nimis, si creatura necessario imperfecta potuisset sine defectu tantum figurare mysterium. Hic autem non tam quaeritur de aequalitate ex toto, quam de aequalitate quoad durationem. Hanc autem - utique cum duratione limitata, in creatis invenimus aequalem inter principium et procedens, ubicumque oritur per ipsam relationem, quae nonnisi mutua concipi valet [2]. A fortiori haec mutua relatio aeternitatis aderit in processione divina.

5) Falsa haereticorum imaginatio ex hoc provenit, quod temporale initium non potuerint a principiato semovere. At perperam. Principium enim per se non dicit prioritatem temporis; sed originem ac relationem. Filius igitur procedit a Patre; Spiritus a Patre et Filio; at per modum spiritualis processionis, quae, sicuti in principio nullam involvit nec corruptionem, nec mutationem, ita in principiato nullam ponit temporis inferioritatem.

6) Crescit agnitio huius veritatis, si consideremus, omne in Deo esse actum purum, in quo nulla sit successio. Quare Pater simul ab aeterno genuit Filium, et in aeternum eum

[1] Cf. alias auctoritates in *Sed contra est* adducendas.

[2] Cf. dicenda in articulo sequenti.

gignit. Aeternitas quippe est simul instans duratio; et instans quo Verbum gignitur est hodie nunquam deficiens.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter deficit: *a*) non considerat, a creata generatione non dari conclusionem uti a pari ad generationem divinam; - *b*) non attendit, in ipsis creatis sibi tempore respondere, quae ex mutua relatione oriuntur.

2. Obi. Confundit principium originis, quod a Trinitate nequit abesse, cum principio durationis, quod nequit adesse, utpote repugnans cum *nunc immobili,* quae est aeternitas.

3. Obi. Arguit crasse a generatione cum mutabilitate.

4. Obi. Non considerat discrimen inter instans fluxum et instans immobile. Quare Verbum semper generatur sine transitu de imperfecto ad imperfectum, et generatur in instanti, quin sit dare instans praecedens.

Sed contra est. Praeter verba Ioannis in exordio Evangelii, huc faciunt verba ipsius Christi: « Antequam Abraham « fieret, ego sum »; necnon loca superius allata, ubi de sapientiâ ante omnia genitâ egimus.

Haec coaeternitas verbis expressis vindicata in Scripturis, abunde proclamatur per Ecclesiae auctoritatem. In Symbolo Athanasiano dicitur: « Aeternus Pater, aeternus Filius, aeter- « nus Spiritus Sanctus ». In professione fidei papae Damasi legitur: « Si quis homo perpetuo Patrem, non perpetuo Filium, « non perpetuo Spiritum Sanctum esse dicat: A. S. » [1]. Nec aliter Patres: « Est namque ita aeterna ac sempiterna gene- « ratio, sicut splendor generatur ex luce, » ait Origenes [2]. Aeternitatem procedentium fuse profitetur S. Hieronymus in confessione fidei ad laudatum Pontificem Damasum missa: « Credimus in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum visi- « bilium et invisibilium conditorem. Credimus et in D. N. « I. Chr. etc., verum Deum unigenitum et verum Dei Filium, « non factum, non adoptivum, sed genitum et unius cum « Patre substantiae, quod Graeci dicunt homoousion, atque « ita per omnia aequalem Deo Patri, ut nec tempore, nec « gradu, nec potestate possit esse inferior, tantumque confi- « temur esse illum, qui est genitus, quantus est ille qui genuit.

[1] Can. 10.

[2] *De princ.*, Praef. n. 4.

« Non autem quia dicimus genitum a Patre Filium divina et « ineffabili generatione, aliquod ei tempus adscribimus, sed « nec Patrem aliquando coepisse, nec Filium. Nec enim aliter « confiteri possumus aeternum Patrem, nisi confiteamur « etiam coaeternum Filium. Ex Filio enim Pater dicitur, et « qui semper Pater fuit, semper Filium habuit [1]. Credimus « et Spiritum Sanctum verum Deum, ex Patre et Filio pro- « cedentem, aequalem per omnia Patri et Filio voluntate, « potestate, aeternitate, substantia. Nec est prorsus aliquis « in Trinitate gradus, nihil quod inferius, superiusve dici « possit: sed tota Deitas perfectione aequalis est, ut exemptis « vocabulis quae proprietatem personarum indicant, quidquid « de una persona dicitur, de tribus dignissime possit in- « telligi ».

Eamdem doctrinam, in Synodo quoque Ephesina declaratam [2], sancivit Concil. Lateran. IV: « Firmiter credimus et « simpliciter confitemur, quod etc.... Pater et Filius et Spiritus « Sanctus sunt tres quidem personae, sed una natura, sim- « plex omnino, etc.... consubstantiales et coaequales et co- « omnipotentes et coaeterni ». Ubi vides a consubstantialitate ad aequalitatem, ab aequalitate ad coaeternitatem argumentum nervose deduci [3].

Tam in confesso est haec doctrina apud magnos defensores catholicae veritatis, ut revera tempus tereret qui e scriptis Patrum contra Arianos Macedonianosve densa acie dimicantium omnia testimonia colligere vellet, quibus veluti totidem telis impietatem istorum depulerunt.

E castris Orientalium et Occidentalium unum suorum nomine dogma proclamantem audire sufficiat: « Cum sit « aeternus Pater, ait S. Athanasius, aeternum erit et illius « Verbum ac sapientia » [4]. Et S. Hilarius: « Qui non semper « Pater est, non semper et genuit. Ubi autem semper Pater « est, semper et Filius est » [5].

[1] Eodem modo arguunt concilium Toletanum XI, necnon S. Ambrosius, *De Fide*, I, 5. (Cf. art. seq.).

[2] Cf. textum ad 1.

[3] Vide doctrinam SS. Gregorii Naz. et Cyrilli Alex. in fine articuli e professo exponendam.

[4] Or. 2.

[5] *De Trin.*, 12.

In Corpore. Processus argumentationis hac tabella intuitive contrahitur:

Existens ex principio est posterius suo principio	vel I) *ex parte agentis,* quod rursus est:	vel 1) *in agente voluntario* propter momentum electionis, vel 2) *in agente naturali,* quia non est semper perfectus in sua natura;
	vel II) *ex parte actionis:*	quotiescumque actio est successiva.

Iam vero in Deo *a*) generatio non est liberae electionis, sed naturalis; *b*) Pater a principio habet plenitudinem potestatis generandi; *c*) actus generandi non est successivus. Ergo in divinis nihil obstat procedentium coaeternitati cum principio a quo procedunt.

Placet rursus modum adducere quo *Richardus* Victorinus coaeternitatem divinarum personarum vindicat. « Ecce, ut ex « superioribus manifeste colligere possumus, perfectio per« sonae unius consortium requirit alterius. Invenimus nihil « esse gloriosius, nihil magnificentius, quam nihil habere « velle, quod nolis communicare [1]. Maiestatis itaque suae « carere consorte noluit persona quae summe bona fuit ». Quo posito, tanquam operationis fundamento, ecce argumentum evolvit: « Absque dubio autem esse oportuit, quod « esse voluit, cuius voluntas omnipotens fuit. Quod vero semel « voluit, semper voluit, cuius voluntas incommutabilis fuit. « Oportuit ergo aeternam personam, coaeternam habere; nec « potuit una alteram praecedere, nec una alteri succedere. « Nam in illa aeterna et incommutabili divinitate nihil potest « velut antiquatum transire, nihil novum supervenire. Per« sonas itaque divinas impossibile est omnino non esse coae« ternas ».

Potuisset hic stare Richardus, sed more suo redit ad principium utique subtilius quam stricte cogens, a quo profectus est. « Ubi namque vera divinitas, ibi summa bonitas, « ibi plena felicitas. Summa autem bonitas, sicut dictum est, « non potest esse sine perfecta charitate, nec perfecta cha-

[1] Si tamen agatur de re communicabili. Unde ex hoc solo principio non potest demonstrari necessitas Trinitatis, nisi via huius communicabilitatis aliunde prostet. Cf. quae superius non semel de hac methodo diximus.

« ritas sine personarum pluralitate. Plena vero felicitas non « potest esse sine vera incommutabilitate, nec vera incom- « mutabilitas sine aeternitate. Personarum pluralitatem exigit « vera charitas, personarum aeternitatem vera incommuta- « bilitas » [1].

Et paulo inferius Richardus utrumque coniungit: divinas personas esse debere aequales et coaeternas. « Nullus ibi est « altero maior, nullus ibi altero minor, nullus ibi anterior, « nullus ibi posterior. Constat itaque, in illa Trinitate omnes « personas coaequales simul et coaeternas esse. Nam si coae- « ternae non essent, eo ipso coaequales non essent » [2].

Optimae haec duo tam intime colligantur. Quemadmodum enim de *Deo Uno* agentes, nexum arctissimum ostendimus inter Dei perfectionem et aeternitatem, quatenus utraque radicatur in Dei simplicitate, ita quoque in SS. Trinitate coaeternae sunt personae quia coaequales, ac simul coaeternae et coaequales quia perfectissimus unus Deus. Hanc intimam correlationem eloquenter praedicat Symbolum Athanasianum, ad quod Richardus in hoc ultimo loco manifeste alludit: « Patris et Filii et Spiritus Sancti *una* est divinitas, *aequalis* « gloria, *coaeterna* maiestas »..... « In hac Trinitate nihil prius « aut posterius, nihil maius aut minus; sed totae tres per- « sonae coaeternae sibi sunt et coaequales ». In priori loco praemittitur coaequalitas, in altero coaeternitas. Et utrumque logice incedit. Nam ex una parte aequalitas vera exigit aequalem durationem; ex altera parte coaeternitas procedentes ab inaequalitate vindicat.

Ad 4.m En verba Origenis: « Salvator noster est sapientia « Dei: sapientia vero est splendor aeternae lucis. Salvator « ergo noster splendor est claritatis. Splendor autem non « semel nascitur et desinit; sed quoties ortum fuerit lumen, « ex quo splendor oritur, toties oritur etiam splendor clari- « tatis. Sic ergo Salvator semper nascitur. Unde ait [3]: ante « omnes colles generat me Dominus » [4]. Gregorius autem

[1] Op. cit., c. 6. Ibid. col. 919. — Observa, Richardum hoc loco prius demonstrare personarum coaeternitatem quam aequalitatem.

[2] Loc. cit. c. 21, col. 928.

[3] Prov. VII, 8.

[4] *Hom.* 6, *in Hierem.* 41.

ait: « Dominus Iesus in eo quod virtus et sapientia Dei est, « de Patre ante tempora natus; vel potius quia non coepit « nasci nec desiit, dicamus verius, semper natus est; non « autem possumus dicere semper nascitur, ne imperfectus « esse videatur » [1]. Quae ultima verba sane quemdam excessum redolent. Nam Filium nasci semper, habet sensum profundum, quo scilicet prolatio Verbi exhibetur nobis tanquam actus primarius aeternus Dei, qui semper immutabilis perseverans, constituit in aeternum divinam naturam in suprema actuatione intellectus infiniti. Et re quidem vera tria sunt in generatione Verbi praesertim significanda: perfectio geniti, aeternitas geniti, immutabilitas aeterni actus generandi. Primum exprimit *genitus*, melius quam *nascens*, tertium plenius dicit *nascens*; secundum aequaliter exprimunt ambo. Unde quum duae locutiones in uno conveniant, et in duobus aliis una alteri cedat, utra locutio sit praeferenda: « Filius *semper nascens* », an: « Filius *semper natus* », non sine iure dubium vocaveris.

Haec nostra doctrina confirmatur per modum quo loquitur Concilium Lateranense IV: « Pater *generans*, Filius *nascens*, « Spiritus Sanctus *procedens* » [2].

Doctrina SS. Gregorii Nazianz. et Cyrilli Alexandr. de Coaeternitate divinarum Personarum.

Quum tam princeps fuerit obiectio ex ortus initio contra divinitatem Filii et Spiritus Sancti ab Arianis et Macedonianis moveri solita, iuvat duos saltem ex orientalibus Patribus de coaeternitate Filii ac Spiritus Sancti cum Patre fusius disserentes audire.

1) *S. Gregorius Nazianzenus* dialectico nervo iure celeberrimus, in duabus orationibus, ut alia loca taceam, praesentem doctrinam mirabili acumine vindicat. « Sed quando « haec (scilicet generatio Filii et processio Spiritus Sancti)? in- « quient (scilicet Eunomiani). - Nimirum haec supra "quando" « sunt. Quod si etiam audaciuscule aliquid dicendum est, tum

[1] 29. *Mor.* 1.

[2] DENZINGER (Op. cit., n. 355).

« haec erant, cum Pater erat. Quando autem Pater? Nun-
« quam non fuit. Idem de Filio, idem de Spiritu Sancto
« promptum est dicere. Quod si rursus me interroges, rursus
« tibi respondebo. Quando Filius genitus est? Cum Pater
« genitus non est. Quando Spiritus processit? Tum, cum
« Filius non processit [1]. Sed citra tempus ullum, ac supra
« omnem rationis humanae captum genitus est: etiam si id
« quod supra tempus est, declarare cupientes, temporalem
« speciem ac significationem fugere nequeamus. Etenim hae
« voces " quando, antehac, posthac, a principio " temporis
« neutiquam expertes sunt, quamcumque vim illis inferamus;
« nisi forte aevum accipiamus, hoc est intervallum illud, quod
« simul cum rebus aeternis extenditur, nec ullo motu aut
« solis cursu (quod quidem tempus est) definitur ».

Audi iam quomodo S. Gregorius hanc coaeternitatem veram cum non minus vera processione conciliet: « Quid
« ergo, inquies, si Filius et Spiritus Sanctus Patri *coaeterni*
« sunt, quid afferri potest, quin principii quoque, quemad-
« modum et ille, sint expertes? - Quia ab ipso sunt, licet non
« post ipsum. Quod enim principio caret, aeternum quoque
« est; quod autem aeternum est, non protinus quoque prin-
« cipio vacat, quamdiu ad Patrem velut ad principium et
« originem refertur. Ergo illi, quantum ad causam [2], prin-
« cipio minime carent. Perspicuum autem est, causam non
« continuo antiquiorem esse iis, quorum causa est: neque
« enim sol lucem tempore antecedit. Quantum autem ad
« tempus, principii expertes sunt, licet tu verborum larvis
« simpliciores animos territes. Nec enim tempori subsunt
« ea, ex quibus tempus originem sumpsit » [3].

Et in alia oratione simultaneitatem aeternitatis trium personarum uti conditionem earum divinitatis strenue urget:
« Si fuit tempus, cum non esset Pater, fuit quoque cum non
« esset Filius. Si fuit tempus, cum non esset Filius, fuit
« quoque, cum ne Spiritus quidem esset. Si unum a principio
« erat, utique et tria. Si unum deiicis, audax hoc dicam, ne
« duo quidem superiore loco colloces. Quae enim imperfectae

[1] Adverte vim huius responsi vere profundi.
[2] Vide rursus causam hic in sensu latiori usurpatam.
[3] Or. 29 (al. 35), n. 3. — *P. G.* t. XXXVI, col. 78.

« deitatis utilitas? Imo quae deitas, si imperfecta? Perfecta « autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desi- « deretur? Desideratur enim, si sanctitate careat. Hanc porro « quomodo habere queat, ni Spiritum habeat? Si enim alia « quaedam praeter illum sanctitas est, quae tandem illa intel- « ligenda sit, dicat quispiam: aut si quidem eadem haec est, « quid afferri potest, quamobrem non iam inde a principio « fuerit » [1].

2) *S. Cyrillus Alexandrinus* in II. Dialogo de SS. Trinitate ita disserit. « Nondum quidem creatura educta fuerat in « ortum, erat tamen etiam tum creator Deus, neque quod « esset opifex, idcirco erat Pater, sed quoniam genuit; Filius « autem, quoniam genitus est. Cum ergo necessarium non sit « coexistere creatorem et creaturam, fieri autem non possit, « ut qui recte sentiunt in Deo coexistentiam negent, sive « Pater seu Filius nominetur, quomodo unum prius orietur, « et alterum altero quodammodo prius apparebit, si utrum- « que est id quod est, in eo quod simul existere intelliguntur [2], « et mutuo concursu non carere [3]? Pater enim ad Filium refer- « tur et contra. Iam si bonum ac praeclarum esse visum est [4] « Deo ac Patri, gignere ex se, Patremque videri Filii secun- « dum naturam, quaenam aut unde fuerit gignendi mora? « Quid impedierit aut dissuaserit utiliter ac necessario Deum « nondum esse Patrem? Homines enim semper esse potentia « patres, non continuo tamen actu, nullus ignorat mortalium ».

Et descripto modo quo apud homines generandi facultas de potentia transit in actum, per contrarium Filii ortum illustrat. « In Deo vero qui perfecte semper se habet, et est id quod « est [5], non progressu ad aliquid quod nondum insit, ac neces- « sario prodatur in tempore, sed ex sua nobis substantia « Filium profert instar luminis ac veluti characterem sibi « substantialiter innatum suum germen habet, quomodo intel- « ligitur non semper et simul esse ac gignere secundum

[1] Or. 31 (al. 37), n. 4. — *P. G.* t. XXXVI, col. 138.

[2] Vides, S. Cyrillum non admittere prioritatem inter Patrem et Filium neque secundum intellectum, uti ad invicem referuntur.

[3] Adverte singularem efficaciam imo quasi audaciam huius locutionis.

[4] Hic rursus habes partem, quam S. Cyrillus in divina generatione tribuit voluntati (Cf. art. seq.).

[5] Adverte insistentiam vere philosophicam qua Cyrillus hac formula utitur.

« actum, sed in potentia consistere potius et substantialem « mutationem pati, transeundo ad id quod initio non erat? ».

Nec spernenda sane duplex retortio per quam S. Cyrillus argumentationem suam claudit. Prima desumitur ex eo quod Unigenitus, nisi sit aeternus, non possit esse saeculorum conditor. Altera obtinetur per comparationem cum creaturis, in quibus duo sunt simul, licet alterum ex altero procedat. « At impietatis magno crimine obstringemur in Filium, nisi « adversariorum sententiam retundamus. Non iam enim sae- « culorum conditor erit Unigenitus, cum tempus nescio quo « pacto irrepserit, et antiquius credatur, quam generatio illa « qua Deus ac Pater actu gignere dicitur, siquidem ex inge- « nerabilitate, hoc est, ex eo quod est potentia, ad genera- « tionem actualem non absque tempore procedat, tametsi « breve admodum et momentaneum concipiatur illud inter- « vallum. Ego vero turpe et indecorum prorsus dico, putare, « solem et ignem nunquam non esse id quod sunt, sed neque « in solo potentiae statu haesisse, verum temporario motu « ac natura ad actum venisse, imo et quae congenita sunt « et quaecumque sibi insunt ortus sui initio simul suscepisse: « Deum autem asserere non praestare corporibus, adeoque « non putare ipsum suae quodammodo sequi naturae leges in « gignendo, in quantum ei soli congruit » [1]. Quae sane argumentatio a minori ad maius profunda simul ac eloquens est dicenda.

Corollarium I. Ex aequalitate divinarum personarum in coaeternitate sequitur perfecta spiritualitas sive puritas utriusque processionis. Unde huc faciunt maxime quae iam haud semel tetigimus de altissimo modo quo processiones ad *intra* sunt intelligendae, et de semovendis quibuscumque imperfectionibus quae in materiali, nec in materiali tantum, sed et in ipsa spirituali per intellectum et amorem faecunditate deprehenduntur. Hoc sensu iam exclamabat S. Gregorius Nazianzenus: « Prima Virgo Trias est », et P. Monsabré ait: « C'est la plus belle et la première des Vierges » [2].

[1] *P. G.* t. LXXV, col. 783, 786.
[2] Conférences de N. D. — Carême 1874, 10. conf. — p. 187.

Corollarium II. - Si iam hanc personarum coaeternitatem confers cum altiori conceptu aeternitatis divinae, non minus apparent Filius et Spiritus iugiter procedentes quam procedentes ab aeterno. Aeternitas quippe, uti iam monuimus, nullum cognoscit fluxum, et divina per processiones faecunditas sicut nunquam incepit, ita nunquam exhauritur nec desinit. Pulchre laudatus P. Monsabré Deum Trinum ita alloquitur: « Avec une admirable promptitude vos processions saintes s'accomplissent sans que rien de précipité « nuise à leur perfection. Toujours anciennes, toujours nouvelles, elles marchent à travers toutes les époques et joignent dans une immuable présence les lointaines extremités « du temps. Au commencement le Verbe était: " In principio « erat Verbum ". Il était sans commencement, il est aujourd'hui, toujours engendré. Les jours d'une fécondité épuisée « ne viennent interrompre ni l'incessante génération de Dieu, « ni l'incessante procession de son amour. Il est toujours Père, « toujours Fils, toujours Esprit-Saint » [1].

Corollarium III. - Tum coaeternitas personarum procedentium, tum utraque iugiter actualis processio illustratur per comparationem a SS. Patribus iam olim saepe allatam [2], cum sole, luce et calore [3]. Quemadmodum instantanee et semper actuose lux et calor solem comitantur, quin intersit tempus inter hunc et illa, nec tamen inde illa non sint ab isto; ita ad Patrem et a Patre se habent Filius et Spiritus Sanctus. Nec satis: lux enim et calor modum utriusque processionis tum quoad ordinem, tum quoad indolem eloquenter figurant: calor enim logice sequitur lucem, et lux magis processionem per viam intellectus, calor autem per viam amoris repraesentat.

[1] Ibid. p. 194. Minus placet sententia quae superius legitur: « Un fils nous est « né! Mais ce fils restera-t-il toujours près de ceux *qui l'adorent?* » Deo soli debetur adoratio. Equidem scio, apud Gallos in vulgari sermone omnia prorsus adorari; nec raro audies quemquam dicentem: « J'adore les chiens, les roses, » imo iam « la « choucroute ». Sed haec venerandae vocis profanatio magis videtur a mundano colloquio pellenda, quam eloquio sacro sacranda. Hoc pace tanti oratoris per transennam dixisse liceat.

[2] Cf. plures textus in hoc ipso articulo adductos.

[3] Vel cum solis virtute (force), luce et calore.

ARTICULUS III.

UTRUM IN DIVINIS PERSONIS SIT ORDO NATURAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus huius articuli cum praecedente se habet admodum instantiae. Etenim, si aequalitas in divinis exigit personas esse coaeternas, nonne videtur destrui ipse SS. Trinitatis ordo? Quare e duobus alterum teneatur: aut divinas personas esse coaeternas, et tunc inter eas quivis ordo tollatur; aut ordinem dari inter eas, et tunc admittatur quoque prioritas, ac negetur coaeternitas.

2) A priori manifestum est, hanc instantiam valere non posse. Qui enim in divinis ordo praedicatur, ab ipsa exposcitur exigentia principii gemini, Patris scilicet ad Filium, Patris et Filii ad Spiritum Sanctum. Iamvero in articulo praecedenti vidimus, habitudinem principiati ad principium coaeternitati principiati nullatenus obesse. Ergo inter se pugnare nequeunt coaeternitas personarum et ordo inter easdem. Modo tamen hic ordo debitis finibus circumscribatur; quod in hoc articulo, magni inde momenti, praestandum aggredimur.

3) Et primo quidem in hoc argumento, sicut et in multis aliis, catholica veritas medium tenet. *a*) Per excessum etenim peccaret, qui intuitu divinae aequalitatis, nullum inter personas ordinem dari contenderet. Esset non solum perversio, sed et destructio Trinitatis, utpote quae non amplius concipi posset, si quivis ordinis respectus a personis abesset. Necessario scilicet ipsa origo ordinem secum trahit; porro tolle origines seu processiones, perit ipsum Trinitatis mysterium.

b) Per alterum excessum peccaret ex opposito, qui inter personas divinas talem ordinem propugnaret ex quo sequatur vera prioritas, atque dignitatis gradus; et hunc ordinem non restringeret dumtaxat ad id quod per originem unius ab altero in coaeternitate perfecta exigitur. Hic iam parumper insistendum est, iuvatque catholicam doctrinam per conclusiones, veluti per tot gradus firmare, a magis obviis ad subtiliora quasi assurgendo.

4) Igitur *a*) non datur in divinis *ordo in natura*. Talem ordinem blasphemant Ariani, Macedoniani, Gnostici, et quot-

quot veram consubstantialitatem Filii et Spiritus Sancti cum Patre infitiantur.

b) Non datur ordo *graduum dignitatis* seu perfectionis, qui ordo non est nisi consequens ordinis in natura. Adverte autem hic, apud orientales Patres interdum dignitatem sumi in sensu latiori tanquam merum consequens ordinis naturae [1].

c) Non datur ordo *prioritatis,* qua Pater esset prima persona, Filius secunda, Spiritus Sanctus tertia cum prioritate *reali.* Talis enim prioritas obest aequalitati in aeternitate, et non exigitur a sola ratione principii, sed a tali ratione principii quae non sit perfecti a perfecto, Dei a Deo.

d) Datur autem *ordo naturae* seu *processionis* seu *principii ad principiatum.* Hic enim ordo est inseparabilis a duplici communicatione naturae quae a gemina intellectus et voluntatis processione derivatur. Quare, uti diximus, talem ordinem negare, esset negare ipsas reales processiones, et SS. Trinitatem ad quamdam mere unitatem sive sabellianum conceptum redigere [2].

5) *Quaeres:* Nonne saltem inter personas admitti debet ordo prioritatis secundum intellectum, ita ut ratione huius prioritatis, non quidem secundum rem, sed secundum intellectum, prima persona sit Pater, secunda Filius, tertia Spiritus Sanctus?

Resp. Cave ne confundas haec duo: dari in divinis aliquam prioritatem secundum intellectum, et dari inter personas divinas prioritatem secundum intellectum. Prius non solum potest, sed et debet affirmari; alterum potius debet negari, aut saltem non potest nisi cum limitatione teneri.

Scilicet vidimus in art. 4. Q. XL: « utrum actus notio- « nales praeintelligantur proprietatibus », dari in divinis aliquem ordinem logicum, iuxta quem relationes sequuntur actus notionales; seu originem active sumptam, excepto Patre, in quo paternitas, non quidem uti relatio, sed uti constitutiva personae, logice actum generandi praecedit. Quae ibidem demonstrata heic veritatem suam nullatenus amittunt.

[1] Recole huiusmodi textus in dissertatione de processione Spiritus Sancti superius allatos.

[2] Quare mirum non est, si theologi qui ad sabellianum conceptum nimis appropinquant, ordinem in SS. Trinitate vix aperte vindicent.

Quare simpliciter concedendum est, dari in divinis prioritatem logicam, si quaestio in sua amplitudine intenditur.

Si autem restringitur ad ipsas personas ad invicem (exclusa habitudine actuum notionalium ad proprietates sive relationes), iam cautius loquendum est, distinctioneque utendum. *a*) Certum est, - quod et S. Thomas exponit in resp. ad 2.m - relationes, uti tales, esse tantopere reciprocas seu mutuas, ut non possit neque per intellectum inter eas prioritas inveniri nec praedicari. Pater, enim ut Pater, et Filius, ut Filius, sibi tam immediate respondent, ut repugnet dari vel instans quo Pater, uti Pater, fuerit Pater, quin Filius quoque fuerit, uti Filius. Quod et S. Hieronymum audivimus in sua confessione fidei affirmantem, indeque coaeternitatem Filii egregie demonstrantem. Eodem modo arguit S. Ambrosius: « Cum enim Patrem dixeris, eius etiam Filium designasti, « quia nemo ipse sibi Pater est. Cum Filium nominas, etiam « Patrem eius fateris, quia nemo ipse sibi Filius est. Itaque « nec Filius sine Patre, nec Pater potest esse sine Filio. « Semper igitur Pater, semper et Filius » [1]. Nec aliter Conc. Tolet. XI: « Sempiternus Pater, sempiternus et Filius. Quod « si semper Pater fuit, semper habuit Filium cui Pater esset; « et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confitemur » [2]. Hanc autem argumentationem, ut valeat, non solum temporalem sed et logicam prioritatem excludere, ipsa rei natura demonstrat. Imo ex hac reciprocitate nullum directe suppeditaretur argumentum ad coaeternitatem Filii vindicandam, nisi et logicam prioritatem excluderet. - Idem dic de relatione spirantis ad Spiritum Sanctum.

b) At nihilominus si considerentur personae ad invicem, non solum uti correlativae in genuina processione, sed in suo completo ordine naturae, scilicet non solum uti sunt Pater et Filius, uterque spirans et Spiritus Sanctus, sed uti sunt Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, duplex datur fundamentum prioritatis secundum intellectum, quorum alterum residet in ratione principii quae Patri competit; alterum in ordine logico quo se habent duae processiones ad invicem. Quod utrumque in solo Patre ita illustratur. Pater enim sub

[1] I. *De Fide*, 5.
[2] DENZINGER (Op. cit. n. 223.).

triplici respectu considerari potest: 1) in quantum est *principium* actus generandi, 2) in quantum est *Pater,* 3) in quantum est, una cum Filio, *spirator*. Iam in art. 4. Q. XX. vidimus, inter paternitatem uti constitutivam primae personae, et paternitatem uti relationem, logice concipiendam esse originem activam, seu notionalem actum generandi. Ergo paternitas, ut *principium,* est logice prior paternitate ut relatione. Ergo inter Patrem, non uti Patrem, - nam simultanei sunt, etiam logice, Pater uti Pater et Filius uti Filius - sed uti principium actus notionalis generandi, et Filium uti relationem subsistentem, datur prioritas secundum intellectum.

Pari ratione inter Patrem generantem et Patrem spirantem datur ordo prioritatis secundum intellectum, quatenus secundum intellectum actus intellectus prior est actu voluntatis. Ergo licet simultanei sint secundum intellectum spirator et Spiritus Sanctus, datur nihilominus ordo prioritatis secundum intellectum inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum; non quidem inter Patrem uti Patrem et Filium uti Filium; nec inter Patrem ac Filium uti spirantes et Spiritum Sanctum uti spiratum; sed inter Patrem uti principium, et Filium uti terminum primae processionis per intellectum, et Spiritum Sanctum uti terminum processionis per amorem.

6) Si iam quaeris, quid praecise significet ille quem defendimus *ordinem naturae,* respondemus, hunc ordinem nihil aliud esse, nisi rationem originis et per consequens habitudinis principiati ad principium in communicatione divinae naturae: scilicet mirabilem illum geminum faecunditatis actum, quo, etsi pares in habenda natura, Pater nihilominus eam habet a se, Filius a Patre, Spiritus Sanctus ab utroque. Quae relatio trium ad invicem perverti posset ad libitum, nisi ille ipse *ordo naturae* sive *processionis* obstaret.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* non considerat, *ordinem naturae,* quum sit respectus originis iuxta geminam processionem consideratus, continere utramque originem veluti in communi. Unde verba « *ordo naturae* » significant tum essentiam quoad modum quo communicatur, tum personas quae per originem constituuntur, tum notiones per quas manifestantur;

at essentiam in obliquo, personas et notiones in confuso, uti in originis conceptu contentas.

2. Obi. Procedit ac si nullus posset esse ordo naturae, nisi ubi sit prius et posterius, saltem secundum naturam et intellectum. Hanc obiectionem aliter et aliter solvunt theologi, secundum quod in divinis prioritatem aliquam admittunt, necne. Qui cum Gregorio Arim., Gabriele Biel, Scoto, (quorum sententiam probabiliorem tenet Vasquez [1]), putant dari in divinis prioritatem secundum rem, vix opus habent ut huic obiectioni immorentur: ipsis enim non existit. Qui autem id negant, cum S. Thoma, S. Bonaventura [2], Alberto Magno, Durando, Henrico Gand., etc., possunt vel distinguere inter prius et posterius secundum rem et secundum intellectum; vel adhuc ulterius, cum ipso Aquinate, negare ex toto paritatem, quia stare potest ordo naturae, sine ulla prioritate, neque secundum intellectum; quatenus scilicet prioritas superaddit ordini, ac proin stare potest ordo, quin tamen necessario adsit et prioritas.

Solutio S. Th. ad haec reducitur: quotiescumque principium in creatis habet principiatum coaevum sibi, possunt ad invicem conferri dupliciter: 1) secundum id quod est *principium,* et ita semper est prioritas in principio secundum naturam et intellectum (adducitur et intellectum, quia prioritas haec est fructus abstractionis intellectualis); - 2) secundum relationem quam habent *ad invicem,* et ita ex hypothesi quod coaevi sint, nulla datur prioritas. Iam vero in divinis sive secundo modo personas consideremus, sive primo, idem est: ipsae enim personae sunt relationes subsistentes in una natura. Ergo nulla datur prioritas neque secundum naturam et intellectum: nec a parte principii, quae una eademque est aeterna natura; nec a parte relationum, quae, utpote mutuae, prioritatem excludunt.

Repones. Quomodo haec solutio concordat cum doctrina in statu Quaestionis n. 7. exposita? - *Resp.:* Instantia non caret subtilitate; nec mirum, si Angelici commentatores plus minusve torquere soleat. Putamus nihilominus, difficultatem sat obvie solvi discrimen perpendenti inter *a*) et *b*)

[1] Disp. 167.
[2] Disp. xx, a. 2, q. 1.

ibidem distincta. S. Thomas in hac responsione respondet iuxta *a*), non autem tangit respectum *b*). Haec conciliatio efficacior nobis videtur explicatione quam suggerit Caietanus hoc loco.

3. Obi. Confundit ordinem *naturae* cum ordine *in natura*.

4. Obi. Non attendit ad distinctionem quoad modum significandi inter naturam et essentiam. Quaecumque enim adsignificant actum, in casu communicationem divinae essentiae, melius per naturam exprimuntur.

Sed contra est. Doctrina huius articuli validissime probatur ex ordine quo semper enumerantur personae SS. Trinitatis, et quo hic ordo constanter vindicatur. Christus ministros suos misit baptizare « in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Nec fortuito haec tria nomina hac successione posita sunt. Imo tantopere hic ordo erat in confesso, ut omnes haeretici eum uti nimis evidentem admiserint, suaque erronea placita iuxta hunc ipsum ordinem evolverint. Ratio autem tum in Symbolis, tum in scriptis Patrum assignata passim est, Patrem esse sine principio, Filium a Patre, Spiritum a Patre et a Filio, vel a Patre per Filium [1]. Unde inter Patres nulla unquam controversia, nec in modo loquendi discrepantia, si mere de *ordine* SS. Trinitatis quaeritur; at aliter interdum et aliter statuunt de *prioritate*, secundum quod hanc vocem in sensu magis vel minus stricto intelligunt.

Ordinem in tribus personis divinis egregie proclamat ac illustrat S. Gregorius Nazianzenus: « Ut igitur ad rem acce-
« damus, tres antiquissimae de Deo sententiae sunt, anarchia,
« polyarchia, monarchia. Ac duae quidem priores ab ethnicis
« lusae sunt, et sane ludantur. At nos unius Dei principa-
« tum colimus. Unius autem principatum dico, non quem
« persona una circumscribit, sed quem aequalis naturae digni-
« tas constituit, et voluntatis consensio motusque identitas,
« atque ad unum, eorum, quae ex ipso sunt, conspiratio.
« Quocirca unitas, principio in binarium mota, in trinitate
« consistit. Atque hoc nobis est Pater et Filius et Spiritus
« Sanctus » [2]. Hunc autem ordinem esse sine prioritate, idem

[1] Ita si solum Symbolum Athanasianum consideras, frequens mentio divinarum personarum semper iuxta eumdem ordinem praestatutum habetur. Ratio autem additur: « Pater a nullo.... Filius a Patre solo.... Spiritus Sanctus a Patre et Filio ». Est ergo ordo naturae.

[2] Orat. 29.

« alibi affirmat: « Etsi Pater dedit Filio, non tamen quasi « posteriori dedit. Quia increata et inaestimabilis Trinitas, « unius est aeternitatis et gloriae: nec tempus, nec gradum, « nec posterioris recipit vel prioris » [1].

Haec quidem rectissime, iuxta propriam significationem prioritatis, qua aliquid ordini superaddit. Si autem sumatur prioritas in sensu latiori, quasi synonymo ordinis, absque errore in re poterit prioritas, sive praecedentia in SS. Trinitate praedicari. Nonne superius vidimus, ipsum vocabulum « causa » a Graecis saepe sumi in sensu principii?

Hoc sensu dixit S. Basilius: « Nos autem secundum habi- « tudinem causarum ad ea quae ex ipsis sunt, Patrem Filio « praeponi dicimus; naturae vero diversitate nequaquam, « neque temporis excessu » [2]. Et Origenes: « Praecedit Pater « Verbum non natura, sed causa; Pater praecedit Filium « causaliter » [3]. - Apud Latinos ita Tertullianus in SS. Trinitate non quidem « statum » ponit sed « gradum » [4]. Nec ipse Augustinus, acerrimus aequalitatis divinarum personarum doctor ac vindex, semper a minus stricta locutione temperavit: « Iustis manifestum erit, quomodo Pater non praecessit « Filium tempore, sed origine, nec Spiritum Sanctum » [5].

Praeclare simultaneitatem Patris et Filii S. Petrus Chrysologus ita vindicat: « Sed dicit haereticus, quomodo Pater, « si non praecedit? quomodo Filius, si non sequitur? quo- « modo non dat initium, qui generat? quomodo quod gene- « ratur, principium [6] a generante non sumit? Hoc ratio docet, « hoc natura probat. - Erras, haeretice, hoc habet humana « ratio, non habet hoc divina; hoc accipit natura mundi, « deitatis non recipit hoc natura » [7].

In Corpore. Tota argumentatio collata cum *sed contra*

[1] Or. 3, *de Theol.*

[2] *Cf. Eunom.*, l. I. Imo infra S. Basilius in personis SS. Trinitatis aliquam praecedentiam graduum seu dignitatis admittit; at in eodem sensu, propter ordinem naturae (Ibid. l. III, n. 1). — Difficilior est sententia S. Chrysostomi, forte melius cum respectu ad incarnationem explicanda: « Priusquam nasceretur, Unigenitus in « suo Genitore generandus manebat » (Hom. I. *de fide in Christo*).

[3] Homil. 2. in div.

[4] *Apol.* n. 21; *Adv. Prax.* n. 1, 13.

[5] Lib. *de triplici habitac.*, c. 6.

[6] Intellige utique principium cum initio.

[7] Serm. 60.

est reducitur ad duplicem simplicissimum syllogismum, alterum directum, alterum indirectum. 1) *Directum* hoc modo: Ubicumque adest habitudo principiati ad principium, ibi et ordo. Atqui in SS. Trinitate propter geminam viam originis datur duplex habitudo principii. Ergo datur ordo secundum eamdem originem; at sine prioritate, ratione coaeternitatis. - 2) *Indirectum* ita: Ubicumque habentur plures, nisi ordine ad invicem referantur, datur confusio. Atqui in divinis sunt tres, et quaevis confusio repugnat. Ergo inter hos tres ordo habetur. - Directum argumentum praestat indirecto tum quia directum, tum quia non solum dari ordinem, sed et ipsam huius ordinis indolem evincit.

Adverte, ordinem absque prioritate, quo alter est ex altero, non autem prius altero, re convenire cum illa, quam supra vocavimus, una cum theologis optimi nominis, *prioritatem a quo,* non *in quo.* Idem est conceptus, licet diversus modus eum exprimendi. Quae autem superius variis in locis de ordine logico in divinis diximus, ad normam praesentis articuli intelligenda monemus.

Conclusio. Iam conferendo inter se doctrinam praesentis articuli et articuli 4. Quaestionis XL, sequens admittendus est in SS. Trinitate ordo naturae; imo quoad partem, prioritas secundum intellectum. 1) Initio habetur Pater, consideratus uti principium sine principio, sive uti in sua subsistentia constitutus, auctor actus generandi. - 2) Actus notionalis generandi, sive prima processio considerata uti origo activa. - 2) Generatio, uti origo passiva. - 4) Paternitas et filiatio, sine prioritate neque secundum intellectum, uti sunt relationes subsistentes, sive Pater et Filius cum ordine naturae unius ab altero. - 5) Actus notionalis spirandi, sive altera processio uti origo activa. - 6) Spiratio uti origo passiva. - 7) Spiratio activa et passiva uti sunt relationes subsistentes, sive Pater et Filius, uti spirantes, et Spiritus Sanctus, de quorum simultaneitate, cum ordine tamen naturae, loquendum est sicuti in n. 4. de Patre et Filio ad invicem.

Ubi adverte, logicum ordinem inter 2.^{m} et 3.^{m}, 5.^{m} et 6.^{m} peti partim ex ipsa natura rei, partim a nostro imperfecto modo cognoscendi. A natura rei, quum sit fundamentum ordinis naturae, sive illius quam superius vocavimus priorita-

tem *a quo;* a nostro modo imperfecto cognoscendi, quatenus processionem cum motu concipimus, in quo distinguitur exitus activus et terminatio passiva.

Obiicies, si in interna faecunditate divinae naturae tales dantur respectus praeintellectionis, nonne magis videtur Spiritus Sanctus distare a Patre et Filio, quam Filius a Patre, ac proin eiusdem consubstantialitas minus constare? - Huic obiectioni multipliciter respondetur. 1) Verum est - et ipse S. Thomas id aperte docet - inter simultaneitatem relationum secundae ac prioris processionis hoc interesse, quod in illa Pater et Filius, uterque spirans, iam praeintelliguntur in sua mutua relatione constituti, dum in hac simul constituuntur. At, penitius investiganti apparet etiam in priori processione Patrem, uti est principium actus generandi, praeintelligi paternitati, uti relationi subsistenti. Unde datur paritas quoad ordinem praeintellectionis, nisi quod praeintellectio in Patre non habet rationem relationis subsistentis; dum praeintellectio in Patre et Filio eam habet. Sed neque eam habet formalissime, quum sint uterque spirans ad modum unius principii.

2) Etiamsi quoad praeintellectionem haec obiecta disparitas simpliciter esset concedenda, non inde sequeretur, magis distare Spiritum Sanctum, uti adventitium. Haec enim obiectio supponit, agi hic de praeintellectione prioritatem realem involvente, quod falsissimum est. Unde quemadmodum ipse ordo naturae nedum consubstantialitati ac ita perfectae aequalitati inter Patrem et Filium obsit, eam potius exigit ac ponit; pari ratione dicendum est de quocumque ordinis respectu sine quo SS. Trinitatis constitutio intelligi non valeat. Iam vero illa praeintellectio quam quoad Spiritum Sanctum defendimus, huiusmodi est; ergo nedum aequalitatem tertiae personae infirmet, eam fulcit atque corroborat.

3) Et re quidem vera, gemina processio nullum involvit prioritatem realem, seu prioritatem *in quo.* Unico instanti reali tota SS. Trinitas circumfulget. Secus, quomodo potuissemus superius docere, Verbum procedere ex cognitione ipsius Spiritus Sancti; nisi altera processio cum Verbi prolatione coaeterna esset ac vere simultanea?

Repones forte: Utique procedere dixisti Verbum ex co-

gnito Spiritu Sancto, at non tam formaliter quam ex cognito Verbo. - *Resp.:* Hanc distinctionem nullatenus in hoc sensu adduximus, ac si cognitus Spiritus Sanctus solummodo concomitanter ingrederetur scientiam Dei, quam Pater gignendo Verbum dicit. Imo hanc mere concomitantiam reiecimus. At ostendere voluimus, prolationem Verbi ex cognito Verbo non posse, neque per abstractionem a generatione perfecta et aeterna Verbi seiungi; dum cognitio Spiritus Sancti potest per abstractionem ab ea semoveri, haud secus ac ipsa secunda processio a priori. Quare, ne lis de formula fiat, Verbum procedit ex cognitione Spiritus Sancti simul formaliter at non tam formaliter; formaliter, quatenus non mere concomitanter sive materialiter; non tam formaliter, quatenus non aeque essentialiter prae nostro modo intelligendi [1].

Corollarium I. - Quem in SS. Trinitate theologi ordinem vindicant, potest ex ipsa Trinitatis voce illustrari: unitas enim logice praecedit dualitatem, et dualitas praecedit trinitatem; quare primus est Pater uti principium, et Pater et Filius - in sensu utique supra exposito - Spiritum Sanctum ordine praecedunt. Hoc sensu ait Richardus: « Naturaliter « prior est dualitas quam trinitas. Nam illa potest esse sine « ista, ista vero nunquam sine illa » [2]. Idem dic de unitate prae dualitate.

Corollarium II. - Ad doctrinam praesentis articuli optime reduci potest appellatio mediatae et immediatae simul ac mediatae processionis in SS. Trinitate, quatenus, nisi verus ibi adsit ordo, haec appellatio omni fundamento caret. Ita rursus Richardus. « Processio immediata consistit in perso- « narum dualitate, mediata vero nunquam sine personarum « trinitate » [3]. Processio Filii a Patre simpliciter immediata est. Processio autem Spiritus Sancti a Patre et Filio simul immediata ab utroque, quatenus est a Patre et a Filio, utroque spirante, et mediata, quatenus Filii generatio spirationem

[1] Praeter ea quae ibidem sat fuse exposuimus, adverte Verbum non procedere ex cognito Verbo uti iam prolato; neque ex cognito Spiritu Sancto uti iam dato; hoc enim intrinsece repugnaret; procedit ex cognito seipso Verbo procedente, atque in eodem aeterno immobili iugique instante, una cum Patre Spiritum dante.

[2] Op. cit.

[3] Ibid.

logice praecedit. Et exemplum adducitur ex modo quo Abel erat simul mediate et immediate ab Adamo, quatenus eductio Evae ex Adamo faecunditatem ipsius Evae praecessit.

Corollarium III. - Ex modo quo catholica doctrina evincit processionem Spiritus Sancti a Patre simul et Filio, oritur ordo longe arctior quam habetur iuxta haeresim photianam. In hac enim personarum ordo unice salvatur per ordinem processionum; in catholica autem doctrina habetur insuper in Filio ordo processionis activae et passivae; quare vinculum naturae immediate afficit omnes personas ad invicem, et perficitur triangulus clausus (fig. A); dum in photiana haeresi non habetur nisi angulus, seu triangulus apertus (fig. B).



(fig. A).



(fig. B).

Unde in haeresi photiana duplex processio est aeque simpliciter immediata, sed nexus inter Filium et Spiritum non est nisi mediatus. In doctrina autem catholica processio quidem Spiritus Sancti est immediata simul et mediata; sed nexus inter Filium est Spiritum Sanctum est immediatus. Quare photiana haeresis tum unitatem, tum ordinem, tum vinculum SS. Trinitatis relaxat; e contra catholica doctrina simul urget haec tria, ac ita longe melius servat virtutem ipsius locutionis quam Graeci Latinis opponere solent: Spiritum scilicet procedere a Patre per Filium, quum medietatem hanc intelligat non mere materialem, sed et formalem, utpote causalem.

ARTICULUS IV.

UTRUM FILIUS SIT AEQUALIS PATRI SECUNDUM MAGNITUDINEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) In primo articulo huius Quaestionis de aequalitate divinarum personarum in genere quaesivimus; ibique iam praemisimus, aequalitatem in Deo praedicari debere secundum perfectionem essentiae, quia Deo esse maius, est esse melius seu perfectius. Haec autem aequalitas quae in genere ex hoc principio ad intra divinarum personarum fluit, sedulius prescrutanda superest. Aliis verbis, probata re, investigandus iam penitius est rei modus.

2) Discrimen inter utrumque quaesitum apparet ex diversa solutione quam ei dare solent theologi. Dum enim nemo catholicus negat doctrinam articuli primi, neque, quoad essentiam, articuli huius quarti; circa modum huius aequalitatis illustrandae ac vindicandae in diversa abeunt.

3) Quod subtilius problema ad hoc reducitur. Quum ex una parte magnitudinis quaestio sit quaestio de *quid* et non de *ad aliquid;* ex altera vero relatio habeat simul elementum *quid* et elementum *ad aliquid:* quaeritur, inquam, utrum perfectio unice praedicanda sit de relatione in quantum dicit *quid;* an etiam in quantum dicit *ad aliquid.* Qui cum S. Thoma prius tenent, facillime se omnibus difficultatibus expediunt; qui autem tenent et alterum, multum insudant, et quidem rursus in duas partes scinduntur.

4) Alii cum Suarezio distinguunt in Deo inter perfectiones absolutas, simpliciter simplices, quae formaliter sunt communes tribus personis SS. Trinitatis; et perfectiones relativas, non simpliciter simplices, quae formaliter quidem existunt singulae in singulis personis, at nonnisi eminenter in aliis. - Alii, cum card. Franzelin, huic doctrinae temperamentum inducentes, non admittunt quidem distinctionem inter perfectiones simpliciter simplices et non simpliciter simplices; attamen putant distinguendum esse inter perfectiones relativas et absolutas.

5) Antequam sententiam S. Thomae vindicemus, - quam

e modernioribus Cl. Billot egregie illustrat [1], - duo praemittere iuvat. *a*) Aequalitas in magnitudine est alia in magnitudine *limitata*, alia in magnitudine *infinita*. Prior potest obtineri per meram aequipollentiam: v. gr., duae classes invicem agressurae, dici poterunt aequales si pondere navium, robore militum aequivaleant, quin tamen nec forma, nec numero navium ideo convenire dicendae sint. Imo neque alia dari potest aequalitas finitorum realiter distinctorum nisi aequipollentiae, si pressius aequale sumatur, propter distinctam omnino entitatem. At non ita aequalitas infinitorum [2]; quae ob ipsam infinitatem nequit esse aequipollentiae: ubi enim vere infinitum habetur, entitas una sit oportet, ens quippe infinitum nequit esse nisi unum.

b) Aequalitas de qua hic agitur, non est mere aequationis personarum singularum ad singulas invicem; sed et inter personas quovis modo ad alias et ad ipsam SS. Trinitatem relatas. Scilicet, uti loco suo probavimus, non solum tantus est Spiritus Sanctus quantus Pater aut quantus Filius; sed et quantus Pater simul et Filius, imo quanta tota SS. Trinitas.

Conclude ex utroque praenotamine, non sufficientem esse problematis solutionem, quae quidem aequipollentiam divinarum personarum demonstrat ad invicem singillatim, at non perfectam aequalitatem sive singillatim, sive simul quovis modo collatarum.

6) His praemissis, sine labore demonstratur sententia S. Thomae, quae caeteroquin iam hoc aureo axiomate S. Augustini continetur: « Originis quaestio est, quis de quo sit; « aequalitatis autem, qualis et quantus sit ». Iam vero iuxta eumdem Doctorem quantitas in Deo nihil aliud est nisi perfectio seu esse; esse autem in Deo unum est sicut essentia. Utique istud unum esse habet respectum absoluti et relativi; sed ut relativum dicit *ad aliquid;* ut absolutum dicit *quid*. Quum ergo quantitatis quaestio respiciat *quid*, et non *ad aliquid*, quantitas divinarum personarum seu magnitudo una atque eadem est, quia tres personae sunt unum *quid*.

[1] Op. cit., p. 280 sq.; cf. p. 86 sq.

[2] Intellige hic infinita absolute seu simpliciter. Remitto ad philosophos quaestionem, an aliquid possit esse simul vere infinitum secundum unam rationem et finitum secundum aliam.

Quaerere igitur, utrum eadem sit magnitudo Filii et Patris, est quaerere, utrum Pater et Filius sint unus Deus. Unde, si urgere rem quis velit, quaestioni utrum tantus sit Filius quantus Pater, posset responderi negando suppositum. Sunt quippe idem *quantum,* quia idem *quid;* comparatio autem stricte dicta in quantitate supponit non solum distinctos aliunde, sed et ratione quantitatis. Quare optime quis diceret, Filium potius esse magnitudine idem cum Patre quam Patri aequalem. Distincti quippe sunt realissime Pater et Filius, sed ratione originis, non autem ratione magnitudinis.

Quo principio semel firmato omnes difficultates quae ex comparatione perfectionis propriae singularum personarum moveri solent, absque magno labore solvuntur: truncantur quippe ipso capite. Quaerenti utrum tanta perfectio sit filiatio quanta paternitas; sola spiratio passiva quanta spiratio activa simul cum paternitate, etc., respondeo: non solum est aequalis perfectio, sed est re idem, licet subsistens in diversis personis. Scilicet sub ratione perfectionis paternitas in Patre est ipsa filiatio in Filio; spiratio passiva in Spiritu Sancto est ipsa spiratio activa et paternitas in Patre, etc.

Optime sane Kleutgen de hoc argumento thesim ita formulat: « Proprietates sive relationes personales aequalitati « personarum divinarum perfectae non obsunt, propterea « quod de aequalitate iudicandum non est ex iis quae relative, « sed ex iis solis, quae absolute personis conveniunt ». Et expositionem theseos hisce verbis exorditur: « Quaestio de « aequalitate, ut eius definitione constat, referenda tota est ad « ea, quibus res magnae, bonae, dignae sunt, non autem ad « rerum distinctionem et originem. Distinctio rerum non « facit, ut res sint maiores vel minores, sed ut sint plures; « nec origo unius ab altera per se magnitudinis fert discri- « men. Neque enim lumen eo ipso, quod de lumine propa- « gatum est, hoc vel maius, vel minus; nec filius, quia a « patre genitus, eo vel melior vel peior est. Atqui divinae « personae, ut magnae, bonae, dignae sint, ab essentia habent, « a relationibus autem, ut distinctae aliaeque ab aliis ortae « sint » [1].

[1] *Institutiones theolog.*, t. I, p. 689, n. 1082.

7) Merita huius solutionis simul profundissimae ac facillimae ex sequentibus magis apparent:

a) Salvat perfectam simplicitatem divini entis, quam nec sententia Suarezii, nec ipsa sententia Cardinalis Franzelin sufficienter tuentur. - *b*) Explicat non solum aequivalentiam divinarum personarum, sed et plenam aequalitatem, usque ad identitatem; quam rursus aequalitatem perfectam, aliae sententiae minus explicant. - *c*) Demonstrat aequalitatem non solum unius personae relate ad alias singulas, sed et ad alias ambas, imo ad totam SS. Trinitatem simul sumptam; in quo rursus aliae sententiae deficiunt; imo neque satis ostendere valent quomodo persona in qua una dumtaxat habetur relatio, aequalis sit personae in qua habentur duae. - *d*) Manifestum reddit, quomodo in divinis oppositio dari possit, absque ullo praeiudicio entis infiniti. Oppositio enim non habetur secundum *quid*, sed secundum *ad aliquid*. Cur? quia relationes per quas opponuntur personae, non dicunt *quid* in quantum sunt relatio, sed in quantum sunt subsistentes. - *e*) Egregie illustrat ac vindicat, quomodo possit unum quid esse tres distincti, et quomodo hi tres distincti possint esse non solum aequales, sed infiniti. - *f*) Verbo, haec doctrina est consequens doctrinae ad quam per analysim relationum superius pervenimus, scilicet Deum esse simul Summum Absolutum et Summum Relativum. - *g*) Unde corroborat rigorem quo tota catholica traditio vetat, quae in divinis entitatem exprimunt, ullo modo multiplicari.

8) Ex dictis patet, quid censeamus de sententiis Suarezii et Card. Franzelin. - *a*) Prima displicet, quia distinctio quam inducit implicare videtur praecisionem obiectivam, quae repugnat simplicitati divinarum personarum.

b) Sed neque placet omnino sententia ab altero theologo propugnata, qua distinguitur inter perfectiones relativas et absolutas, has quidem formaliter cuivis personae inexistentes, utpote ipsam essentiam divinam; illas nonnisi in singulis quas constituunt formaliter, in reliquis eminenter tantum.

Haec enim sententia, si urgetur, in sententiam Suarezii incidit; si vero, uti conatur efficere doctus Cardinalis, explicatur per meram communicationem unius essentiae

cum qua quaevis persona re identificatur, inutiliter inducta videtur. Idem et amplius dicatur de modo nimis complexo quo de hac questione loquitur Ruiz a Franzelin allegatus [1].

Verba Ruiz ita sonant: « Pater habet in se totum Filium « et eius filiationem tanquam terminum perfectum operationis « vitalis, h. e., tanquam Verbum eiusdem omnino substantiae; « proindeque Pater intra seipsum filiationem habet tanquam « perfectionem sibi debitam et suam, sine qua foret defec- « tuosus.... Nam et arbor perficitur fructu sibi unito et in ipsa « manente; intellectus creatus perficitur verbo mentis pro- « ducto per intellectum et manente in ipso intellectu. Ergo « a fortiori Pater perficitur Filio, quippe qui fructus est « vitaliter productus et quidditative postulans coniungi cum « sua radice seu principio, et ut Verbum productum per « actionem immanentem intellectus paterni. Ergo Pater ad « sui perfectionem quidditative postulat intra se ipsum et in « se continere perfectionem filiationis, non tanquam consti- « tutivam suae personae, sed tanquam decus et ornamentum « suae personae » [2].

Haec putamus iuxta nimis crassam intelligentiam mysterii dicta. Longe melius S. Thomas: « Cum enim hoc Verbum in « Deo ponatur per hoc quod Deus seipsum intelligit, sui Ver- « bum intelligibile concipiendo, oportet si aliquando Dei Ver- « bum non fuit, quod tunc Deus seipsum non intelligit » [3]. Hoc utique verissimum. At non inde sequitur, perfectionem Patris per perfectionem Filii augeri et quasi quidditative perfici. Utique nisi proferret Verbum generando, Pater perfectus non esset. Sed cur? Quia non haberet divinam illam naturam cuius infinita faecunditas producit per viam intellectionis et amoris. Quare totum reducitur ad *quid* divinae ipsius essentiae.

Standum igitur simpliciori simul ac profundiori sententiae Aquinatis, qua *a*) circumincessio non uti fundamentum aequalitatis divinarum personarum statuitur, sed tanquam consequens eiusdem (cf. art. seq.); *b*) nunquam permiscentur *quid*

[1] Op. cit. p. 218.
[2] Dist. xxx, sect. 6, n. 13, 14.
[3] *Compend. theol.* c. 43. — Cf. *Opusc. I. contr. error. Graecor.*, c. 7.

et *ad quid;* ac proin perfectio semper ad absolutum refertur, nunquam vero ad relativum [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad duplicem naturam Filii incarnati. Neque considerat significationem impropriam maioritatis tanquam synonymae principii; iuxta quam significationem aliqui Patres graeci allatam sententiam de ipsa *natura* divina Filii, uti Filii interpretati sunt [2].

2. Obi. Non attendit ex dictis dignitatem paternitatis in Patre esse ipsam dignitatem filiationis in Filio; quo prae oculis habito, non modo truncatur, sed et retorquetur obiectio. Solutio huius difficultatis totam S. Th. doctrinam continet.

3. Obi. Arguit perperam, ac si relatio et persona in divinis praedicarentur ad modum universalis. Quae sunt particularia sub universali differunt secundum *quid;* non autem quae sunt distincta tantum propter relationis oppositionem, unum vero secundum eamdem numerice naturam. Quare allatum exemplum deficit nimis.

Sed contra est. Ex Scripturis praeter locum hic allatum, habes maxime: « Propterea ergo magis quaerebant Iudaei « ipsum interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed « et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo » [3]. Necnon verba Christi ipsius: « Ego et Pater unum sumus » [4]: ergo nulla inter nos inaequalitas esse potest. - Item Symbolum Athanasianum: « Qualis Pater, talis Filius, talis Spi- « ritus Sanctus » [5].

[1] Caeterum inter ipsos Thomistas de hoc argumento controversia habetur: « In « hac quaestione, ait Gotti, divisos invenio Thomistas, multis negativae parti adhe- « rentibus » (scilicet utrum relatio dicat perfectionem secundum *ad quid*, distinctam virtualiter a respectu *quid*). « Ego vero libentius aliis subscribo affirmativam tuen- « tibus ». Unde thesim formulat: « Relationes divinae afferunt specialem perfectionem « de genere relativo virtualiter distinctam a perfectione absoluta divinae essentiae ». (Tr. VII. *De Deo trino.* q. 3. dub. 2. § 1).

[2] De obiectione petita ex hac locutione Domini lege inter alios S. Augustinum qui maxime insistit explicationi iuxta naturam Verbi assumptam. Unde animadvertit, nunquam dici de Spiritu Sancto, licet hic procedat non tantum de Patre, sed et de Filio. (*Ctr. Maxim.* l. I, c. 5, 19. — *P. L.* t. XLII, col. 746, 756; — *de Trinit.* l. II, cap. 6, l. VI, c. 3. Ibid. col. 851, 916). — Cf. ALCUINUM (op. cit. col. 41, 42).

[3] IOANN., V, 18.

[4] IOANN., X, 30.

[5] Cf. loca allata in art. 1.

Pariter efficacissime declarat Concil. Later. IV: « Una « summa res, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus « Sanctus: tres simul personae, et quaelibet earumdem ».

Ex Patribus graecis iuvat afferre pulcherrimum locum S. Gregorii Nazianzeni: « Quid ergo est, inquiunt, quod Spi- « ritui deest, ad hoc ut sit Filius? Nisi enim aliquid dees- « set, Filius esset. Deesse nihil dicimus. Non enim Deo « quidquam deest. Verum manifestationis, ut ita dicam, « mutuaeque eorum relationis (σχέσεως) differentia, diversa « quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid « deest, ad hoc ut sit Pater (nec enim defectus est filiatio), « nec propterea tamen Pater est. Alioquin eadem ratione Patri « aliquid deerit, ad hoc ut sit Filius. Nec enim Pater Filius est. « Sed haec defectum procul dubio undequaque non arguunt, « nec essentiae submissionem: quin potius ex his verbis: « quod « genitus non sit, et quod genitus, et quod procedat » hoc « effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus « Sanctus appelletur, atque ita inconfusa trium personarum « distinctio in una divinitatis natura et dignitate conservetur. « Neque enim Filius est Pater (unus enim est Pater), sed est « id quod Pater: nec Spiritus est Filius, quia ex Deo est « (unus enim Unigenitus), sed est id quod Filius; tria haec « unum, si divinitatem spectes, et unum tria, si proprietatum « rationem habeas; ut nec unum Sabellio faveat, nec tria « pestiferae divisioni, quae hac tempestate viget » [1].

Ex latinis Patribus ecce celeberrimum locum S. Augustini: « Hic in rebus corporeis, non tantum est res una quantum « tres simul, et plus aliquid sunt duae quam una res: caete- « rum in illa summa Trinitate tantum est una quantum tres « simul, nec plus aliquid sunt duae quam una; et in se infi- « nita sunt. Ita et singula sunt in singulis et omnia in sin- « gulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et *unum* « *omnia* » [2]. Quae ultima verba rationem intimam mysterii continent; et maxime vera sonant in sententia quam vindicamus. Ac paulo superius in eodem libro Hipponensis dixe-

[1] Op. cit., n. 9. — *P. G.* t. XXXVI., col. 142, 143.

[2] *De Trin.*, l. VI, n. 12. — Vide ex his, quo modo S. Augustinus ex perfecta aequalitate immediate mutuam inhaerentiam sive circumsessionem deducat; non e converso.

rat: « In ipso igitur Deo cum adhaeret aequali Patri Filius « aequalis, non fit maior Deus, quam singuli eorum, quia « non est quo crescat illa perfectio. Perfectus autem sive « Pater, sive Filius, sive Spiritus Sanctus, et perfectus Deus « Pater et Filius et Spiritus Sanctus » [1] Ergo Augustinus. unam perfectionem intelligit, sicut unum Deum; ergo iuxta ipsum perfectionis quaestio est quaestio de *quid,* non de *ad aliquid.* Quod idem exprimit Damascenus hac brevi sententia: « Confitemur Deitatis naturam omnem perfecte esse in sin- « gula suarum hypostaseon, omnem in Patre, etc. Ideoque « perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus « Spiritus Sanctus » [2].

Eamdem veritatem bene illustrat S. Petrus Damiani sequentibus verbis, in quibus etiam praecedentes articuli veluti synthetice contrahuntur: « Qui (Filius) non creatus, sed ante « saecula genitus; verus Deus per omnia sicut Pater, et unius « cum Patre substantiae, quamvis alterius sit personae. Nec « posterior tempore, vel inferior dignitate, vel impotentior « est virtute; sed omnino tantus est genitus, quantus et ille « qui genuit. Et quanquam genitus a Patre Filius asseratur « nullum tamen ei, sicut nec Patri, tempus ascribitur. Nam « qui Patrem confitetur aeternum, necessarium est, ut et « Filium ei perhibeat coaeternum. Nimirum quia Pater ante « saecula semper extitit, absque ullo prorsus initio et Filium « semper habuit. Neque enim esse Pater aeternaliter potuisset, « si Filium aeternaliter non haberet.... Singulus quisque horum « plena et perfecta et aeterna substantia: et simul omnes « aeque simplex et una substantia. Unde non est maius ali- « quid, vel plenius Pater et Filius et Spiritus Sanctus simul « dicti, quam cum dicitur una quaelibet ex eadem sancta « Trinitate persona » [3].

In Corpore. Nulla difficultas in argumento. Quod hic expresse de Filio quaeritur, pari ratione de Spiritu Sancto valet. Maior autem ratio urgetur ut Filius aequalis Patri per omnia demonstretur, propter impietatem Arianorum. Quos confutabat dogma catholicum, ideo tanta virtute a Patribus

[1] Ibid., n. 8.
[2] *De Fid. orth.,* l. III, 6.
[3] *De Fid. cath.,* c. 1. — *P. L.* t. CXLV, col. 21, sq.

inculcatum: Filium scilicet, qua Deus est, nullo modo Patre minorem esse, sed ex toto perfectissime aequalem.

Corollarium. Doctrina huius articuli omnino concordat cum doctrina Lombardi (I. Sent. Dist. VII), qua dicit, eamdem esse potentiam in Patre ut gignat et in Filio ut gignatur; ac ita nullam inde sequi inter utrumque inaequalitatem ex hoc quod alter habeat potestatem generandi, alter ea careat [1]. Sed de hoc aspectu aequalitatis mox sermo erit ex professo.

ARTICULUS V.

UTRUM FILIUS SIT IN PATRE ET E CONVERSO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus huius articuli cum praecedente manifestus est; quare omnes passim theologi utrumque de aequalitate et de inexistentia divinarum personarum quaesitum coniungunt. At non eumdem tenent ordinem. Alii enim considerant hanc divinarum personarum inexistentiam sive περιχώρησιν, tanquam consequens earumdem aequalitatis in magnitudine. Ita S. Thomas. Alii, uti Card. Franzelin, putant potius perfectum conceptum huius aequalitatis per ipsam περιχώρησιν obtineri. Ratio patet ex duplici sententia in praecedenti articulo exposita. Quo magis enim inter perfectiones absolutas et relativas distinguis, eo magis quoque oportet ut per mutuam compenetrationem aequalitatem obtineas et apparentem inaequalitatem veluti compenses. E contra, si nonnisi unam perfectionem sicuti unam quidditatem in divinis admittis, ex communione huius quidditatis habes radicitus tum aequalitatem inter ipsos communicantes, tum communicantium inexistentiam. Quum ergo in articulo praecedenti Aquinati adhaeserimus, iam patet Angelici ordinem ac conceptum nobis magis placere: περιχώρησιν scilicet potius esse logicum aequalitatis consequens, quam e converso.

2) Qua animadversione praemissa, investigemus primo de nomine περιχωρήσεως, dein de gradibus quibus ad eius altiorem notionem pervenitur.

[1] Cf. art. 6.

Quam Graeci passim περιχώρησιν vocant, sive habitudinem qua divinae personae in invicem existunt, teste ipso Domino dicente: « Ego in Patre et Pater in me est » [1], Latini non semper eodem vocabulo vertunt. S. Bonaventura eam vocat *circumincessionem* [2], Aureolus *circumcessionem* [3], recentiores autem passim *circuminsessionem*. Inter quae vocabula hoc forte interest, quod tertium potius tranquillam dicit possessionem mutuam atque inexistentiam, dum secundum atque magis primum eamdem cum maiori adsignificatione vitalis processionis exprimunt. - (Cf. explicationem *Corporis*).

3) Iam vero ad conceptum altiorem huius περιχωρήσεως per gradus assurgitur. *a*) *Primus gradus* consistit in hoc, ut περιχώρησις fingatur ad modum praesentiae reciprocae ratione immensitatis; veluti hoc syllogismo: Pater est immensus, Filius est immensus, ergo Pater est in Filio. Ita Suarez eam vocat « praesentiam intimam personarum inter se, quae « fundatur in earumdem personarum immensitate » [4]; et Ruiz: « Circuminsessio quidditative formaliterque consistit in prae- « sentia intima et inseparabili atque perpetua secundum im- « mensum ubi, ratione cuius implicat contradictionem, unam « personam esse alicubi, nisi ibidem existente ac proin prae- « sente alia persona » [5]. At haec sententia displicet nimis. Etenim procedit a crassa intelligentia divinae immensitatis, ac si esset aliquod *immensum ubi* absque limite. Insuper si haec ratio sufficeret, περιχώρησις esset extendenda ad totam creaturam, ad humanitatem Christi, possetque etiam a tritheistis admitti, quippe qui certo immensitatem trium deorum non negant. Iam vero περιχώρησις semper habita est veluti tessera exprimens simul distinctionem trium personarum atque earum unitatem in una eademque natura divina. Imperfectam hanc περιχωρήσεως notionem tritheistis quoque favere posse, ostendit ipse Ioannes Clericus, homo Arminianus, qui ab ipsa περιχώρησι contra unam substan-

[1] Ioann., xiv, 10.
[2] I. Dist. xix, p. i, q. 4.
[3] I. Dist. xix, p. ii, a. 1, prop. 2.
[4] L. iv, c. 16, n. 11, 12.
[5] Disp. 107, sect. 7. n. 9, 14.

tiam trium divinarum personarum mendaciter arguere non erubuit [1]. — Cf. Card. Franzelin, qui conceptum Suarezii egregie confutat.

b) *Secundus gradus* περιχωρήσεως iam est ille, in quo stat ipse doctus Cardinalis; iuxta quem, vi doctrinae in praecedenti articulo expositae, per ipsam περιχώρησιν perfectiones relativae unius personae fiunt etiam alterius, licet non formaliter, sed eminenter. Audiatur ipse: « Essentia divina est « plenitudo entis divini incapax sicut diminutionis, ita incre- « menti, una eademque identificata tum cum singulis, tum « cum omnibus tribus relationibus substantialibus sive per- « sonis, quamvis personae sub notione essentiae non explicite « concipiantur, sed comprehendantur implicite. Hinc tres per- « sonae sunt eadem plenitudo cum explicita expressione rela- « tionum substantialium; persona unaquaeque item est ple- « nitudo eadem cum explicita expressione unius relativi, et « cum comprehensione duarum reliquarum personarum, qua- « tenus identificantur cum essentia, et quatenus propterea « sub formali ratione relativorum pertinent non quidem ut « constituentes, sed ut termini immanentes ad perfectionem « personae uniuscuiusque. Qua in ultima ratione, ut patet, « reditur ad circuminsessionem » [2]. Quae verba possunt quidem ad optimum sensum trahi [3]; at cum Em. Auctor distinctionem propugnet inter perfectiones absolutas et relativas, debet ad normam huius sententiae explicari, uti patet ex modo quo ipse thesim suam XV. formulat: « Ex ratione circumin- « sessionis declaratur unitas perfectionis divinarum persona- « rum, quod 1) plenitudo perfectionis singularum, quatenus « relatione originis ad invicem referuntur, exigit ut una alias « habeat sibi immanentes; unde 2) totum perfectionis etiam « relativae trium personarum habent singulae, non quidem ut « constituens, sed per immanentiam necessariam; quae unitas « perfectionis 3) declaratur ex reali identitate tum omnium « tum singularum personarum cum infinita essentia divina ». Iam vero sicuti deficientem iudicavimus explicationem aequalitatis divinarum personarum ope distinctionis inter perfectio-

[1] Op. cit. p. 212 sq.

[2] Op. cit. p. 295.

[3] Quod adhuc magis valet de definitione περιχωρήσεως, quam p. 216. tradit.

nes absolutas et relativas, ita quoque dicendum credimus de circuminsessione in cuius conceptu eadem distinctio servatur.

c) *Tertius* proin *gradus* conceptionis περιχωρήσεως est ille, qui ad normam doctrinae a nobis in articulo praecedenti vindicatae exsurgit. Est quippe mutua veluti divinarum personarum comprehensio fundata in identificatione uniuscuiusque cum eadem numero natura, ratione cuius procedunt quidem ab invicem, at non ad extra sed ab intra, ita ut, quemadmodum conceptu non possunt relativa ab invicem seiungi, ita relativi divini neque possint re. Quae est ipsissima doctrina S. Thomae; nam haec una nostra formula triplex argumentum ab Angelico allatum complectitur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ac si in creatis deberet simile quid inveniri, quum oppositum constet. Scilicet si περιχώρησις est consequens unius summi absoluti et relativi; quum nihil huiusmodi in creatis obtineat, quomodo in creatis περιχώρησις vera haberi posset?

2. Obi. Negligit dicta in initio tractatus de duplici genere processionis ad intra et ad extra. De hac processione valet obiectio, de illa nequaquam.

3. Obi. Duo praetermittit: *a*) opposita esse unum in altero quoad intellectum semper; *b*) imo etiam re, quando opposita sunt simul unum ob essentiam communem. - Vides, tres obiectiones respondere triplici argumento *Corporis.*

Sed contra est. Περιχώρεσις demonstratur validissime 1) ex Scripturis, 2) ex definitionibus Ecclesiae, 3) ex Patrum auctoritate. 1) *Ex Scripturis:* « Ego et Pater unum sumus;.. ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre » [1]. - « Qui videt me, videt et Patrem.... Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? » [2]. - « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, etc. » [3]. - « Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei » [4].

[1] Ioann., x, 30, 38.
[2] Ibid. xiv, 9, 10.
[3] Ibid. xvii, 21. — Cf. I. Cor., ii, 11.
[4] I. Cor., ii, 11. — Cf.: « in sinu Patris ». Ioann., i, 18.

2) *Ex Conciliis.* Concil. Tolet. XI. in professione fidei ita loquitur: « Tres ergo illas unius et inseparabilis naturae per« sonas, sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus « praedicamus. Ita nobis dignata est ipsa Trinitas evidenter « ostendere, ut etiam in his nominibus quibus voluit singil« latim personas agnosci, unam sine altera non permittat « intelligi; nec enim Pater absque Filio cognoscitur, nec sine « Patre Filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli perso« nalis separari personas vetat, quas etiam, dum non simul « nominat, simul insinuat » [1]. - Ex Concil. Florent. in Decreto pro Iacobitis: « Propter hanc unitatem, Pater est totus in « Filio, totus in Spiritu Sancto; Filius totus in Patre, totus « in Spiritu Sancto; Spiritus Sanctus totus est in Patre, totus « in Filio » [2].

3) *Ex Patribus* sufficiat hic afferre celebrem locum Damasceni: « Scimus, hypostases non extra se invicem exce« dere, et ab invicem inseparabiles et unitas esse, et in « se invicem commeantes inconfuse; unitas quidem absque « confusione: tres enim sunt etiamsi uniantur; distinctas vero « absque separatione. Licet enim unaquaeque per se subsi« stat, hoc est, perfecta sit hypostasis, et suam proprietatem, « id est modum subsistendi distinctum habeat; at uniuntur « essentia et essentialibus attributis, adeoque non separantur « neque extra paternam hypostasim egrediuntur, atque unus « Deus sunt et dicuntur » [3].

Alias auctoritates mox adducemus ad corroborandum triplex argumentum *Corporis.*

In Corpore. - Duplici modo intelligi potest processus Aquinatis in hac argumentatione, secundum quod quis consideret verba uti iacent, vel magis res verbis expressas.

Priori modo fatendum est, ex tribus argumentis allatis primo soli plenam vim inesse ad demonstrandam περιχώρησιν realem perfectam. Alterum mere valet de περιχώρησι secundum intellectum; tertium demum ponit quidem immanentiam, sed imperfectam: verbum enim non est in intellectu ut eamdem habens ratione elementi communis dignitatem,

[1] Denzinger (Op. cit. n. 228).
[2] Ibid. n. 599.
[3] *Fid. orthod.* l. III, c. 5. — *P. G.* t. XCIV, col. 999.

sed ut accidens in subiecto; neque intellectus identificatur cum dicente, minus adhuc ipsius verbum.

Qua *Corporis* interpretatione admissa, difficultas non parva nascitur, ex eo ipso quod S. Doctor permisceat ordinem realem et intellectualem.

Conandum proinde ut alia huius doctrinae interpretatio stabiliatur. Quod non valde arduum apparet, si non verba solum, sed res verbis expressae perpendantur.

Primum argumentum, intactum remanens, constituit fundamentum inconcussum, cui superstruuntur rationes ulteriores in duobus argumentis sequentibus expositae. Procedunt scilicet ad modum instantiarum ex quibus nova lux veritati accedat.

Prima instantia haec est: Posita περιχώρησι ratione unius numero communis naturae, nonne perit conceptus oppositionis per relationes? - Respondetur: Imo iste conceptus ipsam περιχώρησιν urget. Nam correlativa nequeunt ab invicem separari. Coëxistunt tantum secundum intellectum in relativis creatis, in quibus propter distinctionem numericam naturarum, realiter coëxistere impediuntur. At in divinis, ubi deficit haec distinctionis ratio, coëxistunt et realiter.

Hic iam oritur altera instantia, hoc modo. Sed quid tunc de motu qui per processionem exprimitur? Quomodo potest iste consistere cum compenetratione reali realiter ad invicem oppositorum? - Respondetur pariter: Imo et iste motus περιχώρησιν complet. Est enim motus *ad intra,* cuius terminus, licet realissime distinctus, manet tamen non minus realiter in suo principio.

Hoc triplici gradu perficitur conceptus περιχωρήσεως. *a*) Primo gradui, quo exprimitur in unoquoque tranquilla possessio unius naturae et per consequens eam tam plene cohabentium, ut cum ipsa idem sint, respondet vocabulum *circuminsessio.* - *b*) Secundo gradui, in quo oppositi ad invicem considerantur, et proin aliquis motus unius ad alterum, adsignificatur, respondet magis vocabulum *circumcessio.* - *c*) Tertio demum, in quo hic ipse motus directe intenditur, respondet vocabulum *circumincessio* respectum motus pressius exprimens.

Primum rursus gradum directius respicit textus: « Ego et

« Pater unum sumus ». Secundum, alter textus: « Qui videt « me, videt et Patrem ». Tertium demum: « Ego in Patre et « Pater in me est ».

Quidquid autem sit de nexu inter tria argumenta ab Angelico in hoc *Corpore* allata, iam singula a Patribus illustrata ac vindicata videamus.

1) Primum argumentum ex communitate naturae deductum egregie evolvit S. Athanasius: " Ego in Patre et « Pater in me ". Est enim Filius in Patre, quatenus intelli- « gere licet, siquidem totum Esse Filii ipsum essentiae « Patris proprium est, quemadmodum ex luce splendor et « ex fonte fluvius, adeo ut qui videt Filium, videat id quod « proprium est Patris, et intelligat Filium esse in Patre, « cum Esse Filii sit a Patre communicatum. Est vero et « Pater in Filio, siquidem, quod proprium est Patris et ab « eo communicatum, hoc ipsum Filius est, sicut in splendore « sol, et in verbo mens, et in fluvio fons. Sic enim qui con- « templatur Filium, contemplatur quod Patris essentiae « proprium est, et agnoscit Patrem esse in Filio. Cum igitur « id quod proprium est Patri, nempe divinitas, sit Esse Filii, « consequens est, ut et Filius in Patre sit, et Pater in Filio. « Etenim propterea merito, cum antea dixisset: " ego et « Pater unum sumus " intulit illud: " ego in Patre et Pater « in me " ut identitatem divinitatis et unitatem essentiae « ostenderet » [1].

2) Secundum argumentum ex correlatione desumptum eloquenter exponit S. Dionysius Alex. penes Damascenum: « Nominum illorum quodlibet inseparabile est, nec a pro- « ximo dividi potest: Patrem dixi, et priusquam Filium subii- « ciam, hunc in Patre significavi; Filium subieci, et etiamsi « Patrem non ante nominassem, prorsus tamen in Filio iam « praeconceptus fuisset; Spiritum Sanctum adieci, simul « vero inclusi et a quo et per quem processerit » [2]. Cf. quae diximus in art. 2. et 3. huius quaestionis de simultaneitate etiam quoad intellectum inter correlativos Patrem et Filium, spiratorem et Spiritum.

3) Tertium autem argumentum a processionis immanentia

[1] Or. III, *ctr. Arian.* — *P. G.* t. XXVI, col. 327.
[2] *Eulog.* c. 1.

derivatum pulcherrime explicat S. Cyrillus Alexandrinus. « Est ex mente et in mente ratio semper, et mens in « ratione. Aut si haec vera esse negaverint, mens igitur « erit absque ratione et ratio sine mente, sicque inane erit « id, quod utramque patefacit ut sit, et ad nihilum redige- « tur. Mens quippe semper rationis radix est et origo, ratio « vicissim fructus et genimen mentis... Cum autem sit mens, « quia habet rationem, et vicissim ratio quia mente plena « est; quomodo unquam cogitaretur mens sine ratione et « ratio orbata mente?... Huius iam imaginis vis quomodo « congruet Patri et Filio? Aptissima inquam, et valde clara « est ostensio, quod Verbi est ex mente processio, et sine « passione generatio, et utique genitum non dividitur; sed « imo manet in mente generante; insuperque ostenditur, « Verbum habere consubstantialitatem immediate et etiam « nostra consideratione simultaneam subsistentiam ". Quibus ultimis verbis magnus Doctor et primum et secundum argumentum breviter sed nervose tangit [1].

Et S. Fulgentius discrimen urgens inter modum quo amicus est apud amicum, quin sit in amico, et quo Verbum est apud Deum, ita ut sit in Deo, Filius in Patre et Pater in Filio, eisdem fere verbis utitur: « Sic est Verbum apud « Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consi- « lium: cum enim mens apud se verbum habet, utique cogi- « tando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam « apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, et cogitando « verbum intra se generat, de sua substantia generat ver- « bum, et sic illud verbum generat de se, ut genitum habeat « apud se..... Et quia cogitante mente non est eius aliquid, « ubi in ea verbum non sit, ideo verbum tantum est, quanta « est mens ipsa de qua est, et cum apud illam est, in illa « est et quod ipsa mens est, hoc est verbum quod de illa « et in illa est; et quanta illa est, tantum etiam verbum est, « quia de tota et in tota est; tantumque est ipsum Verbum, « quanta simul est et mens ipsa cum verbo, neque enim sic « de illa verbum nascitur, ut ab ea localiter secernatur [2] ».

[1] *Dial.* II. *de Trin.*

[2] *Ad Monim.* l. III, c. 7. — *P. L.* t. LXV, col. 204. In rigore haec argumentatio non valet nisi de Verbo Dei, utpote substantialiter uno cum Patre dicente.

Doctrinam in genere efficacissime tradit S. Basilius. « Qui « Filium vere sumpserit, habebit ipsum utrimque secum « adducentem hinc Patrem suum, inde Spiritum Sanctum..... « Similiter et qui Patrem admiserit, etiam Filium et Spiri- « tum S. potestate simul admittit. Non enim potest aliqua « ullo pacto excogitari vel sectio, vel divisio, ut sive Filius « absque Patre intelligi, sive Spiritus a Filio seiungi queat, « sed ineffabilis quaedam et incomprehensibilis in his animad- « vertitur communio et distinctio » [1]. Inde, uti iam diximus, tam efficax est doctrina περιχωρήσεως ad confutandos undequaque et Tritheistas, et Monarchianos [2], et Subordinatianos.

Eloquenter quoque S. Augustinus circuminsessionem exponit: « Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus « est; alioquin minor est Pater solus aut Filius solus, quam « simul Pater et Filius. Quamquam non inveniatur, quomodo « dici possit aut Pater solus aut Filius solus, cum semper « atque inseparabiliter et ille cum Filio sit et ille cum Patre, « non ut ambo Pater aut ambo Filius, sed quia semper in « invicem, neuter solus [3] ».

Nec sane omittendum pulcherrimum testimonium S. Ioannis Damasceni. Expositis variis distinctionis rationibus quae in omnibus creaturis apparent, ait: « In sancta autem et « supersubstantiali et omnia transcendenti et incomprehensi- « bili Trinitate e diverso comparitur. Nam istic commune et « unum re consideratur, propter coaeternitatem et identita- « tem substantiae et operationis et voluntatis et consilii « conspirationem, et propter potestatis et virtutis et boni- « tatis identitatem. Non dixi similitudinem, sed identitatem... « Hoc autem est, quia secundum omnia unum sunt Pater,

[1] Ep. 38, al. 43, n. 4.

[2] Ita S. Augustinus ad verba: « Qui videt me, videt et Patrem » addit: « Non « quod ipse esset Pater et Filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patri- « passiani, catholica fides damnat; sed quod tamen similes sint Pater et Filius, ut qui « unum noverit, ambos noverit » (*In Ioann.* tr. 70. — P. L. t, xxxv, col. 1819). Et sane, urge usque ad ultimum consequens perfectam similitudinem divinarum personarum, pervenis, servata utique distinctione propter hypostases, ad conceptum περιχωρήσεως.

[3] *De Trin.* l. iv, c. 7. — *P. L.* t. xlii, col. 929.

« Filius et Spiritus Sanctus, praeter ingignentiam, gignen-
« tiam et processionem [1] ».

Corollarium I. - Circuminsessio divinarum personarum potest quadrupliciter considerari: *a*) quatenus omnes tres personae sunt in essentia divina; - *b*) quatenus Filius et Spiritus S. sunt in Patre; - *c*) quatenus Pater et Spiritus S. sunt in Filio; - *d*) quatenus Pater et Filius sunt in Spiritu Sancto [2]. - Discrimen apparet inter *a*) et reliqua tria. In primo enim non consideratur circuminsessio personarum ad invicem nisi aliquomodo, saltem apparenter, in communi quarto. Unde iste respectus est sedulo mitigandus. Non enim personae sunt proprie in essentia divina, sed sunt ipsa essentia divina. Si ita exprimitur *a*), iam continet in se, uti fundamentum, *b*) *c*) et *d*). - Porro si haec tria inter se confers, videntur aliquid peculiaris prae se ferre, quatenus relationum oppositiones aliter et aliter se praebent. In *b*) habemus duas oppositionis relationes diversas et utramque in ratione principii. In *c*) habemus pariter duas oppositiones, sed unam in ratione termini, alteram in ratione principii. - In *d*) non habemus nisi unam geminatam, eamque in ratione termini. Quare tota virtus περιχωρήσεως se exhibet, ut ita dicam, active in Patre, passive in Spiritu, in Filio autem simul active et passive; unde in medietate Filii quasi culmen suae plenitudinis prae nostro intellectu attingere videtur.

Corollarium II. Quemadmodum propter mutuam personarum inexistentiam, qui videt Filium, videt et Patrem, ita quoque qui credit in Patrem, credit in Filium: « Creditis in « Deum, et in me credite [3] ». Qui amat Patrem et amat Filium, et reciproce: « Qui diligit me, diligetur a Patre meo [4] ». Et ex opposito, odisse Filium est odisse Patrem: « Qui me odit, et Patrem meum odit » [5]. Hanc colligationem eloquenter exponit S. Gregorius Nazianzenus: « Finge Trinitatem mar-
« garitam quamdam esse, undique sibi similem atque aeque

[1] *De fid. orth.* I, 8. — *P. G.* t. XCIV, col. 827. — Cf. S. Hilarium: *De Trin.* l. VII, n. 31. — *P. L.* t. X, col. 226.

[2] Haec *b*) *c*) *d*) per triplex *Kyrie, Christe, Kyrie* in Missa recoli possunt.

[3] IOANN., XIV, 1.

[4] Ibid. 21.

[5] IOANN., XV, 23.

« fulgentem. Quaecumque margaritae pars oblaesa fuerit, « tota lapidis gratia extincta fuerit. Eodem modo, quum « Filium contemnis, ut Patrem honore afficias, tuum hono- « rem nihil moratur: ad contemptum Filii Pater haudqua- « quam glorificatur..... Si Spiritum Sanctum aspernaris, hono- « rem tuum Filius repudiat » [1].

Corollarium III. Ex doctrina de circumsessione divinarum personarum sequitur necessario nexu earumdem *inseparabilitas*. Ita enim in invicem insunt, ut ab invicem omnino seiungi non possint. Huc spectat quaestio quam movet B. Alcuinus: « Utrum Sancta Trinitas in personis separabilis vel « inseparabilis dicenda sit dum alius est Pater, alius Filius, « alius Spiritus Sanctus ». - Et optime respondet, concedens tres personas esse quidem alias et alias, non autem aliud et aliud, ac proin ob communem essentiam cum qua singulae identificantur, eas esse inseparabiles ab invicem. « Vere alius « est Pater quam Filius in persona, sicut Filius alius est in « persona quam Pater, et Spiritus Sanctus, alius est in per- « sona quam Pater et Filius. Non tamen aliud ille vel ille « in natura, vel in deitate aut in essentia. Nec enim Patrem « potes dicere, nisi Filium intelligas; nec Filium dicere, nisi « Patrem intelligas; nec Spiritum Sanctum, nisi intelligas « cuius sit [2]. Quocirca omnimodo inseparabilis est Sancta « Trinitas sicut in operibus, sic etiam in personis edicenda » [3].

Corollarium IV. - Quod in ultimis verbis B. Alcuinus adducit, ac in immediate praecedentibus probaverat [4], placet magis inverso ordine disponere: scilicet ab inseparabilitate divinarum personarum ab invicem concludere ad eorum inseparabilitatem ac proin *operationem communem ad extra*. Ratio patet. Etenim quae ad intra sunt, primordialia sunt; quae autem ad extra, conditionem accipiunt ab his quae sunt ad intra. Quare, ordine logico, inseparabilitas divinarum personarum ad intra est veluti fundamentum earumdem inseparabilitatis ad extra. Excepto utique opere Incarnationis,

[1] Or. 31, n. 12. Edit. Paris, 1609, col. 506.

[2] Adverte cauta verba. Spiritus appellat Spirantem, qui Spirans est Pater et Filius. Formaliter autem per se non appellat nec Patrem nec Filium.

[3] *Quaest.* XXVIII, *de Trin.* 9, 12. *P. L.* t. CI, col, 60.

[4] Ibid 9, 11.

quatenus terminatur in unionem hypostaticam, quae ex natura sui personalis esse debet.

Scholion. Conclude ex dictis: 1) In persona Christi Domini non solum adorandum esse Verbum Patris, hypostatica unione cum assumpta carne unitum; sed et Patrem ipsum et Filium, et quidem triplici titulo: *a*) immensitatis, iuxta verba Pauli ad Areopagitas; *b*) plenitudinis gratiae, iuxta verba Isaiae; *c*) circumsessionis, qui tertius titulus simul est singularis et altissimus, utpote cum ipsa divinitate Christi arcte colligatus.

2) In SS. Eucharistia recipitur directe Christi persona, iuxta utramque suam naturam; at simul ratione divinarum personarum inseparabilitatis, recipiuntur indirecte et Pater et Filius, tota scilicet SS. Trinitas. Verba enim Iesu ad Philippum: « Qui videt me, videt et Patrem meum », rectissime ita mutari possunt: « Qui recipit me, recipit et Patrem meum » [1].

Corollarium V. - Ne falsae notiones ex imperfecta repraesentatione nutriantur, cavendum est ab imaginibus quae modo nimis crasso, imo monstruoso περιχώρησιν exhibent. In monasterio quodam Styriae vidi opus sculpturae sat egregiae saec. XV. Deiparam a SS. Trinitate incoronatam repraesentans. Figura SS. Trinitatis ita est excogitata, ut sedentis corpus unum usque ad pectus, iam hinc tantopere dilatetur, ut exsurgant conversa ad invicem capita tria undequaque simillima, humeris coniunctis, et duobus tantum exstantibus brachiis ac manibus, quarum dextra manus Virgini benedicit, sinistra diademate caput eius adornat. Corpus unum, unitatem naturae; tria capita, trinitatem personarum; coniunctio humerorum, conversio facierum, insertio uni corpori, circumsessionem trium propter unam essentiam ac relationes ab invicem inseparabiles; duo brachia, communionem operationis ad extra figurant.

Nec tacenda repraesentatio quae eximio pictori Leonardo ab oppido Vinci nuncupato tribuitur, quamque e memoria heic delineare liceat: tres vultus omnino pares, se invicem

[1] Plura de utroque hoc argumento in tractatibus de Verbo Incarnato et de SS. Eucharistia recurrent.

ingeniose compenetrantes, ingens complectitur frons unica, et coma pariter singularis adumbrat.



Corollarium VI. Ex dictis hucusque satis liquet, doctrinam περιχωρήσεως esse veluti apicem doctrinae SS. Trinitatis, quum usque ad altissimum consequens deducat distinctionem divinarum personarum ac singularum identitatem re cum una communi essentia. Liceat inde, prae oculis habita animadversione in Corollario primo exposita, synthesim huius doctrinae sequenti figura graphice exhibere.



Et haec de circumsessione dicta pro indole nostri tractatus satis sint [1].

ARTICULUS VI.

UTRUM FILIUS SIT AEQUALIS PATRI SEC. POTENTIAM.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Superest ut, ad modum ultimae instantiae solvendae, breviter aequalitas divinarum personarum ostendatur quoad potentiam. Iamvero duplex hic occurrit ratio dubitandi: *a*) alia *extrinseca*, ex modo loquendi Scripturarum; *b*) alia *intrinseca*, ex ipsa consideratione relationis personarum ad invicem.

2) *Ratio extrinseca* alia explicita, alia implicita.

a) *Explicita* continetur locis in quibus negatur, Filium posse aliquid a se independenter a Patre (1. obj.); - *b*) *implicita* illis in quibus Filius exhibetur tanquam discens, audiens, mandatum accipiens (2. obj.).

At haec facile solvuntur. *a*) Explicita assertio per eumdem textum paulo infra explicatur: Filius scilicet, sicut est a Patre, ita habet a Patre ut agat; nec ideo minus potest, quum participet totum *posse,* quod fundatur *in esse.*

b) Implicitum rursus assertum nihil amplius docet, nisi Filium esse a Patre et non e converso. - Insuper in similibus locis, si sermo sit de Filio Incarnato, Christo Redemptore, considerandus est respectus humanae naturae ad Deum. Quo respectu prae oculis habito, iam stricto sensu vera dependentia ac proin impotentia unius relate ad alterum praedicari potest, quin et debet. - Cf. dicta in art. 4. de magnitudine.

3) *Ratio intrinseca* subtilior est. Nisi enim persona procedens possit facere aliam a se procedere, et quidem eadem via, quomodo tantam habebit potestatem quantam habet persona a qua est? (3. obj.)

Resp.: Omne *posse* fundatur in *esse.* Imo in Ente Supremo, quod non transit de potentia ad actum, quia ipse actus est esse ipsius, τὸ *posse est* τὸ *esse.* Quum ergo *esse* sit quidditas, et *posse quidditas est.* Iam vero vidimus supra, rela-

[1] Qui plura cupit, adeat inter alios Petavium (*De Trin.* l. IV, c. 16) et Thomassinum (*De Trin.* c. 28).

tiones in quaestionem de aequalitate personarum introduci non posse, nisi quatenus dicunt *quid*, non vero quatenus dicunt *ad aliquid*. Ergo et in praesenti quaestione, ubi de *posse* agitur, idem principium sedulo retinendum est.

Paternitas proin, in quantum est *aliquid* et aliquid *posse* in Patre, est in ipso Filio aliquid et posse, quod vocatur Filiatio. Neque ideo in Filio illud aliquid debet habere respectum novae filiationis. Imo hunc habere nequit, non quidem ex defectu potentiae, sed ex plenitudine respectus filiationis, propter perfectionem intellectualis processionis a Patre, ut supra ostensum est, et mox fusius recurret.

II. **Ad Textum.** - Ex praemissis patet ordo obiectionum, *1. obi.* confundit ordinem potentiae cum gradu potentiae. Sed in divinis sicuti est ordo naturae, ita et potentiae; at sicuti non est gradus naturae, ita nec potentiae.

2. obi. Duo negligit: 1) haec verba de Verbo, uti Deus est, dici dumtaxat quoad ordinem naturae; *b*) si autem de Verbo intelligantur dicta uti homo est, haec significare veram subordinationem potestatis humanae sine praeiudicio omnipotentiae divinae.

3. obi. Confundit *quid* cum *ad aliquid*. Quae responsio - quidquid in contrarium contendat Vasquezius - sufficit his qui tenent doctrinam a S. Thoma in art. 4 expositam; aliis forte non sufficit plene; sed videant sibi. Huc prorsus facit sententia Lombardi asserentis, in Filio potestatem ut gignatur, aequalem esse potestati in Patre ut gignat [1].

Sed contra est. - Adverte, locum Scripturae heic citatum esse continuationem loci in prima obiectione allati. Unde apparet quantopere Ioannes plenitudinem mysterii comprehenderit, asserens Filium habere quidem a Patre cum ipso esse, potentiam, ac proin τὸ facere quae videt Patrem facientem, in hac ipsa generatione a qua procedit; nihilominus Filium eamdem cum Patre habere potestatem et cum ipso esse principium commune omnis reliquae operationis, incipiendo ab altera processione, cuius terminus est Spiritus Sanctus. - Adde huic textui alterum Scripturae locum in quo fundamentum integrae doctrinae sternitur: « Omnia quae habet Pater, mea sunt ».

[1] I. Sent. Dist. VII.

Doctrinam in hoc articulo contentam Ecclesia contra Arium [1], Maximinum [2], Abaelardum [3] strenue vindicavit. In Symbolo Athanasiano praedicatur: « Omnipotens Pater, « omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus ». - Conc. Tolet. III. habet in can. 9: « Quicumque Spiritum Sanctum « sicut Patrem et Filium, verum Deum et omnipotentem « esse non credat: A. S ». - Et Papa Damasus in protestatione fidei can. 1: « Anathemate eos ferimus, qui non cum liber- « tate omni una cum Patre et Filio unius et eiusdem substan- « tiae et potestatis existere Spiritum Sanctum praedicant ». - Pariter Concil. Lateran. IV. hanc coomnipotentiam trium divinarum personarum diserte proclamat: « Pater generans, « Filius nascens et Spiritus procedens: consubstantiales et « coaequales et coomnipotentes et coaeterni » [4].

Prae aliis Patrum testimoniis iuvat sequentia verba afferre S. Augustini de hoc ipso nostro argumento contra Maximinum disputantis: « Hoc et de potentia sapis, quod scilicet sit « quidem potens et Filius, sed potentior Pater Filio, ut aucto- « ribus et doctoribus vobis potuerit potentem potens, non « potuerit omnipotentem gignere omnipotens. Ac per hoc « si habet Pater omnipotentiam, quam non habet Filius, « falsum est quod ait Filius: " Omnia quae habet Pater, mea « sunt " [5]. Deinde si aliquid facit Pater, quod facere non potest « Filius, merito dicitur potentior Pater quam Filius: cum « vero dicat: " Quae Pater facit, haec et Filius similiter « facit " [6], nonne melius auditur ipse quam vos, meliusque « creditur docenti quam decipientibus vobis? - Sed potentiam « Pater, inquis, a nemine, Filius vero accipit a Patre. Fate- « mur et nos, Filium ab illo accepisse potentiam de qua natus « est potens; Patri vero potentiam nullus dedit, quia nullus « eum genuit. Gignendo enim dedit potestatem Pater Filio,

[1] Arius omnipotentiam Filio cum vera divinitate detrahebat.

[2] Maximinus, vir Arianus, contra quem S. Augustinus tres libros scripsit, praesertim ex potestate generandi, qua Pater gaudet prae Filio, arguebat ad negandam omnipotentiam Filii.

[3] Abaelardus hanc specialem Patri potentiam tribuebat, qua « solus ipse per « se subsistere queat ». (I. *Intr. theol.* c. 10).

[4] Denzinger, (Op. cit. n. 355).

[5] Ioann., xvi, 15.

[6] Ioann., v, 19.

« sicut omnia quae habet in substantia sua, gignendo dedit « ei, quem genuit de substantia sua. Sed quaeritur, utrum « tantam, quantam ipsi est, potentiam Pater Filio dederit, « an minorem? Si tantam, non solum potentem potens, verum « etiam omnipotentem genuisse dicatur, credatur, intelligatur « omnipotens; si minorem, quomodo omnia quae habet Pater « Filii sunt? Si Patris omnipotentia Filii non est; quomodo « quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit? quod « utique non potest, si omnipotens non est. Ac per hoc quod « ait Apostolus: " beatus et solus potens " non cogor de Patre « tantummodo accipere, sed de Deo, quae est ipsa Trinitas » [1].

Et paucis interiectis, Augustinus oppositam rursus difficultatem solvit per deductionem ad absurdum, et textum ex Ioanne obiectum cum sua doctrina conciliat, probando, in hoc textu non agi etiam de processionibus ad intra, seu de operationibus notionalibus; sed tantum de productionibus ad extra. En ipsa verba Hipponensis: « Absit autem ut, quomodo putas, « ideo sit Pater potentior Filio, quia creatorem genuit Pater, « Filius autem non genuit creatorem. Neque enim non po- « tuit [2], sed non oportuit. Immoderata enim esset divina gene- « ratio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri: quia et ipse « nepos, nisi avo suo pronepotem gigneret, secundum vestram « mirabilem sapientiam impotens diceretur; similiter etiam « ille, si nepotem non gigneret avo suo, et pronepotem proavo « suo, non a vobis appellaretur omnipotens; nec impleretur « generationis series, si semper alter ex altero nasceretur; « nec eam perficeret unus, si non sufficeret unus. Omnipo- « tens itaque omnipotentem genuit Filium, quoniam " quae- « cumque Pater facit, haec et Filius similiter facit ", Filium « quippe ipsum *genuit* utique Patris natura, non *fecit* ».

Optime B. Rhabanus Maurus hanc totam docrinam complectitur: « Una trium essentia - Una est et potentia, - Omou-

[1] L. II, c. 12.

[2] Plerique ac meliores codices habent: « Neque enim potuit ». At Magister Sententiarum (I. Dist. VII.) citat hoc modo. Nec ideo tamen putat, S. Augustinum Filio non denegasse potentiam generandi, quod putat Petavius (op. cit. I, VII, 12); sed sententiam eius ita interpretatur, ut dixerit, non esse in Filio defectum potentiae quod non genuerit filium, sed dari impossibilitatem in re. Huic interpretationi subscribimus. Et sane Augustini argumentatio est optima: aut Filius unicus, aut infiniti numero.

« sion, deitas, - Atque una aeternitas, - Beatitudo, sanctitas,
« - Magnitudo et bonitas » [1].

In Corpore. Vides rursus ex hoc argumento, quomodo ex consubstantialitate tota aequalitas perfecta divinarum personarum effluat.

Ad 3m. Audiatur ipse Lombardus: « Eamdem potentiam « habet penitus Filius quam et Pater: qua Pater potuit gignere « et Filius gigni potuit. Eadem enim potentia est in Filio « qua potuit gigni, est in Patre qua potuit gignere ». [2]

Corollarium I. - Ex difficultatibus in hoc articulo motis ad vindicandum Patri aliquid potentiae excellentioris, apparet quoque fundamentum legis appropriationis qua Patri solet omnipotentia specialiter tribui, praecinente ipsa Ecclesia: « Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, etc. » Pater enim 1) habet solus omnipotentiam a se; Filius autem a Patre, Spiritus a Patre et Filio, sive per Filium. 2) Pater solus habet potestatem generandi, ad cuius imaginem fit creaturae cuiusvis eductio.

Nihilominus, *proprie* loquendo, inter potentiam Patris et Filii et Spiritus, datur quidem *ordo,* propter ipsum ordinem naturae qui existit inter eius personas; at nullatenus *gradus,* sicuti non datur in communicatione et participatione eiusdem divinae naturae.

Corollarium II. - Ex doctrina huius articuli vides, argumentum esse potentiae potius quam impotentiae in Filio quod sibi Filium generare non possit. Nam *posse* et *esse* in Deo convertuntur. Iam vero si in Deo alia generatio dari posset, esset quia prima non esset perfectissima, nec infinita. Filius proin ex ea genitus, non esset infinitus; ac ita non esset omnipotens. Quare non generat, quia est omnipotens; et si posset generare, non esset amplius omnipotens.

Corollarium III. - Quo magis potentia ad actus notionales significat relationem, eo facilior apparet solutio difficultatis in hoc articulo motae. Non ideo tamen derelinquenda est sententia superius exposita (art. 5. Quaest. praeced.). Elementum enim relativum quod ibi in potentia ad actus notionales

[1] Rhythmus de fide catholica. — *P. L.* t. CXII. col. 1611.
[2] Loc. cit. - (Lege et sequentia usque ad finem Distinctionis.)

cum S. Thoma admisimus, efficaciter praesenti difficultati solvendae inservit.

Scholion I. - Ex doctrina huius articuli collige, erravisse non modice Abaelardum quando docebat, omnipotentiam proprie vel specialiter ad Patrem pertinere. En verba ipsius: « Si potentiam tam ad notitiam subsistendi, quam ad effi- « caciam operationis referamus, invenimus ad proprietatem « personae Patris proprie vel specialiter omnipotentiam atti- « nere : quod non solum cum caeteris duabus personis aeque « omnia efficere potest, verum etiam ipse solus a se, non ab « alio existere habet; et sicut habet a se existere, ita etiam « ex se habet posse » [1]. Ad quae optime inter alia Bernardus: « O alterum Aristotelem! An non eadem ratione, si haec « ratio esset, et sapientia et benignitas » (quas proprias dicebat Filii et Spiritus Sancti) « proprie pertinerent ad Patrem; « cum et sapere et benignum esse, aeque a se Pater et non « ab alio habeat, quemadmodum et esse, et posse? » [2]

Scholion II. - Rursus ex aequalitate divinae potentiae inter Patrem et Filium sequitur, de humana natura ac proin de humana potentia Christi intelligenda esse quaecumque inaequalitatem supponunt aut manifestant. Ita imprimis est oratio Iesu praesertim pro nobis impetrantis. Ad rem S. Ambrosius: « Orat ergo Dominus, non ut pro se obsecret, sed « ut pro me impetret: nam etsi omnia posuerit Pater in « potestate Filii, Filius tamen, ut hominis formam impleret, « obsecrandum Patrem putat esse pro nobis, quia advocatus « est noster » [3].

De Doctrina Sancti Anselmi.

Ex auctore *Monologii* sufficiat quaedam doctrinae puncta afferre quae ad praesens argumentum conferunt.

1) Verbum coaeternum esse Patri, ac ita duratione aequale, in cap. 32. sequentibus verbis ostendit: « Quomodo vel cogitari « potest quod summa sapientia se aliquando non intelligat; « cum mens rationalis possit non solum suimet, sed et illius

[1] *Capit. haer. Patri Abael.* c. 14. — *P. L.* t. CLXXXII, col. 1054.
[2] *Tract. de error. Abael.* c. 3. — Ibid. col. 1059.
[3] *In Luc.* l. V, c. 6. — *P. L.* t. XV, col. 1647.

« summae sapientiae reminisci, et illam et se intelligere? « Si enim mens humana nullam eius aut sui habere memo- « riam aut intelligentiam posset, nequaquam se ab irratio- « nalibus creaturis, et illam ab omni creatura, secum sola « tacite disputando, sicut nunc mens mea facit, discerneret. « Ergo summus ille spiritus, sicut est aeternus, ita aeterne « sui memor est, et intelligit se ad similitudinem mentis « rationalis; imo non ad ullius similitudinem, sed ille prin- « cipaliter, et mens rationalis ad eius similitudinem. At « si aeterne se intelligit, aeterne se dicit. Si aeterne se « dicit, aeterne est Verbum eius apud ipsum. Sive igitur « ille cogitetur nulla alia existente essentia, sive aliis exi- « stentibus, necesse est Verbum illius coaeternum illi esse « cum ipso ». [1]

2) Rationem huius coaeternitatis esse consubstantialitatem cap. seq. demonstrat, ubi iam expressius de Verbo Filio disserere incipit. Quo ex capite praecipua iam superius deprompsimus.

3) Rursus de altera processione agens, proclamat aequalitatem inter Spiritum et Spirantem eum, aequalitatem pariter in consubstantialitate fundatam (cap. 52). « Quantus « ergo est amor iste summi spiritus, sic communis Patri et « Filio! Sed si se tantum diligit, quantum sui meminit et se « intelligit: tantum autem sui memor est et intelligit se, « quanta est eius essentia, quod aliter esse non potest: pro- « fecto tantus est amor eius, quantus ipse est ». [2] Et cap. 53: « Verum quid potest esse par summo spiritui, nisi summus « spiritus? Iste itaque amor est summus spiritus. Denique « si nulla unquam creatura, id est, si nihil unquam aliud « esset quam summus spiritus, Pater et Filius, nihilominus « seipsos et invicem Pater et Filius diligerent. Consequitur « itaque, hunc amorem non esse aliud quam quod est Pater « et Filius, quod est summa essentia. At quoniam summae « essentiae plures esse non possunt, quid magis necessarium « quam Patrem et Filium, et utriusque amorem unam esse « summam essentiam? Est igitur idem amor summa sapientia,

[1] *P. L.* t. CLVIII, col. 186.
[2] Ibid. col. 201.

« summa veritas, summum bonum, et quidquid de summi spi-
« ritus substantia dici potest » [1].

4) Directe autem περιχώρησιν cap. 59. exponit his verbis: « Iucundum est intueri in Patre et Filio et utriusque Spiritu, « quomodo sint in se invicem tanta aequalitate, ut nullus « alium excedat. Praeter hoc enim, quia unusquisque eorum « sic est perfecte summa essentia, ut tamen omnes tres simul « non sint nisi essentia una summa, quae nec sine se vel « extra se, nec maior vel minor seipsa esse potest: per sin- « gulos tamen idipsum non minus valet probari. Est etenim « totus Pater in Filio et communi Spiritu; et Filius in Patre « et eodem Spiritu; et idem Spiritus in Patre et Filio; quia « memoria summae essentiae tota est in eius intelligentia « et in amore; intelligentia in memoria et in amore, et amor « in memoria et in intelligentia. Totam quippe suam memo- « riam summus intelligit spiritus et amat; et totius intelli- « gentiae meminit et totam amat; et totius amoris meminit « et totum intelligit. Intelligitur autem in memoria Pater; « in intelligentia Filius; in amore utriusque Spiritus. Tanta « igitur Pater et Filius et utriusque Spiritus aequalitate sese « complectuntur, et sunt in se invicem, ut eorum nullus « alium excedere aut sine eo esse probetur » [2].

5) Quomodo autem ex ista doctrina non sequatur, nec unum tantum esse, loco trium; neque plura Verba sed unum, unius scilicet Patris, Anselmus ostendit in sequentibus capitibus; de quibus iam supra iudicium tulimus, ubi de prolatione Verbi divini [3].

Iuvat pariter quaedam depromere de aequalitate divinarum personarum, ex alio S. Anselmi libro, cui titulus *De Processione Spiritus Sancti.*

1) *Principium* in SS. Trinitate intelligendum esse, semovendo a principiato initium et effectionem, ostendit in cap. 18, in quo directe demonstrat, Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti: « Quod si dicunt non eum esse « posse de duabus causis, sive ex duobus principiis, respon- « demus: Quoniam sicut non credimus Spiritum Sanctum

[1] Ibid. col. 201. sq.
[2] Ibid. col. 205. sq.
[3] Cf. dicenda in art. 1. Quaest. sequentis.

« esse de hoc unde duo sunt Pater et Filius, sed de hoc in « quo unum sunt, ita non dicimus duo esse eius principia, « sed unum principium. Quippe cum dicimus Deum princi- « pium creaturae, intelligimus Patrem et Filium et Spiritum « Sanctum unum principium, non tria principia; sicut unum « creatorem, non tres creatores, quamvis tres sint Pater et « Filius et Spiritus Sanctus, quoniam per hoc in quo unum « sunt, non per hoc quod tres sunt, est Pater aut Filius aut « Spiritus Sanctus principium sive creator. Si igitur quamvis « Pater sit principium, et Filius sit principium, et Spiritus « Sanctus sit principium, non tamen sunt tria principia, sed « unum: ita,cum Spiritus Sanctus dicitur esse de Patre et « de Filio, non est de duobus principiis sed de uno, quod « est Pater et Filius, sicut est de uno Deo qui est Pater et « Filius; si tamen dici debet Deus habere principium aut « causam. Principium namque videtur nonnisi rei incipientis « esse, et causa nonnisi effectus alicuius; et Spiritus Sanctus « numquam incepit esse, nec est effectus alicuius. Quod « enim incipit esse, proficit de non esse ad esse: et nomen « effectus rei quae fit aptari videtur proprie. Quoniam tamen « verum est, Filium esse de Patre, et Spiritum Sanctum de « Patre et Filio, si suo ineffabili quodam modo intelligitur, « quoniam aliter proferri nequit, dici non incongrue potest « Pater quodammodo principium Filii, et Pater et Filius « principium Spiritus Sancti ».

2) Directius probat, Spiritum Sanctum nullo modo esse Filio neque *posteriorem*, neque *minorem:* « Si vero obiicitur, « cum dicimus Filium a Patre nasci, et Spiritum Sanctum a « Patre et Filio procedere, quia quosdam gradus et quaedam « intervalla constituimus, quasi Spiritus Sanctus esse non « possit, nisi Filius prius nascatur a Patre, ut posterior Filio « sit Spiritus Sanctus et ideo rectius dici quod pariter sint « a Patre, Filius nascendo, et Spiritus Sanctus procedendo, « ita ut nec Filius a Spiritu Sancto sit, nec Spiritus Sanctus « a Filio, sicut splendor et calor pariter sunt de uno sole, « nec splendor a calore est, nec calor a splendore; si, inquam, « hoc aliquis nostrae obiicit assertioni [1], respondemus: Nos

[1] Fatendum, ex omnibus obiectionibus quae contra catholicam doctrinam de processione Spiritus Sanctus moveri possunt, hanc esse forte maxime subtilem.

« nec *gradus* dignitatis ponimus in Deo, qui unus est, nec « in existendo Filium de Patre aut Spiritum Sanctum pro- « cedere de Patre et Filio, *intervalla* in aeternitate, quae est « extra omne tempus statuimus. Similiter enim omnes chri- « stianam fidem tenentes confitemur, nec minorem, nec poste- « riorem Filium esse Patre; quamvis nonnisi de illo sit. Ita « quoque nos, qui dicimus Spiritum Sanctum de Filio esse « sive procedere, nec minorem nec posteriorem eum Filio « fatemur. Nempe quamvis splendor et calor de sole proce- « dant, nec possint esse nisi sit ille de quo sunt, nihil tamen « prius aut posterius in tribus, in sole scilicet, et splendore, « et calore intelligimus: multo itaque minus cum haec in « rebus temporalibus ita sint, in aeternitate, quae tempore « non clauditur, praedictae tres personae in existendo susce- « ptibiles intervalli possunt intelligi »[1].

3) Inde processionem in divinis nullam prioritatem involvere nisi *originis*, Anselmus illustrat: « Quaeret forsitan ali- « quis et mirabitur dicens: Quomodo potest intelligi ut aliquid « habeat esse de aliquo, et non sit aliquo modo id, de quo « est, principalius et dignius; et hoc, quod ex eo est, quo- « dammodo minus et quasi secundarium: praesertim cum « id quod est de aliquo, videatur indigere, ut sit, eo de quo « est; illud vero, de quo est, nequaquam egeat eo quod de « se est? - Ad quod respondendum quia, sicut essentia Dei « valde diversa et aliena est a creata essentia, ita, cum dici- « mus, Deum de Deo existere nascendo vel procedendo, longe « aliter intelligenda est ista nativitas sive processio, quam « cum dicimus in aliis rebus aliquid nasci vel procedere. Ibi « enim nihil est aut natura, aut tempore, aut in aliquo prius « aut posterius, magis aut minus, aut ulla ratione, aliquo « indigens; sed totum quod est, non tam aequale vel simile « sibi et coaeternum, quam *idem* sibi ipsi, et per se sibi ipsi « omnino sufficiens; nec nascitur vel procedit ibi aliquid, « quasi de non esse proficiens ad esse. Sicut igitur intellectus « noster non potens transire ultra aeternitatem, ut quasi de « principio eius iudicet; sic non potest de hac nativitate vel « processione, nec debet ad similitudinem creaturae sentire « vel iudicare. Sed quoniam et quod nascitur et quod pro-

[1] Monol. *P. L.* c. 13, col. 306.

« cedit, non est aliud quam id de quo est nascens vel pro-
« cedens, quod est solus et unus Deus: sicut idem Deus non
« est seipso maior vel minor; ita in tribus, hoc est in Patre
« et Filio et Spiritu Sancto, non est aliquid maius vel minus,
« nec est alius alio hoc quod est, maius vel minus: quamvis
« verum sit quia Deus est de Deo, nascendo et procedendo »[1].
Egregia sane expositio, tanto magistro apprime digna!

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum in Deo quantitas virtualis ab ipsa perfectione sumatur, atque tres personae eamdem divinam naturam possideant, tres personae plenissime aequales praedicandae sunt (a. 1).

2) Iuxta hanc aequalitatem Filius et Spiritus Sanctus sunt coaeterni principio; est enim processio actus perfectissimus, sine successione communicans, et quidem vi naturae, immutabilem essentiam divinam (a. 2).

3) Haec autem coaeternitas nullatenus impedit ordinem naturae, sine quo nec origo nec Trinitas dari posset; at excludit omnem prioritatem cum aequalitate durationis dissociabilem (a. 3).

4) Rursus impossibile est, Filium non esse aequalem Patri quoad magnitudinem, quum eadem infinita essentia perfectissimo actu ab aeterno communicetur, nihilque perfectionis in una persona esse possit, quod non sit in alia, ratione communis essentiae: perfectio enim dicit non *ad aliquid*, sed *quid*, quod unum atque commune trium est (a. 4).

5) Ex quo sequitur, divinas personas esse in invicem, tum quia sunt una eademque essentia, tum quia uti correlativa nequeunt ab invicem seiungi, tum quia procedunt ab invicem[2], non ad extra, sed ad intra (a. 5).

6) Quum iam perfectio agendi sequatur perfectionem essendi, atque tres personae quoad hanc aequales sint, oportet quoque ut aequali omnipotentia singulae polleant; quae aequalis potentia non impeditur per hoc quod Filius non

[1] C. 25, col. 320.
[2] Cave, ne hanc locutionem intelligas in sensu réciproco.

possit generare: nam non magis inde tollitur in Filio perfectio, cui superstruitur potentia, quam in Patre ex hoc quod non possit generari (a. 6).

APPENDIX.

De Pulchritudine SS. Trinitatis.

Si perpendes quae in Quaestione de divinis personis ad invicem collatis modo exposita sunt, agnosces, in mysterio SS. Trinitatis pulchritudinem Dei maxime elucere. Quae enim maior perfectio totius et reciproca harmonia plenior excogitari potest, quam una illa infinita essentia in tribus personis summe aequalibus ac nihilominus infinita realitate distinctis? Quae splendidior artis foecunditas potest unquam mente cordeque attingi, quam illa gemina divini Verbi et Amoris processio?

Placet iterum audire P. Monsabré hanc pulchritudinem SS. Trinitatis eloquenti sermone celebrantem: « Chante tou-« jours, ô mon âme! Chante la parfaite beauté des pro-« cessions divines, et si tu veux la connaître, demande aux « artistes ce qu'ils pensent des chefs - d'œuvre qui si long-« temps ont tourmenté leur fertile génie. Ils les admiraient, « ils les aimaient lorsqu'ils n'étaient encore qu'un rêve. Ils « croyaient avoir saisi l'idéal et pouvoir le fixer sur une toile « ou dans un marbre immortel; mais souvent, hélas, leur « œil sincère ne reconnaît plus dans la réalité qu'ils ont « créée la perfection qu'ils contemplaient au dedans d'eux-« mêmes, et, pendant que le monde célèbre leur gloire, eux « racontent aux amis dignes de les comprendre leurs espé-« rances et leurs déceptions. Que de fois j'ai cru te voir, « fille de mon âme, ô ma pensée, parée du vêtement qui « convient à ta chaste beauté! Que de fois, en présence de « ma parole sans éclat, je me suis écrié avec décourage-« ment: Ce n'est pas cela! - Il ne connaît ni ces déceptions, « ni ces dégoûts, l'être sublime dont le génie enfante une « parole si vivante qu'elle peut lui rendre en un souffle « vivant amour pour amour. Dans ce qui procède de lui il « voit et il aime une beauté égale à lui-même, une beauté

« infinie, splendeur suprême de l'ordre dans la suprême « égalité des perfections. Ne craignons pas d'exalter la gloire « du Fils, elle rejaillit sur son Père; ne craignons pas d'exalter « la gloire de l'Esprit-Saint, elle revient toute entière à ses « principes. Père, Fils, Esprit-Saint sont égaux en toutes « choses. Aucun d'eux ne précède les autres dans l'éternité, « aucun d'eux ne surpasse les autres en grandeur et en puis- « sance. Cependant c'est une hiérarchie où les origines sont « subordonnées aux principes, les missions aux origines. Ega- « lité sans confusion, hiérarchie sans dépendance, le plus « bel ordre qui se puisse concevoir dans une société, la plus « belle société qui se puisse concevoir dans l'unité. - O mer- « veilleuse beauté! » [1].

Haec infinita SS. Trinitatis pulchritudo per modum vestigii, veluti per irradiationem in his maxime rebus elucet, in quibus unitas in trinitate ac trinitas in unitate nitidius splendescunt. Pulchra angelorum hierarchia triplici ordine constans; pulchra universi distributio in creaturam spiritualem materialem, mediamque sive humanam; pulchra astra motu, luce, calore foecunda; pulchra lux ipsa triplici colore discreta; pulcher concentus tribus sonis conflatus; pulchrum spatium terna dimentione formatum; pulchrum tempus per triplex stadium decurrens; pulchra gradatio corporum per triplex regnum minerale, vegetale, animale ascendens; pulchra anima humana tribus facultatibus donata; pulchra propositio triplici parte, pulchra ratiocinatio triplici propositione exstructa. Et in ordine gratiae, pulchra charitas tres theologicas virtutes complectens; pulchrum Ecclesiae regnum, militans, purgans atque triumphans.

Ecquis haec contemplatus, non de vestigiis quoque SS. Trinitatis exclamet: « O merveilleuse beauté! O mira pulchritudo! »

[1] Op. cit. loc. cit. p. 197 seq.

IV PARS.

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM

QUAESTIO XLIII.

Ratio huius Partis. Etsi apud S. Thomam respectus missionis divinarum personarum pertineat, tanquam alterum membrum, ad considerationem earumdem in sua relatione ad invicem; nihilominus partem specialem huic argumento tribuendam duximus, non quasi mens nostra sit eidem diu immorari, sed quia apud recentiores theologos fusius tractari solet, ac certe sat uberem in se doctrinam continet, ut partis titulo decoretur.

Ordo Quaestionis sequenti tabella exprimitur:

- **De Missione quaeritur**
  - I) *an* sit (1);
  - II) *quomodo* sit:
    - 1) quoad *terminum*:
      - *a*) utrum in tempore (2),
      - *b*) utrum ad gratiam gratum facientem (3);
    - 2) quoad *mitti*:
      - *a*) utrum conveniat *Patri* (4),
      - (*b*) utrum conveniat *Filio*
        - α) missio invisibilis (5),
        - β) ad quosnam (6),
      - *c*) utrum conveniat *Spiritui S.* missio visibilis (7);
    - 3) quoad *mittere* (8).

Nexus huius Quaestionis cum praecedentibus ac sequentibus est manifestus, idque tripliciter. *a*) Si respicis quaestionem de aequalitate divinarum personarum, quaestio de missione ad eam pertinet, veluti instantia, quatenus primo intuitu inaequales supponere videtur, mittentem scilicet maiorem,

minorem vero missum. *b*) Si respicis totum tractatum SS. Trinitatis, doctrina de missione non solum nota supponit quae in eodem evolvuntur, sed et differt ab eis, quatenus non tantopere ad essentiam huius mysterii, nisi hypothetice, pertinet. Tolle quippe creaturam, imo, uti mox videbimus creaturam elevatam, non est iam cur de missione quaeratur, quin tamen exinde aliquid de interna mysterii SS. Trinitatis sublimitate pereat.

Unde *c*) si respicis argumenta sequentia, in quibus agitur de processione creaturae ad extra, doctrina de missione divinarum personarum se habet ad modum transitionis ab ordine *ad intra* ad ordinem *ad extra:* ad intra quippe est fundamentum processionis, sive habitudo mittentis ad missum; ad extra autem terminus ad quem, sive sanctificatio creaturae rationalis. Ex quibus nova ratio apparet, cur huic tractationi pars aliqua specialis assignetur.

ARTICULUS I.

UTRUM ALICUI PERSONAE DIVINAE CONVENIAT MITTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Tria missioni divinae opponi videntur: *a*) personarum aequalitas; *b*) inseparabilitas; *c*) ubiquitas [1].

a) *Aequalitas:* nam missus est inferior mittente; - *b*) *inseparabilitas:* nam missus separatur a mittente; *c*) *ubiquitas:* nam missus transit a mittente ad terminum missionis.

2) Ut solvatur haec triplex obiectio, quaerenda est imprimis vera notio missionis. Iam vero missio concipitur ad modum *motus*. In omni autem motu habemus moventem seu terminum *a quo*, motum seu terminum *qui*, et locum ad quem, seu terminum *ad quem*.

Quaestio igitur est: *a*) utrum terminus *a quo*, et terminus *qui*, per hoc quod unus ab alio mittitur, in inaequalitate perfectionis ponantur. Quod sane negandum est, ubicumque missio fundatur in tali processione quae servat aequalitatem. (Inde habes resp. ad 1[m]).

[1] Cf. obiectiones.

b) Utrum terminus *a quo* debeat in ordinem ad missionem separare a se terminum *qui?* - Quod rursus non necessario exigitur; nam id eatenus tantum sequeretur, quatenus terminus *qui* non iam esset in termino *ad quem*. Unde quando iam in eo est, et non nisi novo modo illi inesse debet, in missione nulla missi a mittente separatio requiritur. (Et per hoc iam habes resp. ad 2m).

c) Quod autem motus localis non essentialis sit missioni, iam sequitur ex eadem ratione, quia quod ubique est, potest nihilominus alio et alio modo hic et illic esse. (Quo tenes resp. ad 3m).

3) Ex dictis liquet, missionem divinarum personarum non solum nullam cum earumdem perfectione dissociabilitatem involvere, sed et concordare quam maxime ex una parte cum doctrina de divinarum personarum distinctione atque ordine naturae ab invicem, ratione cuius convenit procedentem mitti ab alio a qua procedit; ex altera parte cum doctrina de inhabitatione Dei per gratiae dona, quorum ope mittendus sive missus incipit titulo novo existere in anima iusta.

4) Conclude ex his, doctrinam de missione divinarum personarum pertinere ad apicem revelationis, tum quia in terminis *a quo* et *qui* supponit revelationem SS. Trinitatis, tum quia in termino *ad quem* supponit elevationem sive restaurationem ad ordinem supernaturalem. Inde tres personae SS. Trinitatis sese in hac ipsa missione manifestant: Pater, uti mittens non missus, quia principium sine principio; Filius, praesertim uti missus a Patre carne nostra indutus, missione visibili; Spiritus Sanctus, uti complens gratiae opera, missus ab utroque missione invisibili.

5) Nec ideo tamen - quemadmodum in decursu argumenti videbimus, - Filio deneganda est missio invisibilis, neque Spiritui Sancto missio visibilis. Imo nec ad solum Patrem limitanda missio Filii, nec ad solos Patrem et Filium missio Spiritus Sancti. Sed de his loco suo.

6) Quum igitur missio duo contineat: *a*) a parte *missi*, ut procedat; *b*) a parte *termini*, ut dicat novum modum quo Deus ei inexistens in eo operatur: apparet, imperfectas esse definitiones omnes quae non nisi alterutrum ex his elementis respiciunt. Deficiunt ergo *a*) Suarezius et Petavius, qui mis-

sionem definiunt: processionem unius personae ab altera. Utique interdum Patres - v. gr., Cyrillus et ipse Gregorius M., - ita missionem exhibent; at haec non est nisi definitio impropria, seu radicaliter intellecta. - *b*) Pariter deficiunt, qui nimis missionem contrahunt ad effectum exteriorem uti personam connotat. Continet ergo missio utrumque simul: processionem ad intra et effectum ad extra; utrum autem processionem in recto, an in obliquo, quaestio moveri potest, solvenda forte per distinctionem inter missionem, cuius terminus est tribus personis communis, necne.

7) Sciendum igitur est, missionem distribui in visibilem et invisibilem. *a*) *Invisibilis* missio, quae externe non cernitur, est ipsa inhabitatio Dei per gratiam in anima iusti. Haec sub ratione ipsius inhabitationis, communis tribus personis SS. Trinitatis, sub missionis ratione est communis Filio et Spiritui Sancto; licet, ob titulos loco suo evolvendos, Spiritui Sancto magis tribuatur. *b*) Porro *visibilis* missio alia substantialis, alia mere figurativa; utraque tamen propria sive Filio, sive Spiritui Sancto. *α*) *Substantialis* missio est incarnatio Verbi, cuius terminus, ipsa scilicet unio hypostatica, est unicum opus ad extra quod entitative sit proprium uni personae SS. Trinitatis. - *β*) *Figurativa* est manifestatio Spiritus Sancti, v. gr., sub specie columbae; quae manifestatio, uti figura, erat propria Spiritus Sancti; non autem uti res significata, saltem ad exclusionem, sive Filii sub ratione missi, sive et Patris sub ratione tribus personis communi animam iustam inhabitantis.

Accipe tabellam:

Missio dividitur in
- 1) *invisibilem;*
- 2) *visibilem*
  - *a*) substantialem — incarnationem Verbi,
  - *b*) figurativam — v. gr., columbam.

8) Sciscitanti iam, utrum missio pertineat ad sermonem proprium, an ad sermonem appropriatum, respondetur distinguendo: *a*) quoad elementum *processionis,* pertinet ad sermonem proprium; *b*) quoad elementum *operationis,* missio quidem invisibilis habet de sermone appropriato; at missio visibilis substantialis est ex toto propria, missio visibilis

figurativa est quoad figuram propria, quoad terminum, haud secus ac invisibilis, appropriata.

Inde schema:

- **Missio**
  - 1) quoad elementum *processionis*, — pertinet ad sermonem proprium;
  - 2) quoad elementum *operationis*
    - *a*) invisibilis, — habet de appropriato;
    - *b*) visibilis
      - α) substantialis, — propria est stricte,
      - β) figurativa,
        - α') quoad figuram, est propria;
        - β) non quoad terminum.

9) Haec ab initio sedulo erant perpendenda, quo facilius intelligeretur tum perfidia Arianorum ex missione contra aequalitatem divinarum personarum arguentium, tum instantia Patrum, praesertim Augustini, ex missione quidem distinctionem personarum, at sine ullo aequalitatis praeiudicio deducentium. Quare rursus doctrina missionis sane intellecta est quasi synthetica, non solum quatenus mysteria SS. Trinitatis, incarnationis atque sanctificationis in se continet; sed quatenus in ipso SS. Trinitatis dogmate ita confundit Sabellium, ut tamen nihil concedat Ario.

— II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Negligit processionem cum aequalitate.

2. Obi. Non distinguit inter incipere esse alicubi ex toto, vel novo tantum modo.

3. Obi. Crasse arguit ex motu locali.

Sed contra est. - Constans est Scripturarum lex, ut missio praedicetur de Filio seu Verbo, de Spiritu, de Sapientia, numquam autem de Patre. « Emitte Spiritum tuum et crea « buntur » [1]. - « Mitte illam (sapientiam) de caelis sanctis tuis » [2]. - « Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudi- « cet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum » [3]. - « Ut

[1] Ps. CIII, 30.
[2] SAP., IX, 10. Cf. ibid. IX, 17.
[3] IOANN., III, 17.

« omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui « non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit « eum » [1]. - « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit « ille.... Haec est autem voluntas eius qui misit me Patris « (Patris mei, qui misit me),... Sicut misit me vivens Pater, « et ego vivo propter Patrem:... etc. » [2]. - « Cum autem venerit « Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veri- « tatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de « me » [3]. Quo ultimo loco egregie continentur tria de quibus in argumento *Corporis* *a*) mittens, et quidem uterque cum ordine naturae, *b*) processio missi a mittente, *c*) terminus ad quem mittitur. - « Si non abiero, Paraclitus non veniet ad « vos; si autem abiero, mittam eum ad vos » [4]. - « Quoniam « estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra « clamantem: Abba, Pater [5] ». Adde duo testimonia manifestius de Christo homine intelligenda: « Nunc misit me « Dominus Deus, et Spiritus eius » [6]; - « Spiritus Domini super « me: eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum man- « suetis misit me » [7].

Missionem cum aequalitate divinarum personarum eloquenter componit S. Augustinus: « Si secundum hoc missus « a Patre Filius dicitur, quia ille Pater est, ille Filius: nullo « modo impedit, ut credamus aequalem Patri esse Filium, « et consubstantialem et coaeternum, et tamen a Patre mis- « sum Filium. Non quia ille maior est, ille minor; sed quia « ille Pater, ille Filius; ille genitor, ille genitus; ille a quo « est qui mittitur, ille qui est ab eo qui mittit. Filius enim « a Patre est, non Pater a Filio ». Quo posito, iam extendit conceptum missionis, ita ut non solum de Filio propter incarnationem dicatur, sed et propter originem ad intra, quae origo tanquam ipsius incarnationis ratio habeatur, et non e converso. « Secundum hoc iam potest intelligi, non tan-

[1] Ioann., v, 23.
[2] Ibid. vi, 29, 39, 40, 58.
[3] Ibid. xv, 26.
[4] Ibid. xvi, 7.
[5] Gal., iv, 6.
[6] Is., xlviii, 16.
[7] Ibid. lxi, 1; cf. Luc., iv, 18. Adde alia loca in quibus indirecte missio exprimitur, v. gr., per dationem, per insufflationem.

« tum ideo dici missus Filius, quia Verbum caro factum est, « sed ideo missus, ut Verbum caro fieret, et per praesentiam « corporalem illa quae scripta sunt, operaretur; id est, ut « non tantum homo missus intelligatur quod Verbum factum « est, sed et Verbum missum ut homo fieret: quia non secun- « dum imparem potestatem, vel substantiam, vel aliquid « quod in eo Patri non sit aequale missus est; sed secundum « id quod Filius a Patre est, non Pater a Filio » [1]. Et rursus infra: « Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus est: ita Pater « misit, Filius missus est. Sed quemadmodum qui genuit et « qui genitus est, ita et qui misit et qui missus est, unum « sunt; quia Pater et Filius unum sunt. Ita etiam Spiritus « Sanctus unum cum eis est: quia haec tria unum sunt. « Sicut enim natum esse, est Filio a Patre esse; ita mitti est « Filio cognosci quod ab illo sit. Et sicut Spiritui Sancto « donum Dei esse, est a Patre procedere; ita mitti est cogno- « sci quia ab illo procedat. Nec possumus dicere quod Spi- « ritus Sanctus et a Filio non procedat: neque enim frustra « idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur » [2]. Igitur, iuxta Augustinum missio non magis inaequalitatem involvit quam ipsa processio, quacum identificatur, adiuncta connotatione manifestationis ad extra (hanc enim involvit verbum *cognosci*) [3].

Hanc autem missionem nullo modo uti localem ratione termini concipiendam esse, ostendit S. Ambrosius: « Non « enim Deus de loco aliquando decedit, qui ait: « Ego caelum « et terram compleo. « Sed in eo descendere videtur, si « nostros Dei Verbum penetret affectus » [4].

[1] *De Trin.* l. IV, c. 20, n. 27. - *P. L.* t. XLII, col. 906.

[2] Ibid. n. 29, col. 908.

[3] Alcuinus de missione Filii et Spiritus Sancti loquens, maxime insistit manifestationi visibili ad extra; minus autem processioni ad intra, quae ei fundamentum praebet. *De Fid. S. Trin.* l. III, c. 4, 5. - *P. L.* t. CI, col. 40, 41.

[4] *De Fide* l. V, c. 3. - Cf. ALCUINUM: « At si in hunc mundum missus est, illuc missus est, ubi erat. In mundo erat, et in mundum missus est » Ibid. c. 4, col. 40.

In Corpore. Hac tabella totum argumentum continetur

Missus medius est inter	I) *mittentem:*	*a*) sive per missionem { α) imperii, β) consilii } quae ponunt inaequalitatem;
	et	*b*) sive per missionem *processionis*, quae potest servare aequalitatem, uti in divinis personis (solv. 1. obi.);
	II) *terminum ad quem mittitur:*	*a*) sive quia nondum ibi erat (et tunc habetur separatio a mittente, et motus localis),
		b) sive *ut novo modo ibi inesse incipiat* (et tunc neque separatio neque motus localis habentur) — (solv. 2. et 3. *obi.*).

Doctrina Sancti Anselmi.

Quomodo se habeat missio ad processionem, et quomodo aliqualiter duplex Spiritus Sancti (idem dic de Filio) processio intelligi possit, altera aeterna, quae sit fundamentum missionis, non autem ipsa missio; altera ad creaturam in tempore, quae cum ipsa missione identificetur, S. Anselmus egregie tradit in tractatu *de Processione Spiritus Sancti.* « Qui ergo Spiritum Sanctum dicere vult ex sola processione alium esse a Patre, licet non sit ex illo, intelligit « aut idipsum esse procedere de Patre solummodo, quod est « mitti vel dari a Patre: ut cum mittit vel dat eum Pater, « tunc tantum procedat a Patre; aut hoc esse procedere, « quod est de Patre; sed si idem est procedere, quod est « dari vel mitti, procedit pariter a Filio, sicut a Patre Spi- « ritus Sanctus; quoniam ab illo similiter mittitur et datur. « Item: Si non aliud Spiritui Sancto procedere, quam mitti « vel dari; non est alius a Patre, nec procedit a Patre, nisi « cum datur vel mittitur: quod nemo, puto, intelligit. Sem- « per enim est alius a Patre Spiritus Sanctus, etiam ante « creaturam; non autem datur, vel mittitur, nisi creaturae; « nec tamen dicendum est, quod accidat ei dari vel mitti. « Nam cum ipse sit ubique et immutabilis, accipienti qui- « dem accidit aliquid, quia circa illum fit quod prius non « erat, et abesse potest; circa Spiritum Sanctum vero nihil « fit quod prius non erat. Cum enim caecus in luce non « sentit lucem, non magis nec minus habet aliquid lux;

« et si depulsa caecitate sentiat caecus lucem, circa illum « fit motus, non circa lucem. Patet itaque non esse Spi- « ritum Sanctum alium a Patre per sic intellectam pro- « cessionem, ut non sit aliud illi procedere quam dari vel « mitti. Est ergo patens, eum per processionem habere esse « de Patre; et per hoc alium esse a Patre, sicut Filius non « per aliud est a Patre alius, quam per hoc quia de illo exi- « stit. Est igitur Deus de Deo, et procedit de Deo; quia et « ipse est Deus, et Pater Deus, de quo est et procedit. At « si dicimus duas Spiritus Sancti posse nominari processio- « nes: unam, quando existit de Patre; alteram, quando datur « vel mittitur: non puto hoc esse negandum, si unaquaeque « in suo sensu intelligitur. De illa quippe processione, qua « datur vel mittitur, non incongrue Dominum sic dixisse « intelligimus: " Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis, « et nescis unde veniat, aut quo vadat " [1]. Sic enim hoc « potuisse dici videtur: " Nescis *unde* procedat, aut *quo* rece- « dat ". Cum enim datur quasi de occulto venit et procedit: « cum vero subtrahitur, velut ad occultum vadit et rece- « dit. De hac processione potest dici, quia idem illi est pro- « cedere, quod mitti ».

Iam capite 9. directe ex eo quod Filius mittat Spiritum, concludit ad processionem Spiritus Sancti a Filio. Demonstrato enim ex collatis textibus Ioannis XIV, 26, et XV, 26, aeque Patrem mittere in nomine Filii, et Filium a Patre, ita ut simul uterque mittant eumdem, pergit: « Cum itaque « Filius tanta diligentia ostendat, unam esse missionem Patris « et suam, ut nec Pater mittat nisi cum Filius mittit; nec « Filius mittat, nisi cum mittit Pater: quid vult significare « aut quid intelligi, nisi quia non aliter se habeat ad Patrem « Spiritus Sanctus, et aliter ad Filium; nec magis est unius « quam alterius? Quamobrem nimis difficile, imo impossibile « est, ostendere quomodo non procedat ab utroque. Unde « enim est Filio simul cum Patre dare vel mittere Spiritum « Sanctum, et hunc esse utriusque; si simul non est de utro- « que? Cur enim magis dat Filius Spiritum Sanctum quam « Spiritus Sanctus Filium, aut cur magis Spiritus Sanctus

[1] Ioann., iii, 8.

« est Filii quam Filius Spiritus Sancti, nisi quia Filius non « est ita de Patre simul et de Spiritu Sancto, sicut Spiritus « Sanctus est de Patre simul et de Filio? Si ergo Spiritus « Sanctus non est de Filio, non detur a Filio, nec dicatur « esse Filii; sicut Filius non datur a Spiritu Sancto nec dici- « tur esse Spiritus Sancti, quoniam non est de Spiritu San- « cto. Si autem dicunt, quia Spiritus Sanctus mittit etiam « Filium, sicut idem ipse dicit per prophetam: " Et nunc « Dominus Deus misit me, et Spiritus eius " [1], hoc secundum « hominem quem gerebat, intelligendum est, qui Patris et « Spiritus Sancti una voluntate et dispositione mundum re- « dempturus in mundo apparuit ».

ARTICULUS II.

UTRUM MISSIO SIT AETERNA VEL TEMPORALIS TANTUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum ex una parte nihil quod est ad extra SS. Trinitatis sit aeternum, - quod de fide esse infra videbimus; et ex alia parte omne quod ad intra est, propter immutabilem divinae essentiae sit aeternum: quaerere, utrum missio possit esse aeterna, est quaerere utrum missio intra ipsam essentiam Dei, seu in ipsa SS. Trinitate esse possit.

2) Iam vero quaenam alia missio ad intra haberetur, quam processio divinarum personarum, qua Filius a Patre, Spiritus vero Sanctus simul a Patre et a Filio procedit? - Estne igitur ipsa generatio Filii missio; missio pariter ipsa spiratio Spiritus? En quaestio solvenda.

3) Ut autem hoc dubium dirimatur, videamus utrum tria elementa missionis, quae ex analysi in praecedenti articulo invenimus, internae processioni personarum conveniant. Terminus *a quo* habetur; pariter terminus *qui* distinctus a termino *a quo;* at deest terminus *ad quem.*

4) Unde iam tria deducere possumus:

a) Quae nomina mere exprimunt in genere eductionem

[1] Isai., xlviii, 16

seu habitudinem ad principium, possunt praedicari de processione divinarum personarum: v. gr., *processio, exitus.*

b) Quae autem non solum ponunt eductionem seu habitudinem ad principium, sed et relationem ad terminum ad quem fit eductio, de divinis processionibus praedicari non possunt: v. gr., *missio, datio.*

c) Quae non tantum significant habitudinem ad principium, sed insuper determinant modum processionis sine termino ad quem, possunt rursus praedicari de divinis processionibus; imo aptiora sunt, quae totam habitudinem ad principium exprimant: v. gr., *generatio, spiratio.*

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ab opinione prima, quam in art. praec. exclusimus, utpote incompletam. Quare sententiae in quibus missio et processio identificantur, sunt vel interpretandae de processione ad extra, vel complendae per respectum ad terminum operationis ad extra.

2. Obi. Haec obiectio si valeret, contra totam creationem moveri posset. Scilicet mutatio est tota a parte termini ad quem missionis; non autem a parte missi. Recole comparationem a S. Anselmo in fine Quaest. praec. allatam, de caeco immutatum lumen modo nesciente, modo, recuperata oculorum sanitate, recipiente.

3. Obi. Duo confundit: missionem uti fundamentum habere processionem aeternam, et esse nihil aliud nisi processionem ipsam. Prius dicit verum, alterum deficit.

Sed contra est. - Corroboratur haec doctrina percurrendo singula loca Scripturae in quibus vel Filius vel Spiritus Sanctus mitti dicuntur. Semper enim ibi agitur de opere incarnationis vel sanctificationis in tempore complendo.

In Corpore. Doctrina huius corporis sequenti schemate continetur:

Ex verbis quae important originem	1) alia important solum habitum ad principium (processio, exitus):		dicuntur aeternaliter vel temporaliter;
	2) alia insuper determinant terminum:	*a*) aeternum (processio, spiratio):	aeternaliter tantum;
		b) temporalem (missio, datio) sive visibiliter sive invisibiliter:	temporaliter tantum.

Corollarium. - Ex doctrina huius articuli collata cum articulo praecedente habes, iuxta S. Anselmum, duplicis aliquomodo generis processionem dari: alteram aeternam, per quam oritur SS. Trinitas; alteram temporalem, quae est ipsa missio. Quare missio potest cum Augustino definiri: temporalis processio sive Filii, sive Spiritus Sancti.

ARTICULUS III.

UTRUM MISSIO INVISIBILIS DIVINAE PERSONAE SIT SOLUM SECUNDUM DONUM GRATIAE GRATUM FACIENTIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus cum praecedenti articulo patet. Missionem vidimus, ratione termini ad quem, esse temporalem; iam quaeritur de hoc ipso termino, quidnam sit. Scilicet ab initio Quaestionis vidimus in genere, esse novum modum quo Deus incipit inesse rebus. Quaeritur igitur quidnam per istum modum sit intelligendum. De quo praesertim duo quaeruntur: 1) de circumscriptione huius modi; 2) de formali virtute ad hoc ut per eum Deus mitti dicatur.

2) Et primo quidem ad recte circumscribendum modum de quo agitur, oportet non solum distinguere ordinem naturalem et supernaturalem, sed et in ipso supernaturali ordine discretione uti. Manifestum est imprimis, missionem de qua agitur, ad ordinem gratiae pertinere, non merae naturae. Quod sat facile hoc pacto demonstratur. Missio supponit novum modum quo Deus creaturae inexistit. Iam vero natura est ipse modus essentialis quo Creator, ut talis, opera sua per essentiam, potentiam et praesentiam sustentat, gubernat et penetrat. Ergo hic modus novus inexistendi rebus ad ordinem supernaturalem pertinere debet. Atqui huiusce ordinis non est capax nisi creatura rationalis. Ergo divina persona non mittitur nisi ad creaturam rationalem per dona ordinis supernaturalis.

3) Hic autem rursus inter dona et dona distinguendum est; non enim omnia hanc virtutem formalem habent, ut Deum faciant speciali titulo inhabitare creaturae. Praemit-

tenda igitur tabella varia genera donorum supernaturalium indicans:

- **Dona supernaturalia distinguuntur in**
  - I) dona *gratum facientia* [1]:
    - 1) formaliter: (proprie)
      - *a*) habitualiter:
        - α) gratia sanctificans,
        - β) charitas,
        - γ) virtutes charitati superstructae;
      - *b*) actualiter:
        - α) motus in actum charitatis,
        - γ) seu in actum virtutum ex charitate;
    - 2) dispositive seu destinative: (improprie)
      - *a*) habitualiter:
        - α) fides, β) spes, } sine charitate;
      - *b*) actualiter:
        - α) motus fidei ac spei (sine char.)
        - γ) motus in charitatem;
  - II) dona *gratis data*:
    - 1) habitualiter: charismata permanentia in conversionem aliorum accepta [2];
    - 2) actualiter: eiusmodi charismata modo transeunte.

4) Et primo quidem donum de quo quaeritur, debere esse quid habitualis, non mere actualis, uti talis, manifestum est. Agitur enim de dono ex quo fluit novus modus inexistendi divinae personae; hoc autem est aliquid permanens, non transiens; qui enim transit, non inhabitat, non mansionem facit. Iam vero Deus talibus utitur verbis quae veram inhabitationem permanentem, veramque mansionem significent.

Nec tamen quodvis donum habituale sufficit, nisi illud quod revera continet in se rationem attrahendae, retinendae divinae personae quae dicitur mitti. Quare non sufficiunt dona quae non sunt nisi dispositiva altioris doni, nec in se vinculum unionis continent; scilicet fides, spes, utpote ad

[1] De variis modis hanc divisionem intelligendi ex professo egemus in tractatu de gratia.

[2] Constat ex Actibus Apostolorum, charismata Spiritus Sancti habituali quodam dono primis christianis esse collata; legimus insuper, nonnullos sanctos excelsioris virtutis, miraculorum donum veluti permanens a Deo recepisse.

charitatem, sicuti ad suam formam ordinata. Donum ergo quo persona divina mittitur est donum gratum faciens, charitas scilicet qua anima ob amorem apta redditur ad hoc, ut Deus novo modo ipsi veluti templo illabatur, seseque ipsi possidendum tradat.

5) Observa autem heic duplicem gradum: *a*) aliud est donum animam aptum reddens ut personam divinam possideat; *b*) alia ipsa persona animae ita dispositae inhabitans; sicut in templo alius ritus quo Numini dicatur, alia ipsa Numinis inhabitatio. Nil tamen impedit, quominus eadem persona mitti dicatur tum quatenus aptitudinem per donum gratiae producit, tum quatenus, proprio dono veluti cedens, aptatum sibi habitaculum praesentia ac fruitione complet.

6) Collige ex dictis, dona supernaturalia aliter etiam posse discerni, quatenus scilicet vel ad hanc divinae personae possessionem disponunt, vel ex eadem tanquam per redundantiam manifestativam effluunt. Dispositiva sunt fides et spes; manifestativa sunt charismata varia, sicuti donum miraculorum, prophetiae, etc. - Interest tamen: fides enim et spes sunt ad charitatem dispositiva per se, relate ad eum qui eas possidet; charismata autem non tantopere: possunt enim ordinari ad sanctificationem aliorum [1], ac ita in iudicium converti eorum qui eis minus digne ornantur. Quare fides ac spes arctius ad charitatem ordinantur, quam charismata ab ea fluunt. Si autem virtutis Dei praesentiam consideras, arctius connectitur charisma cum speciali praesentia Dei operantis, quam fides et spes sine charitate.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad duplicem respectum n. 5 expositum.

2. Obi. Non considerat virtutem quam habet gratia gratum faciens, ut divinam personam appellet, licet ipsa gratia hoc ab eadem persona habeat. Talia inter homines monilia quibus sponsus sponsam exornat, ut eam ipse speciosiorem factam, diligat magis.

3. Obi. Abstrahit ab ordinatione quam ex se habent fides et spes ad charitatem.

[1] Imo, iuxta communem modum loquendi theologorum, haec ordinatio, est elementum constitutivum formale doni gratis dati.

4. Obi. Negligit dicta n. 6. Neque perpendit, posse charismata esse vel manifestativa charitatis, in eo qui ea possidet; vel ordinatura ad charitatem aliorum.

Sed contra est. - Huc faciunt verba Christi: « Qui diligit « me, diligetur a Patre meo,.... et ad eum veniemus, et man- « sionem apud eum faciemus » [1]. Ubi habes dilectionem supernaturalem constituere titulum ad novum modum quo Deus rationali creaturae inexistit. Hanc autem inexistentiam tanquam Spiritus Sancti missionem describunt sequentia verba Apostoli: « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra « clamantem: Abba, Pater » [2]; « Charitas Dei diffusa est in « cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est « nobis » [3].

In Corpore. - Processus limpidus. S. Thomas primo thesim ponit. - Deinde eam quoad utramque partem demonstrat, tum quoad missionem, tum quoad dationem: *a*) quoad *missionem* ostendit, praeter universalem modum quo Deus omni creaturae inest, non dari nisi modum specialem quo animam rationalem se supernaturaliter cognoscentem et amantem, propter hanc ipsam summam ordinationem creaturae in finem, quae frustrari nequit, Deus veluti templum sibi dicatum inhabitat; *b*) quoad *dationem* demonstrat solam hanc supernaturalem inhabitationem facere ut creatura fruatur Deo. - Demum in ultima sententia utramque partem praecedentis argumentationis complectente, ostendit breviter quomodo per hoc donum gratiae, non solum donum, sed et ipsa divina persona animam inhabitat, seseque ipsi dat.

Corollarium. - Ex doctrina huius articuli vides duo: 1) virtutem quam habet charitas ut Deum quasi appellet, iuxta verba Apostoli: « in quo clamamus: Abba, Pater »; 2) nexum intimum qui existit inter conceptum gratiae et templi spiritualis; in cuius templi dedicatione duplex, ut ita dicam, instans logicum considerari potest: *a*) ipsa dedicatio per gratiam gratum facientem; *b*) ipse Numinis illapsus, per divinam personam ad animam venientem, ut beatam mansionem apud eam faciat.

[1] Ioann. xiv, 21, 23.
[2] Gal. iv, 6.
[3] Rom. v, 5.

Quaeres. Si invisibilis missio personae restringitur ad donum gratum faciens, igiturne in aliis donis nulla missio admittenda est? - Hoc dubium movit utique theologos quosdam [1], ut doctrinam S. Th. in hoc articulo, si non respuerent, saltem mitigarent seu dilatarent: docendo, invisibilem missionem non omnino ad infusionem gratiae sanctificantis cum eiusdem donis limitari. Sed haec lis, quam fuse tractant Salmanticenses [2], videtur esse de verbo magis quam de re. Si intelligitur missio invisibilis proprie dicta, omnia scilicet habens quae ad eius notionem requiruntur, certo citra gratiam sanctificantem non habetur. Unde nullibi in Scripturis hoc modo descripta occurrit nisi ista. Si tamen minus propria, veluti dispositiva, vel etiam analoga missio intelligitur, cur praeter gratiae sanctificantis infusionem non posset haberi [3]? Sed tunc illa missio pertinet potius ad ordinem creationis quam ad strictum ordinem gratiae. Ita, spiritus prophetiae exigit sane aliquem illapsum Dei in vatem, quin tamen necessario cum gratia colligetur. Est scilicet aliqua manifestatio potentiae illius qui, sicuti naturam creat, ita eius evolutioni per tempora praesidet. Huc facit gradatio illa triplicis missionis Spiritus Sancti cui pluries insistit Rupertus: *a*) missionis ad creationem, *b*) missionis ad distributionem gratiarum, maxime prophetiae, *c*) missionis ad remissionem peccatorum seu internae purificationis [4].

Unum saltem alte teneatur: discrimen scilicet summum inter donum Spiritus Sancti per gratiam cordibus infusi, et alia dona quaecumque eiusdem Spiritus. Optime Augustinus: « Dantur et alia per Spiritum Sanctum munera; sed sine « charitate nihil prosunt. Nisi enim tantum impertiatur cuique « Spiritus Sanctus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem, « a sinistra non transfertur ad dexteram, nec Spiritus proprie « dicitur donum, nisi propter dilectionem » [5].

[1] Cf. Suarez, l. xii, *de Trin.*, c. 5.
[2] Disp. xix, dub. 3.
[3] Hoc sensu sane locutus est Caietanus (hoc loco).
[4] Cf. discussionem mentis Ruperti in fine seq. art. 6.
[5] *De Trin.*, l. xv, c. 18, n. 32. — *P. L.*, t. xlii, col. 1082, sq.

ARTICULUS IV.

UTRUM PATRI CONVENIAT MITTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus cum praecedenti articulo duplex. *a*) Vidimus in art. 2. et 3. de missione quoad terminum *ad quem;* iam de termino *qui* [1]. - *b*) In art. 3. vidimus, personam divinam mitti quatenus per gratiae donum inhabitat et datur. Iam vero non solum Filius et Spiritus Sanctus hoc modo in anima iusta habitant, sed et Pater, qui per consequens et seipsum illi dare debet. Ergo, propter hanc communionem inhabitationis ac doni, Pater haud secus ac Filius et Spiritus Sanctus mitti videtur.

2) Solutio est in doctrina ab initio Quaestionis exposita. Quotiescumque ad aliquam notionem constituendam duo simul requiruntur, non sufficit adesse alterutrum, ut notio verificari praedicetur. In casu: ad missionis notionem duo pertinent: *a*) processio unius ab altero, tanquam conditio sine qua non, ut sit a quo mitti possit, ipseque missibilis; *b*) novus modus inexistendi, ut sit ad quid mitti possit. Non ergo sufficit in Patre reperiri hoc alterum; deficiente necessario priori elemento, nunquam potest Pater dici missus.

3) Imo deficiente priori nequit ex toto verificari alterum. Esto, Patrem cum Filio et Spiritu Sancto ad animam iustam venire in eadem mansurum; nequit tamen in eam infundi, sicuti Spiritus a Patre et Filio, aut Filius a Patre. Esto, animam iustam Patre quoque frui; at non fruitur eo tanquam sibi a divina persona dato, quemadmodum Spiritum Sanctum dant Pater et Filius, et Filium ipse Pater. Seipsum utique Pater dat, sed talis datio iam formaliter differt a datione quae cum missione confertur.

4) Ex hac doctrina sequitur, missionem involvere in se conceptum notionalem, cum respectu ad extra, sive ad processionem temporalem; at sub ratione vaga, quemadmodum supra vidimus, ubi de persona, de actu notionali, etc. etc.. - Quare,

[1] Cf. tabellam in initio Quaestionis.

sicut innascibilitas est vera notio, imo proprietas Patris, non sine fundamento *immissibilitas* haberi posset tanquam notio sive proprietas primae personae SS. Trinitatis. *Missibilitas* autem esset ex opposito notio communis Filio et Spiritui Sancto. Magis autem conveniret tribuere Patri immissibilitatem, quam missibilitatem Filio et Spiritui Sancto, quia magis quid dignitatis formaliter exprimit [1].

II. **Ad Textum.** - *1. et 2. Obi.* Negligunt dicta n. 2 et 3.

3. Obi. Non attendit dicta n. 4.

Sed contra est. Huc facit lex illa constans Scripturarum, qua, sicuti supra vidimus Patrem nunquam vocari Filii neque Spiritus Sancti, ita nusquam uti missus exhibetur.

Optime praesentem doctrinam exponit S. Augustinus: « Pater cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur « missus. Non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat. « Sapientia quippe dicit: " Ego ex ore Altissimi prodivi " [2]; « et de Spiritu Sancto dicitur: " A Patre procedit " [3]. Sicut « ergo Pater genuit, Filius genitus est; ita Pater misit, Filius « missus est. Sicut natum esse est Filio a Patre esse, ita « mitti est Filio cognosci quod ab illo sit » [4]. Et: « Etiamsi « voluisset Deus Pater per subiectam creaturam visibiliter « apparere, absurdissime tamen aut a Filio quem genuit, « aut a Spiritu Sancto qui de illo procedit, missus dice- « retur » [5].

Quae ultima verba notatu digna sunt. Patres enim passim ante Augustinum theophanias V. T. ad Filium aut ad Spiritum Sanctum reducebant, secluso Patre, utpote principio summo invisibili. Augustinus e contra, et iure, non denegat Patri ut apparere possit. At hoc inter theophanias Patris et Filii ac Spiritus S. dari discrimen contendit, quod hi, utpote ab alio, appareant etiam quoque uti missi; Pater autem, utpote a nullo, etiamsi apparere velit, nunquam uti missus apparere possit [6].

[1] Cf. Q. XXXII, art. 5.
[2] ECCLI., XIV, 5.
[3] IOANN., XV, 26.
[4] *De Trin.* l. IV, c. 20, n. 28, 29. — *P. L.* t. XLII, col. 908.
[5] Ibid. c. 21, n. 32, col. 911, sq.
[6] Cf. dicta superius p. 119, sqq.

Placet et afferre rationem quam B. Alcuinus adducit, cur Pater nunquam dicatur missus; concordat cum notione missionis quam ex eodem superius attulimus: scilicet minus attendit ad processionem, magis unice ad terminum. « Ideo « Pater missus non legitur, quia incarnatus non creditur. « Congruenter dictus est missus ille, qui in carne apparuit, « misisse autem illum qui in ea non apparuit. Forma igitur « illa suscepti hominis, Filii persona est, non etiam Patris. « Quapropter Pater invisibilis una cum Filio secum invisi- « bili, eumdem Filium visibilem faciendo, misisse eum dic- « tus est » [1].

Porro quemadmodum Filius missus a Patre, quia in carne visibilis manifestatus, ita iuxta B. Alcuinum Spiritus Sanctus missus est a Patre et Filio, quia « facta est quaedam creaturae « species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus « Sanctus » [2].

Huic Alcuini doctrinae sane rectae, sed incompletae, Augustini sententia longe anteponenda. Et sane non satis respicit processionem ad intra, et missionem nimis restringit ad manifestationem visibilem. Quod ex sequentibus magis patebit.

Reliqua patent.

Corollarium. - Ex doctrina huius articuli necnon primi huius Quaestionis apparet, ad processionem Spiritus Sancti a Filio legitime concludi ex omnibus locis Scripturae in quibus Spiritus ostenditur a Filio mitti, sive dari. Quare futiles habendae sunt exceptiones quas contra hanc conclusionem Photiani adducunt [3].

[1] *De Fide S. Trin.*, l. III, c. 6. — *P. L.* t. CI, col. 41.
[2] Ibid. c. 5, col. 40, sq.
[3] Cf. HEINRICH (Op. cit. p. 250, sq.); Card. FRANZELIN (*Paralip.* p. 24, sqq.).

ARTICULUS V.

UTRUM FILIO CONVENIAT INVISIBILITER MITTI.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Nexus cum praecedenti articulo duplex apparet. *a*) De Patre ibi quaerebatur, iam de Filio. *b*) Negata est missibilitas Patris ob rationem quae non valet de Filio; iam per instantiam quaeritur, utrum re vera Filius invisibiliter mittatur.

2) Dico invisibiliter, nam nonnisi iuxta invisibilem missionem instantia valet; et aliunde ex Scripturis nimis aperte patet, Filium ad humanam naturam assumendam a Patre mitti. De quo in fine articuli ad modum appendicis sermo redibit.

3) Igitur stando definitioni missionis quae ab initio huius Quaestionis data est, quum Filius haud secus ac Spiritus Sanctus novo modo existere in anima sancta incipiat, et quum aliunde Filio non desit processionis ratio: nil obstat, quominus duplex elementum ad missionem requisitum etiam obtineatur in Filii missione invisibili; ergo et Filio convenit invisibiliter mitti.

4) Sed instabis. Ergone Filius et Spiritus Sanctus eadem prorsus ratione invisibiliter mitti dicuntur? - Resp.: Si quaeris de *realitate obiectiva* missionis, affirmandum est; si autem de *respectu formali,* negandum. Etenim assimilatio formalis cum una vel altera persona maior aut minor secundum hoc vel illud donum, quod per missionem confertur, facit ut una vel altera persona per idem donum specialius mitti dicatur. Iam vero, quum Filius procedat per viam intellectus, Spiritus per viam amoris: quae dona potius intellectum perficiunt, ad missionem Filii; quae potius voluntatem, ad missionem Spiritus Sancti pertinere censentur.

5) At sedulo adverte, non qualicumque modo dona intellectus heic considerari, sed cum sua habitudine ad charitatem. Verbum quippe per viam intellectus procedens, est simul amorem spirans. Quare non mittitur Filius nisi per ea dona intellectus quae amorem seu charitatem quasi appellant. Talis est imprimis sapientia, quae in intellectu fundata,

per sapidam aviditatem ad se trahit charitatem, ac veluti adspirat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat dicta n. 4.

2. Obi. Non attendit dicta n. 5.

3. Obi. Negligit utrumque missionis respectum. Ecce tabellam:

Missio invisibilis Filii et Spiritus S.	1) quantum ad *originem*, distinguuntur;	
	2) quantum ad *terminum* gratiae,	*a*) in radice gratiae communicant, b) in effectibus gratiae distinguuntur.

3) *Sed contra est.* Locum Sapientiae heic a S. Th. allatum splendide illustrat S. Augustinus. Parcat lector longiori citationi. Continet enim tantam ubertatem doctrinae et sermonis, ut quasi in Augustinum offendat, qui eius verba truncat. « Ab illo itaque mittitur a quo emanat. Sic enim « expetitur ab illo qui amabat eam et desiderabat. " Emitte ", « inquit, " illam de sanctis caelis tuis, et mitte illam a sede « magnitudinis tuae, ut mecum sit, et mecum laboret " [1], id « est: doceat me laborare, ne laborem. Labores enim eius « virtutes sunt. Sed aliter mittitur ut sit cum homine, aliter « missa est ut ipsa sit homo. " In animas ", enim " sanctas « se transfert, atque amicos Dei et Prophetas constituit » [2], « sicut etiam implet sanctos angelos, et omnia talibus myste- « riis congrua per eos operatur. Cum enim venit plenitudo « temporis, missa est [3], non ut impleret angelos, nec ut esset « angelus, nisi in quantum consilium Patris annuntiabat, quod « et ipsius erat; nec ut esset cum hominibus aut in homini- « bus, hoc enim et antea in Patribus et Prophetis: sed ut « Verbum caro fieret, id est, homo fieret: in quo futuro reve- « lato sacramento, etiam eorum sapientium atque sanctorum « salus esset, qui priusquam de Virgine nasceretur, de mu- « lieribus nati sunt, et in quo facto, atque praedicato salus « sit omnium credentium, sperantium, diligentium. Hoc enim

[1] Sap., ix, 10.
[2] Ibid. vii, 27.
[3] Gal., iv, 4.

« " magnum pietatis est Sacramentum, quod manifestum est « in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prae- « dicatum est hominibus, creditum est in mundo, assumptum « est in gloria " [1]. Ab illo ergo mittitur Dei Verbum, cuius « est Verbum; ab illo mittitur, de quo natum est; mittit qui « genuit, mittitur quod genitum est. Et tunc unicuique mit- « titur, cum a quocumque cognoscitur atque percipitur [2], « quantum cognosci et percipi potest pro captu vel proficientis « in Deum, vel perfectae in Deo animae rationalis. Non ergo « eo ipso quo de Patre natus est, missus dicitur Filius: sed « vel eo quod *apparuit* huic mundo Verbum caro factum; « unde dicit: " Exivi a Patre, et veni in mundum " [3] (en « missionem visibilem) vel eo quod ex tempore cuiusquam « mente *percipitur,* sicut dictum est: " Mitte illam, ut me- « cum sit, et mecum laboret " [4] (en missionem invisibilem) ». Utramque autem in tempore factam, sequentibus ostendit: « Quod ergo natum est ab aeterno, aeternum est: " Can- « dor est enim lucis aeternae " [5]. Quod autem mittitur ex « tempore, a quoquam cognoscitur. Sed cum in carne mani- « festatus est Filius Dei, in hunc mundum missus est, in « plenitudine temporis, factus ex femina » [6].

In Corpore. Argumentum respondet *Corpori* articuli praecedentis. Doctrina autem ipsa completur per responsiones ad obiectiones, quantum ad modum quo missio invisibilis Verbi se habet ad missionem invisibilem Spiritus Sancti. Tota doctrina contrahitur hac formula: Verbum mittitur invisibiliter per donum sapientiae; Spiritus per donum charitatis.

Appendix de Missione divina in Verbo Incarnato.

Missio divina in Verbo Incarnato quadruplicem respectum habet secundum quod in ea consideratur *a*) destinatio

[1] Ibid. Tim., iii, 16.

[2] Attende sedulo ad hanc Augustini distinctionem: « cognoscitur », en directe missionem visibilem; « percipitur », en simul invisibilem.

[3] Ioann., xvi, 28.

[4] Sap., ix, 10.

[5] Ibid. vii, 26.

[6] *De Trin.*, l. iv, c. 20, n. 27, 28. — *P. L.* t. xlii, col. 907.

personalis unius divinae personae ad induendam humanam naturam, *b*) ipsa unio hypostatica, *c*) sanctificatio humanae naturae Verbi per gratiarum plenitudinem, *d*) destinatio Dei-Hominis secundum suam naturam humanam ad opera salutis. Quaedam sint singillatim, at brevissime, de quadruplici hoc respectu.

a) Cum ex omnibus operibus divinis ad extra Incarnatio sit unica operatio quae personalis ac propria sit unius personae, Verbi dico; iuxta hanc propriam ac personalem rationem potest dici, Verbum ad opus Incarnationis ab eo solo mitti, a quo originem ducit, nimirum a Patre. Et est sensus S. Pauli dicentis: « Ubi venit plenitudo temporis, « misit Deus (Pater) Filium suum, factum ex muliere, etc. »[1].

Sed *b*) Ipsa elevatio naturae humanae assumptae est opus excellentissimum totius SS. Trinitatis. « Quod vero Filio appa- « ruit carnalibus oculis, ab invisibili Trinitate factum est », ait Alcuinus [2]. Quomodo ergo de hac elevatione missio praedicatur? Potest quidem dici Filius ad hanc naturam sibi uniendam mitti; nam licet nullum fuerit instans reale in quo haec natura non in persona Verbi substiterit, sufficit ad hoc distinctio seu instans rationis. Sed nonnisi cautissime hic loquendi modus adhibendus, ob fraudes nestorianas. De Spiritu Sancto vero optime haec missio praedicatur, tum a Patre, tum a Filio; eoque vel magis, quo efficacius haec operatio ad sanctificationem pertinet: est quippe sanctificatio κατ' ἐξοχήν, de qua dicitur in Evangelio [3]: « Quem Pater sancti- « ficavit et misit in hunc mundum, etc. » [4]. Sanctificatio proin primordialis unionis hypostaticae, opus totius Trinitatis, maxime Spiritui Sancto, uti misso, assignatur. Inde verba archangeli ad B. Virginem: « Spiritus Sanctus superveniet « in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi » [5]. Quo ultimo loco apparet utrumque: nimirum opus unionis hypostaticae

[1] Gal., iv, 4; cf. Ioann., x, 36.

[2] Ioann., x, 86. Nisi verbum « sanctificare » heic dicas significare destinationem in sacrificium; quemadmodum Christus ait alibi: « Et pro eis ego sanctifico meipsum » (Ioann., xvii, 69).

[3] Op. cit. c. 6, col. 41.

[4] Ioann., x, 36.

[5] Luc., i, 35.

totius Trinitatis esse (virtus Altissimi), specialius tamen Spiritui Sancto tribui, uti ad idem complendum misso.

c) Hanc autem primordialem sanctificationem comitabatur plenissima gratiarum effusio. Relate ad gratias uberrime naturae humanae Christi infusas iam facilius missio divina ipsius Verbi praedicatur. Quum enim hic non formaliter agatur de operatione personali Verbi subsistentis in natura assumpta, minus est inconveniens ut Verbum dicatur missum ad naturam humanam charismatibus supernaturalibus sanctificandam. Attamen ne errori nestoriano favere videatur, iste loquendi modus potius vitandus est. Missus proin in animam Christi Spiritus Sanctus praedicatur: « Requievit « super eum Spiritus sapientiae et intellectus, etc. ». Mittens vero uterque tum Pater, tum Filius intelligendus est.

d) Tandem ubicumque agitur de operibus salutis a Christo ut homine complendis, ipse Spiritus Sanctus est simul cum Patre mittens, iuxta illud: « Nunc misit me Dominus Deus (Pater) et Spiritus eius » [1] et illa: « Spiritus Domini (Patris) super me.... evangelizare pauperibus misit me » [2]; « Tunc « Iesus ductus est in desertum a Spiritu » [3]; « Iesus autem ple- « nus Spiritu Sancto regressus est a Iordane, et agebatur a « Spiritu in desertum » [4]. Vis huius ultimi asserti post expositum articulum octavum melius percipietur.

ARTICULUS VI.

UTRUM MISSIO INVISIBILIS FIAT AD OMNES QUI SUNT PARTICIPES GRATIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - Nexus cum praecedenti articulo arctissimus est. Ibi enim agebatur de missione invisibili, utrum et Filii dicenda sit, an solius Spiritus Sancti; hic, iam extensio huius missionis investigatur.

Iam vero ob multiplices quaestiones quae huic argumento

[1] Is., XLVIII, 16.
[2] Luc. IV, 18; cf. Is., LXI, 1.
[3] Matth., IV, 1; cf. Marc., I, 12.
[4] Luc., IV, 1.

connexae sunt, ad quaedam puncta principaliora inquisitionem restringemus.

Quaeritur igitur I) utrum ipsa inhabitatio, iuxta communiorem sententiam theologorum cum iustitia vel gratia sanctificante identificanda sit; an potius, uti censent Lessius ac Petavius aliique, ab ea distinguenda, quatenus per se gratia sanctificans nondum contineat ipsam inhabitationem personalem Dei, in qua filialis adoptio consistit. Hanc quaestionem ad tractatum de gratia remittimus [1].

II) Utrum per hanc missionem invisibilem Spiritus Sanctus realiter sit in iustis modo speciali, quo Pater et Filius ipsis non insunt. Affirmat rursus Petavius [2], ac cum ipso aliqui theologi, insistentes modo loquendi Scripturae, ac Patrum, praesertim S. Cyrilli Alexandrini [3]. Iuxta hos per iustificantem gratiam totae tres personae in anima iusta sunt; attamen modo adhuc specialiori Spiritus Sanctus animam inhabitat; qui modus in Vet. Test. nondum existebat, estque concipiendus quasi quaedam personalis unio cum charismatibus supernaturalibus, quae quodammodo in persona Spiritus Sancti, tanquam in principio elevante, subsistunt.

Bene quidem procedit hic modus concipiendi quatenus ad inveniendam specialem realem rationem communicationis Spiritus Sancti prae Patre et Filio, recurrit ad conceptum subsistentiae, iuxta quem unice, salvis unitate divinae Trinitatis communique operatione ad extra, stare potest personalis operatio specialis ad extra, uti patet in unione hypostatica naturae humanae cum persona Verbi.

Sed *a*) quomodo, si tale principium subsistentiae requiritur, potest esse sermo iustitiae sine inhabitatione personali Spiritus Sancti, quod tamen Petavius tenet quoad Vet. Test.; nisi, teneatur, iustitiam in Vet. Test. alius omnino fuisse generis ac est in Novo?

b) Quid de iustitia nostra vere personali, si principium in quo subsistit in nobis est inhabitans Spiritus? Nonne tota nostra iustitia quasi nobis extrinseca dicenda erit?

[1] Abstrahimus quoque hic a quaestione de distinctione inter gratiam habitualem et charitatem.

[2] Op. cit. l. VIII, c. 6.

[3] Vide in *Sed contra est.*

Quare, severe quidem, at non sine quodam fundamento, Ripalda hanc sententiam corripit quasi contrariam doctrinae Concilii Trid. de sanctificatione intrinseca. - Unde alio sensu, iuxta principia S. Thomae supra posita, quaestio nobis solvenda videtur.

Concedimus quidem, Scripturas de missione, datione, inhabitatione Spiritus Sancti modo specialissimo loqui; sed tenemus, istum constantem loquendi modum sufficienter explicari per rationes ob quas omnes effectus sanctificantis amoris Spiritui Sancto tribuuntur. Quid mirum, quod ipse qui est Donum aeternum et Amor personalis, auctor appelletur operationis cuiuscumque, qua Deus supernaturali modo sese dat creaturae diligenti ac dilectae, iuxta illud S. Bonaventurae: « In iustificatione duplex charitas nobis datur, scilicet creata « et increata, illa qua diligimus, et illa qua diligimur » [1].

Mittitur proin Spiritus Sanctus quasi per triplicem gradum - inseparabilem tamen - ad animam sanctificandam: *a*) ut discernat eam gratuito, *b*) ut eam donis ad habendum Deum disponat, *c*) ut seipsum ei fruendum communicet.

Iam vero triplex haec graduata operatio simul etiam Patris et Filii est. *a*) Prima quidem, dicente Christo, neminem ad se venire, nisi quem Pater traxerit [2]; Patremque sibi commisisse electos ad se servandos [3]. - *b*) Altera pariter, quum sit creatio quaedam ordinis supernaturalis. Quare Christus tribuit Patri illuminationem datam Simoni divinitatem suam confitenti [4]; et ipse peccata directe remittit. - *c*) Tertia demum, dicente Filio: « Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum « veniemus et mansionem apud eum faciemus » [5]. Quo in ultimo loco ostenditur, Dei adventum in animam, atque mansionem per inhabitationem, esse consequens necessarium mutui amoris qui per gratiam inter Deum et animam obtinetur. Insuper manifeste apparet, terminum summum adoptionis, mansionem dico Dei in anima, Patris et Filii non secus ac Spiritus Sancti esse.

[1] *Comp. theol. verit.* c. 9.
[2] Ioann. vi, 44.
[3] Ibid. xvii, 6.
[4] Matth., xvi, 17.
[5] Ioann. xiv, 23.

Quaeres. - Cur ergo tot in aliis locis unice nominatur Spiritus Sanctus, ut quasi personale ipsius opus sanctificatio esse videatur?

Praeter rationes supra allatas, ubi de nominibus Amoris ac Doni, atque de lege appropriationis egimus, accipe et sequentes.

1) Ordo SS. Trinitatis postulat, ut Filius sit auctor sanctificationis, Spiritus Sanctus eiusdem manifestator ac quasi oeconomus. Quare ad ostendendam auctoritatem summam qua Homo-Deus-Redemptor opus suum in saecula complet, donum quo superne sanctificat quotquot accepit a Patre beandos, illius nomine vocatur, qui a Patre et Filio procedit. - 2) Nec satis. Spiritus enim Sanctus in divina Trinitate est vinculum Patris et Filii. Atqui gratia sanctificans vinculum est amoris inter Deum et hominem. Unde decet, uti observat S. Bernardus, eam Spiritus nomine vocari. - 3) Quod magis adhuc apparet, si consideretur, reditum creaturae in Deum inversô ordine esse concipiendum, ac ordinem Dei ad creaturam. Iam vero Pater creat per Verbum in Spiritu; decet proin ut Spiritus per Filium ad Patrem creata reducat. Spiritus quippe iustos facit membra Christi; Christus autem suos Patri praesentat. Spiritus facit omnia esse in omnibus Christum; Christus autem omnia in omnibus Patrem. - 4) Huic rationi accedit et alia. Sicuti in ordine naturali tertia persona SS. Trinitatis vocatur « digitus paternae dexterae », quatenus Spiritus omnia veluti tactu suo vivificat et faecundat, praesertim corpus animâ, quasi emanante aurâ ditat; ita in ordine supernaturali principium caeleste iustos vivificans, capacesque vitae superioris reddens, Spiritus vocatur. Spiritus quippe eminenti modo Sanctus, quum, uti sanctitatis aeternae irradiatio, creatae sanctitatis sit alimentum et quasi plena possessio.

III) Tertia quaestio movetur utrum eodem modo inhabitatio Spiritus Sancti fuerit in Vet. Test. ac in Novo.

Ad hanc quaestionem solvendam duo praestatuenda sunt: *a*) Aliud est, quaerere de privata inhabitatione Spiritus Sancti in foro interno; aliud, de publica ac quasi in foro externo. *b*) Alia est inhabitatio generica Spiritus Sancti, et alia specialis inhabitatio consecratoria per gratiam sacramentalem, v. gr., baptismatis, confirmationis, ordinis.

Qua duplici distinctione praeliminaria posita, respondeo: 1) In Veteri Testamento interna inhabitatio Spiritus Sancti non habuit characterem publicum, quum Lex Sinaï per se non fuerit gratiae collatrix, sed solum figurativa. 2) Neque fuit inhabitatio per modum consecrationis sacramentalis. Sacramenta enim Legis non continebant sed significabant, non conferebant sed impetrabant gratiam. 3) Fuit tamen in foro privato, sicuti et vera iustitia, ita et vera Spiritus Sancti inhabitatio sub Vet. Testamento. Attamen rarior quoad numerum, et, nisi paucos excipias, remissior quoad gradum. 4) Demum haec inhabitatio Spiritus Sancti non fuit in Vet. Test. nisi intuitu Test. Nov., nempe meritorum Christi et Spiritus Sancti ab ipso mittendi.

IV) Quaeritur iam quarto, utrum in una eademque anima plures missiones invisibiles tenendae sint, necne. De qua quaestione, praemissa distinctione inter stadium viae et patriae, sequentes conclusiones sint.

A) In *stadio viae:* 1) nova missio admittenda est, quotiescumque amissa gratia per novam sanctificationem recuperatur. 2) Augmentum gratiae sanctificantis potest considerari tanquam missio continua graduata; ita tamen ut nova quaedam missio consideretur, quando vel per sacramenta, praesertim signum conferentia, gratia augetur, vel aliquod peculiare charisma sive impulsus vehementior animae tribuitur [1]. 3) In anima Christi Domini, ob initialem plenitudinem, non potuit esse nisi una missio initialis [2].

B) In *stadio patriae:* 1) datur missio beatificans in primo instanti beatitudinis. 2) In posterum nulla amplius haberi potest quoad intensitatem gratiae, sed solum quoad gratiae extensionem ad plura obiecta lumine gratiae collustrata.

V) Demum quaeritur, utrum haec missio invisibilis debeat etiam extendi ad sacramenta. Resp.: Dicuntur quidem sacramenta continere gratiam; sed hic modus loquendi improprius est. Sacramenta sunt instrumenta gratiae, sed in ipso actu sacramentali ad modum meri instrumenti. Ad modum autem

[1] Ita votorum emissioni utpote unionem sponsalem inchoanti, nova missio gratiae respondere videtur.

[2] Inde descensus Spiritus Sancti super caput Iesu baptizati nonnisi manifestativus gratiae a theologis passim habetur.

recipientis non potest haberi gratia nisi in subiecto rationali; ac ita sola creatura rationalis potest esse terminus missionis invisibilis.

Et haec de his argumentis pro indole praesentis tractatus sufficere putamus. Plura remittimus, Deo dante, ad tractatus de gratia, de virtutibus ac de Sacramentis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter ipsam missionem Spiritus Sancti et modum eiusdem. Cf. auctoritates adducendas in *Sed contra est.*

2. Obi. Negligit dicta in resp. ad quaesitum IV.

3. Obi. Male arguit eodem modo de Christo ac de beatis; et quoad utrosque deficit: *a*) quoad Christum, quia non considerat primum conceptionis humanae instans [1]; *b*) quoad beatos, quia insuper non distinguit inter gratiae intentionem et extensionem.

4. Obi. Supponit perperam, sacramenta proprie continere gratiam, et non solum ad modum instrumenti in ipso actu sacramentali.

Sed contra est. Collatis simul Scripturarum locis in quibus invisibilis missio per gratiam facta describitur, duo videmus: 1) Novo Testamento specialem Spiritus Sancti missionem tribui; 2) eamque inhabitationem per gratiam peculiari titulo uti Spiritus Sancti exhiberi.

I) *Ad primum* pertinent loca: « Nondum erat Spiritus « datus, quia nondum erat Iesus glorificatus » [2]; « Si enim « non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, « mittam eum ad vos » [3]. Quod et Ioël prophetico ore praenuntiaverat: « Effundam Spiritum meum super omnem car- « nem, etc. » [4]. At, licet S. Cyrillus Alexandrinus nonnulla habeat, quae videntur missionem Spiritus Sancti proprie dictam sub Vet. Test. denegare [5]; nihilominus Card. Franzelin [6] putat, eius doctrinam reduci ad characterem sacramentalem quo gratia Spiritus Sancti per baptismum insignitur.

[1] Cf. appendicem art. praec.
[2] Ioan., vii, 39.
[3] Ibid. xvi, 7.
[4] II. 28.
[5] *In Ioann.*, l. iv; — *Thesaur.* ass. v, p. 1.
[6] Op. cit. th. 48. — De S. Cyrillo dicemus in appendice ad hunc articulum.

Pariter Rupertum nostrum [1] nihil aliud docere existimat, nisi a Christo, ac ita a Lege Nova gratiam Spiritus Sancti in antiquiores derivasse; imo plenam peccatorum remissionem nonnisi quoad poenam post completum opus salutis in Nov. Test. esse obtentam [2].

Porro S. Augustinus et S. Leo Magnus disertissime affirmant, in Vet. Test. Spiritum Sanctum non tantum κατ' ἐνέργειαν, sed et οὐσιωδῶς esse collatum. Commentans verba S. Ioannis VII. 39, Hipponensis ait: « Quomodo intelligitur, nisi quia « certa illa Spiritus Sancti datio vel missio post clarifica- « tionem Christi futura erat, qualis nunquam antea fuerat. « Si enim antea Spiritus Sanctus non dabatur, quo impleti « prophetae locuti sunt? cum aperte Scriptura dicat, et multis « locis ostendat, Spiritu Sancto eos locutos fuisse; cum et de « Ioanne Baptista dictum sit: " Spiritu Sancto replebitur inde « ab utero matris suae "; et Spiritu Sancto repletus Zacharias « invenitur pater eius, ut de illo talia diceret; et Spiritu « Sancto Maria, ut talia de Domino quem gestabat utero « praedicaret; Spiritu Sancto Simeon et Anna, ut magnitu- « dinem Christi parvuli agnoscerent? Quomodo ergo Spiritus « nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus; « nisi quia illa datio, vel donatio, vel missio Spiritus Sancti « habitura erat quamdam proprietatem suam in ipso adventu, « qualis antea nunquam fuisset? ». Quamnam ergo proprietatem? num, iuxta Petavium, ut in Nov. Test. iam fuerit collatum οὐσιωδῶς, quod antea non erat nisi κατ' ἐνέργειαν? Nequaquam. « Nusquam enim legimus, linguis quas non noverant, « homines locutos, veniente in se Spiritu Sancto, sicut tunc « factum est, cum oporteret eius adventum signis sensibi- « libus demonstrari, ut ostenderetur, totum orbem terrarum « atque omnes gentes in linguis variis constitutas, credituras « in Christum per donum Spiritus Sancti; ut impleretur quod « in psalmo canitur [3]: " Non sunt loquelae neque sermones, « quorum non audiantur voces eorum; in omnem terram

[1] *De glorif. Trin. et process. Sancti Spiritus*, l. I, cc. 11, 18, 19; l. II, c. 6. — Vide dicenda de Ruperto in appendice.

[2] Cf. apud Card. Franzelin confutationem aliorum locorum quos ex Patribus Petavius in confirmationem suae opinionis adduxit.

[3] Ps. XVIII, 4, 5.

« exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum " »[1]. Idem evincitur ex modo quo alibi S. Augustinus docet, etiam sub Lege Moysis, etsi nondum Lege gratiae, veram fuisse peccatorum remissionem, at per gratiam D. N. I. C. « Erant qui « dicerent: " Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum « innova in visceribus meis "; et: " Spiritu principali confirma « me "; et " Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me..." Neque « enim qui nobis ista fideli dilectione prophetare potuerunt, « eorum ipsi participes non fuerunt, et illi per gratiam D. N. « I. Chr. salvi facti sunt, non per Legem Moysis, per quam « non sanatio sed cognitio est facta peccati. Nunc autem sine « lege iustitia Dei manifestata est. Si ergo nunc manifestata « est, etiam tunc erat, sed occulta »[2]. Et quibus apparet, publicam solemnitatem et quasi socialem characterem, iuxta S. Augustinum, discernere missionem Spiritus Sancti in utroque Testamento.

Nec aliter opinatur S. Leo M.: « Cum in die Pentecostes « discipulos Domini Spiritus Sanctus implevit, non fuit « inchoatio muneris, sed adiectio largitatis; quoniam et « patriarchae, et prophetae, et sacerdotes omnesque sancti « qui prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt Spiritus Sancti « sanctificatione vegetati,... ut eadem semper fuerit virtus « charismatum quamvis non eadem semper fuerit mensura « donorum »[3].

II) *Quoad secundum* negari nequit, in Scripturis reperiri quasi legem constantem, vi cuius Spiritui Sancto tribuitur inhabitatio iustificans, sive 1) Spiritus Sanctus animam inhabitare ac Deo sacrare dicatur, v. gr.: « Vos autem in carne « non estis, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in « vobis. ... Quod si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mor- « tuis habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a « mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra propter inha- « bitantem Spiritum eius in vobis »[4]; « Et ego rogabo Patrem, « et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in « aeternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest acci-

[1] *De Trin.* l. IV, n. 29. — *P. L.* t. XLII, col. 909.
[2] *De Peccat. orig. ctr. Pelag.* n. 29. — *P. L.* t. XLIV, col. 399, sq.
[3] Serm. II. de Pentec. — *P. L.* t. LIV, col. 405.
[4] ROM., VIII, 9, 11.

« pere, quia non videt eum, neque scit eum; vos autem cogno-
« scetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit » [1];
« Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat
« in vobis » [2]? - Sive 2) Spiritus Sanctus dicatur animae datus,
animae pignus, signaculum. « Charitas Dei diffusa est in cor-
« dibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » [3];
« Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in
« corda vestra clamantem: Abba, Pater » [4]; « Qui (Deus)
« signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris » [5];
« In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto,
« qui est pignus haereditatis nostrae » [6].

Haec autem testimonia non esse de Spiritu Sancto ad exclusionem Patris et Filii intelligenda, ostendit 1) *a priori* doctrina περιχωρήσεως in ipsa Scriptura fundata; - 2) ipse contextus: nam dicitur charitas Dei per Spiritum in cordibus nostris diffundi; efficimur per Spiritum templa Dei; Spiritus clamat Abba, Pater; iam vero iste Deus nequit intendi ad exclusionem Patris. - Sed et 3) diserta sunt testimonia de Patre et de Filio: « Si quis diligit me, sermonem meum ser-
« vabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et
« mansionem apud eum faciemus » [7]; « Si in vobis perman-
« serit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre mane-
« bitis » [8]; « Qui manducat meam carnem et bibit meum san-
« guinem, in me manet et ego in illo » [9]; « Quod vidimus et
« audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habea-
« tis vobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio
« eius Iesu Christo » [10].

Hanc inseparabilitatem divinarum personarum egregie exponit S. Ambrosius. « Sicut Patris et Filii et Spiritus
« Sancti sumus templum, non multa templa, sed unum tem-

[1] Ioann., vi, 57.
[2] I. Cor., iii, 6, 16; cf. ibid. vi, 19; II. Tim, i, 14.
[3] Rom., v, 5; cf. I. Thess., iii, 8; I. Ioann., iii, 24.
[4] Gal., iv, 6.
[5] II. Cor., i, 22; cf. ibid. v, 5
[6] Eph., i, 13, 14.
[7] Ioann., xiv, 23.
[8] I. Ioann., ii, 24.
[9] Ioann., vi, 57.
[10] I. Ioann., i, 3.

« plum, quia unius templum est potestatis »[1]. Nec minus efficaciter S. Cyrillus, quem eo libentius citamus, quo instantius Petavius hunc doctorem in suam sententiam trahere conatur: « Veniemus, inquit Christus, ad eum ego et Pater, « et mansionem apud eum faciemus. Habitante quippe in « nobis Salvatore nostro Christo per Spiritum Sanctum, erit « quoque omnino nobiscum et Genitor, nam Spiritus Christi « idem est et Patris.... Inhabitante itaque in cordibus nostris « Unigenito, nequaquam abest Pater; habet enim Filius in « seipso Genitorem, unius existens cum eo substantiae, sed « et ipse est in Patre naturaliter.... Quod si unius non duorum « deorum templa dicimur, Patre ac Filio in nobis habitan- « tibus, quaenam ratio in nobis duos illos in unitatem redigit, « cum iuxta vestram (Anomaeos alloquitur) dementiam iden- « titati substantiae non sit locus? Vel etiam necesse est « dicere, Christum falsa nobis esse locutum, et inhabitare « tantum in nobis Patrem per Spiritum, vel inhabitare qui- « dem ipsum (Christum), abesse vero Patrem. At hoc absur- « dum; unus quippe Deus est in nobis, cum ambos susce- « pimus.... Et quidem divinus Paulus non duorum deorum « templa nos appellavit, sed unius: " templum Dei estis, et « Spiritus Dei habitat in vobis ". Vides, ut in substantiae iden- « titatem Patre et Filio collatis templa nos factos esse ait, « non deorum, sed Dei »[2]. Huc faciunt omnia testimonia Patrum, qui divinitatem Spiritus Sancti exinde demonstrant quod eius inhabitatio, haud secus ac Patris et Filii, templa sacrat Dei.

Ex quibus omnibus simul collectis liquet, inhabitationem non ita Spiritui Sancto tribui, ut sit ei proprie personalis; nihilominus ex dictis in statu Quaestionis multiplices rationes prostant, ob quas specialius tertiae SS. Trinitatis personae assignetur. Recte igitur cum Card. Franzelin concludere licet: « Quemadmodum Suarez, Lessius et alii theologi declarant « inhabitationem universim, quod, si Deus per immensitatem « non esset ubique, exigeretur tamen Dei praesentia in sanctis « ratione charitatis et amicitiae; possumus similiter hanc exi- « gentiam personalem explicare: si ratione unitatis naturae,

[1] *De Spiritu Sancto* l. III, c. 12, n. 91. — *P. L.* t. XVI, col. 798.

[2] *In Ioann.*, XIV, 23, l. X. — *P. G.* t. LXXIV, col. 289, 294. — Cf. *Dial.* VII. de divinitate Spiritus Sancti.

« inhabitatio non esset indivisibilis trium personarum, et si « Pater et Filius non inhabitarent, esset tamen specialis ratio « ad inhabitationem Spiritus Sancti in ipso eius charactere « personali, quo est amor subsistens et ideo *donum* ac *vis « sanctificatrix* » [1].

In Corpore. Adverte duo quae in hoc argumento S. Thomas distinguit, iuxta doctrinam superius in art. 3. expositam. Gratia scilicet potest considerari sub duplici respectu, vel in quantum per eam Deus inhabitat, vel in quantum est ornamentum animae, inhabitationem filiationis appellans, iuxta verba S. Pauli iam plus semel laudata: « Misit Deus Spi- « ritum Filii sui in corda vestra (en prior respectus) cla- « mantem: Abba, Pater! (en alter respectus) ». Spiritus igitur in corda nostra diffusus, est Spiritus filiationis quatenus nos Christo per dilectionem inserens, ipsum Patrem appellat [2].

Corollarium. - Quod in hoc articulo de inhabitatione Spiritus Sancti in anima iustorum diximus, valet et de actione eiusdem Spiritus vivificantis ac foecundantis in tota Ecclesia Dei. Quae actio, solemni die Pentecostes inchoata, licet communis SS. Trinitati, peculiari tamen titulo tribuitur illi Spiritui, qui ab ipsis mundi exordiis ferebatur super aquas. Inde tam constans in Ecclesia invocatio publica Paracliti; inde investitio Apostolis tradita per immissum in eos Spiritum Sanctum; inde in basilica Vaticana, symbolica columba cathedrae Petri extensis alis adumbrans [3].

De mente S. Cyrilli Alexandrini et Ruperti Abbatis.

Placet penitius investigare de mente S. Cyrilli Alexandrini et Ruperti Abbatis quoad missionem invisibilem S. Spiritus in Antiquo Testamento. Uterque enim magnae aucto-

[1] Op. cit. th. XLVII, p. 653. Comple per hanc thesim rationes congruentiae quas superius sub n. II. adduximus.

[2] Cf. dicta n II, 3. de ordine reditus ad Patrem.

[3] De actione S. Spiritus tum communi in Ecclesia, tum privata in animis fidelium lege concionem egregiam Cl. Can. D'Hoop: *Over de werking van den H. Geest.* (*Sermoenen,* Eerste deel, Boekdeel II. p. 232, seqq. — Gent. Siffer. 1900).

ritatis habendus est; alter inter Patres, alter inter scriptores monasticos aetatis mediae.

1) S. Cyrillus in commentario in Ioannem necnon in *Thesauro* ita comparationem instituit inter communicationem Spiritus S. in Nov. et in Vet. Testamento, ut ex ea quasi sequi videatur, eum non admisisse in Antiquo collationem Spiritus per modum intimae inhabitationis. « Postquam ex « humanitate aufugit et evolavit Spiritus Sanctus, corrupta « natura per peccatum primi parentis, qui nos ad divinum « characterem conformare ac servare poterat, rursus hunc « nobis Salvator elargitur in primitivam illam restituens « dignitatem, et in suam ipsius imaginem transformans « (ἀνπλάττων εἰς εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ)... Sed si ita res habet, « quomodo erat in Prophetis? Consideremus ergo, in SS. Pro- « phetis uberem quamdam velut irradiationem et praelustra- « tionem Spiritus fuisse, quae deducere posset ad futurorum « comprehensionem et occultorum notitiam; in iis autem, qui « in Christum credunt, non simpliciter illustrationem, quae « sit a Spiritu, sed ipsum Spiritum inhabitare et hospitari « confidimus. Unde iure Dei templa dicimur, licet nullus « umquam SS. Prophetarum templum Dei appellatus sit » [1].

Ad rectam intelligentiam huius comparationis perpende obiectionem: « Quomodo erat in Prophetis? » Non dicit: « Quomodo erat in Sanctis Antiqui Testamenti », quos Cyrillus, uti mox videbimus, clare admittebat. Nimirum in Prophetis erat aliqua irradiatio per modum charismatis, et Cyrillus hoc charisma confert cum charismate interno quod in Nov. Testamento constanti lege possidetur.

Sed et comparationem urget exemplo Ioannis Baptistae adducto: « Magnus erat revera beatus Baptista in omni vir- « tute praestantissimus ad ipsos usque fines, ut nihil esset « amplius pertingens iustitiae, quae in nobis est; sed cum « ita se haberet, tamen rogabat Christum dicens: " Ego a te « debeo (χρείαν ἔχω) baptizari, et tu venis ad me? Vides ", « ut profitetur in regeneratis maius aliquid, cum hoc adhuc se « indigere ait... Maiorem igitur etiam ipso Ioanne Christus « ait esse minimum regni caelorum, hoc est, et recens bapti-

[1] *In Ioann.* l. v. c. 2. — *P. G.* t. LXXIII, col. 755, sq. — Cf. *Thesaur.* — *P. G.* t. LXXV, col. 171, sqq.

« zatum, nondum vero operibus praestantem, secundum hoc « solum quatenus beatus Baptista erat natus ex muliere, « hic vero ex Deo natus est iuxta Scripturam, et divinae « naturae factus est consors, inhabitantem habens in se Spiri- « tum Sanctum, et appellatus templum Dei... Cum ergo divi- « nus Evangelista nobis ait: "Nondum enim erat Spiritus « datus, quia Iesus nondum erat glorificatus" [1], integram et « numeris omnibus perfectam inhabitationem Spiritus Sancti « in hominibus eum significare colligamus ».

Uti ex his verbis apparet, S. Cyrillus magnopere extollit sanctitatem specialem quae Novae Legi, ut tali, propria est, et vi cuius aliquid in charismate Legis Novae habetur, quod per se non habebat nec altissima in Vet. Lege sanctitas. Et sane verbis Domini: « Non surrexit inter natos mulierum maior « Ioanne Baptista; qui autem minor est in regno caelorum, « maior est illo » [2]; his verbis, inquam, profundam subesse significationem ad excellentiam oeconomiae novae extollendam, nemo negabit. Equidem puto, in similibus locis celebrari sacramentalem characterem baptismatis, utpote viae per se in regnum caelorum inducentis; illamque maiorem intimitatem quae in Nova Lege inhabitationi Spiritus inde obvenit, quod missus sit a Christo, ut sponsalis ornatus ad Sponsam.

Quidquid sit, Cyrillus, uti recte observat Card. Franzelin [3], *a*) nusquam negat Spiritum Sanctum in sanctificatis Vet. Test. inhabitasse; - imo *b*) sat aperte id praedicat, ubi commentans S. Paulum [4], ait: « Facile intellectu est, regnum « caelorum *priscis etiam Patribus* paratum fuisse, utpote « conformibus imaginis Filii sui, atque ideo a Deo et Patre « praecognitis » [5]; - *c*) diserte de Ioanne Baptista praedicat, quod « Spiritus S. particeps esset »; - tandem *d*) inhabitationem Spiritus Sancti probat ex verbis I. Reg.: « Insiliet in te « Spiritus Domini, et mutaberis in virum alium » [6], quod dictum a Samuele ad Saul, certe Vetus Testamentum respicit.

[1] Ioann., vii, 37.
[2] Matth., xi, 11.
[3] Loc. cit.
[4] Rom., viii, 29.
[5] *Thesaur.* — *P. G.* t. lxxv, col. 175.
[6] X. 6.

Conclusio sit: S. Cyrillus non negavit inhabitationem Spiritus Sancti; sed putavit, aliquod incrementum specificum eidem in Nova Lege accessisse. Quae doctrina longe differt a sententia quam ei tribuit Petavius.

II) **Rupertus** argumentum inducit in capite 11. primi libri *De glorificatione Trinitatis et processione Spiritus Sancti.* Postquam in primis verbis Geneseos reperit expressam mentionem SS. Trinitatis, advertit, triplici veluti gradu Spiritum Sanctum in Scripturis appellari: Spiritum *Dei* ac *Domini* in Antiqua Lege; et Spiritum *Sanctum* in Lege Nova. Unde secretum huius appellationis inquirens, gradationem in ea agnoscit triplicis missionis Spiritus Sancti: 1) ad creationem, inde Spiritus *Dei;* 2) ad distributionem gratiarum, maxime prophetiae, inde Spiritus *Domini;* 3) ad remissionem peccatorum per quam sanctificamur, inde Spiritus *Sanctus.* Accipe integrum textum Ruperti: « Invenisti igitur, o homo, thesau-
« rum hic, et thesaurus tuus expressa est sancta Trinitas, sub-
« sequente protinus hoc dicto: " Et Spiritus Dei ferebatur
« super aquas ". Nam qui creavit Deus, ipse Pater est; et
« principium in quo creavit, Filius est; et " qui ferebatur
« super aquas Spiritus Dei ", ipse Spiritus Sanctus est. De
« ista sanctae Trinitatis persona tertia non ab re illud quae-
« ritur, imo quaesitu et scitu dignum est, cur et hic, et per
« omnes fere veteris instrumenti paginas vocetur Spiritus
« Dei, sive Spiritus Domini; in Evangelio autem et ab ipso
« exordio Evangelii secundum Lucam nominetur Spiritus
« Sanctus, absque relatione Dei vel Domini. Sic enim esse
« advertere poteris, si mente vel sedula intentione percurras
« Scripturas utriusque Testamenti Veteris et Novi. Hoc ergo
« si quaeras, utilem cito solutionem invenis, quia Spiritus
« eiusdem processio, quèm procedentem sancta Ecclesia
« Christi nuncupat, auctoritate ipsius dicentis: " Cum venerit
« Paracletus, quem ego mittam, vobis, Spiritum veritatis, qui
« a Patre procedit " [1]; eius, inquam, processio tribus effecta
« est modis secundum Scripturas veritatis. Primo, ut in prin-
« cipio, de quo iam dictum est, crearentur omnia; secundo,
« ut spiritualibus donis humana exornaretur creatura, inter

[1] Ioann., xv.

« quae maximum est illud, quod locutus est per prophetas; « tertio, ut in poenitentiam et remissionem peccatorum dare- « tur, quod ante Christi adventum non fiebat. His ante per- « spectis, patenter intelligis, quia ubi primo processit ad « creandum omnia, sicut hic habes: " Et Spiritus Dei fere- « batur super aquas ", [1] recte dictus est Spiritus Dei, quo « nomine intelligitur, sicut ait Pater Augustinus, quod sit « ipse bonitas Dei, " etenim quia bonus est, ait, Deus, idcirco « omnia creavit. Et ubi bona sua distribuit, ibi scribitur Spi- « ritus Domini ", exempli gratia, ut illic: " Et recessit Spiri- « tus Domini a Saul, et ferebatur in David " [2]. Et ubi remis- « sionem peccatorum coepit operari, scilicet ab adventu « Christi Filii Dei, glorioso vocabulo Spiritus Sanctus coepit « nuncupari. Denique ante adventum eiusdem Filii Dei, da- « batur quidem in divisionem gratiarum, sed non etiam in « remissionem peccatorum. Unde est illud: " Nondum erat « Spiritu datus, quia Iesus non fuerat glorificatus " [3]. Quia « ergo ipse est omnium peccatorum remissio, nostra est « sanctificatio, pulchre ex ore nostro tali honoratur vocabulo « Spiritus Sanctus, non quod sanctificatus, imo quod sancti- « ficans sit, sive sanctificator et ipsa sanctificatio » [4].

Et paucis interiectis redit ad argumentum in capite 18. [5] illudque ita instantius inducit: « Iamquidem longe superius « praelibatum est, sed nunc repeti et latius explanari causa « postulat, quia processio Sancti Spiritus tribus effecta est « modis secundum Scripturas veritatis. Primo, ut in princi- « pio, id est in Filio, sive per Filium crearentur omnia; « inter quae ubi dictum est: " Et Spiritus Dei ferebatur super « aquas ", maxima atque pulcherrima narratur facta esse « creatura, lux intellectualis, scilicet creatura angelica. Se- « cundo, ut spiritualibus donis humana exornaretur creatura; « inter quae maximum est illud, qud locutus est per pro- « phetas. Tertio, ut in poenitentiam et remissionem pecca- « torum daretur, quod ante Christi adventum non fiebat ».

[1] Gen., i.
[2] I Reg., xiv.
[3] Ioann., vii.
[4] *P. L.*, t. clxix, col. 23.
[5] Ibid. col. 29 sqq.

Quibus in ultimis verbis est tota vis; si enim Rupertus per haec negare intendit, nunquam ante Christum peccata per Spiritus Sancti infusionem esse remissa: actum est; contrariam docuit sententiam, et ab eo est recedendum. Si autem solum dicere vult, ante Christum nunquam datam esse potestatem seu charisma remittendi peccata, vel a Christo derivari omnem remissionem peccatorum in Antiquo etiam Testamento: thesim sustinet apprime traditioni consentaneam. Et sane verba mediate sequentia: « De isto nunc dicere « praestat, quod est in remissionem peccatorum dari, quo sine « dato, nullus unquam hominum salvari potuit, aut poterit », haec ultima, inquam, verba iam influxum sub Vetere Testamento supponunt; secus, teste Ruperto, nullus homo ante Christum, imo ante missum ab eo Spiritum Sanctum, salutem esset consecutus.

Allato textu Ioannis XVI, 5-7, Rupertus fuse reiicit tanquam longius petitam et adiunctis parum aptam, tot communem sententiam Patrum, qui verba: « Si enim non abiero, « Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum « ad vos », interpretantur de evolvenda dilectione magis spirituali, quae absentiam corporalem exigebat. Ipse vero Rupertus, animadvertens, in Coena Spiritum prima vice vocatum esse Paraclitum [1], haec verba ita intelligit: Solator verus est Spiritus Sanctus, quia confert remissionem peccatorum; haec autem remissio obtenta est per mortem Christi; ergo nisi Christus abeat, sacrificium suum consummando, Spiritus consolationis venire non potest.

Audiatur Tuitensis; citamus usque ad finem capitis 19, i. e. libri primi, quia egregie in hoc loco processio Spiritus Sancti a Filio vindicatur. « Cum igitur dicit: " Si enim non « abiero, Paracletus non veniet vos ", sic intelligi vult ac « si dixisset: Si enim per passionem mortis non transiero « ex hoc mundo, neque vobis, *neque antiquioribus* [2], neque « venturis post vos, dabitur Spiritus Sanctus secundum hoc « datum, quod est peccatorum remissio. Quam propter cau« sam recte dicitur et vere est consolator. Cumque protinus « subiungit: " Si autem abiero, mittam eum ad vos ", hoc

[1] Cf. hunc locum superius citatum ubi de nomine *Paracliti*.

[2] Perpende sedulo haec verba.

« patenter enuntiat, quod ab ipso procedat hic consolator. « Hic Spiritus Sanctus peccatorum remissor et ipsa remissio. « Et quis, nisi infidelis, dubitare aut nescire vellet, quod de « ista persona, de isto Filio Dei, peccatorum nobis remissio « processerit? Nonne hoc ipsum nobis luce clarius facit ve- « ritas Evangelii, cum ipse qui dixerat: " Si autem abiero, « mittam eum ad vos "; postquam abiit, rediens et stans in « medio discipulorum suorum, insufflans et dicens: " Accipite « Spiritum Sanctum ", statim subiunxit: " Quorum remise- « ritis peccata, remittuntur eis " [1]? Et quidem Spiritus San- « ctus non est flatus corporeus, verumtamen per hoc verbum, « quod dictum est: " insufflavit ": duo haec nobis dat intelligi, « et quod ex ipso procedat ista paraclesis, et quod per hunc « Spiritum Sanctum tam facile sit omnia peccata remittere, « quam facile, cum vult, insufflare potest aliquis » [2].

Iam quaeso, potestne induci ex his verbis, Rupertum non agnovisse in Ant. Test. missionem internam Spiritus Sancti? Nullo modo. Quin affirmando expresse paulo superius: « ne- « que enim aliter nobis peccata remitterentur aut remittun- « tur, nisi per sanguinem eius », declarat, se agere de remissione peccatorum sine qua nulla pax datur, quae per Christi mortem unice obtenta est, cuius publicum charisma est potestas remittendi peccata nonnisi a Christo per immissum Spiritum Sanctum collata. Sed nullo modo excludit influxum internum huius remissionis, et proin huius missionis Spiritus Sancti in Antiquo Testamento; imo illum proclamat, ubi testatur, nullam unquam factam esse aliter peccatorum remissionem; sed simul illam declarat a Christi sanguine derivari, et sub Vetere Lege charismate privato, non publico esse obtentam.

Fateor, maiorem difficultatem movere ultima verba capitis 6, libri II; quae ut totam suam lucem ac virtutem habeant, cum integro praecedente contextu etsi longiori afferenda videntur.

Lib. II, cap. 6: « Nonne hoc est quod clamans dixit fons ille « Filius ipse? " Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit « in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent

[1] Ioann., xx, 22.
[2] Ibid. col. 31.

« aquae vivae " [1]. Cui, rogo, magis vel melius congruit quam « fonti, ut dicat: " Si quis sitit, veniat ad me et bibat? " « Habet enim fons, quod de semetipso effundat; habet, in- « quam, fons vitae qui apud te est, Domine, vitam, id est « vivificantem spiritum qui ex ipso procedat, et in os sitientis « sive bibere valentis, id est, in interiora animae credentis, desi- « derantis et vivere valentis, larga dignatione influat. Hinc « et apud Zachariam prophetam scriptum est: " In die illa « erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem, in « ablutionem peccatoris et menstruatae " [2]. Gaudemus enim « nomine fontis Christum Dei Filium in hac ratione designari « dum hoc intendimus, quod nulli dubium esse debuerit, « quod nunc Ecclesia catholica firmiter credit, quia Spiritus « Sanctus non minus a Filio quam " a Patre procedit ". Pri- « mum in remissionem peccatorum, de quo videlicet dato « eiusdem Spiritus Sancti et hic propheta dicit manifeste « " in ablutionem peccatoris et menstruatae ", scilicet populi « utriusque, peccatoris populi gentilis, menstruatae Synago- « gae, cuius ex nobilioribus filiis unus Isaias hoc ipsum con- « fitetur et dicit: " Et facti sumus ut immundus omnes nos, « et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae " [3]. « Sed nec illud ignotum esse debet, quando vel ex quo die « fons iste patens factus sit, et peccatorem sive menstruatam « abluerit, quoniam sic dictum est: " In die illa erit fons « patens domui David " [4]. Nimirum dies ille nunc est, dies « glorificationis Iesu Christi, Domini nostri [5], ex quo exal- « tatus a terra, ut omnia traheret ad se, cum emisisset spi- « ritum, " unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo « exivit sanguis et aqua " [6]. Tunc fons iste patens factus est « et ex tunc patet, quia non ante, sed ex tunc Spiritus Sanctus « in remissionem peccatorum datus est. Eatenus quippe, ut « iam dictum et saepe dicendum semperque sciendum est, « in divisiones quidem gratiarum Spiritus idem Patribus et « Prophetis datus erat, sed huius dati, quod est ablutio, tam

[1] Ioann., vii, 37, sq.
[2] Zach., xiii, 1.
[3] Is., lxiv, 6.
[4] Zach., loc. cit.
[5] Ioann., xii, 32.
[6] Ioann., xix, 34.

« peccator eatenus quam menstruata expers fuerat. Hinc est « illud dictum: " Nondum enim erat Spiritus Sanctus datus, « quia Iesus nondum fuerat glorificatus " » [1].

Nihilominus, prae oculis habita synthesi superius exposita, putamus, et ista verba ad sensum praecedentium sine violentia trahi posse; imo debere. Caeterum qui nimis probat, nihil probat. Ipse Rupertus aperte dicit, nullam unquam datam esse remissionem peccatorum sine isto spiritu. Iam vero poteratne ignorare, v. gr., remissionem quam certo David receperat, dicente ei propheta nomine Dei: « Dominus « transtulit peccatum tuum » [2]? Aliter se res haberet, si Rupertus duplicem quemdam gradum remissionis peccatorum tenuisset, quemadmodum Petavius sane facere cogitur: aliam scilicet minoris dignitatis, in Vet. Test. sine Spiritus Sancti infusione; aliam, dignitatis sublimioris, in Nov. Testamento per infusionem Spiritus Sancti. Sed nihil huiusmodi apud Abbatem Tuitensem, imo oppositum expresse reperitur.

Putamus ergo, Rupertum cum quadam exaggeratione sermonis, ac proin non sine aliqua obscuritate gradationem in se verissimam tradidisse. Missio triplex Spiritus Sancti respondet triplici ordini historiae humanae: missio per creationem, respondet ordini naturae; missio per gratiarum distributionem, maxime prophetiae, respondet ordini externae et figurativae Legis; missio demum in remissionem peccatorum, respondet ordini internae et figuratae Redemptionis [3].

ARTICULUS VII.

UTRUM SPIRITUI SANCTO CONVENIAT VISIBILITER MITTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus cum praecedentibus articulis duplex: *a*) de Patre et de Filio iam specialis mota quaestio est; en movetur de Spiritu Sancto. *b*) De missione invisibili investigatum est modo, superest ut et de missione visibili agatur.

[1] Ibid. col. 37.

[2] II. Reg., xii, 13.

[3] In quo Ruperti sententia cum S. Cyrilli doctrina conveniat, ipse lector disiudicet.

2) Ubi observa, ex opposito se habere dubia quae moventur de missione Filii et Spiritus Sancti: de illo, utrum et ad eum spectet missio invisibilis, quum Spiritui Sancto passim in Scripturis tribui legatur; de hoc, utrum et ipse mittatur visibiliter, quum sola Incarnatio hoc nomine vere digna videatur. Utrumque autem dubium solvitur modo concordi, id est, non solum affirmative, sed et in utraque missione cum distinctione, quae personali characteri utriusque personae respondeat. Scilicet tum Filius, tum Spiritus Sanctus mittuntur invisibiliter; at ille proprie per sapientiam, hic per amorem seu charitatem. Pariter tum Filius, tum Spiritus Sanctus mittuntur visibiliter; ille autem tanquam sanctificationis auctor, hic tanquam sanctificationis indicium. Quid autem utraque missio communis habeat, quid distinctivi, nunc penitius perscrutandum est. - Cf. praemissa in primo huius Quaestionis articulo.

3) Scilicet in duobus conveniunt, et in duobus discrepant. *a*) Conveniunt ambae in processione cui superstruuntur; at cum discrimine tum quoad indolem processionis, tum quoad habitudinem procedentis, ad eum a quo procedit: unde Filius auctor, Spiritus donum. - *b*) Rursus conveniunt quoad manifestationem processionis invisibilis; at in Filio haec manifestatio est substantialis simul et operativa, ac proin prorsus necessaria, quantum ad sanctificationis causam meritoriam; in Spiritu est mere figurativa, et quidem sanctificationis, non a visibili, sed ab invisibili missione per applicationem meritorum Christi active productae; ac proin non est nisi summe conveniens, non autem necessaria.

Porro heic magis insistendum est; nam heic discrimen tam magnum apparet, ut, si genere aliquo utraque missio visibilis conveniat, specie tamen quam maxime una ab altera distet.

4) Porro perpende sedulo, varios in signo visibili dari gradus, ac praesertim quatuor, assurgendo a minus perfecto ad perfectiorem in ordine ad missivam coniunctionem inter elementum visibile et eum qui missus per idipsum dicitur.

a) *Primus gradus* consistit in corporea imaginatione qualis in mente somniantis haberi solet, et ratione cuius Prophetae nuncupantur Videntes. Hic gradus non sufficit ad mis-

sionem quam inquirimus; non enim praebet sat palpabilem distinctionem inter rem manifestatam et eum cui manifestatur; insuper talis visio est quidem figurativa rei nuntiatae, non autem ipsius nuntiantis.

b) *Secundus gradus* consistit in assumptione ad figurativam significationem rei alicuius, quae iam praeexistebat. Ita lapis ille qui in peregrinatione populi Hebraeorum per desertum ob figurativam significationem Christus vocabatur, sane non ad hoc munus erat creatus, sed huic symbolicae erectioni praeexistiterat. Idem dic de signis quae ad sacramenta utriusque Legis assumuntur. Hic iam habemus duo quae in primo gradu deficiunt: α) distinctionem palpabilem, seu signum tangibile; β) insuper veram rationem figurae, seu significationis rei illius quam designat. - At formalis ratio missionis adhuc deficit ob hoc ipsum quod signum extrinsecus est assumptum, non autem motu veluti interno ad missionis finem productum.

c) *Tertius* igitur *gradus* obtinetur, si elementis gradus secundi haec productio signi in ordine ad ipsam manifestationem accedit. Non quidem quasi omnia signa visibilia producta per hoc solum uti missiones habenda sint; sed quia, si figurationi haec productio accedat, missio habetur. Tales sunt de Spiritu Sancto columba in baptismate Christi; nubes lucida in monte transfigurationis; flatus quo vespere Paschatis Christus Apostolos Spiritu Sancto ditavit; flammae seu linguae igneae in ipso die Pentecostes coelitus illapsae; per quas varias figuras speciales quaedam praerogativae gratiae, scilicet, iuxta S. Thomam, foecunditas regenerationis per columbam, exuberantia doctrinae per nubem lucidam, potestas ministerii sacramentalis per flatum, officium doctrinae per igneas linguas manifestabantur [1].

Consimiles sunt sub ratione signi, vox Patris in baptismate Christi, in monte Thabor ac Ierusalem intonans; at haec vox missio non fuit, quum Patri mitti non conveniat. Pariter in Vet. Test. rubus ardens, tonitrua in monte Sinaï, columna ignis ac nubis in deserto, variaeque theophaniae;

[1] De hisce manifestationibus eleganter disserit laudatus D'Hoop in concione cui titulus: « *Over den H. Geest en zijne verschijningen* ». (Op. cit. p. 778, sqq.).

at illis deerat ratio missionis invisibilis, scilicet sanctificationis internae, per visibilem missionem manifestandae.

d) *Quartus* demum *gradus* consistit in figura substantialiter coniuncta personae missae, qualis est humana natura in Christo. Haec tamen unio substantialis, si perfectionem missionis visibilis constituit, non pertinet ad eius essentiam. Pariter, si in Verbo fuit necessaria, ut posset lapso homini Homo-Deus esse causa salutis; non requirebatur in Spiritu, ut posset obtentae salutis pignora manifestare.

5) At si missio visibilis Filii et Spiritus Sancti tantopere distent, quatenus illa est substantialis, haec mere demonstrativa; conveniunt in hoc quod habetur utrimque respectus ad totam Trinitatem, et quidem duplex: personalis et communis. *a*) Respectus *personalis* consistit in designatione unius personae prae alia; *b*) respectus *communis* est in virtute qua missio producitur. Unde sicuti in Incarnatione, unio hypostatica ad unam dumtaxat personam contracta, non impedit cooperationem Patris et Filii ad hanc ipsam naturam humanam Deo arctissime uniendam; ita signa visibilia ad Spiritum Sanctum personaliter significandum destinata, producebantur a tota SS. Trinitate: sive directe, si erant ex toto creanda; sive per ministerium angelorum, si mere ex variis elementis conflanda.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad discrimen inter tertium et quartum gradum. Tolle assumptam naturam, tollitur ratio verae minoritatis [1].

2. Obi. Non considerat, inter gradus 1.m seu 2.m et 4.m dari 3.m.

3. Obi. Confundit productionem seu effectionem cum significatione seu manifestatione.

4. Obi. Arguit iuxta exigentiam gradus 4, quam in Spiritu Sancto nullam fuisse demonstravimus n. 4. *d*).

5. Obi. Confundit compositionem signi et signatum in signo.

6. Obi. Quoad utramque partem deficit. Nam *a*) lex manifestationis visibilis non est tantae necessitatis, ut non pos-

[1] Cf. textum S. Augustini afferendum in *Sed contra est;* cf. et dicta in Corollario ad art. 1, Q. XLII.

sit haberi missio invisibilis, sine missione visibili. Hoc autem non eodem modo dici posse de Filio et de Spiritu Sancto, demonstratum est superius n. 3. - Insuper *b*) potuit fieri in Vet. Test. missio visibilis, in latiori sensu, ad significandam missionem invisibilem, tempore suo in Nov. Lege, scilicet per efficaciam Nov. Legis obtinendam.

Sed contra est. Adde huic textui loca Scripturae in quibus describuntur nubes illa candida, flatus Domini in discipulos, descensus linguarum ignearum, quae, iuxta evidentem contextum, necnon iuxta unanimem Patrum traditionem Spiritum Sanctum significasse constat. Iam vero Spiritus Sanctus promissus erat a Christo mittendus. Ergo hae manifestationes totidem missiones Paracliti constituunt.

Doctrinam de visibili missione Spiritus Sancti praeclare exhibet S. Augustinus. « Si ergo missus dicitur (Filius) in « quantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in « natura spirituali oculis mortalium semper occultus est; « iam in promptu est intelligere etiam de Spiritu Sancto « cur missus et ipse dicatur. Facta est enim quaedam crea- « turae species ex tempore [1], in qua visibiliter ostenderetur « Spiritus Sanctus, sive cum in ipsum Dominum corporali « specie velut columba descendit, sive cum decem diebus « peractis post eius ascensionem die Pentecostes factus est « subito de caelo sonus quasi ferretur flatus vehemens, et « visae sunt illis linguae divisae tanquam ignis, qui et inse- « dit super unumquemque eorum. Haec operatio visibiliter « expressa, et oculis oblata mortalibus, missio Spiritus San- « cti dicta est; non ut appareret eius ipsa substantia, qua et « ipse invisibilis et incommutabilis est, sicut Pater et Filius; « sed ut exterioribus visis hominum corda commota, a tem- « porali manifestatione venientis, ad occultam aeternitatem « semper praesentis converterentur » [2].

Et pergit immediate S. Augustinus ostendens magnum discrimen inter visibilem missionem Filii et Spiritus Sancti. « Ideo autem nusquam scriptum est, quod Deus Pater maior « sit Spiritu Sancto, vel Spiritus Sanctus minor Deo Patre,

[1] Nota verba: « facta ex tempore ». (Cf. art. 2.).
[2] *De Trin.* l. II, c. 5, n. 10. — *P. L.* t. XLII, col. 851.

« quia non sic est assumpta creatura, in qua appareret Spi-
« ritus Sanctus, sicut assumptus est Filius hominis [1], in qua
« forma ipsius Verbi Dei persona praesentaretur ». Et paucis interiectis ad probandum rigorem singularem unionis hypostaticae: « aliud enim Verbum in caro, aliud Verbum caro,
« id est, aliud est Verbum in homine, aliud Verbum homo », ostendit quantopere ab hac assumptione differant figurae in quibus Spiritus Sanctus visibiliter apparuit. « Neque enim
« columbam beatificavit Spiritus, vel illum flatum, vel illum
« ignem, sibique et personae suae in unitatem habitumque
« coniunxit in aeternum; etc. » [2].

In Corpore. Nihil notandum superest: argumentatio limpida; modo caveatur sedulo, ne eadem necessitas missionis visibilis in Filio et in Spiritu Sancto teneatur. Posito ordine naturae lapsae per viam strictae iustitiae reparandae, missio visibilis per Incarnationem erat necessaria; extra hunc ordinem non erat nonnisi summe conveniens. De quo argumento fusior sermo ex professo recurret in tractatu de Verbo Incarnato [3].

Corollarium I. - Ex dictis in hoc articulo et in praecedentibus collige, quid intersit inter missionem visibilem et invisibilem, et in quo conveniant.

Eleganter Ioannes a S. Thoma haec convenientiae et discrepantiae puncta utrimque ad tria reducit, quae sequenti tabella brevissime contrahi possunt.

[1] Incauta, imo falsa per se locutio, nisi per verba sequentia contraheretur: non enim Verbum assumpsit filium hominis, sed formam hominis, iuxta locutionem S. Pauli: « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et habitu inventus ut « homo » (PHILIPP., II, 7). Cf. plura dicenda de hoc argumento in tractatu proxime edendo de Verbo Incarnato.

[2] Ibid. c. 6, col. 851, sq.

[3] Ibi imprimis investiganda erit mens S. Anselmi.

Missio visibilis et invisibilis.

- I) *conveniunt;*
  - 1) utraque ordinatur ad manifestandam personam missam eiusque processionem,
  - 2) utraque ordinatur ad divinas personas aliquo modo communicandas ei ad quem fit,
  - 3) utraque tendit in sanctificationem creaturae rationalis;
- II) *discrepant:*
  - 1) fit missio
    - *a*) visibilis in effectu sensibili,
    - *b*) invisibilis in effectu spirituali;
  - 2) per missionem
    - *a*) visibilem persona missa venit in hunc mundum,
    - *b*) invisibilem ille ad quem fit, transfertur supra mundum in aeternitatem;
  - 3) per missionem
    - *a*) visibilem una persona mittitur et manifestatur sine alia,
    - *b*) invisibilem procedentes quae mittuntur, comitatur Pater, non missus.

Corollarium II. - Quum doctrina missionis visibilis ipsi revelationi Scripturarum innitatur, iconographia leges suas ab hac ipsa revelatione accipiat oportet. Quare sicuti Verbum non repraesentatur nisi sub forma hominis quam assumpsit, ita Spiritus Sanctus nequit figurari nisi per illas figuras in quibus ipse apparere dignatus est. Nisi forte quis totam SS. Trinitatem visibilem factam repraesentare intendat, depingendo tres illos viros qui Abraham in valle Mambre apparuere, et in quibus, uti superius exposuimus, non sine iure cum S. Augustino tres personae augustae Trinitatis possunt agnosci [1].

[1] Cf. dicta p. 118, sq. Nec obstat huic iconographicae legi, quod interdum Spiritus Sanctus sub alia figura alicui sancto vel sanctae se visibilem obtulerit. Ita legimus Sanctam Theresiam et Venerabilem mox Beatam Mariam Crescentiam Höss colloquio Spiritus Sancti in specie formosi iuvenis non semel fruitas esse. Nihilominus imagines iuxta has apparitiones confectas et iam per vicinas regiones diffundi coeptas Benedictus XIV, utpote traditioni iconographiae catholicae parum conformes, strenue interdixit. (Bullarium Bened. XIV, tom. I, edit. Rom. p. 560; edit. Luxemb. p. 318. — Cf. P. Ignatius Jeiler O. S. Fr. *(Leben der ehrwürdigen Klosterfrau Maria Crescientia Höss,* p. 220, 4. Aufl. — Dülmen bei Münster, 1893).

ARTICULUS VIII.

UTRUM NULLA PERSONA DIVINA MITTATUR, NISI AB EA, A QUA PROCEDIT AETERNALITER.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus argumenti ex tabella Quaestioni praemissa constat. De ipso mittente superest ut directe investigetur, ad videndum utrum habitudo procedentis, quam diximus esse omnino necessariam ut persona mitti possit, ita intelligenda sit cum respectu ad personam a qua procedit, ut mittere et mitti sibi mutuo respondeant, et nemo mittat nisi personam quae a se procedat, sicuti nulla mittitur nisi quae procedit.

2) Et primo quidem intuitu videtur affirmandum. Nam si omnino requiritur persona procedens ut mitti possit, non apparet, cur persona procedens quidem, sed ab alia, posset mitti a persona a qua non procedat. Concrete rem sumendo, Filius, - nam de Filio unice haec quaestio agitatur: Pater enim nullo modo mittitur, et Spiritus Sanctus, utpote procedens, non potest mitti nisi a persona a qua procedit, quum procedat ab utroque Patre et Filio; - Filius, inquam, procedit a Patre, ergo mittitur a Patre: procedit a solo Patre, ergo non nisi a solo Patre mitti videtur, (nisi in Filio, ob ipsam missionem visibilem substantialem, consideretur, praeter personam divinam, assumpta natura humana). Et re quidem vera, si Filius non a solo Patre mittitur, vel et a seipso Filio, vel a Spiritu Sancto. Si autem Filius potest mittere seipsum, cur non et seipsum Pater? si Spiritus Filium, cur non et Patrem Filius? Scilicet ratio procedentis non videtur amplius in missione servari formaliter, sed tantum uti conditio materialis sine qua non. Quare si in missione attenditur in recto respectus processionis, seu habitudo missi ad mittentem, omnino tenendum est, non solum nullam personam mitti nisi procedentem, sed et nisi a persona a qua procedit aeternaliter.

3) At potest in missione considerari veluti in recto terminus ad quem. Iam vero iste terminus ad quem habet duplicem respectum; alium ad personam quam manifestat, alium

ad personas quae eum producunt. Quum igitur tres personae effectum producant, quando, v. gr., Verbum mittitur per donum Sapientiae, Verbum potest dici missum et a Verbo et a Spiritu Sancto, quatenus et Verbum et Spiritus Sanctus concurrunt cum Patre ad effectum ratione cuius Verbum dicitur missum.

4) Inter utrumque modum considerandi missionem hoc maxime interest, quod in priori magis attenditur actio cum suo fundamento ad intra; in altero potius terminus actionis cum sua effectione ad extra. Si quaeris utri conceptui potius standum sit, respondemus absque haesitatione: priori.

II. **Ad Textum.** - *1. et 2. Obi.* verissime dicunt, sed tantum iuxta priorem conceptum de quo n. 2.

3. Obi. Confundit collationem ritus sacramentalis et ipsam gratiae productionem. Unde nulla paritas inter habitudinem totius Trinitatis et ministri sacramentorum ad effectum missionis invisibilis.

Sed *contra est.* Locus Isaiae hic a S. Thoma allatus [1], ad Augustini sententiam vindicandam non sufficeret, propter duplicem naturam in Christo Domino. Potest enim haec sententia optime explicari per hunc duplicis naturae respectum, quin inde ullo modo negetur, personam, utique secundum divinam naturam, nunquam mitti, nisi a persona a qua procedit.

In Corpore. Allegatio S. Augustini non est ad litteram, sed ad mentem. En ipsa Hipponensis verba. Citato loco Isaiae quem Aquinas affert in *Sed contra est*, Augustinus dubium hoc modo inducit aut potius urget [2]. « Fortasse aliquis cogat « ut dicamus etiam a seipso missum esse Filium: quia ille « Mariae conceptus et partus operatio Trinitatis est, qua « creante omnia creantur ». Et longiori instituto discursu [3] pergit: « Cum itaque hoc a Patre et Filio factum esset, ut

[1] Idem dic de Is. LXI, 1; LUC. IV, 18.

[2] Nam in praecedentibus iam posuerat principium, scilicet missionem quoque dici relate ad terminum qui producitur.

[3] Fatendum est, argumenta quae S. Doctor hic ex Scriptura depromit, non esse apodictica. « Sanctificare » enim, iuxta id quod superius monuimus, potest significare: tradere in victimam, destinare in sacrificium. « Tradere » autem se potest optime aliquis, quin ideo in stricto sensu se mittat.

« in carne Filius appareret, congruenter dictus est missus « ille qui in carne apparuit; misisse autem, ille qui in ea non « apparuit.... Forma porro illa suscepti hominis, Filii persona « est, non etiam Patris. Quapropter Pater invisibilis una cum « Filio secum invisibili eumdem Filium visibilem faciendo, « misisse eum dictus est; qui si eo modo visibilis fieret, ut « cum Patre invisibilis esse desisteret, id est, si substantia « invisibilis Verbi in creaturam visibilem mutata et transiens « verteretur, ita missus a Patre intelligeretur Filius, ut « tantum missus non etiam cum Patre mittens inveniretur [1]. « Cum vero sic accepta est forma servi, ut maneret incom- « mutabilis forma Dei, manifestum est quod a Patre et Filio « non apparentibus factum sit quod appareret in Filio, id est, « ut ab invisibili Patre cum invisibili Filio idem ipse Filius « visibilis mitteretur » [2]. Utique et a Spiritu Sancto, iuxta verba quae paulo superius iacent: « Sic ergo intelligat illam « incarnationem et ex Virgine nativitatem, in qua Filius « intelligitur missus, una eademque operatione Patris et Filii « inseparabiliter esse factam, non utique inde separato Spi- « ritu Sancto, de quo aperte dicitur: " Inventa est in utero « habens de Spiritu Sancto " » [3]. Vides ergo, totam doctrinam hanc ab Augustino esse inductam ob duplicem respectum qui habetur in Christo Domino, ratione divinae et humanae naturae. Ita intellecta Hipponensis sententia nil habet quod improbetur. Continet tamen transitum a sensu proprio missionis ad sensum improprium operationis eiusdem; ac ita, nisi caute intelligatur, confundendo magis quam illustrando missionis conceptui inservire videtur. Quare non putamus huic subtilitati multum esse insistendum.

Monitum. Ex ipsa subtilitate qua huius articuli doctrina fulcitur, nonnisi maxima adhibita cautela usurpandae sunt sententiae, ex quibus ordo missionis ac proin divinarum processionum videretur inverti. Ita non puto probandam esse sententiam: « Wer schuf und sandte in die Welt den zweiten « Adam, der die menschliche Natur mit Gott vereinigen,

[1] Ratio est manifesta; deesset nempe communitas operationis sicuti divinitatis.

[2] *De Trin.* l. II, c. 5. n. 9. — *P. L.* t. XLII, col. 850.

[3] Ibid. et adhuc manifestius n. 8: « Proinde mitti a Patre sine Spiritu S. non « potuit », etc. Ibid. col. 949.

« das verlangen des ersten Adam, Gott gleich zu sein, « erfüllen und die Folgen seines Falles ausgleichen sollte? » [1] Primo quidem Secundus Adam nullo modo simpliciter creatus dici potest, sed natura eius humana. Insuper Filius non est missus a Spiritu Sancto ut nostram naturam indueret, sed a Patre. Nec hunc modum loquendi probaret Augustinus.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum missus sit medius inter mittentem et id ad quod mittitur, missio in divinis involvit ex una parte, ad intra, processionem, - non imperii, nec consilii, - sed originis; ex altera parte, ad extra, novum modum essendi in creatura (a. 1).

2) Quare quum hic novus modus essendi non possit esse nisi in tempore, missio est temporalis tantum, sive processio temporalis (a. 2).

3) Hic autem novus modus essendi, non est per essentiam,

[1] *Der Heilige Geist.* Kanzelvorträge... von Pfarrer Heinrich Hansjakob. — Freiburg - Brisgau - Herder - 1900. — Der Heilige Geist und der Gottmensch. p. 25. — Caeterum in hoc opere, quoad magnam partem optimo, nonnulla corripienda videntur, utpote immoderate et imprudenter dicta, quae peccant vel contra aequalitatem cultus divinis personis debitam, vel contra sanum usum appropriationis, vel contra rectam interpretationem Scripturarum. Ita, v. gr., incauta sententia est: « Sollte da dieser « göttliche Geist nicht *den ersten Platz* einnehmen in unsern Gedanken, in unser « Verehrung, und in unser Anbetung? » (p. 7.) — Nec probanda sequens trilogia: « Ja, dem heiligen Geiste sollte das vorzüglichste Werk unter den Grossthaten des « dreieinigen Gottes zukommen. Der Vater ist Schöpfer, der Sohn Erlöser, und der « Heilige Geist Heiligmacher der Welt. — Der Vater schafft Menschen, der Sohn « Christen, der Heilige Geist Heilige und Selige. Sein Werk ist also erhabener als « das des Vaters und des Sohnes, weit es die Vollendung der Werke beider ». Permiscentur scilicet appropriata et propria, et propria ita exhibentur ut comparationem exhibeant iniuriosam tum Patri, qui Filium dedit et Spiritum mittit atque comitatur; tum Filio, qui propria morte nos redemit et Spiritum suum uti sponsale pignus dedit ac iugiter largitur. — Parum adaequata interpretatio verborum S. Pauli ad Romanos: « Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in « vobis... etc. » * ad demonstrandum, Christi resurrectionem opus fuisse Spiritus Sancti; quum iste locus probet potius, hoc opus tribuendum esse Patri: Spiritus eius, scilicet Patris. — Displicent, ut exaggeratae, locutiones: « Er (Spiritus Sanctus) ist « der Schöpfer Jesu Christi seiner Menschheit nach ». (p. 26.) « Aber an der heiligen « Geist denken wir nicht, der die zweite grosse Schöpfung, die Menschwerdung Gottes, « *ins Leben rief* ». (p. 27.) — Haec dicta sint ob cautelam altissimo dogmati debitam, quin merito huius operis multifariam egregio ullatenus detrahatur.

* C. VIII, 11.

potentiam et praesentiam, quibus Deus ab exordio rerum inest universo, sed per gratiam gratum facientem, qua disponit creaturam rationalem ad unionem specialem cum Deo, scilicet ad ipsam Dei inhabitationem (a. 3).

4) Haec missio nullo modo competit Patri, quum sit principium non procedens; quare nusquam in Scripturis Pater missus exhibetur (a. 4).

5) Convenit autem Filio etiam quantum ad missionem invisibilem, qua haud secus mittitur ac Spiritus Sanctus; at cum respectu ad indolem propriae processionis: Filius quidem uti sapientia, Spiritus uti amor (a. 5).

6) Haec missio invisibilis fit ad omnes, qui per gratiam gratum facientem Deum habent sibi inhabitantem, ipsumque efficaciter ob gratiae donum invocant ut sibi tanquam templo uniatur. Non autem fit ad sacramenta, quum haec nonnisi instrumentaliter gratiam contineant (a. 6).

7) Spiritus vero Sanctus non mittitur solum invisibiliter, sed et visibiliter, non quidem substantialiter, sicuti Filius sanctificationis auctor; sed figurative, sicuti manifestationis indicium (a. 7).

8) Porro si in missione respectus habetur ad processionem ad intra, nulla persona mittitur nisi ab ea a qua procedit. Si autem respectus habetur potius ad effectum missionis ad extra, quatenus hic effectus a tota Trinitate producitur, potest persona mittere seipsam, imo mitti a persona quae ab ea procedit, modo ipsa sit ab alia procedens. Ita ratione incarnationis, quatenus non solum Pater, sed et Filius et Spiritus S. ad extra eamdem operati sunt, Filius potest dici non solum a Patre, sed et a seipso, et a Spiritu Sancto missus ut homo fieret (a. 8).

EPILOGUS.

Epilogi instar placet reverenti calamo transcribere ipsa verba quibus S. Augustinus quindecem libros de Trinitate concludit. Decet enim ut, cuius fontis in huius tractatus decursu salientes aquas avida manu tam ubertim collegimus, ultimam veluti ebullitionem avidiore labro gustemus, doctrina quippe simul ac pietate sublimem.

Initio ponit ex Scriptura fundamentum inconcursum mysterii Dei Unius ac Trini.

« Domine Deus meus, credimus in te Patrem, et Filium « et Spiritum Sanctum. Neque enim diceret Veritas: " Ite « baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus « Sancti " [1], nisi Trinitas esses. Nec baptizari nos iuberes, Do- « mine Deus, in eius nomine qui non est Dominus Deus. « Neque diceretur voce divina: " Audi Israël: Dominus Deus « tuus, Deus unus est " [2], nisi Trinitas ita esses, ut unus « Dominus Deus esses. Et si tu Deus Pater ipse esses, et « Filius Verbum tuum Iesus Christus ipse esses, et donum « vestrum Spiritus Sanctus, non legeremus in Litteris veri- « tatis: " Misit Deus Filium suum " [3]; nec tu, o Unigenite, « diceres de Spiritu Sancto: " quem mittet Pater in nomine « meo " [4]; et: " quem ego mittam vobis a Patre " [5].

Quo iacto fundamento, iam mysterii contemplationem recolit, illudque pio corde invocat.

[1] Matth., xxviii, 19.
[2] Deut., vi, 4.
[3] Gal., iv., 4; Ioann., xiv, 19.
[4] Ioann., iii, 17.
[5] Id. xv, 26.

« Ad hanc regulam fidei dirigens intentionem meam, « quantum potui, quantum me posse fecisti, quaesivi te, et « desideravi intellectu videre quod credidi, et multum dispu- « tavi et laboravi. Domine Deus meus, una spes mea, exaudi « me, ne fatigatus nolim te quaerere, sed quaeram faciem « tuam semper ardenter [1]. Tu da quaerendi vires, qui inve- « nire te fecisti, et magis magisque inveniendi te spem « dedisti. Coram te est firmitas et infirmitas mea: illam serva, « istam sana. Coram te est scientia et ignorantia mea: ubi « mihi aperuisti, suscipe intrantem; ubi clausisti, aperi pul- « santi. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in « me ista, donec reformes ad integrum ».

Nec hac cordis effusione contentus, humillime sibi orat, quae forte nimia dixit, ignosci.

« Scio scriptum esse: " In multiloquio non effugies pec- « catum " [2]. Sed utinam praedicando verbum tuum, et lau- « dando te tantummodo loquerer! Non solum fugerem pec- « catum, sed meritum bonum acquirerem, quamlibet multum « sic loquerer. Neque enim homo de te beatus, peccatum « praeciperet germano in fide filio suo, cui scripsit dicens: « " Praedica verbum, insta opportune, importune " [3]. Num- « quid dicendum est, istum non multum locutum, qui non « solum opportune, verum etiam importune verbum tuum, « Domine, non tacebat? Sed ideo non erat nullum, quia « tantum erat necessarium.... [4]. Sapiens quidam cum de te « loqueretur in libro suo, qui Ecclesiasticus proprio nomine « iam vocatur: " Multa, inquit, dicimus, et non pervenimus, « et consummatio sermonum universa est ipse " [5]. Cum ergo « pervenerimus ad te, cessabunt " multa " ista quae " dici- « mus, et non pervenimus "; et manebis unus " omnia in omni- « bus " [6]: et sine fine dicemus unum laudantes te in unum, et « in te facti etiam nos unum.

« Domine Deus une, Deus Trinitas, quaecumque dixi in

[1] Ps. CIV, 4.
[2] PROV., X, 19.
[3] II. TIM., IV, 2.
[4] Omitto humilem valde allusionem Augustini ad internum animae suae statum.
[5] ECCL., XLIII, 29.
[6] I. COR. XV, 28.

« his libris de tuo, agnoscant et tui: si qua de meo, et tu « ignosce, et tui. Amen » [1].

Commendanda etiam summopere invocatio saepius laudata B. Alcuini, pietate simul ac appropriationis usu praecipua, e qua haud exiguam partem Liturgiae festi SS. Trinitatis Ecclesia desumpsit [2].

Nec indigni iudicentur, quos tanti pectoris efflatui admoveam, accentus mystici nostri Ruperti Tuitensis, septimum librum operis *De glorificatione Trinitatis* ita absolventis: « Quoniam igitur per haec (fidem, spem et charitatem) ad simi- « litudinem tui reformamur, auge in nobis fidem, auge spem, « auge charitatem, o beata Trinitas. Hae sunt enim divitiae « nostrae, hic thesaurus noster, o beata Trinitas. Haec « sapientia nostra, haec fortitudo nostra, haec gloria nostra, « o beata Trinitas. Hoc desiderium nostrum, hoc funda- « mentum sempiternum, haec lux oculorum nostrorum, o « beata Trinitas. Haec iustitia nostra, haec laetitia nostra, « hoc gaudium nostrum, o beata Trinitas. Haec misericordia « nostra, haec consolatio nostra, haec fiducia nostra, o beata « Trinitas. Haec decus nostrum, haec victoria nostra, haec « corona nostra, o beata Trinitas. Haec igitur auge in nobis, « ut in aeternum viventes benedicamus tibi » [3].

Porro quanta apud Ordinem nostrum, ab exordio valuerit SS. Trinitatis cultus, docet ipse textus Regulae reverentiam summam doxologiae commendans, docent tot coenobia sub vocabulo Triadis augustae sacrata - inter quae Cavense illud multiplici titulo celeberrimum, - docet trina illa in pluribus monasteriis nostris usquedum vigens solemnis oratio, per quam, iuxta unam ex formulis maxime venerandis, tractatui nostro finem aliquando imponere iuvat.

[1] *P. L.* t. XLII, col. 1097, sq.
[2] *P. L.* t. CI, col. 54.
[3] *P. L.* t. CLXIX, col. 160.

TRINA ORATIO

SECUNDUM CHARTAM MAGNAM VISITATIONIS EMINENTISSIMI D. NICOLAI CARD. CUSANI SINGULIS DIEBUS MANE ET VESPERE IN COENOBIO SCHIRENSI CONVENTUALITER DICENDA.

I. *Stantibus omnibus in stallis incipit D. Abbas:* Pater noster, Ave Maria.

℣. Pater de caelis Deus; ℟. Miserere nobis.

Oremus. Domine sancte Pater omnipotens aeterne Deus, qui coaequalem, coaeternum, et consubstantialem Tibi ante omnia saecula ineffabiliter Filium genuisti, cum quo atque cum Sancto Spiritu ex Te eodemque Filio procedente omnia, quaecumque existunt visibilia atque invisibilia, creasti *(hic omnes procumbunt):* Te adoro, Te laudo, Te benedico, Teque glorifico! Esto, quaeso, propitius mihi peccatori et ne despicias me opus manuum tuarum, sed salva et adiuva me propter nomen sanctum tuum. *(Hic omnes surgunt et ad Filium dicitur stando):*

Gloria in excelsis Deo, etc.

℣. Fili, redemptor mundi Deus; ℟. Miserere nobis.

Oremus. Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui es verus et omnipotens Deus, splendor et imago Patris et vita aeterna, cui est una cum Patre Sanctoque Spiritu substantia, aequalis honor eademque gloria et caeterna maiestas *(omnes procumbunt):* Te adoro, Te benedico, Teque glorifico! Ne me perire patiaris, sed salva et adiuva me gratuito munere tuo, quem redimere dignatus es pretioso Sanguine Tuo. *(Surgunt omnes et ad Spiritum S. dicitur):*

Credo in Deum Patrem, etc.

℣. Spiritus Sancte Deus; ℟. Miserere nobis.

Oremus. Domine Sancte Spiritus, omnipotens aeterne Deus, qui coaequalis, coaeternus et consubstantialis Patri

Filioque existis et ab eis mirabiliter procedis, qui super eumdem Dominum nostrum Iesum Christum in columbae specie et Apostolis in linguis igneis descendisti vel apparuisti *(omnes procumbunt):* Te adoro, Te laudo, Te benedico, Teque glorifico! Repelle a me, quaeso, tenebras totius iniquitatis et perfidiae et accende in me lumen tuae misericordiae et ignem sanctissimi amoris tui. Amen.

Haec est nostra perantiqua fides, quam ab ipsis humani generis exordiis sub velamine traditam, Christus apertis oraculis mundum edocùit, quamque, ethnico errore depulso, Ecclesia catholica cultu simul ac magisterio ad instans vigesimum saeculum illibatam usque servavit. Quis iam non illacrimet, dum altissimo huic christianae religionis dogmati absurdam quamdam pantheisticam gnosticamque Theosophiam a multis anteponi, imo magis in dies cultiorem reipublicae coetum lethali veneno invadere cernit? [1] Minitantur enim tempora, quo non iam Protestantismus dogmaticus, domestica ruina in semetipsum collapsus, nec Liberalismus atheus atque vulgaris, horrendis sceleribus ferax, sed Theosophia haec, Sapientiae occultioris specie cuncta crasse deturpans [2], princeps erit catholici nominis hostis. Faxit

[1] Plura de hac pseuso-theosophia alibi dicemus, maxime in tractatibus de Deo Creante et de Verbo Incarnato. Interim qui plura de hoc pessimo systemate quaerit, consulat inter alios scriptores: BLAVATSKY (*La Doctrine secrète, synthèse de la science de la religion et de la philosophie; La clef de la Théosophie*); ANNIE BESANT (*La Sagesse antique, Conférences*); Dr. Th. PASCAL (*La Théosophie en quelques chapitres; A. B. C. de la Théosophie*); COURMES (*Questionnaire théosophique élémentaire*); CHATTERJI (*La philosophie ésotérique de l'Inde*); necnon theosophicas ephemerides *Le lotus bleu*.

[2] Genuinum SS. Trinitatis dogma theosophi reiiciunt, utpote in rationem pugnans: « On annonce aux ingnorants un Dieu personnel et Eglise elle-même quand « elle parle de Dieu l'identifie toujours à la Trinité et non à l'Unité. Ainsi le Dieu « personnel implique la multiplicité, il est important de le constater, car beaucoup « de gens instruits, intelligents, sont éloignés de la foi chrétienne par cette contra- « diction métaphysique qu'ils ne peuvent concilier avec le principe de l'Unité ». Ita Annie Besant (Confér. *le Christianisme au point de vue théosophique*, p. 43). Unde trinitas theosophica, - imo, uti blasphemant, occultior christiana, - non est nisi gnostica manifestatio infinitae impersonalis unitatis. Theosophia, ait Courmes, « pro-

Redemptor, ut, dum saecularis Crucis triumphus inaudita pietatis aemulatione per orbem celebratur, Deus verus, Unus ac Trinus, nova claritate agnitus, novo colatur amore, per Iesum Christum Dominum nostrum!

« fesse que l'Absolu seul est par lui-même, que les trois Logos, ou " personnes de « la Sainte Trinité " dérivent de lui : le premier ne se manifestant pas, le second « se manifestant, et le troisième étant la source et le foyer de toutes les manifesta- « tions ultérieures » (Op. cit. p. 11.). Eodem modo, sed fusius, Annie Besant (Op. cit. p. 41. sqq.), et alii passim. Quot verba, tot somnia.

I. O. G. D.

Errata. Quantamcumque diligentiam adhibuerint, quibus id curae commisimus, aliquas typis mendas irrepsisse dolemus. Quum autem vix ulla sit quam benevolus lector non primo intuitu absque labore emendet, praecipuas tantum assignabimus citationes, quae in errorem inducere possent.

Pag. 12, lin. 3, a f. lege : P. G. t. xx, col. 706, sqq. — P. 51, in notis 2, 3 : 50, 51, 52. — P. 53. n. 1 : Ioann. xiv, 16. — P. 92, n. 1 : Deut, vi. Marc. xii, 29, 32. — P. 127, n. 1 : Ioann, v, 37, sq. ; n. 10 : v, 17, 19. — P. 177, l. 26, sq : textus liberius adducitur. — P. 194, n. 3 : 323, sq. — P. 360, n. : I. Phys. text. 26. — P. 481, n. 1 : P. G. t. xli.

INDEX RERUM

ALPHABETICUS ANALYTICUS.

ABAELARDUS. — Haeretice sentit de processione Spiritus Sancti, 70. — Tres propositiones damnatae, 203. — SS. Trinitatem ratione cognosci posse docet, 366, 380. — Spiritus Sanctus vocatur amor, 622. — Spiritum S. non de substantia Patris procedentem fingit, 728, sqq. — Gravissime errat circa omnipotentiam, quam proprie tribuit Patri, 801.

ABERLE — Citatur, 139.

ABSTRACTUM. — Praedicatio per abstracta, 669, sqq. — Nomina essentialia abstracta non praedicantur de personis, 673, sqq.

ABUCARA (Theod.). — Vocabula distinguenda et explicanda monet, 265.

ACCEPTUM. — Non est idem ac receptum, 48, sq.

ACEPHALI. — Citantur, 566.

ACTIO. — Actio creatrix est subiective immanens, virtualiter transiens, 32. — Actiones personarum divinarum triplici classe verborum exprimuntur, 629.

ACTUS NOTIONALIS. — Actus notionales in divinis, 708, sqq. — Voluntarii et necessarii, 711, sqq. — Actus notionales ex essentia, 721, sqq. — Quomodo potentia actum notionalium in divinis, 731, sqq. — Actus notionalis terminus est singularis, 739, sqq.

AENEAS DE PARISIIS. — Citatur, 547.

AEQUALITAS. — Tribuitur Filio, 685, 690. — Datur in divinis, 744, sqq. — Patris et Filii aequalitas secundum magnitudinem, 776, sqq.

AETERNITAS. — Attribuitur Patri, 683, sqq. — Persona procedens coaeterna suo principio, 754, sqq.

AETHIOPICAE. — Editiones de commate Ioanneo, 142.

AFRA (S.). — Martyr pro fide Trinitatis, 174.

AFRICANUS. — Auctoritas Concilii Africani (484) in quaestione de commate Ioanneo, 150.

ALBERTUS MAGNUS. — Citatur, 613. — Negat prioritatem secundum rem, 769.

ALCINOUS. — De trinitate Platonis, 368.

ALCUINUS (B.). — Opera eius de SS. Trinitate, 5. — « Principium » in I. cap. Geneseos interpretatur de Filio Dei, 33. — Carmine invocat SS. Trinitatem, 74. — « Imaginem nostram » in I. Gen. de SS. Trinitate dictum intelligit, 98, sq. — Trisagion SS. Trinitatis celebrat 103, sq. — In Deo sunt relationes reales, 220. — Proprium est Spiritus Sancti a Patre et Filio aequaliter procedere, 566. — Spiritus Sanctus donum Dei, 640. — Citatur, 688. — Aequalitas in divinis, 748. — Citatur, 781. — Inseparabilitatem divinarum personarum egregie vindicat, 794. — Missio Filii non localis, 817. — Pater

non mittitur, 828. — Elevatio naturae humanae Christi, opus totius Trinitatis, 833.

ALEXANDER. ALEX. — Damnat blasphemiam Arii, 15.

ALEXANDER HALENSIS. — Cf. *Halensis*.

ALIUS. — Haec praedicatio formaliter ponit distinctionem suppositi, 330, sqq. — Non ponit distinctionem substantiae, 331, sq. — Alius et aliud, quomodo in Deo dici possint, 334

ALLATIUS. — Citatur, 547, 570, 576.

ALOGIANI. — Respuunt doctrinam Ioannis de processione Verbi, 10. — Vituperantur a S. Athanasio, 430. — Deum unam personam cum Verbo statuunt, 480, sq.

ALTERITAS. — Utrum de Deo possit praedicari, 335. — Discrimen inter alteritatem et alterationem, 335.

AMATIANUS. — Codex citatur, 143.

AMBROSIUS (S.). — Opera eius de SS. Trinitate, 5. — Celebrat Trinitatis mysterium, 73, sq. — Arguit ex formula Baptismi, 133. — In Patre et Filio est una indifferens divinitas, 333. — In Deo tria praedicat, 334. — Imago SS. Trinitatis in homine, 400. — Solus Filius est imago Dei, 516. — Spiritus S. est nomen proprium, 539. — Spiritus S. procedit a Patre et a Filio, 559, sq. — Esse, vivere, sapere: similitudo Dei et animae, 650. — Memoria, intellectus et voluntas: similitudo SS. Trinitatis, 653. — Id. mens, verbum, amor, 654. — Spiritus S. amor, 620. — Confutat Arium, 754. — Citatur, 757. — Relationes reciprocae, 776. — Oratio in Christo non minuit potentiam, 802. — Missio Verbi non localiter intelligenda, 817. — Inseparabilitas divinarum personarum, 842, sq.

AMELLI (D. Ambr.). — Citatur, 147.

AMOR. — Anima volens in amorem exit, 539. — Pater et Filius sunt amantes, quia spirantes, 539, sq. — Spiritus S. dicitur amatus eo amore quo ponitur, 540. — Quousque actus amoris ponat aliquod novum accidens, 540. — Nomen Spiritus Sancti, 615. — Spiritus S. ex amore Patris et Filii, 618, 631; — ex amore essentiae divinae, suipsius, Spiritus Sancti, totius Trinitatis, omnium creaturarum, 631.

ANASTASIUS (Bibliothecar.). — Quo sensu « procedere ex Filio » apud S. Maximum usurpetur, 581.

ANAXAGORAS. — Mentem supremam inducit in universum, 368.

ANOMAEI. — Negant similitudinem Filium inter et Patrem, 514.

ANSELMUS (S.). — Opera eius de SS. Trinitate, 5. — Citatur contra Roscelinum, 18. — Eius doctrina de generatione Verbi, 49, sqq. — Cur principium Filii potuis pater quam mater appelletur, 51, sq. — Datur altera processio, 59, sqq. — Cur processio non sit generatio, 70, sqq. — Pater non dicit plura Verba, 78. — Filius et Spiritus S. non dicunt uti Pater, 78, sq. — Eius doctrina de relationibus 249, sqq. — Generatio in Deo dicit emanationem per modum relationis, 257, sqq. — Exponit doctrinam de div. personis, 318, sqq. — Comparatur eius doctrina, cum S. Augustini doctrina de proprietate nominis personae in divinis, 319, sq. — Laudatur definitio personae, 320. — Non est disputandum contra fidem, 352. — In Deo distinguit « tres res », 334. — De rationis munere in perscrutandis mysteriis; « Credo ut intelligam », 395. — SS. Trinitatis imago anima rationalis, 400, sq. — Utrum excesserit in demonstrabilitate SS. Trinitatis, 413. — Trilogia: ingenitus, genitus, nec genitus nec ingenitus, 465, sqq. — Verbum Dei singulare, quia tres sunt qui dicunt, non tamen tres dicentes, 486, sqq. — Filius et Spiritus S. dicunt ad intra, 488. — Verbum probatur nomen personale per identificationem cum Filio, 488. — Pater unico Verbo dicit

se totum ac omnia quae facit, 501. — Citatur, 535. — Spiritus Sanctus est nomen proprium, 538. — Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, 549, sqq. — Spiritus procedit de Filio, quia accipere de Filio demonstratur, 552. — Filius se et ipsum Patrem Spiritui revelat, 552, sq. — Spiritus insufflatione a Filio datur, 553, sq. — Spiritus mittitur a Filio, ut ab eo procedens, 554. — Spiritus ut Spiritus Filii, de Filio procedit, 554, sq. — Citatur, 560. — Graecorum sophismata de processione Spiritus Sancti annihilat, 568. — Spiritus S. procedit per amorem a Patre, 593. — In modo exponendi differt a S. Thoma, 593. — Pater et Filius unum principium in processione Spiritus S., 605. — Spiritus S. procedit principaliter a Patre, 606. — Spiritus S. charitas Patris et Filii, 621. — Memoria, intellectus et amor : similitudo S. Trinitatis, 650, sqq. — « Ex ipso, per ipsum et in ipso » de creatis dictum interpretatur, 686. — Relationes constituunt personas, 697. — Spiritus S. ex substantia Patris et Filii, 734. — Fuse exponitur eius doctrina de aequalitate divinarum personarum, 802, sqq. — Relatio missionis ad processionem declaratur, 818, sqq.

Anselmus Havelbergensis. — Citatur, 547.

Antenicaena Traditio. — De SS. Trinitate sedulo perpenditur, 169, sqq. — Principia ad solvendas difficultates, 198, sq.

Antiochenum (Conc.). — Ineffabilitatem mysterii SS. Trinitatis docet, 367. — Non adhibet vocem ὁμοούσιος, 665.

Antitrinitarii. — Errant circa SS. Trinitatem, 9, seqq.

Apollinarius. — Spiritum Sanctum docet procedere a Patre per Filium, 572.

Apostolici Patres. — Cf. *Antenicaena Traditio*, 178.

Appropriatio. — Differt a propria locutione, 680, — Eius gradus, 681. — Quo sensu creatio Patri approprietur, 801.

Appropriationes. — Completae, 683, 690, seqq. — Partiales, 687, seq. — In liturgia, 688.

Aquisgranense (Conc.). — Spiritus Sanctus procedit a Patre et a Filio, 567. — Citatur, 586.

Arelatense (Conc. ann. 353). — Citatur, 665.

Ariani. — Arguunt contra processionem Filii et Spiritus Sancti de substantia Patris, 64. — De distinctione inter relationes et essentiam, 229. — A S. Augustino refutantur, 476. — Nomen Verbi improprium dicunt, 481, 483. — Spiritum Sanctum Filii manifestationem appellant, 515. — Citantur, 557, 559, 584. — Diversis formulis discernuntur, 664 sqq. — Refutantur a S. Cyrillo Alex., 718. — Refelluntur, 723. — Arguunt ex Scriptura contra divinitatem Verbi, 728. — Refutantur, 761, — Ponunt in divinis ordinem naturae, 765, — Confutantur, 783.

Ariminense (Conc.). — Formulae III. Conc. Sirmiensis subscribit, 666.

Aristoteles. — Unum praedicamentale et transcendentale, 311.

Arius. — Eius historia et errorum circa Verbum capita, 15. — Distinguit essentiam Dei realiter, 257. — Vituperatur a S. Hilario, 265. — Refutatur, 294. — Contra S. Trinitatis mysterium agit, 345. — Deum ait improprie Patrem, 454. — Ingenitum intendit sec. substantiam, 462. — Discrimen reale ponit inter personam et essentiam, 958. — Verbum ait effectum, 714. — Refutatur per aequalitatem in divinis, 747. — Negat aeternitatem Verbi, 754.—Negat Filium Patri potentia aequalem, 799.

Armeniaca. — Versio de commate Ioanneo, 142.

Armfield. — Citatur, 139.

Arminiani. — Plures ex eis errant circa SS. Trinitatem, 12.

Artemon. — Erravit circa SS. Trinitatem, 10.

Assemani. — Citatur, 575.

Athanasianum Symbolum. — Tempus eius originis, 6. — Citatur de generatione Verbi, 42. — De processione Spiritus Sancti, 63. — De distinctione personarum, 323. — Spiritus Sanctus etiam a Filio procedit, 546, 565, 577, sqq. — Spiritus Sanctus eodem modo se habet ad Filium, quo Filius ad Patrem, 577. — Spiritus Sanctus, imago imaginis, 579. — Citatur, 585. — Pater et Filius unum principium in processione Spiritus S., 605. — Consubstantialitas non praedicatur pluraliter, 668. — Actus notionales ex essentia, 724. — Filius et Spiritus S. ex substantia Patris, 730. — Coaeterni, 757, sq. — Ordinem naturae inter personas, 770; — aequalem potentiam in divinis personis praedicat, 799.

Athanasius (S.). — Scripta eius de SS. Trinitate, 4, — Pater Orthodoxiae, 15, sq. — Citatur circa prima semina erroris tritheistici, 17. — Concordem facit generationem cum unitate summi principii, 44. — Notionem Verbi et Filii componit, 45. — Trisagion ad SS. Trinitatem refert, 103. — Citatur, 168. — Vindicat antiquitatem doctrinae SS. Trinitatis, 175. — Origenem ab errore liberat, 189. — Passim hypostasim pro οὐσίᾳ adhibet, 281. — Distinguit inter utrumque terminum, 283, sqq. — SS. Trinitas, unus Deus, 326. — SS. Trinitatis mysterium ratione non potest cognosci, 358. — Christus Dei virtus, 394. — De solo Patre dicitur ingenitum, 465. — Verbum personaliter dicitur, 480. — Refellit Sabellianos Deum unam personam cum Verbo statuentes, 481. — Imago Patris in Filio, 513. — Imago Filii est Spiritus, 516. — Citatur, 546. — Pater mittit, Filius fert Spiritum Santum, 572. — Spiritus Sanctus charitas Patris et Filii, 620. — Liberium putat vi subscripsisse formulae Sirm. III, 665. — Declarat περιχώρησιν, 790.

Atharvan-Veda. — De trinitate quid sentiat, 373.

Athei. — Errant circa Trinitatem negando suppositum, 9.

Athenagoras. — De Trinitate in unitate, I, 183. — Spiritus Sanctus est nomen proprium, 536.

Augustinus (S.). — Operis eius de SS. Trinitate brevis analysis, 5. — Veritas in medio inter Arianos et Sabellianos, 9. — A verbo mentis ad cognitionem Verbi Dei assurgimus, 36, sq. — Deus semper quaerendus, 37, sq. — Notionem Filii et Verbi ad invicem componit, 45. — Ignorare se fatetur, quid intersit inter nasci et procedere, 63. — Profunde scrutatur indolem processionis Spir. Sancti, 67, sqq. — « Imaginem nostram », in I. Gen. de Trinitate dictum accipit, 98. — Arguit ex formula Baptismi, 133. — Non legit comma Ioanneum, 143, sq — Vindicat antiquitatem fidei SS. Trinitatis, 175. — De relationibus in Deo, 217. — De earum distinctione ab essentia, 231, sqq. — Omne quod refertur est aliquod, 360. — Substantiam in sensu essentiae usurpat, 283. — Nomen personae iure inductum est in divinis, 289. — Mens S. Doctoris de persona quatenus relationem dicit, 297. — Differt a S. Thoma, ibid. — Nomen personae absolutum, non relationem praedicat, 299. — Critica doctrinae, 300. — Comparatur cum S. Anselmo, 319. — SS. Trinitas, Deus unus, 326. — Utrum Deus triplex, 328, 333. — Distinctio inter Patrem et Filium, 333. — Solus Deus, subintelligit Patrem et Filium et Spiritum S., 337. — Quomodo Pater unus verus Deus, 339. — Mysterium SS. Trinitatis ob celsitudinem suam a multis respuitur, 360. — Qua mente et quo modo accedendum sit ad mysterium SS. Trinitatis, 360. — Ineffabilitas SS. Trinitatis, 362. — De

mysterio Trinitatis apud Platonicos, 366. — SS. Trinitatis imago, anima rationalis, 400. — Revelationis interna propositio, 394. — Processio gemina praeambulum aeternum creationis, 408. — Perperam Güntherus eum ad se trahit, 390. — Vestigium universale SS. Trinitatis, 398, 399. — Notiones in Deo, 434. — In sensu improprio Pater est causa ad intra, 448. — Doctrina de principio in Deo, 448, sq. — De nomine ingeniti, 467, sqq. — Laudatur, 469. — Refutat Arianos, 476. — Laudatur, 480. — Verbum Dei non factum, quia non per aliud Verbum factum, 481. — Verbum nomen personale, 481, sq. — Distinctio inter Verbum et Sapientiam, 482. — Perfectio scientiae proferentis Verbum, perfectio Verbi prolati, 499. — Citatur, 503. — Imago non ad se dicitur, 511. — Ubi imago, ibi similitudo, non aequalitas, 514. — Solus Filius imago Patris, 515. — Homo est imago Dei facta a Patre per Filium, 517, sq. — Sapientia in Scripturis, nomen Filii, 525, sq. — Spiritus Sanctus est nomen proprium, 537, sqq. — Citatur, 554, 556. — Spiritus S. procedit a Patre et Filio, tanquam ab uno principio, 560, sqq. — Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, 561, sqq. — Refutatio Photianorum asserentium, Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, 562, sq. — Spiritus Sanctus procedit principaliter a Patre, 606. — Spiritus Sanctus charitas Patris et Filii 620. — Spiritus Sanctus unitas Patris et Filii, 630. — Spiritus Sanctus est donum Dei, 640. — Memoria intellectus, voluntas: similitudo SS. Trinitatis in anima humana, 650, sqq. — Pater, mater et proles: falsa similitudo, 655. — Homousion, Pater et Filius unum sunt, 664. — Pater et Filius una essentia et essentia de essentia, 673. — Distinctio inter verba simul absoluta et relativa, et alia mere relativa, 676. — In Patre unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu Sancto unitatis aequalitatisque concordia, 685. — In Patre potentia, in Filio sapientia, in Spir. S. bonitas, 685, sqq. — Relationes constituunt personas, 697. — Actus notionales in Deo, 711. — Filius de substantia Patris, 727. — Intellectus divinus ponit suum terminum, 732. — Citatur, 741. — Aequalitas in divinis, 748, 782. — Ordo personarnm, 771. — Citatur, 777, 781. — Exponit περιχώρησιν, 792. — Vindicat aequalem potentiam in Patre et in Filio, 799. — Num admiserit in Filio potentiam generandi, 800. — Componit missionem cum aequalitate div. personarum, 816. — Definitio missionis, 822. — Discrimen inter gratiam et caetera dona Spiritus Sancti, 826. — Pater non potest mitti, potest autem apparere visibilis, 828. — Invisibiliter mittitur et Filius, 831, sq. — In veteri Test. iam erat specialis missio Spiritus Sancti οὐσιωδῶς, 840, sq. — Missionem Spiritus S. visibilem praeclare exhibet; distinctam tamen a missione Filii, 856. — Filius seipsum mittit; quo sensu, 860. — Operis «De Trinitate» mirabilis, conclusio 865, sq.

Averroës. — Laudatur, 311.

Avesta. — De trinitate, 373.

Avicenna. — Laudatur, 311.

Bach. — Eius historia dogmatum laudatur, 6.

Baltus (D. Urb.). — Citatur, 9.

Barensis (Syn.). — Anselmus Graecorum sophismata de processione Spiritus Sancti in eadem annihilat, 568.

Baptismus. — Vis dogmatica formulae Baptismi, 131, sqq.

Baptizare. — Quid importet actio baptizandi, 135.

Barnabas (Epist.). — De trinitate in unitate, 178.

BARONIUS (Card.). — Sententia eius de Origene, 188.

BARYLLUS BOSTRENSIS. — Antesignanus Eutychetis, 10.

BASILIUS MAGN. (S.). — Opera eius de SS. Trinitate, 4. — Unitatem naturae in Deo cum pluritate terminorum componit, 44. — Cur Spiritus Sanctus non sit Filius, 69, sqq. — Nomen Spiritus legitimat, 70. — Arguit ex formula Baptismi, 134. — Usurpat οὐσία pro ὑπόστασις, 282. — Distinguit utrumque, 282. — Damnat perfidiam Sabellianorum, 290. — Notiones in Deo, 433. — Verbum Patris Filius, Verbum Filii Spiritus, 490, sq. — Excellentia nominis Verbi, 492. — Imago Filii est Spiritus, 516. — Spiritus Sanctus est nomen proprium, 536. — Citatur, 571. — Spiritus Sanctus est Filii, Veritatis, ex Filio, 576. — Spiritus Sanctus, Verbum Filii, 578, sq. — Spiritus Sanctus, imago imaginis, 179. — Citatur, 582, 583. — Spir. Creator., 643, sq. — « Ex ipso, per ipsorum et in ipso » singulis personis attribuit, 686. — Consubstantialitas personarum, 725. — Citatur, 728. — De ὁμοούσιῳ 747, 751. — Ordo in personis, 771, — Exponit περιχώρησιν, 792.

BATIFFOL. — Citatur, 152.

BECCUS (Ioannes). — Laudatur, 569. — Citatur, 574, 576.

BEDA (S.). — Spiritus S. charitas, 645.

BELLARMINUS. — Defendet nomen Trinitatis, 324.

BENEDICTUS (S. Patr.). — Magnus SS. Trinitatis cultor, 169.

BENEDICTUS XIV. — Iconographiam pessonarum SS. Trinitatis moderatur, 878.

BENGELIUS. — Citatur. 138, 155.

BERNARDUS (S.). — Adversarius Gilberti Porretani, 18. — De relationibus in Deo, 220. — De Gilberti Porretani errore fuse disputat, 227. — Laudatur, 258. — Egregie disserit de unitate et numero in divinis, 313. — De unitate in SS. Trinitate, 341, sq. — Mysterium SS. Trinitatis est inscrutabile, 360. — Similitudo Dei in triplici gradu libertatis, 650, sq. — Spir. S. amor, 621. — Spir. S. de substantia Patris, 729, sq. — Aequalitas in divinis. 748. — Confutat errorem Abaelardi circa omnipotentiam Patris, 802.

BESANT (Annie). — Citatur, 869, sq.

BESSARIO (Card.). — Citatur, 547. — Eius opera in Concilio Ferrariensi, 570. — Citatur, 574, 566. — Sp. S. procedit a Patre per Filium, 583. — Docet, Concilia gener. potuisse, urgente necessitate, Symbolo adiungere « Filioque », 588.

BESSARIONE (Il). — Ephemerides laudantur, 570.

BESSER. — Citatur, 138.

BEZA. — Citatur, 486.

BIEL (Gabriel). — Citatur, 769.

BILLOT. — Laudatur, 6. — Operationem transeuntem et immanentem ad invicem confert, 32. — De relationibus divinis egregie disputat, 241. — Citatur, 504. — Viam mediam tenet in divina subsistentia, 659, sq. — Citatur, 679. — Optime exponit aequalitatem magnitudinis divinarum personarum, 777.

BISBING. — Citatur, 139.

BLANDRATA. — Errat circa S. Trin., 12.

BLAVATSKY. — Citatur, 869.

BLEMMYDES. — Cf. *Nicephorus*.

BRACARENSE (CONC. I.). — Damnat formulam: Divinitas est Trinitas, 679.

BRAHMANA (Veda). — De trinitate, 373.

BAUR. — De conceptu hegeliano Trinitatis, 379.

BOËTHIUS. — Opus eius de SS. Trinitate, 5. — De relationibus in Deo, 1, 219. — Persona definitur, 268. — Exponit definitionem tum personae, tum naturae, 268, ss. — Item, 290. — Laudatur, 294. — Varias enarrat naturae significationes, 294. — Nomen personae explicat, 286. — Rationem relationis refert in divinis personis, 293, sq. — Laudatur, 301. — De triplici specie inae-

qualitatis, 324. — De unitate Trinitatis, 324. — Triplicitas est determinatus gradus multiplicitatis, 328. — Alteritas est principium pluralitatis, 341. — Philosophia non est contra fidem, 353. — Relationes constituunt personas, 697.

Bogomili. — Eorum error circa SS. Trinitatem, 12.

Bonaventura (S.). — Scripta eius de SS. Trinitate, 5. — Summam dogmatis SS. Trinitatis synthetice exhibet, 80, sqq. — Generatio in divinis datur, 82, sqq. Corripit Sabellium et Arium, 84. — Investigat indolem processionis Spiritus Sancti, 85. — Cur Spiritus Sanctus non sit Filius, 85, sq. — Cur non sint plures quam duae processiones in Deo, 87, sq. — Doctrina de relationibus, 254, sqq. — Relationes reales in divinis demonstrat, 257, sq. — Defendit relationum substantialitatem, 258. — Explicat modum identitatis proprietatis cum essentia, 258. — Relationes distinctae ab invicem, 258, sq. — Originem nominis personae inquirit, 286. — Nomen personae in divinis providentialiter inductum, 288. — Persona divina dicit relationem, 297. — Etymologia Trinitatis, 327. — Trinitas personarum div. ex sola naturali ratione non cognoscibilis, 411. — Doctrina de notionibus et proprietatibus, 439, sqq, — In Verbo triplex similitudo, 503. — Pater et Filius unum principium in processione Spiritus Sancti, 605. — De processione Spiritus S. a Patre et Filio, 612. — Spiritus Sancti amor et donum, 623. — Origines distinguunt personas principiative, 699, sqq. — Spir. S. procedit per modum liberalitatis et necessario, 719. — Potentia generandi dicit: ad aliquid, 737, sqq. — Citatur, 769.

Bonitas. — Spir. S. attribuitur, 685, 691.

Bossuetius. — Citatur, 566. — Spiritus S. unitas Patris et Filii, 626.

Breviloquium. — Exhibet doctinam eamdem cum doctrina S. Thomae de divinis relationibus, 259.

Brück. — Citatur, 666.

Cabbala. — De doctrina Cabbalae in sua relatione ad Trinitatem, 375, sq.

Cabbalistae. — Citantur, 548.

Caietanus (Card.). — Commentator S. Thomae, 6. — De distinctione inter relationes et essentiam, 230, 235. — De distinctione relationum a suo fundamento, 236. — Laudatur, 318. — Distinctio virtualis inter paternitatem et spirationem in Patre, 432. — Interpretatio S. Thomae et Scoti circa cognitionem ex qua procedit Verbum, 498. — Respectus Verbi ad creaturas est obiectum scientiae simplicis intelligentiae, 508. — Citatur, 659, 672, 715, 770.

Calecas. — Doctor et Confessor processionis Spiritus S. a Patre et Filio, 570. — Citatur, 569, 621.

Callixtus (S. Papa). — Acta eius citantur, 176.

Calvinus. — Nomen Trinitatis impugnat, 324. — Citatur, 486. — Filius a Patre personam, a se essentiam habet, 677.

Capreolus. — Citatur, 715.

Cassinensis. — Codex de commate Ioanneo, 146.

Cassiodorus. — Utitur unus ex primis commate Ioanneo, 151.

Categorematica praedicatio, 336.

Cathari. — Nonnulli ex eis instaurarunt errorem Pneumatomachorum, 16.

Cavensis. — Codex citatur, 143, sq.

Chalcedonense (Conc.). — Discrimen statuit inter hypostasim et οὐσίαν, 283. — Approbat S. Cyrillum dicentem Spiritum proprium Filii, 566. — Quomodo interpretandum decretum circa adiunctionem « Filioque » in Symbolo, 587, sq.

Celsus. — Trinitatis mysterium impugnat, 345. — Christianorum omnia pulchra a philosophis iam dicta asserit, 375.

CHALDAICUM (Offic.). — Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit, 575.

CHARACTER. — Nomen Filii in Scripturis, 518, sq.

CHARITAS. — Nomen Spiritus S., 645.

CHATTERJI. — Citatur, 869.

CHENEVIÈRE. — Citatur, 137.

CHRISTUS. — Illustratur περιχώρησις in Christo, 795.

CHRYSOLOGUS (S. Petrus). — Simultaneitas Patris et Filii, 771.

CHRYSOSTOMUS (S.). — Utrum cognoverit comma Ioanneum, 146. — Spiritus S. donum Dei, 639. — Citatur, 771.

CIENFUEGOS. — Considerat relationes div. uti assistentes, 235.

CLAUDIANUS MAMERTUS. — Nimis extollit Platonis trinitatem, 374. — Indiscreta probatio SS. Trinitatis rationali via, 412, sq. — Citatur, 621. — Mens, verbum, amor: similitudo SS. Trinit. in anima humana, 654.

CLAUDIUS APOLLINARIS. — Utrum cognoverit comma Ioanneum, 146.

CLEANTHES. — Qualitas in Deo, 370,

CLEMENS ALEXANDRINUS. — Doctrina eius perpenditur de SS. Trinitate in genere, de divinitate, consubstantialitate, coaeternitate et aequalitate Verbi cum Patre, 186, sq.

CLEMENS ROM. (S.). — Citatur, 179. — Spiritus S. est nomen proprium, 536. — Procedit a Patre per Filium, 584.

CLEOMENES. — Secta errans circa SS. Trinitatem ab eo dicta, 11.

CLERICUS (Ioannes). — Erravit circa SS. Trinit., 12. — Citatur, 751. — Stulte ex περιχώρησι arguit contra monotheismum, 785, sq.

CLODOVEUS. — Trinitatem edocetur a S. Remigio, 201.

CODEX. — Criteria sternuntur de valore codicum, 139, sqq. — Status codicum perpenditur quoad comma Ioanneum, 142, sqq.

COGNITIO. — Cognitio nostra de divinis personis, 343, sq.

COLONIA AGRIP. (Conc. ann. 1860). — Mysterium SS. Trinitatis docet esse incomprehensibile, 357.

COMMA. — Controversia obiective exhibetur de commate Ioanneo, 136, sqq.

COMMENTATORES. — Praecipui in S. Thomam, 6.

COMPARATIONES cum SS. Trinitate a natura desumptae, 396.

CONCILIA. — Adhibent Verbum personaliter, 480.

CONCRETUM.—Praed. per concreta, 669, sqq.

CONSTANTIENSE (Conc.). — Damnat Hussium, 203.

CONSTANTINOPOL. (CONCILIA). — Œcum. I. Eius fidei professio contra Pneumatomachos, 16. — Antiquissimam fidem Nicaenam proclamat, 175. — Citatur, 202. — Spiritus Sanctus ex Patre procedit, 545. — Formula media inter diversas fractiones arianas, 666. — III. De formula: Unus e Trinitate passus est, 202. — V. Verbum personaliter dicitur in Deo, 480. — VI. De numeris in divinis loquitur, 313. — Unitas in Trinitate, Trinitas in Unitate, 678. — VIII. Photium excommunicat, 568.

CONSTANTINUS. — Laudatur, 283.

CONSTANTIUS. — Arianismi fautor, 665. — Vim infert Liberio, 665.

CONTRADICTIO. — Nulla inter dogma SS. Trinit. et rationem, 403, 404.

CONTROVERSIAE cum haereticis ostendunt antiquitatem fidei SS. Trinitatis, 176.

CORCELAUS. — Citatur, 751.

CORNELY. — Citatur, 139.

COURMES. — Citatur, 869.

CREARE. — In sensu « generare », 111.

CREATIO. — In Trinitate actiones immanentes ad intra sunt fundamentum creationis, 493, sq. — Scientia Patris utrum per se, an per Verbum operativa, 495. — Respectus Verbi et Spiritus Sancti ad creaturas, 494. — Patri speciali titulo tribuitur, 668.

CREATOR. — Nomen Spir. S., 643.

CRELLIUS. — Citatur, 746.
CUDWORTH. — Citatur, 751.
CYPRIANUS (S.). — Num re vera comma Ioanneum citaverit, 153. — Ex formula Baptismi arguit pro SS. Trinitate, 196.
CYRILLUS ALEX. (S.). — Opera eius de SS. Trinitate, 4. — Probat divinitatem Spiritus Sancti, 30, sq. — Omnia per Verbum facta, 101, sq. — Filius Dei aeternus, 107. — Distinguit hypostasim ab οὐσίᾳ, 282. — Mysterium Trinitatis verbo et intellectui inaccessibile, 358. — Creatura clamat Deum Creatorem, sed Verbum ostendit Patrem, 365. — Analogiae SS. Trinitatis, 397. — Notiones in Deo, 433. — De proprietate nominis Patris, 455. — Variae significationes nominis Ingeniti, 461. — De nomine Ingeniti, 470, sqq. — De generatione Filii, 476. — Verbum nomen maxime proprium Filii, 492. — Imago Filii est Spiritus, 516. — Homo per gratiam fit imago Dei, 517. — Citatur, 519. — Disserit de appellatione Primogeniti, 524. — Vox « Veritatis » notionaliter intellecta significat Verbum, 526. — Citatur, 527, 533. — Spiritus Sanctus est nomen proprium, 537. — Citatur, 549. — Affirmat contra Nestorianos, Spiritum Sanctum esse proprium Filii, 566, sq. — Spiritus Sanctus procedit ex Patre et Filio, 573, sq. — Divinitas Verbi probatur e processione Spiritus Sancti, 574. — Spiritus Sanctus est Filii, Veritatis, ex Filio, 575, sq. — Spiritus Sanctus est a Patre et Filio tanquam ab uno principio, 578. — Spiritus Sanctus, imago imaginis, 579. — Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, 579, sq. — Divinitas Filii ex singularitate Spiritus Patris et Spiritus Filii, 584. — Sp. S. donum Dei, 639; — item Digitus Dei, ac ideo consubstantialis Patri et Filio, 644. — Pater non potest esse sine Filio, 717, sqq. — Verbum et Spiritus de essentia Patris, 725, sqq. — Ὁμοούσιος quoad sensum est in Scripturis, 752, sq. — Ὁμοιούσιον vituperat, 753, sq. — Exponit coaeternitatem Filii, 762, sq. — Declarat περιχώρησιν, 791. — Missionem Spir. S. sub Vet. Test. proprie dictam aliquando videtur negare, 839. — Inseparabilitas div. personarum, 843. — Discutitur eius mens quoad missionem invisibilem in Ant. Test., 844, sq.
CYRILLUS HIEROSOL. (S.). — Naturam divinam vocat hypostasim, 281.
CYSTUS (Monophys.). — Citatur, 584.
CZNICOVIUS. — Citatur, 585.

DAMASCENUS (S. Ioannes). — Opus eius de SS. Trinitate, 4. — Citatur de processione Spiritus Sancti, 63. — Non legit comma Ioanneum, 146. — De relationibus in Deo, 221, sq. — Ἀγέννητος et ἀγέννητος, 464. — Varii sensus vocis verbi, 483. — Citatur, 567. — Quo sensu Spiritus S. procedat ex Patre, non ex Filio, sed per Filium, 581, sq., 590. — Negat Spir. S. esse a Filio, 600. — Professio fidei in Spiritum S., 655. — Relationes constituunt personas, 697. — Generatio ex substantia, 734. — Aequalitas in divinis, 783. — Illustrat doctrinam περιχωρήσεως, 788. — Item, 792.
DAMASUS (S. Papa). — Anathematizat Iudaeorum et Gentilium errores circa divinitatem, 8. — Approbat I. Conc. Constantinop., 16. — Eius anathematismi contra negantes generationem Filii ex Patre, 43. — Laudatur, 284. — Canones ad Paulinum, 724. — Professio fidei de coaeternitate, 756.
DAMIANUS (S. Petrus). — Spiritus S. charitas, 621. — Consubstantialitas, coaeternitas, aequalitas in divinis, 783.
DANAEUS. — Nomen Trinitatis impugnat, 329.
DANKO. — Citatur, 138.
DANTE ALIGHERIUS. — SS. Trinitas ratio-

ne cognosci nequit, 363. — Analogia SS. Trinitatis, 399.

DARIES (Ioach). — Tritheista, 18.

DEITAS. — Deitas et Trinitas, quomodo differant, 323.

DE LA RUE. — De Origene, 189.

DEMETRIUS CYDONIUS. — Citatur, 576.

DEMIDORIANUS. — Codex citatur, 143.

DENZINGER. — Citatur, 465, 546, 547, 620, 697, 724, 725, 748, 760, etc.

DE REGNON. — Laudatur opus eius de SS. Trinitate, 6, 285, 571, 601.

DEUS. — Utrum sit triplex, 328. — Optime dicitur unus et trinus, 329. — Quomodo dicatur alius, 330.

DEXTERA. — Nomen affine conveniens cum Virtutis nomine, 526, sq.

DIDYMUS. — Opera eius de SS. Trinitate, 4.

DIGITUS. — Digitus Dei nomen Spir. S., 643.

DIONYSIUS ALEX (S.). — Impugnat Sabellium, 11. — Orthodoxiam suam vindicat, 11, sq. — Defendit dogma catholicum contra Paulum Samosatenum, 13. — Aliqua indicia Subordinatianismi in eius scriptis, 13. — Pater mittit, Filius fert Spiritum Sanctum, 572. — Declarat περιχώρησιν, penes Damascenum, 790.

DIONYSIUS CARTHUS.. — Scripta eius de SS. Trinitate, 5.

DIONYSIUS (S. Papa). — Exponit errorem Sabellii, 11. — Corripit errores Sabellianorum et Tritheistarum atque Subordinatianorum, 13, sq. — Harmoniam dogmatis componit, 14. — Eius epistola ad S. Dion. Alex., 176.

DIONYSIUS III (Patriarca Iacobita). — Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit, 575.

DISTINCTIO. — Distinctio rationis inter intellectum et voluntatem in Deo non sufficit ad tuendam duplicem processionem realem, 55, sq., 66. — Personarum divinarum distinctio, 331, 334.

DIVERSAE. — Divinae personae non dicuntur diversae, 331.

DIVINITAS. — Messiae divinitas sub Ant. Test. obscure credita, 97. — Conceptum humanae mentis superat, 350. — Humilibus tantum manifestatur, 351.

DOGMA SS. Trinitatis erat ab exordio Ecclesiae aperte in confesso, 172.

DOMINUS. — Filius speciali titulo vocatur Dominus, 532, sq.

DONUM. — Nomen Spir. S., 633, 636.

DOXOLOGIA. — Argumentum ex doxologia deducitur, 172.

DURANDUS. — Non exigit prolationem verbi mentalis ad intellectionem proprie dictam, 34. — Non bene distinguit subsistentiam absolutam a tribus subsistentiis relativis, 318. — Distinguit realiter inter paternitatem et spirationem in Patre, 431. — Corripitur, 521. — Subsistentiam communem, unicam, absolutam in Deo tenet praeter personas, 659. — Potentiam notionalem dicit esse formaliter proprietatem, 735. — Citatur, 769.

EBIONITAE. — Eorum error circa SS. Trinitatem, 10. — Negant processionem Spiritus Sancti a Patre, 548.

ELKESAITAE. — Citantur, 548.

EPHESINUM (Conc.). — Canon contra Nestorium, 43. — De divinitate S. Spiritus, 202. — Spiritus Sanctus per Filium habet existentiam, 567. — Approbat S. Cyrillum dicentem Spiritum proprium Filii, 567. — Quomodo interpretandum decretum circa adiunctionem « Filioque » in Symbolo, 587, sq.

EPICURUS. — Vocabula apprime distinguenda monet, 365.

EPIGONUS. — Eius error circa SS. Trinitatem, 10, sq.

EPIPHANIUS (S.). — Citatur, 69. — « Ad imaginem nostram », in I. Gen. intelligit de SS. Trinitate, 98. — Mysterium SS. Trinitatis superat rationem humanam, 359. — Citatur, 481. — Spiritus Sanctus procedit ex Patre et Filio, 573, 577. — Spiritus Sanctus est Filii,

Veritatis, ex Filio, 575. — Spiritus Sanctus est a Patre et Filio tanquam ab uno principio, 578.

EPODIUS (S). — Martyr pro fide Trinitatis occumbit, 173.

ERASMUS. — Quomodo egerit in quaestione de commate Ioanneo, 138, 142. — Citatur, 486.

ERRORES. — Circa SS. Trinitatem, 7, sqq. — Conferuntur cum erroribus circa Verbum Incarnatum, 9.

ESSENTIA. — Idem ac persona, 657, sqq. — Personae unius essentiae, 662, sqq. — Nomina personalia praedicantur de essentia, 677, sqq. — Actus notionales ex essentia, 721, sqq. — Potestas generandi significat essentiam, 735.

ESSENTIALIA. — Quoad intellectum divinum, 484.

ETOURNEAU (O. P.). — De generatione Verbi, 477.

EUCHARISTIA. — Breviter tangitur περιχώρησις in SS. Eucharistia, 795.

EUCHITAE. — Error eorum circa SS. Trinitatem, 12.

EUGENIUS IV. — De relationibus in Deo, 217. — Decretum pro Iacobitis, 202.

EUNOMIUS. — Impugnatur a S. Greg. Nyss., 475. sq. — Semiarianus, 665. — Verbum effectum, quia libere genitum, 714.

EUPLUS (S.). — Martyr SS. Trinitatem profitetur, 174.

EUNOMIANI. — De distinctione inter relationes et essentiam, 1, 229. — Dicunt, se Deum nosse sicut seipsos, 367. — Refelluntur, 760.

EUSEBIUS CAESARIENSIS. — De Origene, 1, 189. — Citatur, 571.

EUTYCHES. — Vituperatur, 268.

EUTYCHIANI. — Citantur, 587.

EXCLUSIVA DICTIO. — Utrum possit praedicari de persona divina, 338.

FAECUNDITAS. — Quomodo non sit concipienda in Deo, 55. — Cur Pater non posssit nec debeat eam dare Filio, a S. Bonaventura explicatur, 89.

FAUSTINUS. — Arguit ex Genes. 1. contra Arianos, 98.

FALLOWSKI. — Citatur, 139.

FAYDIT PETRUS. — Tritheista, 18. — Citatur, 751.

FELIX (I. Papa). — Confirmat iudicium Synodi Antiochenae contra Paulum Samosat., 13.

FERRARIENSE (CONC.). — cf. *Florentinum.*

FERRARIENSIS. — Commentator in S. Thomam laudatur, 6. — Citatur, 715.

FERRUS (Marcus.). — Citatur, 715.

FIDES. — Fides in futuri Messiae divinitatem obscura fuit, 97. — Fides et ratio non sibi contradicunt, 347, sq. — Credibile reddit id quod superat vires humanas, 351. — Fides quaerens intellectum, 414.

FIGURA. — Nomen Filii in Scripturis, 518, sq. — Vitandae figurae modo minis crasso περιχώρησιν exhibentes, 795, sq.

FILIATIO. — Notio filiationis, 439. — In filiatione quadruplex perfectio, 490.

FILIUS. — Verbum Dei est Filius Dei, 46, sq., 50. — Verbum est Filius perperfectissimus, 50. sq. — Filius magis dicitur procedere per modum naturae quam Spiritus Sanctus, 75, sq. — Vocatur Sapientia in V. T., 110, sqq. — Utrum sit alius a Deo Patre, 330. — Αἰτιατόν, 450. — Principium, qui loquor vobis, 451. — Nomen proprium secundae personae SS. Trinit., 473. — Filius Dei dicitur vario sensu, 474, de 475. — Appellatio magis apparens inter nomina secundae personae, 521. — Alia Filii nomina, 522, sqq. — Non est minus potens Patre, quia nequit generare sibi Filium, 799. — Imo e converso, 801.

FIRMILIANUS. — Defendit dogma catholicum contra Paulum Samosat., 13.

FLAVIANUS. — Epist. S. Leonis M. ad Flavianum, 147.

FLORENTINUM (CONC.). — Consecravit ap-

pellationem spirationis, 64. — De existentia relationum in Deo, 217. — De distinctione relationum inter se, 244. — Pater et Filius tanquam unum principium spirant Spiritum Sanctum, 546. — Spiritus Sanctus procedit ex Patre per Filium, 547. — In Deo omnia unum sunt, ubi relationis oppositio non obviat, 549. — Citatur, 570, 576. — Oratio card. Bessarionis de processione Spiritus Sancti per Filium, 583. — Relatio personas multiplicat, 604, 697; — declarat περιχώρησιν, 788.

Fons. — Nomen Spiritus S., 648.

Fontes. — Consulendi circa SS. Trinitatem, 4. sqq.

Foresti (Ord. Cap.). — Scripsit de doctrina Seraphici, 5.

Forster. — Citatur, 139.

Formale. — Personae formale residet in singulari, 273.

Formula. — Formulae sive velatae sive apertae de SS. Trinitate, 129, sq. — Vis dogmatica formulae Baptismi, 131, sq. — Formula graeca processionis Sp. S. praestat latinae quoad expressionem Trinitatis; cedit quoad expressionem processionis a Filio, 599, sqq. — De formula « per Filium » disputatur ab Anselmo, 607. — Sirmiensis III. num a Liberio subsignata, 664. — De variis formulis attributionis, 683, sqq.

Franzelin (Card.). — Quomodo differat a S. Thoma in distributione argumenti, 3, sq. — Opus eius de SS. Trinitate, 5. — Trinitas non obficit unitati, 91. — Arguit contra Petavium circa sensum « Sapientia », 111. — Tuetur authentiam commatis Ioannei, 138, sqq. — Laudatur, 171. — Mite sentit de Tertulliani doctrina circa SS. Trinitatem, 192. — Relationes aliqualiter considerat uti assistentes, 235. — Citatur, 312, 504. — Respectus Verbi ad creaturas non est simpliciter formalis, 508, sq. — Citatur, 547, 570, 572, 576, 580, 586, 587. — Negat subsistentiam communem unicam, absolutam in Deo, 659. — Relatio est subsistens, 660. — Distinguit in Deo inter perfectiones, 776. — Minus probatur eius doctrina de aequalitate magnitudinis divinarum personarum, 779. — Citatur, 784. — Recte recedit, at non satis, a Suarezio in analysi περιχωρήσεως, 786. — Rationes ob quas Spir. S. tribuatur inhabitatio specialis in iustis, 843, sq.

Frassen. — Interpret. Scotum circa cognitionem ex qua procedit Verbum, 498.

Friedrich. — Citatur eius opus de Conc. Vaticano, 6.

Fuldensis. — Codex citatur, 143.

Fulgentius (S.). — Opus eius de SS. Trinitate, 6. — Utitur ex primis commate Ioanneo, 151. — De relationibus divinis, 219. — Utrum Filius sit alius a Patre, 332. — Mysterium Trinitatis superat rationem, 359. — Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, 263. — Filius ex substantia Patris, 727. — Citatur, 754. — Illustrat doctrinam περιχωρήσεως per comparationem ex anima humana desumptam, 791.

Gathas (Avesta). — Adducitur, 373.

Gaume. — Citatur, 534.

Genebrardus. — Defendit nomen SS. Trinitatis, 324.

Generatio. — Eius notio, 39, sq. — Sensu maxime proprio de Deo praedicatur, 40, sq. — Generatio divina probatur ex fontibus revelationis, 41, sq. — Generari distinguitur a nasci, 45, sq. — Generatio Verbi triplici ex ratione est perfectior quam quaevis generatio in creatis, 47. — S. Thomae definitio aliqualiter redundat, 47. — S. Anselmi doctrina de generatione Verbi, 49, sqq. — In humanis et in divinis, 257. — Absentia generationis in Filio non est argumentum minoris potentiae, 797, sqq.

Genesis. — Nominis personae genesis, 289. — Liber Geneseos citatur passim.

GENITOR. — Idem est nomen ac Pater, 456.

GENTILIACUM (CONC.). — Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, 567.

GILBERTUS PORRETANUS. — Erroris eius circa SS. Trinitatem radix, indoles, damnatio, 18. — Damnatur, 220. — Eius error quoad relationes, 226, 228, sq. — Tenet quamdam in Deo quaternitatem, 341. — Eius relationes assistentes confutantur, 658, 694, 703.

GLORIA. — Filius est Gloria Patris, 532.

GNOSTICI. — Negaverunt nexum inter Testamentum Vetus et Novum, 93. — Falso distinguunt inter Filium et Verbum, 492. — Formula: Divinitas est Trinitas, 679. — Refutantur, 721, sqq. — Negant aeternitatem Verbi, 754. — Ponunt in divinis ordinem naturae, 764.

GONETUS. — Commentator in S. Thomam, 6. — Citatur de processionibus, 32.

GONZALES. — Trinitas platonica est purus dualismus ethnicus, 371.

GOTTI. — Citatur, 781.

GRADATIO. — In voce naturae gradatio sternitur, 274.

GRADUS. — Individui enumerantur tres gradus, 268.

GRAECI. — Codices graeci de comm. Ioann. 142. — Spiritum S. Graeci docent procedere ex Patre per Filium, 547. — Citantur, 553. — Spiritus Sanctus est Spiritus Dei, Spiritus Patris, Spiritus Filii, 555. — Citantur, 557, 563. — Anselmus Graecorum sophismata de processione Spiritus Sancti annihilat, 568. — Ad Romanam unionem redeunt, 568. — Romana fides in Concilio Ferrariensi sancita, 570. — Citantur, 576. — Spiritus Sanctus procedit per Filium mediate a Patre, 579. — Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, διὰ τοῦ Ὑιοῦ, non ἐκ τοῦ Ὑιοῦ, 579, sqq.

GRATIA. — Per donum gratiae Deus animam inhabitat, 825.

GREGORIUS IX. — De sublimitate mysteriorum, 356

GREGORIUS XIII. — Definit pro Orientalibus modum processionis Spiritus Sancti, 64, sq. — Iterat declarationes Conc. Florent., 604.

GREGORIUS ARIMINIENSIS. — Citatur, 734, 769.

GREGORIUS DE VALENTIA. — Opus eius de SS. Trinitate, 5. — Negat subsistentiam communem unicam, absolutam in Deo, 659.

GREGORIUS MAGNUS (S.). — Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, 565. — Æternitatem Filii vindicat, 759, sq.

GREGORIUS NAZIANZENUS (S.). — Opera eius de SS. Trinitate, 4, — Processio Spiritus Sancti est inexplicabilis, 64. — Nihil Spiritui Sancto deest ex eo quod non sit Filius, 66. — Nimis remota eius solutio, cur Spiritus Sanctus non sit Filius, 70. — Celebrat SS. Trinitatis mysterium, 73. — Cur revelatio per gradus facta sit, 95. — Contra Sabellianos, 220, sq. — Triplex Deitas, 328. — Citatur, 521. — Patris gloria, talem habere Filium, 532. — Describit Patrem Filii et Filium Patris, 533. — Spiritus Sanctus est nomen proprium, 536. — Citatur, 571. — Spiritus Sanctus, quomodo principium, 579. — Exponit coaeternitatem Filii et Spir. S., 760, sqq. — Prima Virgo Trias est, 763. — Ordo in personis, 770. — Aequalitas, 782. — Egregie exponit inseparabilitatem divinarum personarum ab invicem, 793, sq.

GREGORIUS NYSSENUS (S.). — Opera eius de SS. Trinitate, 4. — Spiritus mediate et per Filium procedit, 69. — De relationibus in Deo, 211. — Οὐσίᾳ pro hypostasi utitur, 281. — Argumentum SS. Trinitatis ex ininterrupta traditione, 407. — De cognoscibilitate SS. Trinitatis, 407. — De nominibus divinis, 475. — De vocibus ἀρχή et ἄναρχος, 450. — Laudatur, 472. — Contra Eunomium, 475. — Spiritus Sanctus est nomen proprium, 537. — Spiritus

Sanctus procedit a Patre et Filio, 574. — Citatur, 576, 751.

Gregorius Thaumaturgus (S.). — Defendit dogma catholicum contra Paulum Samosat., 13. — Eius symbolum laudatur, 172. — Origeni favet, 189. — Spiritus Sanctus procedit a Filio, 572. — Filius solus ex solo, 572, 578.

Grotius Hugo. — Error eius circa SS. Trinitatem, 12.

Griesbach. — Citatur, 139.

Gulielmus Parisiensis. — Opus eius de SS. Trinitate, 5.

Gulielmus II. (Germanorum Caesar). — Laudatur ob publice invocatam SS. Trinitatem, 74, 201.

Günther. — Erroris eius circa SS. Trinitatem radix, indoles, damnatio, 18, sq. — Citatur, 203, sq. — Eius conceptus personalitatis 273. — Exponitur eius doctrina, 276. — S. Trinitatem ratione cognosci posse autumat, 366. — Falso ad demonstrandam Trinitatem arguit, 385, sq. — Errat in analysi et processu fidei supern., 386. — SS. Trinitatis unitas non realis nec numerica, sed formalis, organica, formata per positionem theseos, antitheseos, syntheseos, 387. — Citatur, 751.

Gutberlet. — Citatur, 525.

Gutbierius. — Citatur, 142.

Hagemann. — De Origine, 188. — Confundit Praxeam cum Callixto, 14. — Citatur circa professionem Dionysii Papae, 19.

Halensis (Alexander). — Scripta eius de SS. Trinitate, 5. — Pater et Filius unum principium in processione Spiritus Sancti, 605. — Citatur, 613.

Hansjakob. — In laudando eius opere de Spir. S. quaedam immoderate ac incaute dicta reprehenduntur, 862.

Harduin. — Citatur, 582.

Harlez (De). — In Veda contineri docet Monotheismum, 373.

Havet. — Absurde doctrinam de SS. Trinitate conflatam ex antiquo putat Paganismo et Iudaismo, 375.

Hefele. — Citatur circa Symbolum Constantinop., 16. — Citatur, 547, 564, 666.

Hegel. — Falsus eius conceptus Trinitatis, 378, sq.

Heinrich. — Laudatur, 6. — De Tertulliano, 192. — Laudatur, 285. — Ex quanam cognitione procedat Verbum, 497. — Citatur, 525, 563, 570. — Sapientia in Script. Verbum Patris indicat, 649.

Henricus Gandavensis. — Reiicit speciem expressam in processu intellectuali, 33, sq. — Sententia eius singularis de habitu theologico, 417. — Citatur, 715, 716, 735, 769.

Heraclitus. — Ab eo Sabelliani errores suos hauserunt, 10.

Hergenröther (Card.). — Citatur, 547, 567, 571, 580, 587, 666.

Herleianus. — Codex citatur, 143.

Hermes. — SS. Trinitatem ratione cognosci posse falso existimat, 366.

Hermotimus Clazomenius. — Mens suprema est super universum, 368.

Hettinger. — Scripta eius de SS. Trinitate, 6.

Hetzenauer (O. Capp.). — Citatur, 139.

Hieronymus (S.). — Aliquantulum durius sentit de Patribus antenicaenis, 170. — Ad Papam Damasum scribit, 284. — Obiectio ex quadam eius epistola desumpta solvitur, 288. — Vera confessio SS. Trinitatis est ignoratio scientiae, 360. — Spiritus S., utpote digitus Dei, consubstantialis Patri et Filio, 644. — Liberium putat subscripsisse formulae damnandae, 665. — Confutat Originem, 730. — Æternitatem procedentium vindicat, 756, sq.

Hilarius (S.). — Opus eius de SS. Trinitate, 4. — Missionem Verbi cum eius divinitate componit, 44. — Pulchre vindicat unitatem Christi cum Patre, 167. — De usu vocabulorum citatur, 265. — De verborum significatione, 265.

— De distinctione personarum divin., 332, sq. — Filius non est alius Deus a Patre, 333. — Mysterium SS. Trinitatis excedit vocem et mentem, 359. — Lumen de lumine, 397. — Illustrat SS. Trinitatis mysterium imagine lucis, 397. — Explicat Christi sententiam: «Pater maior me est», 499. — Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, 557, sq. — Spiritus S. Donum Dei, 640. — Liberium Constantius vi remittit, 665. — Æternitas in Patre, species in imagine, usus in munere, 683, sq. — Pater non genuit Filium ex voluntate causali, 715. — Verbum non ex nihilo, 727. — Vindicat ὁμοούσιον, 750. — Coaeternitas in divinis, 757.

Hippolytus (S.). — Vindicat SS. Trinitatem contra Noëtum, 11.

Hoess (B. Mar. Crescentia). — De imagine quadam S. Spiritus eius nomine sparsa, 858.

Horatius. — Adducitur, 3.

Ἡνότης. — De Patre dicitur, 471.

Hormisdas. — Spiritus Sanctus de Patre et Filio procedit, 586. — De formula: Unus e Trinitate passus est, I, 202.

Host. — Citatur circa Symbola IV. saeculi, 16.

Hosius. — Laudatur, 283.

Huetius. — Stat cum Petavio, 170. — De Origene, 288. — Trinitatem putat ratione cognitam esse ab antiquis, 374.

Hugo Etherianus. — Citatur, 568.

Hugo Laemmer. — Citatur, 547.

Hugo Victorinus. — Scripta eius de SS. Trinitate, 5. — De demonstrabilitate SS. Trinitatis, 415. — Vestigia SS. Trinitatis suasive probant eius existentiam, 416.

Hurter. — Citatur, 570.

Hussius. — Citatur, 203.

Hypostasis. — Explicatur, 366. — Comparatur ad personam, subsistentiam, essentiam, 276.

Hypsistarii. — Errant circa S. Trin. 12.

Iacobitae. — Multiplicant substantias divinas, 392.

Iacobus (Monophys.). — Citatur, 584.

Iamblichus. — De trinitate, 371.

Iansęniani. — Citantur, 203.

Ibu-Vahib (Monophys.). — Citatur, 584.

Iconoclastae. — Citantur, 585.

Iconographia. — Leges accipiat a revelatione oportet, 858.

Idea divina. — Una et multiplex, 495, sq.

Ignatius (S. Antioch.). — Citatur circa nexum inter utrumque Testamentum, 94. — De trinitate in unitate, 179. — Patrem Ingenitum proclamat, 464.

Ignis. — Nomen Spir. S., 544.

Imago. — In divinis dicitur personaliter, 511, sqq. — Est in genere similitudinis late sumptae, 512, sqq. — Nomen imaginis proprium est Filio, 514, sqq. — Ad strictam rationem imaginis requiritur processio per similitudinem, 515, 520. — Spiritus Sanctus est imago Filii in sensu remissiori, 515, sqq. — Homo fit imago Dei per gratiam, 517. sq. — Imago Dei in homine peculiariter refertur ad Filium, 518. — In Scripturis vocatur Filius imago, 518, sq. — De aliis nominibus Filii intime respondentibus imagini, 572, sqq. — Imago SS. Trinitatis distinguenda a vestigio, 398. — In anima rationali, 400-401, 412.

Immanens. — In Trinitate actiones immanentes ad intra sunt fundamentum creationis, 493, sq.

Impotentia. — Generandi impotentia est in Filio argumentum omnipotentiae, 801.

Improductibilitas. — Quid sit in Spiritu S., 436, sq.

Ingenitus — Patri est proprium esse ingenitum, 461. — Contrahitur ad primum principium, 466, sq. — Involvit relationem maxime ad intra, 470.

Innascibilitas. — Eius notio 436, sq.

Innocentius III. — Interpretatur comma Ioanneum, 164.

INSPIRABILITAS. — Patris et Filii, 436, sq.
INSPIRATOR. — Nomen Spiritus S., 642.
INSTRUMENTA. — Dogmatica instrumenta de SS. Trinitate, 6.
INTELLECTUS DEI. — Distinctio inter intellectionem essentialem et personalem, 484. — Distinctio inter intelligere et dicere, 484, sq. — Filii similitudo, 651. — De formula S. Anselmi: Fides quaerens intellectum, 414.
IOACHIM (Abbas). — Erroris eius circa Trinitatem indoles et radix, 17, sq. — Damnatur, 208. — Sine fundamento impugnat Patrum Lombardum, 224. — Damnatur, 674, sq.
IOANNES II. — De formula: Unus e Trinitate passus est, 302, 330.
IOANNES A MONTE NIGRO. — In Conc. Florentino refutat Graecos, 611.
IOANNES A S. THOMA. — Citatur, 716. — Pulchre exhibet discrimina inter missionem visibilem et invisibilem, 857.
IOANNES DAMASCENUS (S.). — cf. *Damascenus.*
IOANNES BECCUS. — Laudatur, 569. — Citatur, 576.
IOANNES (Monachus Hierosol.). — Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, 567.
IOANNES TURRECREMATA (Card.). — Citatur, 547.
IOANNES VECEUS. — Citatur, 547.
IOANNEUM. — Controversia de commate Ioanneo obiective exhibetur, 136, sqq.
IOSEPHUS METHONENSIS. — Citatur, 576.
IRENAEUS (S.). — Exponit errorem Simonis Magi, 12, — In nomine Christi Trinitatem evolvit, 184. — Filium et Spiritum S. ait ministros fuisse Patris in creatione, 185. — Spiritus S. Sapientia, 649.
ISIDORUS HISPAL. (S.). — Citatur circa processionem Spiritus S., 69. — Citatur, 219, sq. — De Trinitatis nomine et unitate, 325.
IUDAEI. — Error eorum circa Trinitatem, 7. — Eorum modus agendi tempore Christi monstrat, SS. Trinitatem nullatenus incognitam fuisse sub Vetere Testamento, 96.
IULIANUS (Apostata). — Trinitatem blasphemat, 370.
IULIANUS CESARINI (Card.). — Citatur, 547.
IUSTINUS MARTYR (S.). — Christiani non sunt athei, 182. — De eius orthodoxa fide, 195. — Exemplum est, philosophiam non esse contra fidem, 353. — Laudatur, 472. — Spiritus Sanctus est nomen proprium, 536.

KARPINSKI. — Citatur, 139.
KATSCHTHALER. — Laudatur, 6. — Citatur circa Tritheistas moderniores, 18. — Citatur, 570, 585.
KAULEN. — Citatur, 139.
KLASEN. — Citatur, 524.
KLEE. — Citatur circa errorem Catharorum, 16. — Dogma SS. Trinit. per rationes suasibiles confirmatum, 402.
KLEUTGEN. — Scripta eius de SS. Trinitate, 6. — Citatur, 138, 162. — Splendide exponit iuxta S. Thomae principia aequalitatem divinarum personarum, 778, sq.
KRANICH. — Citatur, 571.
KROG-TONNING. — Citatur circa Protestantismum hodiernum, 9.
KUHN. — Opus eius de SS. Trinitate, 6. — Scripsit de Marcello Ancyrano, 12. — De errore Subordinatianorum, 13, — De professione Dionysii Papae, 14. — Durius sentit de Patribus ante-nicaenis, 170. — De Origine, 188. — De Tertuliano, 195. — De vi definitionis Patrum Constantinopolitanorum circa processionem Spiritus Sancti ex Patre, 545, sq. — Citatur, 75.
KYRIE. — Terni Kyrie, Christe, Kyrie eleison in Missa referri possunt ad περιχώρησιν, 793.

LACHMANN. — Citatur, 139.
LACTANTIUS. — Non omnino orthodoxe locutus est de SS. Trinitate, 196, sq.

LAMPETIANI. — Cf. *Euchitae*.
LAMY. — Citatur, 139, 145.
LANGEN. — Citatur, 589.
LARDNER. — Error eius circa SS. Trinitatem, 12.
LATERANENSE (Syn. sub Martino I), laudatur, 203. — (Conc. aecum. I.) Unus Deus in tribus subsistentiis consubstantialibus, 668. — (Conc. IV.). Errorem Ioachim Abbatis exponit, 17, sq. — Illustrat communicationem divinae naturae per generationem, 43. — De distinctione relationum, etc., 244. — Alius Pater, alius Filius, 332. — Pater et Filius tanquam unum principium spirant Spiritum Sanctum, 546. — Pater generat Filium, 548. — Graeci ad Romanam unionem redeunt, 568. — Damnat Ioachim Abbatem, 675. — Trinitas est discreta proprietatibus personalibus, 697. — Vindicat div. personarum consubstantialitatem, 725; coaeternitatem, 757; aequalitatem, 782. — Proclamat Patrem et Filium potentia aequales, 799.
LATINI. — Patres latini plerique ignorant comma Ioanneum, 147.
LEBEDINSKI. — Citatur, 139.
LEHIR. — Citatur, 138.
LEIBNIZIUS. — SS. Trinitatis mysterium ratione investigari nequit, 363. — SS. Trinitas, una substantia absoluta, 390. — Contradictio nulla inter dogma SS. Trinitatis et rationem, 404.
LEO MAGNUS (S.). — Epistola eius ad Flavianum de duplici generatione Verbi, 43. — De nomine SS. Trinitatis, 325. — Spiritus Sanctus procedit a Patre et a Filio, 564, sq. — Citatur, 585. — Æqualitas Patris ac Filii, 748. — Missio Spiritus Sancti sub Veteri Testamento, 841.
LEO III. — Quid sentiat de insertione « Filioque » in Symbolo, 567, 586, 588.
LEO X. — Citatur, 142.
LEO XIII. — Citantur encyclicae litterae « Divinum illud munus » de cultu Spiritus Sancti, 164. — Harmonia inter libertatem Ecclesiae ac Civitatis, et inter fidem ac rationem, 347. — Philosophia antiquorum a Patribus emendata est, 348. — Scientiae naturales componi possunt cum fide, 349. — Citatur, 534. — Spiritus S. donum Dei, 641. — Nomina S. Spiritus, 642, sqq, 648.
LEONARDUS (a Vinci). — Affertur imago a Leonardo effecta ad περιχώρησιν illustrandam, 795, sq.
LESSING. — Falso Trin. explicat, 378.
LESSIUS. — Citatur, 835.
LIBERIUS (Papa). — Utrum subscripserit formulae Sirmiensi tertiae, 664.
LIBERTAS. — Quo sensu adsit in actibus notionalibus, 713.
LITANIAE. — De invocatione: Sancta Trinitas unus Deus, 326.
LOMBARDUS (Petrus). — Laudatur, 5. Completur eius sententia de uno et numero in divinis, 312, — Differt a S. Thoma quoad numerorum terminos in divinis, 314. — De nomine SS. Trinitatis, 326. — Citatur, 548. — Lites eius cum Ioachim de essentia Trinitatis, 675. — Citatur, 735, 737. — Aequalitas Patris e Filii, 784. — Citatur, 801.
LUCIANUS ANTIOCHENUS. — Magister Arii, 15.
LUGDUNENSE (II. CONC.). — Pater et Filius tanquam unum principium spirant Spiritum Sanctum, 546. — Catholica veritas, concordibus Graecis, triumphat, 569, sq. — Probat insertionem « Filioque » in Symbolo, 587, sq. — Pater et Filius unum principium processionis Spiritus S., 604.
LULLUS (Raymundus). — Omnia mysteria putat ratione demonstrari posse, 356; — it. SS. Trinitatem ratione cognosci, 366. — Explicat SS. Trinitatem ex divina bonitate, 380, sq.
LUGO (Franc. de). — Negat subsistentiam communem unicam, absolutam in Deo, 659.
LUTHERUS. — Authentiam commatis Ioan-

nei impugnat, 138. — De voce ὁμοούσιος 204. — Contra nomen SS. Trinitatis agit, 324.

Lux. — Nomen Filii intime respondens imagini, 527, sqq.

Macarius (Arch. Wilnensis). — Citatur, 585, 589.

Macedoniani. — Asseclae Macedonii, 16. — Arguunt contra consubstantialitatem Spiritus Sancti, 64. — Spiritum Sanctum mere creaturam Filii autumantes refutantur, 583, sq. — Citantur, 584. — Negant divinitatem Spiritus S., 599. — Refutantur, 728. — Refelluntur, 723, 747, 760. — Ponunt in divinis ordinem naturae 765. — Error eorum circa Filium et Spiritum Sanctum, 16.

Macedonius. — Doctrina eius circa processionem Spiritus Sancti ex Patre, damnatur a Conc. Constantinopolitano I, 545, sq., 548. — Spiritum Sanctum simplicem Verbi facturam blasphemat, 571.

Macharius Bulgakow. — Quid sentiat de commate Ioanneo, 138.

Magister. — Cf. *Lombardus.*

Magnitudo. — Pater et Filius aequales in magnitudine, 776, sqq.

Mahumedani. — Error eorum circa SS. Trinitatem, 8.

Mai (Card.). — Citatur, 572.

Manning (Card.). — Citatur, 534.

Mansi. — Citatur, 586.

Manuel Calecas. — Citatur, 569. — Opera eius laudantur, 570.

Maranus. — Origini favet, 189. — Citatur, 751.

Maratoniani. — Cf. *Macedoniani.*

Marcellus Ancyranus. — Suspicio de eius orthodoxia, 12.

Marcio. — Error eius circa SS. Trinitatem corripitur a S. Dionysio Papa, 14. — Systema eius de SS. Trinitate, 370.

Marcionitae. — Negaverunt nexum inter Testamentum Vetus et Novum, 93.

Marcus Ephesinus. — Citatur, 576, 589.

Maréchaux. — Laudatur, 507.

Maria (B. Virgo). — Vere Mater Dei, 672.

Marius Victorinus. — Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, 559. — Spiritus S. Sapientia, 649.

Martin. — Citatur, 6, 139.

Martinus (S. Turon. Episc.). — Eius agendi ratio in damnatione Priscilliani, 152.

Martinus (I. Papa). — Conc. Lateran. eo sedente habitum, 203.

Mastrofini (Marcus). — Variis viis conatur ex ratione SS. Trinitatis mysterium demonstrare, 366, sqq.

Maximinus. — Confutatur ab Augustino, 727. — Negat generationem Filii, 732. — Negat Patri Filium potentia aequalem, 799.

Maximus (S.). — Pater causa Spiritus Sancti, per intermedium Verbum, 580. — Spiritus Sanctus procedit ex Patre et ex Filio, 580, sq. — Quo sensu ex Filio, 587.

Maximus (S. Taur. Episc.). — SS. Trinitatis mysterium analogia illustrat, 397. — Lumen de Lumine, 397.

Mediolanense (Conc.). — Citatur, 665.

Memoria. — Quomodo Patris similitudo, 651.

Mercati (D. Ioann.). — Laudatur, 153.

Mercurius Trismegistus. — De Trinitate, 372.

Messaliani. — Cf. *Euchitae.*

Mezger. — Commentator in S. Thomam, 6.

Michaëlis. — Citatur, 140.

Minutius Felix, — Philosophi antiqui habent umbras ex Prophetis, 375.

Mirandola. — Cf. *Picus.*

Missio. — Exponitur ordo argumenti de missione div. personarum, 811. — Evolvuntur elementa constitutiva missionis, 812, sq. — Variae species missionis discernuntur, 814, sq. — Demonstratur missio ex Scripturis, 815, sq. — Missio non obest aequalitati div.

personarum, 816. — Temporaliter tantum dicitur, 820. — Missio invisibilis fit per gratiae donum, 822, sqq. — Invisibiliter mitti convenit et Filio, 830, sqq. — Diversi respectus missionis in Verbo incarnato, 832, sqq. — Missionis invisibilis extensio, 834, sqq. — Triplex gradus missionis secundum varios respectus, 836. — Spiritui S. convenit visibiliter mitti; quadruplex visibilitatis gradus in signo; in quo conveniat missio visibilis Filii cum miss. Spir. S., 853, sqq. — Discrimina inter missionem visibilem et invisibilem, 857. — Quis mittat? An sola persona illa a qua alia procedit? 859. — Cautissime usurpandae sententiae, ex quibus missionis ac proin divinarum processionum ordo videretur inverti, 861.

MIVART. — Reprehenditur, 142.

MODALISTAE. — Cf. *Sabelliani.*

MÖHLER. — Laudatur, 171. — De Tertulliano, 197.

MONARCHIANI. — Negaverunt realem distinctionem inter personas SS. Trinitatis, 10, sqq.

MONOLOGIUM. — Laudatur, 319. — Doctrina de aequalitate divinarum personarum, 802.

MONOPHYSITAE. — Negant duas naturas in Christo, 282. — Spiritus Sanctus a Patre procedens, substantiam suam accipit a Filio, 584.

MONOTHELITAE. — Citantur, 585.

MONSABRÉ. — Trinitas prima Virgo, 763, Processio fit iugiter, 764. — Celebrat pulchritudinem SS. Trinitatis, 808.

MORIN (D. Germ.). — Citatur, 152, 585.

MOYSES (RABBI.). — Negat, Verbum personaliter dici, 480.

MÜLLER (MAX.). — In Veda non agnoscit Monotheism. sed Hematheismum, 373.

MULTITUDO. — Affirmat divisionem et indivisionem, 311.

MÜNSCHER. — Citatur, 751.

MYSTERIUM. — Quare oppugnentur mysteria, 350. — Quinque mysteriorum gradus, 354. — Mysterii notio, 405, — Eius relatio ad rationem et scientiam, 406.

NATURA. — Prima et secunda, 268 — Individua natura ingreditur definitionem personae, 272.

NEANDER. — Citatur, 137.

NECESSITAS. — Quo sensu tenenda sit necessitas in actibus notionalibus, 712, sq.

NECESSARIUS. — Processiones simul necessariae et voluntariae. 716, 720.

NEOMANICHAEI. — Error eorum circa SS. Trinitatem, 12.

NEOPLATONICI. — De Trinitate, 371. — Multa de Trinitate a Christianis et Iudaeis sumpserunt, 374.

NESTORIANUM (Missale). — Spiritus Sanctus procedens a Patre et Filio, 584, sq.

NESTORIUS. — Vituperatur, 268. — Spiritum Sanctum proprium esse Filii denegat, 566. — Citatur, 587.

NEXUS. — Orationis nexus perpenditur in controversia de commate Ioanneo, 154, sq.

NICAENO-CONSTANT. SYMBOLUM. — Spiritus Sanctus etiam a Filio procedit, 546, 556.

NICAENUM SYMBOLUM. — Citatur de generatione divina, 42.

NICAENUM (CONC.) — Eius fidei formula contra Arium, 15. — Non distinguit οὐσίαν et hypostasim, 282. — Ingenitum Patri proprium, 465. — Formula ὁμοούσιος contra Arium, 603, 604, 747. — Filius ex substantia Patris, 724.

NICEPHORUS BLEMMYDES. — Citatur, 547. — Spiritus Sanctus extantiam habet a Filio et per Filium, 569.

NICEPHORUS GREGORAS. — Citatur, 569.

NICETAS THESSALONICENSIS. — Citatur, 547.

NOËTIANI. — Hippolytus contra Noëtianos scribit, 176.

NOËTUS. — Error eius circa SS. Trinitatem, 10, sq.

NOMEN. — Personae nomen ponendum in

divinis, 285, sq. — Est commune tribus personis, 314. — Legitime nomina divinarum personarum inducuntur, 396, 398. — De nominibus primae personae: Principii, 446; — Patris, 453; — Ingeniti, 461. — De primariis nominibus secundae personae: Filii, 473; — Verbi, 477; — Imaginis, 511. — De aliis praecipuis Filii nominibus, 522, sqq. — De primariis nominibus tertiae personae: Spiritus, 534; — Amoris, 615; — Doni, 633. — De aliis praecipuis Spiritus S. nominibus, 642. — De modo adhibendi nomina, id est, de modo praedicandi, 662, sqq.; — et de modo appropriandi, 679.

Notio. — Notiones in divinis ponendae sunt, 430. — Earum distinctio ab invicem et a persona, 431. — Earum certitudo, 441, 443. — Earum definitio, 435. — Earum differentia a relationibus et proprietatibus, 438. — Earum numerus, 435, 441. — Earum valor, 445.

Numenius. — Quamnam trinitatem agnoverit, 369. — Platonem vocat Moysen attice loquentem, 374.

Numerus. — Dupliciter sumitur, 311. — De mystica numerorum interpretatione, 407.

Nyayishs (Avesta). — Citatur, 373.

Officium (Sacr.). — Decretum de commate Ioanneo, 139.

Okkam. — Paternitas et spiratio unum in Patre, 432. — De distinctione inter spirationem et paternitatem, 432.

Omnipotentia. — Erronee tribuitur ab Abaelardo Patri uti propria, 802.

Ὅμοιος. — Formula Arianorum moderatorum, 654, sqq.

Ὁμοιούσιος. — Formula semi-ariana, 664, sqq., 747. — Refutatur a Cyrillo Alex. 753, sq.

Ὁμοουσία. — Explicatur, 284.

Ὁμοούσιος. — Vox contra Arianos facta, 663, 664, sqq., 747. — Unitas essentiae Patris et Filii et Spiritus Sancti, 663. — Exprimit distinctionem personae et unitatem substantiae, 750, sq. — Vox legitima, 752. — Confertur cum ὁμοιουσίῳ.

Operatio. — Quomodo operatio transiens et immanens ab invicem distinguantur, 32. — Communis ad extra sequitur ex περιχώρησι, 794.

Ordo. — Ordo naturae in divinis, 765, sqq. — Semper receptus, 770. — Vindicatur, 771, sqq. — In voce Trinitatis involvitur, 774. — Arctior elucet in dogmate catholico quam in errore photiano, 775.

Orientales. — Patres Or. ignorant passim comma Ioanneum, 145, sqq.

Origenes. — Aliqua indicia Subordinationismi in eius scriptis, 13. — De eius erroribus, 187, s. — Eius defensores, praesertim S. Athanasius, ponderantur, 189. — Testimonia orthodoxa de SS. Trin. afferuntur, 189, sq. — Trinitatem docet, 281. — Οὐσίαν pro hypostasi usurpat, 281. — Spiritum Sanctum dicit procedere a Filio, 571, sq. — Ab Hieronymo refutatur, 730. — Coaeternitas in divinis, 756, 759. — Ordo in divinis, 771.

Origo. — Diverse sumitur, 696. — Quomodo distinguat personas, 698.

Orosius. — Citatnr, 132.

Osculum. — Nomen Spir. S., 645.

Οὐσία. — Quo sensu occurrat apud Graecos, 281. — Dicit personam vel naturam, 751.

Pagani. — Error eorum circa SS. Trinitatem, 8.

Pamphilus. — De Origene, 189.

Pantheistae. — Error eorum circa divinitatem, 9. — Refelluntur, 290, 721, sqq.

Paquet. — Laudatur, 6.

Paraclitus. — Nomen Spir. S., 646.

Pascal. — Famosa eius sententia adducitur, 353.

Pascal (Dr. Th.). — Citatur, 869.

PASCHASIUS (Diac.). — Citatur, 69. — Trigemina maiestas Dei, 328.

PASSAGLIA. — Citatur, 203.

PASTEUR. — Scientiae naturales non sunt contra fidem, 352.

PATER. — In divinis dicitur κατ' ἐξοχήν, 41. — Plenitudo paternitatis, 50, sq. — Cur potius Pater quam mater vocetur, 51, sq. — Pater in divinis continet excellentiam patris atque matris, 52. — Distinctio rationis inter Patrem et naturam divinam non est negligenda, 65. — Cur creatio Patri principaliter attribuatur, 77. — Αἰτία, ἄναρχος, ἀρχή, 450. — Hoc nomen est nomen personale proprium uni personae, 453.

PATERNITAS — Explicatur notio, 296. — Eius distinctio a spiratione in Patre, 431 et 436. — Quo sensu dicatur per prius personaliter quam essentialiter, 456.

PATRES. — Qui fusius de SS. Trinitate scripserunt tam Graeci quam Latini, 4, sq. — Fatentur suam ignorantiam de modo processionis Spiritus Sancti, 63, sq. — Quo sensu Patres Graeci Spiritum Sanctum appellent imaginem seu verbum Verbi, 72. — Vindicantur Patres antenicaeni, 178.

PATRIPASSIANI. — Error eorum circa SS. Trinitatem, 10.

PATRISTICUS. — Usus patrist. commatis Ioannei, 145.

PAULUS SAMOSATENUS. — Error eius circa SS. Trinitatem, 10. — Damnatur, 177. — Vocem φύσις adhibet pro natura, 283. — Negat ineffabilitatem mysterii Trinitatis, 357. — Negat aeternitatem Christi, 754.

PAX. — Nomen Spiritus S., 647.

PER. — Modus dicendi ope huius particulae; medium simplex vel causalitatis, 595, sqq.

Περιχώρησις. — Vario nomine a Latinis vocatur, 785, sq. — Per gradus obtinetur, sq. — Insufficiens notio περιχωρήσεως apud Suarezium, ib. — Demonstratur ex Scripturis, definitionibus Ecclesiae et auctoritate Patrum, 787. sq. — Triplex argumentum S. Thomae ponderatur, 789. — Varii respectus περιχωρήσεως illustrantur, 793. — Corollaria ex περιχώρησι deducuntur quoad operationem ad extra, 794; — quoad Christum, 795; — quoad Eucharistiam, ibid.. — Cavendum ab imaginibus περιχώρησιν exhibentibus, 795, sq. — Suggeritur figura graphice περιχώρησιν aliqualiter illustrans, 796.

PERSONA. — Personas plures in Deo insinuit Genes. 1: ad « imaginem nostram », 97, sq. — Adversarii huius interpretationis refutantur, 99, sq. — Explicatur, 263, sq. — Significatio nominis, 264. — Definitio, 266. — Relate ad angelum et hominem non est idem, 276. — Definitur persona humana, angelica, divina, 288. — Comparatur ad hypostasim, essentiam, subsistentiam, 277. — Nomen in divinis ponendum est, 285, sq. — Origo nominis, 286. — Quatruplex sensus, 294. — Optime praedicatur de SS. Trinitate, 329. — Div. personae non sunt diversae, nec alienae, nec differentes, 331. — Sunt distinctae, 331. — Quomodo cognoscantur, 343, sq. — De divinis personis in speciali, 445, sqq. — Idem re ac essentia, 657, sqq. — Personae sunt unius essentiae, 662, sqq. — Lex praedicationis relate ad personas et ad substantiam, 667. — Non idem ac Deus, 670. — Nomina essentialia non praedicantur in abstracto de personis, 673, sqq. — Nomina personalia in quonam sensu de essentia praedicari possint, 677, sqq. — Nomina personalia appropriantur personis, 630, sqq. — Idem re ac relatio, 699, sqq. — Distinguuntur per relationes, 695, sqq. — Utrum remaneant abstractis relatio-

nibus, 701. sqq. — Quaenam prioritas inter se 767, sqq.

PERSONALIA. — Personalia et essentialia quoad intellectum divinum, 484.

PESCH. — Laudatur, 6. — Citatur, 570.

PESCHITO. — Versio Syriaca Peschito citatur, 142.

PETAVIUS. — Scripta eius de SS. Trinitate, 5. — Scripsit de mente Marcelli Ancyrani, 12. — Citatur de processione Spiritus Sancti, 70. — Revelatio per gradus, 95. — Corripitur, 111. — Citatur, 169. — Durius sentit de Patribus antenicaenis, 170. — Quid censeat de doctrina Origenis, 188. — Quid de Tertulliani doctrina, 193. — De Ioachimo Abb., 224. — De errore Gilberti Porretani, 227. — Laudatur, 285, 282, 294. — Persona divina dicit relationem 297, et 301. — Laudatur, 318. — Defendit nomen Trinitatis, 324, 325, 327, 329; formulam: « SS. Trinitas unus Deus, miserere nobis », 326. — De mysterio Trinitatis apud Platonicos, 367. — Citatur, 486, 547, 565, 568, 570, 576, 586, 587, 620, 622, 649, 659, 674, 747. 797. — Urget nimis textum Augustini de potentia generandi in Filio, 800. — Exhibet conceptum deficientem missionis, 813. — Spir. S. per missionem invisibilem modo speciali in iustis esse putat, 835. — Aliam tenet inhabitationem Spir, S. sub Vetere ac sub Nov. Test., 835, sqq.

PETRUS CHRYSOLANUS. — Citatur, 547.

PETRUS LOMBARDUS. — Cf. *Lombardus*.

PEUTINGER. — Demonstrare conatur SS. Trinitatem, 385.

PHILO. — Eius auctoritas et conceptus Trinitatis, 371.

PHILOPONUS IOANNES. — Erroris eius circa SS. Trinitatem indoles et fons, 17.

PHILOSOPHUMENON. — Liber citatur, 176.

PHILOXERIANA. — Citatur versio, 142.

PHOTIANI. — Citantur, 534. — Asserunt erronee, Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, 562, sq.

PHOTINUS SIRMIENSIS. — Error eius circa SS. Trinitatem, 12. — Negat aeternitatem Christi, 754.

PHOTIUS. — De conceptu trinitatis ethicorum iudicat, 372. — Citatur, 567. — Impugnans dogma processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio, excommunicatur, 568. — Additio facta Symbolo a columniis Photii vindicatur, 585, 588, sq.

PICUS MIRANDULANUS. — De Kabbala thesis audacior, 114. — Errat circa fidei actum, 386.

PIMANDER. — De trinitate, 372.

PIONIUS (S.). — Martyr occumbit pro fide Trinitatis, 174.

PISTORIENSES. — Damnantur a Pio VI, 203, 475.

PIUS VI. — Damnat Pistorienses, ib..

PIUS IX. — Iudicat systema Güntheri, 391.

PITZIPIUS. — Citatur, 547, 582, 585.

PLATO. — Supra mentem universi statuit aliud principium, 368. — Nimis laudatur a Claudiano Mamerto, 374. — Moyses atticus, ibid.

PLATONICI. — Utrum aliquid scierint de SS. Trinitate, 366, sq.

PLOTINUS. — Qualem trinitatem agnoverit, 369, 371.

PLURALITAS. — De his quae pertinent ad pluralitatem in divinis, 321.

PNEUMATOMACHI. — Cf. *Macedoniani*.

POLYCARPUS (S.). — Pro fide Trinitatis martyr occumbit, 173. — De divinitate Christi eiusque personali distinctione a Patre, 181.

POSTNICAENA TRADITIO. — Quae vera, falsa vel incauta dicta sunt de SS. Trinitate usque hodie, summatim indicantur, 201, sqq.

PORRETANUS. — Cf. *Gilbertus*.

POTENTIA. — Patri attribuitur, 685, 691. — Quae sit in divinis, 731. — Potentia generandi significat principaliter essentiam, 734, sqq. — Sec. S. Bonav. de se significat: ad aliquid, 737, sqq. — Demonstratur aequalitas potentiae in divinis personis, 797, sqq.

PRAEDICATIO. — Deitatis, Dei, Patris, etc. apud S. Thomam, 295.

PRAEDICATUM. — Differentia inter adiectivum et substantivum, 323; — categorematicum et syncategor., 336; — absolutum et personale in Deo, 338.

PRAEFATIO. — Praefatio SS. Trinitatis argumentum praestat pro distinctione personarum, 289; — pro unitate in Trinitate, 324. — Refellitur interpretatio Güntheri et Knoodt, 390.

PRAEPOSITIVUS. — Notio non est formaliter distincta a personis, 694.

PRAXEAS. — Error eius circa SS. Trinitatem, 10. — Citatur, 557.

PRIMOGENITUS. — Convenit cum unigenito, in usu biblico, 523, sq. — Altior ratio huius nominis, 524.

PRINCIPIUM. — Pater et Filius sunt unicum principium Spiritus Sancti, 65, sq. — Geminatio principiationis in Deo non infirmat summi principii monarchiam, 55. — Qui excludunt Filium ut coprincipium Spiritus Sancti, difficile explicant secundam processionem realem in Deo, 57. — Quid sit in I. Genes. 1., 101. — Esse Pr. utrum et quomodo competat Patri, 446; — Filio et Spir. S., 451. — Principium quod et quo in SS. Trinitate, 452. — Explicatur, 469.

PRIORITAS. — In divinis quaenam admittenda, 766, 769.

PRISCILIANISTAE. — In Deo unam personam statuunt, 564.

PRISCILLIANUS. — Eius doctrina, et modus quo adhibet ex primis, si non primus, comma Ioanneum, 152. — De formula eius: Divinitas est Trinitas, 679.

PROCESSIO. — Processiones dantur in divinis, 21, sq. — Variae acceptiones et divisiones, 22, sqq. — Non repugnat processio substantialis ad intra, 26. — Falso supposita repugnantia est origo variorum errorum, 27. — Praecipua Scripturae de processione testimonia analysi subiciuntur, 29, sq. — Tres gradus processionis ad extra, 31. — Processio ad intra non excludit rationem principii, 32, sq. — Quatuor opiniones circa verbum mentale in processione nostra intellectuali, 33, sq. — Processionem secundam in Deo dari, probatur et vindicatur, 53, sqq. — Processio operati in processu voluntatis, 57. — Processiones ad intra sunt necessariae in Deo, 59. — S. Anselmi doctrina de altera processione, 59, sq. — Formalis ratio distinctionis inter processionem et generationem exponitur, 62, sq., 65. — Dualitas processionis probatur et vindicatur, 72, sqq. — Procedere melius spirationi convenit, quam generationi, 62, sq. — Ordo processionum exigit, Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio 550, sq. — Comparationes Patrum ad ordinem personarum manifestandum, 580. — Aeternitas utriusque processionis non ponit simultaneitatem sine ordine inter personas, 592.

PROCLUS. — Quam Trinitatem agnoverit, 369. — Proprietates in divinis, 430.

Πρόσωπον. — Explicatur, 266. — Pro persona stat, 283.

PROKOPWOICZ. — Citatur, 139.

PSEUDO-HIERONYMUS. — Textus eius de de commate Ioanneo, 144.

PULCHRITUDO. — SS. Trinitatis pulchritudo celebratur tum in se, tum in eius vestigiis, 808, sq.

PUTEANUS. — Verbum procedere contendit mere ex cognitione essentiae divinae et Patris, 497.

QUANTITAS. — Nonnisi virtualis in Deo, 744, sq.

RATRAMNUS CORBEIENSIS. — Citatur, 547, 568. — Spiritus Sanctus charitas Patris et Filii, 621.

RATIO. — Ratio et fides non sibi contradicunt, 347, sq. — Rat. hum., revelatione adiuta, potest dogma SS. Trinitatis

non quidem demonstrare, 354, sqq; — sed proponere, 393; — exponere, 395; — vindicare, 403; — at, sib relicta, nequit Trinitatem personarum cognoscere, 405.

RATIONALIS natura in definitione Boëthii relate ad angelos et Deum, 271.

RATIONALISTAE. — Negant SS. Trinitatem, quia est supra rationem, 9. — De distinctione inter relationes divinas et essentiam, 229. — Citantur, 548.

RAYMUNDUS LULLUS. — Cf. *Lullus*.

REDING. — Commentator in S. Thomam, 6.

REINERDING. — Citatur, 666.

REINKE. — Citatur, 115.

REISER. — Refutat Hagemann, 11.

RELATIONES. — Conceptus rel., 207, sqq. — Distinctio inter transcendentalem relationem et praedicamentalem, 208. — De fundamento relationum, 211, sq. — De requisitis ad realem rel. distinctionem, 216. — De earum existentia in Deo, 217, sqq. — De earum distinctione ab essentia, 226, sqq. — Utrum sint considerandae uti assistentes, 234. — De reali earum distinctione inter se, 237, sqq. — De earum numero, 245, sqq. — De earum nomine, 248. — In recto ingreditur notionem personae, 290, sq. — Quatuor relationes in Deo sunt, 307. — Quo sensu idem ac personae, 695. — Constituunt personam, 695, sqq. — Relationibus abstractis, utrum remaneant personae, 791, sqq. — Dicit: in natura divina subsistens, 746.

RELATIVA nomina explicantur, 469.

RENAUDOT. — Citatur, 584.

REVELATIO. — Revelatio est absoluta, 73. — Num sit superflua, 407. — Propositio eiusdem externa et interna, 394. — Revelationis de SS. Trinitate analysis, 396.

REX. — Nomen Christi, 530, sq.

RHABANUS (S. Maurus). — Hymnus eius de Trinitate citatur, 800.

RHEMENSE (CONC.). — Damnat Gilbertum Porret., 220, 227, sq. — Citatur, 258.

RICHARDUS (Victorinus). — Opus eius de SS. Trinitate, 5. — Infirma est eius ratio cur Spiritus Sanctus non sit Filius, 70. — De definitione personae, 288. — De demonstrabilitate SS. Trinitatis, 415. — Citatur, 519.

RIG-VEDA. — De trinitate, 373.

RIPA (Ioannes de). — Citatur, 698.

ROSCELINUS. — Erroris eius circa SS. Trinitatem indoles et radix, 18.

ROHLING. — Citatur, 115, 525.

ROMANA (Synodus VI.). — De SS. Trinitate, 202. — Damnatio Macedonii, 545.

ROSENROTH (KNORR VON). — Citatur, 124.

ROSMINIUS. — SS. Trinitatem ratione demonstrari putat, 366. — Demonstrabilitatem SS. Trinitatis nimis urget, 393.

RUFFINUS. — De Origene, 189. — Dubitat in quaest. Liberiana, 665.

RUINART. — Citatur, 586.

RUIZ. — Opus eius de SS. Trinitate, 6. — Utrum relationes sint considerandae uti assistentes, 234. — Utrum Deus sit triplex, 328. — Negat subsistentiam communem, unicam, absolutam in Deo, 659. — Minus probatur, 780.

RUPERTUS (TUITIENS.). — Opera eius de SS. Trinitate, 5. — Citatur, 101, 104. — Citatur, 519, 526, 529, 568. — Spiritus Creator, 643. — Spiritus Paraclitus, 646. — Triplicem gradum missionis distinguit, 826. — Non negat missionem Spiritus S. sub Vet. Test., 840. — Discutitur eius doctrina de missione invisibili Sp. S. in Vet. Test., 847, sqq.

RUSTICUS DIACONUS. — Unus in Ecclesia Occidentali dubitasse videtur de modo processionis Spiritus Sancti, 565, sq.

SABELLIANI. — Error eorum circa SS. Trinitatem, 10. — Refelluntur, 290. — Vituperantur a S. Athanasio, 480. — Deum unam personam cum Verbo

statuunt, 480, sq. — Negant processionem Spiritus Sancti a Patre, 548.

SABELLIUS. — Eius error circa SS. Trinitatem, 11. — Ponit distinctionem rationis inter generantem et generatum, 257. — Refutatur, 294, 298. — Impugnat mysterium Trinitatis 345. — Deum nonnisi muneris ratione patrem admittit, 454. — Tollit distinctionem rationis inter essentiam et personam, 658. — Impugnatur, 782.

SALMANTICENSES. — Citantur, 497.

SAMAN-VEDA. — De trinitate, 373.

SAMHITA (VEDA). — De trinitate, 373.

SAMOSATENUS. — Cf. *Paulus Samosatenus*.

SANCTITAS. — Nomen Spir. S., 649.

SANDER. — Citatur, 138.

SAPIENTIA. — In variis sensibus usurpari potest, 108. — Sapientia in V. T. significat secund. person. Trinitatis, 108, 113. — Notionaliter intellecta significat Verbum, 525. — An Filius sapiens sapientiâ genitâ, 632. — Nomen Spir. S., 649. — Filius sapientia, 685, 691.

SARDICENSE (CONC.). — Restituit in sedem Marcellum Ancyranum, 12.

SATOLLI (Card.). — Laudatur, 6, etc. — De distinctione relationum inter se, 245. — Utrum Deus triplex, 328. — Citatur, 679, 715.

SCHAAFIUS. — Citatur, 140.

SCHANZ. — Citatur, 139.

SCHEEBEN. — Scripta eius de SS. Trinitate, 6. — Laudatur, 171. — De Tertulliano iudicium 192. — Citatur, 570.

SCHELL. — Citatur, 204. — Non satis praecavet ab errore güntheriano, 273. — Discutitur eius constitutio SS. Trinit. iuxta definitionem Dei, entis causae sui, 417. — Personam absolutam tenet in Deo, 660.

SCHERLOCK. — Tritheista, 18.

SCHOLASTICI. — Praecipui qui de SS. Trinitate scripserunt, 5.

SCHOLZ. — Citatur, 139.

SCHWANE. — Eius historia dogmatum laudatur, 6. — Citatur, 13, 171. — De Tertulliano I, 193. — De Origine, I, 188. — Citatur, 6, 472, 570.

SCIENTIA. — Habitudo eius ad mysterium SS. Trinitatis, 406.

SCIENTIAE NATURALES. — Non oppugnant fidem, 345.

SCHNEEMAM. — Citatur, 666.

SCHYRENSE (Coenob.). — Trina oratio quotidie SS. Trinitati solvenda, 867.

SCOTUS. — De distinctione inter relationes et essentiam, 235. — De distinctione relationis a suo fundamento, 236. — Plus efficaciae tribuit vestigiis SS. Trinitatis, 416. — Verbum non procedit formaliter nisi ex cognitione ipsius essentiae divinae, 497, sq. — Esse diminutum creaturarum, 497, sq. — Non admittit processionem Verbi ex cognitione omnium possibilium, 507. — Citatur, 698, 716, 735, 769.

SCRIPTURA (S.). — De distinctione personarum div., 332. — De sublimitate mysterii S. Trinitatis, 345. — Citatur passim.

SCYTHI MONACHI. — Formula: Unus de Trinitate passus est, 329.

SÉGUR. — (Mgr. de). — Citatur, 9.

SELEUCIENSE (CONC.). — Spiritus S. a Patre et Filio procedit, 574. — Citatur, 585.

SEMIARIANI. — Vocem ὁμοιούσιος adhibent, 665. — In Conc. Sirmiensi III. vincunt, ibid. — Refutantur per aequalitatem in divinis, 747. — Refellitur eorum ὁμοιούσιος, 753.

SERAPIO. — Laudatur, 465.

SERVEDE (Michaël). — Eius error et fatum, 12. — Citatur, 203.

SIBYLLINI LIBRI. — De trinitate, 372.

SILENTIUM. — Quando valeat argumentum e Patrum silentio deductum, 146.

SIMAR. — Laudatur, 6.

SIMILITUDO. — Inter SS. Trinitatem et animam humanam, 650, sqq. — Inter processiones divinas et solem, lucem et calorem, 764.

SIMON MAGUS. — Error eius circa SS. Trinitatem, 12.

SIRMIENSE (Conc.). — De tribus formulis Sirm. dictis, 665.

SIROZAH (Avesta). — Citatur, 373.

SIXTUS V. — Citatur, 163.

SOCINIANI. — Error eorum circa SS. Trinitatem, 12. — Negant processionem Spiritus Sancti, 548.

SOCRATES (Historiographus). — Reditum Liberii minis Romanorum adscribit, 665, sq.

SOLUS. — Quomodo de essentia divina praedicetur, 335, sq., 376. — Quomodo de personis divinis praedicetur, 338, sq., 376. — Quomodo se habeant ad invicem « solus » et « solum », 336.

SOZOMENUS. — Citatur, 545. — Liberium Conc. Sirm. tertio subscripsisse affirmat, 665, sq.

SPECIES. — Nomen Filii in Scripturis, 518, sq. — Ratione pulchritudinis dicitur de Filio, 683, sqq.

SPIRATIO. — Eius distintio a paternitate in Patre, 431, 436. — Cf. *Processio* Spiritus Sancti.

SIRITUALITAS. — Perfecta spiritualitas processionis in divinis, 763.

SPIRITUS. — « Spiritus summus » in sermone anselmiano intelligitur Deus vel Pater, 59, sqq. — Vox Spiritus insinuat modum procedendi tertiae personae, 61, sq. — Patres constanter negant, Spiritum Sanctum esse Filium, 64, 86, sq. — Quod tamen non est ex aliqua deficientia, 66. — Spiritus Sanctus non recte vocatur ingenitus, 72. — Antiquis fuit incognitus, 373. — Spiritus S. ut verbum Verbi, 490, sq. — Respectus ad creata propter participationem essentiae divinae, 493, sq. — Dicitur imago Patris et Filii, ratione perfectae aequalitatis, 515, sq. — Est nomen proprium, 535, sqq. — Ipsum nomen ostendit, tertiam personam esse ab utroque, 535. — Probatur ex Scriptura, nomen esse proprium, 535, sq. — Idem ex Patribus, 536. — Spiritus Sanctus ponitur tanquam realiter distinctus a Patre et Filio, 540. — Spiritus Sanctus procedit a Patre, 541, sq., 545, sq., 548, sqq. — Spiritus Sanctus non procedit a Patre solo, sed et a Filio, 542, sqq. — Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, 544, sqq., 590, sqq. — Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, 544, sqq. — Quo sensu dicatur Spiritus Sanctus quiescere in Filio, 591. — Quare sanctificatio ipsi specialiter tribuatur, 837, sqq. — Inhabitatio S. Spir. sub Vet. Testamento et sub Novo, 837, sqq. — Inhabitatio eius in Ecclesia, 844.

SPLENDOR. — Lux Verbi vocatur et splendor, 528.

STENTRUP. — Laudatur, 171.

STOLBERG (Comes de). — De SS. Trinitate, 402.

STRAUSS. — Dicit SS. Trinitatis doctrinam per conflatos Iudaismum et Paganismum ortam esse, 8, 375. — Insanit contra Athanasianum, 304, sq. — Impugnat mysterium S. Trinitatis, 345.

STUDIUM SOLESMENSE. — Laudatur, 6. — Fundamentalis notio mysterii SS. Trinitatis declaratur, 90. — Cultus SS. Trinitatis maxime confert ad sanctitatem, 96. — Reiicitur sententia Scoti circa cognitionem ex qua procedit Verbum, 498. — Citatur, 504, 570.

STÜRMER. — Citatur, 751.

SUAREZIUS. — Laudatur, 6. — De principio: « Quaecumque », 239. — De eius expositione iudicium fertur, 239, s. — SS. Trinitas ratione cognosci nequit, 362. — Citatur, 659, 715. — Distinctio perfectionum in Deo, 776. — Minus probatur, 776. — Deficit in conceptu περιχωρήσεως, 785. — Exhibet conceptum deficientem missionis, 813, sq.

SUBSISTENTIA. — Comparata ad hypostasim, personam, essentiam, 276. — Modus eam in Deo praedicandi, 659.

SUBSTANTIALITAS. — Relationum substan-

tialitas a S. Bonaventura defenditur, 258.

SUBSTANTIA. — Lex praedicandi quoad substantiam et personas, 667. — Contra accidens dividitur, 267. — Explicatur et dividitur, 269. — Conparatur ad personam, 276. — In definitione personae, 288.

SUBORDINATIANI. — Error eorum circa SS. Trinitatem, 10.

SUE (Eugène). — Protestantismum dicit viam ad exterminationem Christianismi, 9.

SULPITIUS SEVERUS. — Reditum Liberii minis Romanorum adscribit, 665, sq.

SUPPOSITUM. — Explicatur, 278.

SYLVESTER (S. Papa). — Confirmat fidem Nicaenam, 724.

SYNCATEGOREMATICA. — Praedicatio, 336.

SYNESIUS. — Explicat Platonis trinitatem, 370.

SYMBOLUM (ATHANAS.). — Cf. *Athanasianum*.

SYMBOLUM. — Pro ordinandis Episcopis citatur, 465.

SYRIACA. — Quid syriacae editiones de commate Ioanneo, 142.

TARACHUS (S.). — Martyr SS. Trinitatem confitetur, 174.

TEMPLUM. — Spiritus Sanctus Deus probatur ex eo quod fideles eius templa vocentur, 30, sq.

TERMINOLOGIA. — Catholicae terminol. genesis, 280.

TERTULLIANUS. — Defendit veritatem contra Praxeam, 10. — Aliqua indicia Subordinatianismi in eius scriptis, 13. — Num revera comma Ioanneum citaverit, 153. — De eius plena orthodoxia controvertitur, 192, sq. — De Trinitate in unitate, 177, 191, sq. — De Trinitate, 324.324. — Quare credendum, 353. — Triplex similitudo SS. Trinitatis, 397. — Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, 557. — Citatur, 771.

TESTAMENTUM. — Doctrina SS. Trinitatis in Veteri Testamento, 91, sq. — Nexus inter utrumque Testamentum, 93, sqq.

THEODORETUS. — Negat, Spiritum Sanctum habere substantiam ex Filio aut per Fillum 566, sq. — Citatur, 584. — Reditum Liberii minis Romanorum adscribit, 665.

THEODORUS (Argentarius). — Eius error circa SS. Trinitatem, 10. —

THEODORUS (Coriarius). — Eius error circa SS. Trinitatem, 10.

THEODOSIUS MAGNUS. — Fert leges contra haereticos, 16.

THEOLOGI. — Principaliores qui a Conc. Trid. sq. usque ad praesens tempus de SS. Trinitate scripserunt, 5.

THEOLOGICUM argumentum ex commate Ioanneo deducitur, 161.

THEOPASCHITAE. — Cf. *Patripassiani*.

THEOPHANES PROKOPOWICZ. — Citatur, 589.

THEOPHANIAE. — De theophaniis Vet. Test., 115. sqq. — Sententia. S. Augustini, 119, sqq.

THEOPHILUS (S.). — Primus vocem Trinitatis induxit, 184. — Spir. S. Sapientia, 649.

THEOSOPHIA. — Vituperatur, 869, sq.

THOMASSINUS. — Opus eius de SS. Trinitate, 5, sq. Citatur 170. — Laudatur, 282. — Citatur, 547, 570, 797.

THOMAS AQUINAS (S.). — Ordo tractationis, 1, sqq. — Scripta eius de SS. Trinitate, 6. — De reliquis vide indicem.

TIMAEUS LOCRENSIS. — Auctor nominis Ingeniti, 463.

TISCHENDORF, — Citatur, 139. — Iudicium de commate Ioanneo, 168.

TOLETANUM (CONC.) I, II, III, XI. Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit, 565, 585, sq. — CONC. I. Filius de Patris natura, 724. — CONC. II. Voluntas non praevenit Sapientiam genitam, 715. — CONC. IX. Proclamat περιχώρησιν, 788. — CONC. XI. Laudatur, 203. — De numero in divinis loquitur, 313. — De nomine Trinitatis, 324. — Utrum Deus

triplex, 328. — Patrem ingenitum profitetur, 465. — Patris Filium Verbum appellat, 480. — Spiritus Sanctus, charitas Patris et Filii, 620. — Unus Deus est Trinitas, 678. — Aequalitas in Deo, 748. — Citatur, 757, 767. — Conc. xv. Laudatur, 302. — Conc xvi. Laudatur, 203.

Toletanus codex citatur, 143.

Toletus (Card.). — Scholasticorum commentator, 6. — Citatur de processione, 32. — De Scoti argumento ex ratione, 416.

Traditionale. — Argumentum trad. ex commate Ioanneo, 165, sq.

Tregelles. — Citatur, 139.

Tremellius. — Citatur, 142.

Tria. — "Tria", seu "tres res" de Deo potest praedicari, 334.

Tridentinum (Conc.). — Quid ex eo erui possit quoad authentiam commatis Ioanneo, 162.

Trinitas. — Utrum sit in divinis, 321. — Formalis conceptus Trinitatis, 322. — Etymologia nominis, 322, sq. — Definitio, 322. — In obliquo includit unitatem, sive trascendentalem sive realem, 322. — Differt a « Deitate », 323. — Differt a « triplicitate, » 324. — Varia significat, 327. — Optime dicitur unus Deus, 329, 342. — Quid ratio hum. de ea cognoscere possit, 344, sq. — Contra eam nil efficaciter ex ratione adducitur, 345, sq. — Hoc mysterium ratio hum. nequit detegere, nec revelatum demonstrare, 354, sq. — Excedit virtutem demonstrationis propriae, 363. — Non datur in via intuitio huius mysterii, 363. — Cognoscitur quodammodo ex creaturis, 364, sq. — Apud Platonicos et Christianos, 369.

Trinus. — Significatio, 323.

Triplex. — Quomodo dicatur de Deo, 328.

Tritheistae. — Eorum erroris indoles et principia, 17. — Moderniores theologi hoc errore infecti, 18, sq. — Sociniani tritheistae, 392.

Ulmensis codex citatur, 143.

Unigenitus. — Vox Unigenitus indirecte probat, alteram processionem non esse generationem, 63. — Praedicatur et praefiguratur Filius Dei Unigenitus in S. Scriptura, 522, sq. — Quid significet hoc nomen, 523.

Unitarii. — Cf. *Sociniani.*

Unitas. — Unitas Dei in Veteri Testamento praedicatur, 91, sq. — De his quae pertinent ad unitatem in divinis, 321. — De « uno » et « solo », 334, sqq. — Trinitatis unitas secundum S. Bernardum, 341. — Habet diversas species, 342.

Usus patristicus commatis Ioannei, 145.

Ὕπαρξις. — Explicatur, 284.

Ὑποκείμενον. — Explicatur, 284.

Valentinus. — Falsam fingit originem Verbi, 492.

Valroger. — Citatur, 139.

Vaticanum (Conc.). — Schema contra errorem Güntheri, 39. — Nulla dissensio inter fidem et rationem, 349. — Mysteriorum celsitudo, 357. — De conceptu pantheistico Trinitatis, 380.

Vaticinia. — Circa Messiam futurum, 106, sqq.

Vasquez. — Laudatur, 318. — Verbum procedit ex cognitione essentiae divinae, Patris et Filii, 497. — Citatur, 659, 715, 769.

Veda. — De trinitate, 373.

Veudidad (Avesta). — De trinitate, 373.

Verbum. — Circa probationem verbi mentalis quatuor opiniones dantur, 33, sq. — Verbum mentale potest dici conceptum, non vero genitum, 46. — Aliter et aliter de Verbo Dei et de nostro conceptu praedicatur, 40, sq. — Fingere Verbum a Verbo, est ponere plures naturas in Deo, 76, sq. — Verbi fit mentio in Gen. I, 1., 101. — Quadruplex sensus vocis verbi, 482, sqq. — Verbum est nomen personale, 477. — Λόγος ἐνδιάθετος et προφορικός, 485, sq. —

Melius Verbum dicitur quam sermo vel ratio, 486. — Nomen proprium Filii, 489, sqq. — Eadem relatione constituuntur Verbum et Filius, 489, sq. — Potest intelligi de opificio externo, 491. — Identitas Filii et Verbi probatur ex Scriptura et Patribus, 491, sq. — Filius non dicit Verbum, quia actus faecundus intellectus div. est unicus, 492. — Verbum tanquam quidditative existens importat respectum ad creata, 493, sqq. — Ut procedens ab intellectione possibilium, habet relationem ad illa, 493. — Externum verbum resonantia Verbi interni, 494. — Ut principium operationis habet relationem ad possibilia creanda, 495. — Verbum procedit ex cognita perfecte essentia divina, 504; — formaliter ex cognitione Patris, 504, sq.; — etiam formaliter ex cognitione ipsius Verbi, 505; — ex cognitione Spiritus Sancti, non autem tam formaliter, 506, sq.; — ex cognitione totius Sanctissimae Trinitatis, 507; — ex cognitione omnium possibilium, 507, sqq.; — ex cognitione futurorum quovis tempore faciendorum, 508, sq. — Appellatio Verbi magis accedit ad modum primae processionis, 521. — Alia Verbi nomina, 525, sqq. — Cf. *Filius*.

VERITAS. — Aliud nomen Verbi, 526. — Veritas Filio attribuitur, 687,

VERSIO. — Versio LXX interpretum, 107.

VESPERED (Avesta). — De trinitate, 373.

VESTIGIA. — Trinitatis cf. *Imago*. — Vestigia SS. Trinitatis eiusdem pulchritudinem commendant, 809.

VIA. — Nomen Filii Dei, 524, sq.

VICTOR (S. Capuan.). — Citatur, 143.

VIGILIUS TAPSENSIS. — Quid valeat eius auctoritas in quaestione de commate Ioanneo, 151.

VINANZI. — Citatur circa processionem Spiritus Sancti, 16. — De Origene, 189.

VINCENTIUS LIRIN.. — Citatur, 556.

VINCENTIUS (S. Valent.). — Martyr pro fide SS. Trinitatis occumbit, 174.

VIRTUS. — Filius Dei nuncupatur Virtus, 526. — Attribuitur Filio et Spiritui Sancto, 687.

VITA. — Nomen Filii conveniens cum Imagine, 530.

VOLUNTAS. — Spiritus Sancti similitudo, 651. — Voluntas divina logice antecedit generationem Verbi, 715.

VOLUNTARIUS. — Actus notionales in Deo ita sunt voluntarii, ut simul sint necessarii, 711, sqq., 716.

VULTUS. — Filius Dei vocatur et Vultus Dei, 529.

WALDENSES. — Plures ex eis errant circa SS. Trinitatem, 12.

WERNER. — Eius historia litteraturae apologeticae et polemicae laudatur, 6. — Citatur, 171, 571. — Spiritus Sanctus procedit διὰ τοῦ Υἱοῦ, non ἐκ τοῦ Υἱοῦ, 582.

WESTCOTT-HORT. — Citatur, 139.

WEISSEMBURGENSIS codex citatur, 143.

WIEST. — Citatur circa Tritheistas moderniores, 18.

WIRCEBURGENSES. — Citantur, 547, 570.

WISEMAN (Card.). — Propugnat authentiam commatis Ioannei, 138.

XIMENES (Card.). — Mittit codices ad Leonem X, 142.

YAÇNEC (Avesta). — De trinitate, 373.

YAGUR-VEDA — De trinitate, 373.

YESHTS (Avesta). — De trinitate, 373.

ZEND-AVESTA. — De trinitate, 373.

ZENO. — Dualitatem ponit in Deo, 370.

ZEPHERINUS (S. Papa). — Actus eius citantur, 176.

ZIEGLER. — Laudatur, 119.

ZOROASTER. — Oracula magica de Trinitate, 372.

GTU Library
BX1749.T5 J2 1900 v.3
Janssens, Henri Lau/Summa theologica ad
G
3 2400 00181 5566

BX 1749 T5 J2 1900 v.3 GTU
Janssens, Henri L
Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis summam

BX 1749 T5 J2 1900 v.3 GTU
Janssens, Henri L
Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis summam

Graduate Theological Union
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO